
4 aug.
1761.



GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Opera & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS OCTAVUS:

In quo de quatuor Ecclesiis Parisiacæ suffraganeis.

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXLIV.

HISCE DUOBUS TOMIS CONTINENTUR

INDEX VETERUM MONASTERIORUM
Ad hanc Provinciam ſpectantium.

GALLIA



Notæ Sequentes designant dignitates Ecclesiasticas.
Sedes Archiepiscopales.
Sedes Episcopales.
Abbatias Virorum.
Abbatias Mulierum.
Abbatias Seculares.
Abbatias non amplius extantes vel loco mutatas
Prioratus
Litteræ Sequentes designant ordinem
O. S. B. ordinem S.t Benedicti.
O. Cist. ordinem Cisterciensem
O. Præm. ordinem Præmonstratensem.
O. S. Cl. ordinem S.tæ Claræ alias urbanitas.
fl. designat flumen.
Scala Leucarum
Leucæ majores Galli
Leucæ communes
Leucæ minores
DIOECESIS CARNUTENSIS
DIOECESIS BLESENSIS
PARS PROVINCIÆ TURONENSIS
AURELI
Medunta
Mellentum
Droca Dreux
Novigentum Regis
CARNUTUM Chartres
Novigentum Retroci
Castrum Novum
Bona Vallis O. S. B.
Abonvilla
Janvilla
Castrodunum
Villa Clericorum
Fracta Vallis
Vindocinum
Magdunum
Balgenciacum
Blesæ
Ambasia
TURONES
Majus Monasterium O. S. B.
Montolium ad Carum
Castellio ad Carum
Rivus Morentini
Carus Fl.
Liderius Fl.
Autura Fl.
Aura Fl.
Stella O. Præm.
Mons Mirabilis
Alnetum
Bois ville
Micincus
Clariacus


GALLIÆ CHRISTIANÆ
PROVINCIA ECCLESIASTICA
PARISIENSIS
Continens Diœceses
Parisiensem, Carnotensem
Blesensem, Aurelianensem
& Meldensem
Descripta a J.B. Nolin
PARS PROVINCIÆ
DIOECESIS
REMENSIS
DIOECESIS
PARISIENSIS
MELDENSIS
PARS PROVINCIÆ SENONENSIS
Castrum Theodorici
Meldis
Lutecia Paris
Latiniacum
Versaliæ
Rosetum
Melodunum
Firmitas
Stampæ
Moretum
Monasteriolum
Nemoresum
Castrum Nantonis
Ferrariæ
Mons Argius
Vitriacum
Loriacum
Gargogilum
Floriacus
Solliacus
Ligeris Fl.
Sequana Fl.



GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

ECCLESIA CARNOTENSIS,
CUJUS METROPOLIS PARISII.

CARNOTUM urbs est inter Ligerim & Sequanam, maximos fluvios Celticæ vel Galliæ Lugdunensis terminos, media, a quibus æqualibus utrimque distat intervallis, caput Carnutum, gentis Celticæ validissimæ, totam latitudinem Galliæ Lugdunensis a Sequana ad Ligerim, quæ est triginta leucarum, obtinentis. Gens enim Celtica inter Sequanam & Ligerim late diffusa, Carnutes Cæsari dicuntur, Straboni & Livio, qui libro 5. cap. 34. eos Gallis qui Italiam invaserant, annumerat: *Carnutes Remorum erant in clientela, & Carnutum regio totius Galliæ media habetur;* ita Cæsar libro 6. de bello Gallico. Horumce populorum meminit adhuc cap. 25. & libri secundi extremo. Meminerunt & Tibullus in carmine ad Messalam, Plinius, Plutarchus & Ptolemæus, qui duas eis urbes attribuit, Autricum, quæ prima gentis erat, & Cenebum, Cæsari Genabum. A Magnone quoque eodem nomine civitas Carnutum designatur: Carnutenus Autricum, id est Carnutenus, cujus caput est Autricum. Autricum autem, quasi Auturicum appellatum esse existimat Hadrianus Valesius a flumine Autura* quo alluitur, apud antiquos illaudato, tantumque ex vitis Sanctorum noto. Hos præter duos scriptores vix antiquum Autrici nominis testem reperies; scilicet posteriores qui paraphrasi delectabantur, proprio misso nomine, civitatem primariam Carnutum a gente, cujus caput erat, sic dixerunt, quemadmodum Parisios a Parisiis Luteciæ populis: eo tamen discrimine, quod de genitivo plurali nominativum singularem generis neutri vel feminini fecere, Carnutum vel Carnotum appellantes. Sic Severus Sulpicius in libro tertio de vita S. Martini, & Aimoinus Carnotum vocant, quod Carnotus in genere feminino est Fortunato in vita S. Martini, & aliis Carnutæ, unde urbis incolæ Carnuteni vel Carnutini. Ita Paulinus in libro quarto de vita sancti Martini situm urbis nobilissimæ & Belsam describit v. 255.

* l'Eure.

Carnutena jacent patulis qua mœnia campis.

In quinque veteribus notitiis civitas Carnotum nuncupatur, & post metropolim civitatem Senonum prima ponitur in provincia Lugdunensi IV. seu Senonia. Robertus in chronico a metropoli civitate Senonum proximam facit; at Gervasius Tisleberiensis, & nonnullæ recentiores notitiæ urbem Carnutas tertio reponunt loco, Luteciamque Parisiorum, quæ prius posthabebatur, ei præferunt, quod sit caput regni sedesque regum Francorum.

De splendore urbis qualis retroactis ante temporibus fuerit, insignis est locus in libro Aganonis asservato in chartulario sancti Petri in Valle: *Urbs populosa admodum atque opulentissima, inter Neustriæ urbes murorum magnitudine, ædificiorum quoque pulchritudine, vel artium liberalium studiis famosissima. . . . . Quæ quondam a Julio Cæsare obsessa, decennio perstitit inexpugnabilis, & a se Romanas acies, Argolicasque pepulit indefessa phalanges: erat enim ex quadratis immanissimis lapidibus constructa, altisque turribus munita,*

ac idcirco urbs lapidum vocitata, aquaeductibus jucunda, viis subterraneis latabunda, quibus omnia subportabantur sibi necessaria, nunc ab inopi divinae virtutis gente, Deo permittente, solo tenus evertitur & ignibus concrematur (ab Hastingo duce.)

Carnotas suo quoque tempore sic describit Merula: *Oppidum hodie non postremi loci, situm in planitie, partim in colle, frequentibus aedificiis refertum, moenibus firmis cinctum, aggeribus fossisque circumvallatum, incolarum divitiis pollens. Perluit ad collis pedem fluvius pistrinis versandis commodus, qui è Perchensibus ortus hucusque civium industria derivatus, apud Luparias paulo supra Rotomagum in majores Sequanae undas influit. Summum templum Mariae virgini est consecratum, in cujus crypta puteus ostenditur, sanctorum Fortium dictus, in quem cum Carnutes Christo nomen primitus dedissent, magnus christianorum numerus ab Quirino Galliae proconsule dicitur praecipitatus; adservari hic etiam fertur ingenti pietate subucula divae Virginis. Portas habet octo, quarum sex patent, reliquas bella clauserunt civilia, quibus anno 1567. fuit obsessum oppugnatumque, sed virtute Lignerii fortiter defensum.*

Fortunam Carnotarum, quomodo regni Neustriae pars, Carolo Calvo obtigerint, Gallicanoque postea adunatae fuerint imperio, nostrûm non est explicare, haec quippe nostri sunt non instituti. Sed ne quid a Sammarthanis observatum a nobis desideretur, suos olim habuit comites haec provincia: Theobaldus Ledgardis Viromandensis maritus eorum stirpem propagavit, ex cujus posteris, defuncto improle Theobaldo juniore comite Blesensi & Carnotensi, Margarita Blesensis uxor Galterii d'Avesne comitissa Carnotensis efficitur. Hoc ex matrimonio nata Maria nupsit Hugoni de Chastillon, cujus ad filium Johannem comitatus devenit. Unica Johannis nata Johanna de Castellione comitissa Blesarum & Carnotensis, Petri a Francia comitis Alenconii & Pertici uxor, absque sobole, comitatum divendidit Philippo Regi Pulchro codicillis anni 1286. qui asservantur in regio Parisiensi chartophylacio.

Una est quae propius nos attingit ecclesia Carnotensis, de cujus initiis inter eruditos non convenit. Plebem inscitam non moror, cui si fides adhiberetur, jam ante Christum christianae erant Carnotae. Ferunt quippe ecclesiam cathedralem olim pro templo Druidis fuisse, *Virgini pariturae* consecrato. Communior est opinio a viris apostolicis sanctis Potentiano, Saviniano & Altino, aliquo fidei radio jam illustratos Carnotenses, pleniorem dein lucem hausisse è praedicatione & conversatione sancti Carauni in hac dioecesi martyrio coronati 28. Maii, ad quem diem ista leguntur apud Usuardum: *eadem die sancti Carauni martyris, qui apud Carnotum civitatem capite amputato martyrium sumsit.* Eadem fere leguntur apud Bellinum, Maurolycum, Felicium, Galesinium, & alios cum hodierno martyrologio Romano.

Neque est quod dicant Bollandistae tomo sexto Maii pagina 748. acta quae sanctum Caraunum cum antiquissimis fidei in Gallia praeconibus componunt, id nullatenus facere verosimile: de eo enim loquuntur ut de Pothino, & de Dionysio ceterisque hujusmodi apostolis, qui vendito patrimonio peregre profecti sunt, & per iter populis praedicaverunt. Quod autem non fidei causa a tyrannis gentilibus, sed pecuniarum cupiditate a viarum grassatoribus occisum sanctum dicant, non sequitur in plena ecclesiae pace occisum fuisse Caraunum: quasi vero Apostoli omnes martyrio coronati sint, quasi apostoli aliter quam martyrio mori non potuerint. Et certe haec ratio omnibus non arrisit, etiam Jesuitis, qui in summo antiquitatis gradu, in quo compilator actorum collocavit sanctum Caraunum, conservandum putant. Sanctus autem Caraunus Carnotum accedens, parvum numerum christianorum reperit, & infinitum agmen gentilium diabolico errore detentum. Carauno jungendus esset S. Benignus Carnotensis episcopus & martyr, filius spiritualis S. Agnetis virginis & martyris, quorum corpora Chlodovaeus rex collocavit in monasterio, quod in villa Vidua ad Ligerim regio fisco construxit. Hoc autem a Danis destructo asceterio, reliquiae anno primo Othonis imperatoris, IX. autem Lotharii, Christi 962. a Lamberto presbytero inventae sunt, quas a Thiadboldo comite impetratas Baldricus episcopus Trajectum in ecclesiam cathredralem transtulit 31. Martii 964. Ita legitur in historia hujusce translationis apud Bollandum Januarii tomo secundo pag. 357. & seqq. ubi natalis sancti Benigni dies ad vigiliam sanctorum apostolorum Petri & Pauli annotatur. Verum hanc historiam prorsus ablegat Tillemontius, tum quod in prioribus ecclesiae seculis mos nondum invaluerat, ut e sacro fonte regenerati adoptarentur in filios, maxime a puellis, tum quod ignota hactenus tam villa Vidua regius fiscus, quam monasterium ad Ligerim a Chlodovaeo constructum, satiusque cum Baronio existimat sanctum Benignum esse episcopum illum, cujus meminit Gregorius Turonensis libro de Gloria Confessorum cap. 17. qui peregrinus in urbem Turonicam advenit, & in eodem pago defunctus, sepultus est. Et certe nomen sancti Benigni in catalogis ecclesiae Carnotensis non legitur.

Templum ecclesiae cathedralis nulli fere per orbem, sive aedificiorum magnificentiam, seu amplitudinem spectes, cedit ecclesiae. Pluries igne consumtum, pluries quoque restitutum fuit, maxime a Fulberto, decoratumque ab Ivone, qui ambonem construxit. Patronam veneratur beatam Mariam in coelos assumtam. Magnificentissimo opere constructum est, longum pedes 417. latum 189. altum 117. cum duobus campanilibus super frontem basilicae constructis, quorum alterum pedes habet 378. altitudinis, alterum 360. De hujus ecclesiae laudibus Willelmus Brito Philippidos libro secundo:

. . . *Urbs quoque Carnotum, quam civis tam numerosus,*
Tamque potens clerus, & tam praedives opimant,
Ecclesiaque decus, cui scemate, mole, decore,

Judicio par nulla meo reperitur in orbe :
Quam quasi, postpositis specialiter omnibus, unam
Virgo beata docet Christi se mater amare,
Innumerabilibus signis, gratoque favore,
Carnuti dominam se dignans sæpe vocare :
Cujus & interulam cuncti venerantur ibidem,
Qua vestita fuit, cum partum protulit agnum.

Capitulum constat 76. canonicis, præter abbates Cluniacensem & sancti Johannis in Valle, qui gaudent præbenda in eadem ecclesia, in qua numerantur 17. dignitates, scilicet decanus, cantor, archidiaconus major, archidiaconus Dunensis, subdecanus, succentor, archidiaconus Pisciacensis, archidiaconus Blesensis, archidiaconus Drocensis, archidiaconus Vindocinensis, camerarius, cancellarius, præpositus de Ingreio, præpositus de Normannia, præpositus de Mazangeio, præpositus de Auversio, & capicerius; matricularii sacerdotes, capellani & corpus musices chorum inferiorem constituunt. Diebus solennioribus purpura fulgent canonici, solennibus aliis violaceo colore decanus, qui eligitur a capitulo; ceteras dignitates & canonicatus confert episcopus, sicut decanatum, decem præbendas integras, duas dimidias, & matriculariam in ecclesia collegiata sancti Andreæ, quinque præbendas integras, quatuor dimidias & capiceriatum cum matricularia sancti Mauricii prope Carnotum, & septem præbendas sancti Aniani.

Carnotina diœcesis, cujus episcopi post constitutam metropolim primi Parisiensibus archiepiscopis nunc subsunt suffraganei, ut Senonensibus ab initio suberant, ante distractas Blesas tanta erat, & tam ampla, ut Romæ magna diœcesis diceretur, & in quatuor novas diœceses, novosque episcopatus quibusdam dividi posse videretur; partem quippe Pertici, pagos Vindocinensem, Blesensem, Dunensem, Carnotinum, Durocassinum, Madricensem, Pinciacensem, portionemque Belsiæ continebat. Ex his detracti anno 1697. pagi Vindocinensis, Blesensis, parsque Dunensis, ut novus institueretur episcopatus Blesensis, horumque in locum assignati episcopo Carnotensi reditus mensæ abbatialis Gaudivallensis; annuique ejusdem post obitum cujuslibet episcopi capitulo fructus, præter trecentas unicuique læso archidiacono libras. In decanatibus quoque ruralibus quindecim, parochiales ecclesiæ numerabantur circiter 1000. prioratus 257. abbatiæ plures virorum ac mulierum, de quibus sigillatim suo loco.

Ecclesiam Carnotensem in regno Franciæ commendabilem & communis opinio prædicat, & antiqua dignitas repræsentat: inter comprovinciales auctoritatis præcipuæ & opinionis præclaræ apud Stephanum Tornacensem episcopum legitur epist. 36. & 37. Memoratur hæc basilica cum capitulo & canonicis cap. 23. & 24. *de verborum significatione.* Archidiaconus cap. 28. *de jure patronatus*, & cap. 28. *de judiciis.* Episcopus cap. 4. *de officio & potestate judicis delegati.* Carnoti etiam data lex *neganda* 19. cap. *de his qui accusare non possunt*, & pleræque aliæ in codice Theodosii & Justiniani. De hac primaria ecclesia poteris plurima legere apud Johannem Bonifacium in historia virginali libro secundo cap. primo. Sebastianum Rolliardum in Parthenia vel historia ecclesiæ Carnotensis.

Sequuntur episcopi qui in ecclesia Carnotensi floruere, quorum seriem ex diversis auctoribus monumentisque, & tabulariis non antea vulgatis depromsimus. Necrologium autem sæpius a nobis laudatum, non unius scriptoris opus esse videtur, est vero quingentorum ad minus annorum.

EPISCOPI CARNOTENSES.

ANNI CHRISTI

I. Adventus.

A

Ab Advento seu Aventino episcoporum suorum catenam ordiuntur Carnotenses. Adventus autem jam erat episcopus temporibus sanctorum martyrum Saviniani & Potentiani, si qua eorum legendæ fides, a quibus Eodaldus & Altinus Carnutum missi invenerunt episcopum, clerum & populum christianum, & ecclesiam Carnotensem dedicaverunt in honorem beatæ Mariæ. Quo autem seculo Savinianus & Potentianus a pontificibus Romanis missi fidem christianam in provincia Senonensi disseminaverint, definire hoc opus, hic est labor. Ecclesiarum origines investigare nostri non esse instituti, utpote aleæ plenum opus, sexcenties jam monuimus. *A Petro Savinianum, Potentianum & Altinum Galliæ receperunt,* inquit Bosquetus hist. eccles. Gallic. libro primo, n. XXII. *Cum eo pariter passi Eodaldus, Altinus, &c. Ego vero quamvis traditionem, quæcumque illa sit, verear, hæc tamen omnia adeo ab historica veritate aliena mihi non persuadeo. Nam tot erroribus priscas narrationes obduxit antiquitatis amor, & Petri principatus studium, ut qua agendum sit non agnoscam.* Quis revera nesciat tot erroribus primigenias ecclesiarum traditiones scatere, ut vix innumeris obsitæ tenebris veritati discernendæ sit locus? Quisque quod sibi magis arridet pro certo tenet, aliisque persuadere tentat. Sic nuperus centum annorum ecclesiæ suæ nimium indulgens auctor, ut Petro apostolo Carnotensium episcoporum originem acceptam referret, unicuique episcopo certum annorum sedis numerum affixit: sic ne ab hocce numero vel latum unguem discederet religiosior Cointius ille, totum episcoporum Carnotensium in vulgatis catalogis interturbavit ordinem. Nobis vero e tribus indicibus quos præ manibus habemus, Carnotensium episcoporum series monumentis authenticis magis consona exsurget, quorum primus e veteri manuscripto codice Igniacensi seculo XII. desumtus est; alter e libro albo in episcopio asservato seculo XIII. exaratus. Tertius denique ex manuscripto codice S. Petri Carnotensis vulgo *Apothecarius* dicto, a monacho S. Petri anno Domini 1373. concinnatus est, cui & superiori additi seculis sequioribus sedis uniuscujusque episcopi annorum numeri. His autem in catalogis quatuordecim tantum ab Advento, cujus in monumentis ecclesiæ Carnotensis ne hilum quidem, ad Adventinum certa temporis nota indubitanter notum, ordine sequuntur episcopi, quibus nisi singulis 36. annos regiminis asseras, vix ac ne vix quidem ad apostolum Petrum, ut volunt, potis erit gradum remeare. Quis autem sibi persuadeat temporibus illis difficillimis per spatium 500. circiter annorum 14. solummodo præfuisse præsules? Itaque ex tribus catalogis sunt

B

C

D

E

ANNI CHRISTI

II. Optatus.

III. Valentinus

Si idem ac Valentinianus, cum Victricio Rotomagensi episcopo interfuit sancti Martini miraculo mutæ ab utero puellæ linguam Carnoti solventis sub finem seculi IV. apud Severum Sulpicium dialogo tertio. Altera vice petens Carnotum Martinus vicum frequentissimum præterit, in quo nemo noverat Christum. Unde patet hoc saltem seculo non longe adhuc Evangelium propagatum fuisse, ibid. dialogo secundo.

IV. S. Martinus Candidus.

In legenda sancti Aniani, de qua mox, memoratur sanctus Martinus Candidus, cujus corpus jacet in ecclesia sancti Martini in valle Carnotensi, & super ejus tumulum sunt hi versus:

Te coluit, Christe, Martinus Candidus iste,
Quem modo tu recreas, & recreando beas.

V. S. Anianus.

Sancto Martino successit sanctus Anianus, de quo in codice manuscripto sancti Petri *Apothecarius* legitur, quod cum dives esset & potens, totum patrimonium suum & trium sororum, quas monitis & exemplis Deo virgines consecraverat, & earum villas, quæ usque hodie harum nomina retinent, episcoporum Carnotensium usui delegaverit. Quin & ecclesiam construxit & fundavit, quam in honorem nominis ipsius dedicaverunt ejus successores; hujus corpus è sarcophago, in quo cum sororibus in inferiori crypta sepultum fuerat, elatum, in superiori basilica super sanctum altare collocatum est, donec anno 1134. IV. fer. nonis Septembris tota fere civitate & basilica sancti Aniani igne consumtis, sancti præsulis ossa a flammis illæsa in crypta a Gaufrido episcopo reposita sunt, qui biennio post reparata ecclesia, Dominica secunda Adventus die sancto Nicolao sacra sancti Aniani reliquias ad altare superioris basilicæ reportavit, & in eodem loco quo prius steterant, biennio & mensibus tribus ab incendio decursis, clausit, & præcepit ut, *quoniam ordinationis & depositionis ejus dies ignoraretur,* translationis saltem festivitas quotannis celebraretur VII. id. Decemb. quia die S. Nicolai festum celebrari non poterat, & quidem hac die notatur in breviario Carnotensi.

VI. Severus.

VII. Castor.

VIII. Africanus *seu* Aufricanus.

IX. Possessor.

X. Polychronius.

XI. Palladius.

XII. Arboastus.

Qui Cointianam chronologiam sciendi avidus

ANNI CHRISTI

revolvere voluerit, ipsius modo adeat annales ab anno 481. ubi de Arboasto primùm.

XIII. Flavius.

XIV. S. Solennis.

Solennis, qui Sollennpnis, Solemnius, Solemnis post Flavium electus in episcopum aufugit. Ordinato in ejus locum Adventino, rediens & ipse ordinatus toto vitæ suæ tempore episcopatum tenuit. De eo Sigebertus in chronico sub annum

490. 490. *Solennis Carnotensis episcopus claret, qui in prædicando Francis Christum non segniter institit.* Ejus quoque meminit Albericus ad annum sequentem. In ipsius vita quæ manuscripta asservatur in bibliotheca regia, Flavio Carnotensi episcopo successisse dicitur tempore Chlodovæi, huncque adversus Gothos proficiscentem catechumenum fecisse, id est christianæ religionis mysteriis informasse. Illud ipsum innuunt plures alii auctores, & probare videtur ejusdem vitæ scriptor, cum narrat in altera expeditione contra Gothos Solennem esse secutum Turonos usque Chlodovæum, ubi cum in morbum incidisset, apud Malliacum* castrum a rege relictus obiit. Sepultus autem est in vetusta basilica sanctæ Mariæ in montis cacumine sita. Qua postea a paganis destructa, corpus sancti antistitis remansit ignotum usque ad Gregorii Turonensis tempus, qui plurima ad ejus sepulchrum facta refert miracula. Inde cum corpus sancti Solennis Carnotum deferretur, Blesis in ecclesia sancti Petri depositum fuit, quæ ab eo deinceps sancti Solennis nomen tulit cum parochiæ titulo, donec in cathedralem seculo superiori erecta, mutato nomine sancti Ludovici dicta fuit. Sacrum ejus corpus, paucis ossibus exceptis, Calviniani seculo XVI. combusserunt. Colitur ejus memoria in diptychis ecclesiasticis VIII. calendas Octobris.

* modo Luine.

Lib. de Glor. confessor. col. 911.

XV. S. Adventinus.

Cum fugam arripuisset electus Solennis, ejus in locum creatus & ordinatus est S. Adventinus. Quod audiens Solennis, securus prodiit è latebris: at raptus a Carnotensibus, prior electus ordinatus quoque est. Adventinum itaque ad Dunenses vice sua, episcopali tamen auctoritate, sacra curaturum legavit, donec post mortem Solennis Carnotensem quoque rexit ecclesiam Adventinus, quo nomine

511. synodo Aurelianensi primæ subscripsit anno 511. Ingentem paganorum numerum ad Christi fidem convertit, doctrinam suam probavit miraculis, Castroduni pestem sedavit, triaque templa erexit. Defunctus pridie nonas Februarias, sepultus est in ecclesia S. Medardi in suburbano Castrodunensi.

XVI. Ætherius.

Sancto Adventino episcopus Carnotensis subrogatus Ætherius, qui Eutherius & Hetherius,

533. subscripsit an. 533. synodo Aurelianensi secundæ,

538. 538. tertiæ, & 541. quartæ. Cum laude pietatis

541. commemoratur in actis sancti Leobini successoris. Ad tria millia civitatis sancto Prisco construxit ecclesiam, cujus reliquias ibidem collocavit, unde

A Jotrum Meldensis diœcesis parthenonem delatæ sunt.

XVII. S. Leobinus.

Dignis in Pictonibus ortus parentibus Leobinus, post annos octo in monasterio transactos invisit sanctum Avitum, ad quem post varias peregrinationes exacto in Insula Barbara quinquennio rediit in pagum Perticensem, in cujus monasterio cellarii curam habuit. Post obitum sancti Aviti in locum cui nomen Carbonaria secessit, ibique per quinquennium degit, at notus ob sanctitatis famam Ætherio Carnotensi episcopo, ab eo diaconus,

B mox presbyter ordinatur, & monasterio Brajacensi præficitur, quo tempore Cæsarium Arelatensem antistitem causa proficiendi in melius adiit, a quo Brajacum quantocius redire jussus est. Mortuo autem Ætherio subrogatus est Leobinus Childeberto rege id ita decernente, a quo invitatus, aliquando Parisios venit cum Medeveo consacerdote, ubi dies Paschæ vice pontificis loci illius defuncti episcopaliter transegit, & incendium pontis precibus exstinxit circa annum 547. ex Cointio. Concilio Aurelianensi quinto subscripsit anno 549. Unus fuit è judicibus Saffaraci episcopi 549.
Parisiensis, quorum judicium confirmavit syno-

C dus Parisiensis altera anno 551. Diœcesis Carno- 551.
tensis primus terminasse fines dicitur in veteri codice. In episcopatu vitæ monasticæ rationem retinuit adusque vitæ finem, quam in sede pontificali feliciter clausit XVII. calendas Octob. qua die colitur. Fama est sepulti in æde suburbana sancti Martini in Valle in sacra ejus ossa sæviisse Calvinistas anno 1568. verum an. 1703. mense Aprili cum destrueretur oratorium sancti Nicolai, *al.* sanctorum Sergii & Bacchi, ut ædibus episcopalibus amplificandis daretur locus, inventus lapideus tumulus continens cadaver sine capite, cui inscriptum erat duobus in locis *S. L.* quibus

D literis initialibus potest significari, aut *S. Leobinus*, aut *Sepulchrum Leobini.* Conjecturam hanc duo adjuvant, primum quod cadaver capite careat, nempe caput sancti Leobini asservatur in sacrario ecclesiæ Carnotensis; alterum quod hic tumulus inventus sit prope sepulchrum sancti Chaletrici. In veteribus autem monumentis legitur Chaletricum prope sanctum Leobinum sepultum fuisse. Brajacense cœnobium nunc ad simplicis, ut aiunt, prioratus statum redactum, subest abbatiæ sancti Petri in Valle Carnotensi.

Prioratus de la Veyré, ecclesia parochialis de Poligny, aliæque bene multæ in tota diœcesi S.

E Leobinum colunt patronum, cujus vitam habes seculo primo Benedict. pagina 123. & biblioth. Labb. tomo secundo pag. 582.

XVIII. S. Chaletricus.

Leobini successor sanctus Chaletricus eligitur, ut intelligitur ex vita sancti Leobini, cujus hæc verba: *Beatus vir nomine Caletricus nobilis genere, sed nobilior meritis, post excessum beati Leobini Carnotis constitutus episcopus, dum in presbyteri gradu se tam in conspectu Dei, quam in oculis hominum sancta*

conversatione redderet gratum, tanta infirmitatis angustia est correptus, ut vix ultimo palpitaret anhelitu. Cujus venerabilis germana nomine Mallegundis directis velociter missis ad sanctum episcopum Leobinum, ut ad leviandum fratris sui infirmitatem benedictum dirigeret oleum : ipse vero cum oleo præsentialiter veniens, silentium ab omnibus postulavit, dicens : Domine, qui omnia nosti, si hunc famulum tuum ecclesiæ tuæ vel populo judicas necessarium, tua opitulante virtute restitue sanum. Tunc ille æger ut sacræ unctionis oleo est perunctus, tantæ sanitatis gratia est restitutus, ut nullius infirmitatis molestia unquam ejus membra fuissent attacta. Ad comprobandam autem sancti viri virtutem reliqua olei pars in tantam constat pulchritudinis claritatem conversa, ut cunctis qui aderant, non olei nitor, sed crystalli videretur clarescere splendor, nimirum illud præfigurans, ut qui futurus erat episcopus, per ministerium episcopale oleum consecrationis sanctificaret, & divinis virtutibus per cælestem gratiam splendesceret. Factus autem episcopus Chaletricus
557. anno 557. concilio Parisiensi tertio subscripsit hoc modo : *Chaletricus peccator episcopus ecclesiæ Carnotensis consensi & subscripsi*, necnon concilio Tu-
566. ronensi 566. Ipse est Chaletricus peccator, non vero Domicianus, qui privilegio ecclesiæ sancti Vincentii a sancto Germano concesso subscripsit, ubi præter Nicetium Lugdunensem & Domnolum Cenomanensem nulli episcoporum nominatorum bene assignatur sedes. Obiit S. Chaletricus annos natus 38. cujus corpus una cum multis aliis sanctorum pontificum Carnotenæ ecclesiæ basilica cathedralis veneratur. Cum capella domestica palatii episcopalis de qua supra subrueretur die 25. Aprilis 1703. reperti sunt nonnulli tumuli : in his sub altari tumulus sancti Chaletrici vacuus, cujus lapidi in modum arcæ concavo insculpta erat uncialibus literis hæc inscriptio : *Hic requiescit Chaletricus episcopus, cujus dulcis memoria pridie nonas Septembris vitam transportavit in cælis.* Prius pro ejus obitu assignabatur dies 7. Oct. Describit Fortunatus Chaletrici virtutes cum sanctitate conjunctas insigni, sed prolixo carmine libro quarto capite septimo, quod hic post Sammarth. visum est transcribere :

Illacrymant oculi, quatiuntur viscera fletu,
Nec tremuli digiti scribere dura valent.
Dum modo quæ volui vivo, dabo verba sepulto,
Carmine vel dulci cogor amara loqui.
Digne tuis meritis, Chalacterice sacerdos,
Tarde note mihi, quam cito care fugis!
Tu patriam repetis, nos, triste, sub urbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt,
Dulcior ac melli lingua sepulta jacet.
Forma venusta, decens animus, sine fine benignus,
Vox suavis, legem præmeditata Dei.
Spes cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, promptus ad omne bonum.
Organa psalterii cecinit modulamine dulci,
Et tetigit laudans plectra beata Dei.
A *Cautere eloquii bene purgans vulnera morbi,*
Quo pascente fuit fida medella gregi,
Sex qui lustra gerens octo bonus insuper annos,
Ereptus terra justus ad astra redis.
Ad Paradisiacas epulas te cive reducto,
Unde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito, quanta est tibi gloria laudum,
Nec debes fleri, talis amice Dei.
Hæc qui, sancte pater, pro magnis parva susurro,
Pro Fortunato, quæso, precare tuo.

XIX. Pappolus.

B

In codice Igniacensi & libro albo post Chaletricum sequitur Pappolus, & quidem recte. Hic autem æmulum expertus est Promotum, qui apud Dunense castrum episcopus paulo post eum constitutus fuerat consensu regis Sigeberti, & ordinatus ab Ægidio Remensi præsule. Testatur id
synodus Parisiensis IV. anno 573. celebrata, cui a 573.
Germano Parisiensi episcopo ad preces Constituti Senonensis invitatus adesse noluit Promotus. Hanc autem ad synodum libertatis & canonum ecclesiasticorum assertor Pappolus, ægre ferens factam sibi & ecclesiæ Carnotensi injuriam, rem omnem de-
C tulit. Libelli quem episcopis obtulit tenor sic se habet : *Cum me ante aliquot temporis clericorum vel civium Carnotinæ civitatis voluntas per consensum, cum conniventia etiam metropolitani mei, fieri episcopum elegisset, quod annuente Domino factum est, post aliquot dies quidam ex ipsius Carnotinæ civitatis territorio presbyter, nomine Promotus, qui reliquerat sine literis antecessoris mei cellolam suam, inliceta præsumptione parrociam meam, cui vocabulum est Duno, quasi sub nomine episcopatus visus est pervasisse. Etiam & facultaticulam ecclesiæ, cui præesse videor, quantum in ipso pago esse constat, nescio per cujus ordinationem, simili conditione pervasit. Pro qua, rex, supplex vester*
D *sanctitati vestræ suggero, & per Spiritum sanctum qui in vobis habitat & diem judicii futuro, & per remissionem peccatorum vobis, dominis meis, conjuro, ut hoc ita qualiter vobis fieri non vultis, emendari jubeatis : quatenus nec per callidam præsumptionem quis audeat in postmodum per tumorem superbiæ similia perpetrare, & simultas ecclesiæ vestro studio & ordinatione jam Christo propitio conquiescat.* Synodus itaque Promotum intrusum ab episcopali dignitate dejecit, & diœcesis totius regimen Pappolo restituit, objurgato Remensi episcopo, & rege ea quæ episcopos decebat dignitate admonito, ne Promoti causam amplius tueretur, uti patet ex epistolis synodicis ad
E eos scriptis tertio idus Septemb. XII. regum tunc regnantium indictione VI. quas habes in appendice operum sancti Gregorii Turonensis col. 1341. & seqq. Non ideo tamen ante obitum Sigeberti, quo ordinante institutus fuerat Promotus, hæc suum sortita est effectum sententia, nec nisi biennio post synodum integra Pappolus potitus est diœcesi, cujus partem Promotus per vim contra canones invaserat. Hinc Gregorius Turonensis hist. Francorum libro septimo capite XVII. de Promoto hæc habet : *Promotus vero qui in Dunensi castro,*

ANNI CHRISTI

ordinante Sigeberto rege, episcopus fuerat institutus, & post mortem regis amotus fuerat, eo quod castrum illud esset diœcesis Carnotenæ, contra quem ita judicium latum fuerat, ut presbyterii tantum officio fungeretur, accessit ad regem, deprecans ut ordinationem episcopatus in antedicto castro reciperet. Sed obsistente Pappolo Carnotenæ urbis episcopo, ac dicente quia diœcesis mea est, ostendente præsertim judicio episcoporum, nihil aliud potuit obtinere cum rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habebat, reciperet, in quo cum genitrice adhuc superstite moraretur. Sicque finem habuit episcopatus Dunensis castri oppidi ad flumen Lidericum, quem ante Promotum obtinuerat Adventinus, ut vidimus. Pappolus autem apud Gregorium libro VIII. capite decimo memoratur missus a rege Guntchranno ut Merovechi cadaver requirens juxta Chlodovechi tumulum in basilica S. Vincentii sepeliret. Synodo
585. Matisconensi secundæ subscripsit anno 585.

A Pappolo monasterium exstructum est Carnoti; de eo enim in vita sancti Carauni legitur: *Vir namque apostolicus vocabulo Papbolus, refulgens præclara sanctitate, eo tempore episcopus, abbatem simul & pulcram clerimoniæ seriem, quæ sepulturæ deberet deservire, ibidem instituit.* De ipso etiam intelligi debent quæ leguntur in vita S. Launomari abbatis Curbionensis seculo primo Benedict. pag. 338. *Vocatur ad urbem Carnotum precibus ejus urbis antistitis; quo dum esset gravi fractus ægritudinis labore lecto decubuit. Quod civitatis pontifex ut audivit, cum lacrymis ad eum perrexit consolandum; lamentabaturque sanctissimo coram positus viro, dicebatque: heu! frater charissime, heu! ut quid ipse petens Dominum, inter mundi varios defectus deseris amicum tuum; & dum victor lætus excedis seculo, in mundi me relinquis naufragio! cui lumine spiritus futura prævidens Christi refert athleta: Pastor bone, his diebus mori felicitatis cito fuisse defunctis putabitur: siquidem in vita aliquantulum remansuri videbunt dolendum hujus civitatis exterminium. Tu autem, mi charissime, non videbis: ante enim hos dies cum pace transibis è mundo. Vincula denique corporis languore sensim solvente, beatissimus Launomarus abiit ad Christum. Post obitum autem illius pontificis, qui sanctum corpore vidit absolvi, barbarica populante manu, tanta Carnotorum pressit incolas obsidio, quatenus arentes gladiis hostilibus portas siti cogente valida referarent, eventu probante hujuscemodi prædictam sancti Launomari prophetico spiritu dictam sententiam.* Eadem fere leguntur in alia ejusdem Launomari vita, nisi quod istic per errorem scriptoris aut exscriptorum Malardus nomen antistitis exprimitur, qui tamen Malardus seu Malehardus longe post sanctum Launomarum vixit, ut infra patebit. Launomarus autem obiit circa annum 590. Ea vero quam prædixit Carnotensium clades contigit anno 600. ut videbimus sub Bethario Pappoli successore. Ipso ergo sedente, sanctus Launomarus fundavit Curbionense monasterium.

Bolland. Maii t. VI. pag. 751.

Ragnosindum Carnotensem episcopum statim a Pappolo fuisse, suadere forsan posset quod in quadam sancti Launomari translatione legisse se refert Mabillonius seculo primo Benedict. pagina 345. nempe Ragnobertum secundum abbatem Curbionensem evoluto anni circulo post sancti Launomari mortem corpus ejus è basilica sancti Martini Carnotensis, ubi jacebat, suffuratum, missis illuc duobus monachis Curbionensibus, qui simularent monachorum sancti Martini disciplinam & institutum amplecti se velle. Nam sciebat suæ voluntatis effectum de ejusmodi negotio nullatenus posse impetrari a prædictæ urbis episcopo, nomine Ragnosindo. Hæc, inquam, in translatione quadam ejus sancti legerat Mabillonius, sed illi translationi fidem nullam adhibere se testatur ob inconditas insulsasque nænias, quibus referta est. Quamobrem aliunde Ragnosindus ille adstruendus esset, qui factus videtur ex Ragnoscintho illo illustri viro, qui Curbionis prædium dedit sancto Launomaro.

XX. S. BETHARIUS.

In libro albo episcopatus Pappolum immediate excipit sanctus Betharius, nobilis Romanus, qui puer in Franciam venit, & a Pappolo ecclesiasticis eruditus moribus & in clerum adscitus est. Accepta postea ab eo licentia, tribus leucis a Blesensi castello cellulam sibi ædificavit super fluviolum Sipæ, quam in ecclesiam in honore sancti Georgii consecravit Pappolus. Extractus inde Betharius, ut diaconus, tum Chlotarii regis archicapellanus fieret, defuncto Pappolo a clero populoque postulatus, accedente regis consensu, episcopale onus subiit circa annum 594. sexto enim sui pontifi- 594.
catus vidit Launomari vaticinium de malis quæ urbi & diœcesi impendebant, impletum. Nam ab exercitu Theoderici regis Burgundiæ anno regni V.
Christi 600. obsessa est civitas Carnotensis, & 600.
aquæ penuria ad deditionem compulsa. Betharii temporibus habitum apud Senonas concilium ex solis ejus actis notum, cui adfuit. Longo jam ævo fatigatus obiit, ex eisdem. In martyrologio Carnotensi die secundo Augusti memoria illius recolitur. Insignita ejus nomine etiamnum ecclesia inter Blesas & Vindocinum cernitur. Pretiosæ autem ejus exuviæ hodieque coluntur in matrice ecclesia Carnotensi, ubi conditæ sunt retro summum altare in antiqui operis hierotheca: hæc Saussayus.

Chesn. t. 1. pag. 560.

Fredeg. cap. 18. & 19.

Cointius ad annum 609. num. X.

In omnibus indicibus continue sequuntur

XXI. MAGNOBODUS.

XXII. SIGOALDUS.

Hic jacet ad sanctum Martinum in Valle ex Sammarthanis.

XXIII. MAINULFUS.

XXIV. THEOBALDUS.

XXV. BERTEGISILUS.

Bertegisilus *al.* Leodegisilus, Ledegisilus, Lansegisilus & Lancissilus, totidem enim nominibus in indicibus variis reperitur, adstitit concilio Remensi anno 625. Leodegisilus à Chlotario II. 625.
qui obiit anno 628. aliquando Stirpiniacum evocatus, ut sanaret filium ejus, sanatum sanctorum Martini & Carauni meritis accedens reperit.

ANNI CHRISTI

XXVI. S. Malardus.

S. Malardus, qui & Malehardus, memoratur in synodo Cabilonensi favente Chlodovæo II.
644. coacta anno circiter 644. subscripsit privilegio Landerici Parisiensis episcopi in gratiam sancti
653. Dionysii anno 653. Colitur XIV. calendas Febr. Rolliardus in historia Carnotensi scribit corpus ejus in monasterio sancti Martini in Valle asservari, & quotannis ab illa ecclesia memoriam celebrari, instituta ad eam ædem solenni supplicatione, hymnisque & antiphonis, quæ in ejusdem laudem composita sunt, cantari solitis.

XXVII. Gausbertus.

Gausbertus & Godebertus distinguuntur in tribus indicibus, qui confunduntur ab omnibus scriptoribus, quibus iidem videntur ac Gauciobertus, qui subscripsit privilegiis, quæ Emmo Senonensis concessit monasteriis sanctæ Columbæ & sancti Petri vivi anno circiter 658. ut vult
658. Mabillonius. Idem quoque nomen reperitur inter episcoporum subscriptiones, quibus confirmatur privilegium concessum Corbeiæ a Bertefredo Ambianensi episcopo ad domni Chlotarii regis petitionem sub die octavo idus Septembris, hujus regis anno VII. quem Mabillonius illigat anno
663. Christi 663. Aliud privilegium sua subscriptione munivit, quod sanctus Drausius parthenoni beatæ Mariæ Suessionensis concessit anno 666. Fortiter
666. restituisse dicitur, sicut & ejus successor, Ebroino res ecclesiæ Carnotensis invadere satagenti.

Annal. Bened. tom. 1. pagg. 448. & 450.

Ibid. pagg. 469. & 482.

XXVIII. Deodatus.

Consensit Deodatus fundationi cujusdam monasterii a matre sua Adrebertana factæ. Novi cœnobii primus abbas fuit Chrotcharius diaconus, qui adhuc vivebat quando Airardus cœnobium hoc amplo munivit privilegio, ut ex eodem instrumento constat, de quo infra. Sepelitur Deodatus apud sanctum Martinum in Valle.

XXIX. Domo *al.* Dromo.

XXX. Promo.

Promo, idem forte est ac superior Dromo. Guillermus qui in libro albo tantum post Promonem memoratur, in aliis desideratur. Betharius vero qui in omnibus reperitur, a loco quem hîc prius obtinebat amotus, Pappolo immediatus successor datus est.

XXXI. Berthegrannus.

Sedebat hic episcopus anno 679. ex schedis D. du Fourny, quibus an major quam annalibus Cointianis adhibenda sit fides, æquus rerum æstimator videat lector. In caliginosa enim episcoporum recensione perspicaciores cœcutiunt oculi.

XXXII. Haynius.

Regebat anno 686. ex eodem.

XXXIII. Agirardus.

Agirardus, Aidradus, Airardus, Aicardus, in
A manuscriptis indicibus Haigradus & Haigrandus subscripsit privilegio Fontanellensi in synodo Rotomagensi quam codices editi anno 682. Mabillonius 689. Bessinus 693. consignant: ibi 689.
dicitur Aidradus, Agirardus vero in privilegio quod concessit cuidam monasterio supra Ligerim fundato a matre sui antecessoris nomine Adrebertana. Ex hoc veteri monumento, quod ex tabulario sancti Dionysii editum est inter probationes seu vetera instrumenta hujus monasterii num. XXIII. constat Agirardum vixisse saltem usque ad annum 696. datum est enim anno II. 696.
Childeberti regis III. mense Martio, qui ad hunc
B Christi annum pertinet, ac proinde contra Sammarthanos differendum esse episcopatum ejus successoris. Vide Diplomatic. libro sexto num. 23. pagina 478.

Secul. II. Bened. pag. 1056.

XXXIV. Agatheus.

Præfuit ab anno 698. ad 705. ex manuscripto codice, quem vidit D. de Fourny, penes quem sit fides. Jacet in abbatia sancti Carauni.

XXXV. Leobertus.

Sedebat anno 706. ut habetur in vetusto codice, inquiunt Sammarthani. Is esse videtur Leu-
C disbertus episcopus, qui memoratur in veteri inscriptione, quæ legitur in quadam reliquiarum theca in ecclesia Carnotensi: *Hic sunt reliquiæ Machabeorum marterum, & sancti Eusepiæ, & sancto Leubino episcopo, & de illa terra sancta fuerunt hic missas decimo quarto kalendas Decembres cum pace in anno quinto ordonationis domno Leudisberto episcopo per Teheudeberto diacono Deo gratias. Amen. In anno III. Rotrud reginæ Teheuderico rege*, haud dubie Calensi, qui regnum auspicatus anno 720. obiit anno 737.

XXXVI. Hado.

D Canonicos monachis ecclesiæ cathedralis substituit Hado, Rolliardo auctore, cujus, ut ne amplius dicam, sublesta fides.

XXXVII. Flavinus.

XXXVIII. Godalsadus.

XXXIX. Bernoïnus.

Bernoïnus, male Hernoïnus, unde Hieronymus, recensetur inter præsules, qui ad concilium Parisiense convenerunt anno 829. Subscribit anno 829.
833. in concilio Senonensi privilegio Aldrici 833.
metropolitani pro monasterio sancti Remigii. Se-
E debat jam grandævus anno 836. quo S. Liborii 836.
Cenomanensis episcopi corpus, quod apud Paderbonam transferebant, Carnotis excepit.

Spicil. t. 2. pag. 584.

Quis sit autem ille Gillericus, sive, ut legendum vult Mabillonius, Valentinus episcopus Carnotensis, a quo dedicata circa annum 841. ecclesia Bonævallis in honorem sanctorum martyrum Marcellini & Petri, utpote in omnibus catalogis & ab ipso Mabillonio in Annalibus omissus, hactenus ignoramus.

Secul. IV. Bened. part. 2. p. 505.

XL.

ANNI CHRISTI

XL. Helias.

Presbyter adhuc erat Helias, quando in depo-
sitione Ebonis Remorum archiepiscopi an. 835.
functus est officio exceptoris, nimirum in synodo
Theodonisvillæ. Inde renunciatus ecclesiæ Car-
notenæ episcopus, in synodo Senonensi anno cir-
840. citer 840. habita privilegium ab Aldrico Seno-
Spicil. t. 2. p. 587. & Annal. t. 2. pag. 668. nensi archiepiscopo concessum Senonensi sancti
Remigii cœnobio, & a Wenilone episcopo confir-
matum sua subscriptione roboravit. Adfuit con-
843. ventui Germiniacensi anno 843. ubi concessum
Secul. IV. Bened. part. II. p. 251. & Annal. tom. 2. pag. 641. Corbionensibus monachis privilegium. Interfuit
concilio Belvacensi anno 845. Approbavit in
Parisiensi anno 847. privilegium Corbeiensibus
concessum. Parisiis, non vero Turonis, ut viri
845. eruditi olim existimarunt, habitus anno 849. con-
847. ventus, cui adstitit Helias, ut habet epistola 84.
849. Lupi abbatis Ferrariensis. De eo locum libri Aga-
nonis, seu chartularii sancti Petri in Valle descri-
bere post Sammarthanos [a] non erit inutile, his omnino verbis de eversione cœnobii sancti Petri loquentem: *Quod assertione veridica nostrorum didici seniorum summatim libuit perstringere, qualiter a quodam Elia episcopo a prisca nobilitate, sive maximo honore deciderit. Qui auctoritate regia, quam forte emerat pecuniis, super eam potestate indepta usurpare cum armis non timuit, in ipsius ecclesiæ liminibus multo cruore effuso, dum monachi priorem statum colerent, atque episcopum abhorrerent. Unde factum est ut monachorum plurimi locum cui se devoverant, desererent, & in Burgundiæ partibus apud beatum Germanum Autissiodorensem commorantes, præsentis vitæ cursum ibidem finierunt. Prædictus ergo præsul nacta occasione, pretiosa quæ ibi reperit ornamenta, vasaque diversa aurea vel argentea quæ concupivit, asportavit atque distraxit. Terras quoque sanctuarii quas religiosorum virorum munificentia dederat, in quibus extendere manum potuit, propriis usibus stipendiariis mancipare non timuit, suisque domesticis ausu temerario in beneficio dividere præsumpsit. Imbecillis autem turba monachorum, quæ ibi remanserat, nescia quò pergeret, a præsule parce ac inclementer alebatur. Interim locus ille celebris atque opinatissimus paulatim decrescens, pristina quidem dignitate officioque solito viduatus, a populo nulla veneratione dignus habebatur. Post non multum vero temporis mortuo Elia episcopo, qui hunc locum regalibus titulis insignitum, dæmonis face succensus ad nihilum duxit, atque alterum sanctimonialium cœnobium in monte Leugarum non longe ab urbe Carnotum eleganter situm, solo tenus destruxit, hostilis manus obsidione civitatem cepit, &, sicut præmisimus, igne succendit; tunc equidem supradictus locus ab hostibus prophanatus, ignibus etiam concrematur.* An. 849. Carolus Pippini regis Aquitaniæ filius, alteriusque Pippini frater a Carolo Calvo patruo suo comprehenditur cum turbare vellet in Aquitania: eodem autem Carolo *mense Junio apud urbem* A *Carnutum conventum habente, post missarum solemnia ambonem ecclesiæ conscendens, innotuit omnibus voce propria se ob divinæ servitutis amorem clericum nullo cogente velle fieri, ibique ab episcopis qui præsentes aderant, benedictus & ad clericum tonsus est*, inquit Annalista Bertinianus.

XLI. Burchardus.

Wenilonis Senonum archiepiscopi consanguineus Burchardus diaconus, è regno Lotharii a Carolo Calvo accersitus, Carnotensis ecclesiæ Deo irato, ac publica de eo fama reclamante renunciatur episcopus, ut docet Andradus Modicus hujus B ætatis scriptor, qui sub revelationum titulo quædam sui temporis memorabilia enarravit tomo secundo historiæ Francorum scriptorum Quercetani pag. 392. ex codice doctissimi Sirmondi, ubi ait: *Sed ad provocandam adhuc iram Omnipotentis, accersivit quemdam diaconum nomine Burchardum, qui erat a partibus Hlotarii regis, & commendavit illi ecclesiam Carnutensium, ut esset in ea pontifex, ac si nullum in regno dignioris nominis clericum invenire potuisset; & dixit Weniloni Senonum archiepiscopo, ut eum ordinaret episcopum. Vocavit autem me idem archiepiscopus, & dixit: Scio ad iram Dei provocandam regem nostrum Carolum egisse, ut Burchar-* C *dum a partibus Hlotarii evocaret, & pastorem ecclesiæ constitueret; nam de eo per universas regni hujus ecclesias ..... fama & dictu horribilis divulgata est. Sed si esse posset, ut Dei iracundia non provocaretur, quia apud seculi causam strenuus esse dinoscitur; rogo te omnimodis ut ores Deum, quatenus dignetur tibi ostendere, si esse possit ullo modo ut secundum ejus voluntatem idem Burchardus fieri mereatur episcopus; nam ego, si esse posset, satis hoc vellem, est enim mihi consanguineus. Age ergo ut moneo, & si aliquid inde dignatus fuerit ostendere tibi Deus, non abscondas a me illud, in fide Dei te obtestor. Cumque orarem solito pro fratrum salute, etiam & pro supradicto* D *negotio, ecce Dominus dignatus est me audire, & descendens de cælo lumine suo circumfulsit me in loco quo eram orans, & dixit: Maledicta dies qua erit Burchardus episcopus; & hæc dicens, in cælum rediit. Unus autem ex angelis qui cum eo venerant, ad dexteram mihi remansit, & ait: Nosti quid dixerit Dominus! & aio: Domine, apertius scire vellem; at ille dixit: Omnibus diebus quibus fuerit Burchardus episcopus, stillabit ira Dei super omnes ecclesias usque ad ruinam illarum. Idcirco excommunicando prohibet ordinatorem ejus Altissimus, ne imponat illi manus in benedictione episcopali: & hæc dicens, Dominum sequutus est. Ego autem adorans & gratias agens,* E *retuli universa archiepiscopo meo, qui mox scriptum misit oraculum istud regi Carolo.* Burchardi tamen sic renunciati causa in concilio Suessionensi anno 853. est agitata, in quo nullus est ausus eum accusare. Legendus canon tertius, ibid. pag. 413. *De Burchardo qui Carnutum ecclesiam tenebat, statutum est, ut aut se idoneum ad sumendum episcopalem gradum admonitu Wenilonis metropolitani episcopi ostenderet, aut certe pronam in se clementiam principis cognoscens cederet, in utroque Dei judicium experturus. Igitur sequenti die causa illius ad medium*

[a] Conquesti sunt Carnotenses canonici quod episcoporum aliquot suorum memoriam labefactare studeremus: quasi vero a Sammarthanis allata nec refutata omittere integrum nobis esset, quasi iisdem è fontibus ac illi hauserunt, haurire non liceret nobis, quasi venerandæ antiquitatis monumenta ubiubi sparsa colligere historici proprium non esset munus.

ANNI CHRISTI

deducta, venerabiles episcopi, Remorum metropolitanus Hincmarus, Lugdunensium Pardulus, Aurelianorum Agius, seorsum eum admonere præcepti sunt, ut si absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur, aut si non posset, propter Dei timorem impossibilitatem ingenue confiteretur. Parte cleri quæ præsens erat, ac laicorum, bonum ei testimonium perhibente, memoratis præsulibus suadentibus, ad concilium intronissus, tanto quidem gradu se dignum esse profiteri arrogantiæ asseruit esse, non veritatis: si quis vero crimen aliquod sibi vellet objicere, ad id purgandum se paratum esse firmavit. Nullo qui id conaretur existente, decrevit sancta synodus, ne diu Carnutum sedes vacaret; sed directis illuc secundùm voluntatem metropolitani episcopi venerabilis Wenilonis, qui electionem præfati Burchardi recognoscerent, & ipsi referrent, optantibus canonice ordinaretur episcopus. Itaque a Wenilone Senonensi archiepiscopo mense Junio

853. 853. inauguratus est. Missi quoque Dominici munere est perfunctus ex capitularibus Caroli Calvi titt. 9. & 12. qua quidem in provincia collegam habuit Henricum abbatem Corbionensem: utrique vero lustrandi assignati sunt pagi Blesensis, Aurelianensis, &c. Quidquid sit de Burchardi moribus, ceterisque, quibus idoneus erat minus ad episcopale onus, strenuum certe se ostendit adversus regni & religionis hostes, ut habemus ex an-

854. nalibus Bertinianis ita narrantibus: *Anno 854. Dani seu Normanni Blesium castrum incenderunt; sed Agio & Burchardo episcopis adversus eos navigia militesque præparantibus, deterriti sunt quominus Aurelianum urbem aggrederentur.* Ea forte de causa cæsis & fugatis hostibus, monachi sancti Petri, qui fuga suæ saluti consuluerant, ad pristinas sedes se receperunt.

XLII. Frotboldus.

Subscripsit Frotboldus synodo Suessionensi II. anno 853. post Burchardum, sane post synodum, & Bonogilensi celebratæ VIII. calendas Septemb. anno 855. Recensetur apud Lupum Ferrariensem

Annal. Bened. tom. 3. pag. 47.

855. epist. 99. de electione Æneæ Parisiensis episcopi. Quædam de domibus canonicorum statuisse dicitur in bulla Paschalis II. an. 1114. contra præpositos ecclesiæ Carnotensis. De Frotboldi morte variæ sunt sententiæ. Legitur interfectus a barbaris duce Hastingo in chronico Cadomensi anno 855. Hæc de eo docet chartularium S. Petri in Valle:

Sammarth.

Post exitum Gisleverti præsulis, pagani Transmarini cum multa classe venientes, pene totam Europam flammis atque prædis ferroque crudeli depopulando vastaverunt. Nam Lunensem urbem, ut retro affatim scripsi, dolo capientes, cruento ense utrumque sexum peremerunt, indeque subversa urbe, levato artemone Africoque flante redeuntes, Aquitanorum regionem atque Pictavorum juxta mare adjacentem prædis & iniqua cæde depopulantes, intra partes Neustriæ navigantes, in portum fluminis Divæ applicuerunt. Jamque securi relictis ibi navibus, & variis prædarum manubiis ad hanc urbem (Carnotum) *pernici cursu pervenere. Noctu denique circumdata urbe, & civibus ex improviso obsessis, barbari per mœnia ab hostibus persæpe diruta, ac per portas irruentes, obviantes sibi sine differentia ferro necaverunt, atque intra matrem ecclesiam non modicam plebem cum suo episcopo, nomine Frotboldo, canonicisque ecclesiæ & monachis, qui ad eandem ecclesiam confugerant, cruentis gladiis velut oves mactaverunt. Urbeque depopulata atque succensa, læti & alacres, uti suæ libidinis compotes, dum ad rates relictas arbitrantur cum magnis copiis redire, interveniente B. Dei genitrice Maria, quam parvipenderant offendere, per os janitoris inferi ad inclementem barathrum una die merita morte descenderunt. Nam Franci, antequam ad rates suas potuissent pervenire, congressi sunt cum eis, & opitulante Domino victoria ex eis potiti, per campos cadavera eorum trucidata, avibus & feris corrodenda reliquerunt.* Necrologium ecclesiæ Carnotensis tribuit cædem Frotboldi paganis Sequanensibus ad annum 858. indictione VI. & multos martyrii socios dat huic episcopo, de ejus fuga prorsus silens, de qua annales Francorum Bertiniani ad annum 857. & quidem rectius, ut autumat Mabillonius, loquuntur in hunc modum: *Frotbaldus episcopus Carnotum insistentibus sibi Danis in eadem civitate pedibus fugiens, flaviumque * Auduram natatu petens, aquis interceptis moritur.* Circa id tempus tradunt Carnotum allatam camisiam sanctæ Mariæ virginis Aquisgrano per Carolum Calvum, qua de re Sebastianus Rouillard in sua parthenia copiose.

Analect. tom. 2. p. 550.

Annal. met. 22.

* l'Eure.

XLIII. Gislebertus.

Gislebertus idem ac Gislevertus, Villebertus, Galenerius, Galeverius & Galtherus variis interfuit Galliarum synodis, nempe Tullensi apud Saponarias anno 859. Aquisgranensi III. & Tusiacensi 860. In Suessionensi concilio quibusdam subscribit privilegiis anno 862. & in Pistensi eodem anno privilegiis sancti Martini Turonensis, sancti Dionysii, & monachorum Anisolensium in hunc modum: *Gislebertus humilis Carnotensium episcopus hoc privilegium denuo a sanctis præsulibus relectum ac roboratum gerens vices prædecessoris mei Frotbaldi firmare curavi.* Sigillum etiam suum apposuit synodo Pistensi anno 864. Suessionensi III. anno 866. & Vermeriensi, ubi subscripsit privilegio sancti Vedasti Atrebatensis, Tricassinæ 867. Vermeriensi pridie calendas Maii 869. ubi accusatus Hincmarus Laudunensis appellavit sedem apostolicam; nam confirmationi ibidem factæ quorumdam præceptorum regiorum subscripsit Gislebertus. Adstitit synodo Duziacensi primæ mense Augusto 871. ubi depositus est Hincmarus Laudunensis episcopus, Cabilonensi 875. Pontigonensi 876. Insequenti anno scripta exstat ad eum epistola 15. Johannis VIII. papæ pro Madelgero, ubi dicitur spiritualibus pollere virtutibus; unde eodem anno testamento Caroli imperatoris destinatus est unus e consiliariis Ludovici Balbi ipsius filii. Denique adstitit concilio Tricassino II. anno 878. Hincmarus mentionem illius facit epistolis 2. & 34. In codice Aganonis de eo hæc narrantur: *Gislebertus præsul munificus enituit, qui cernens in sæpe memorato sancti Petri cœnobio modicum numerum monachorum, qui ex rebus angustis, quæ ab ipso Helia relictæ sibi fuerant, & a paganorum frequenti*

859. 860. 862.

Anecd. t. IV. col. 64.

864. 866. 867. 869. 871. 875.

Labb. concil. t. IX. c. 13.

876. 877. 878.

Sammarth.

ANNI CHRISTI

infestatione depopulatæ, vix naturæ necessitatem explere valebant, bono usus consilio depellere studuit, aut aliquatenus eorum paupertatem temperare. Infra comprehensa contulit, ut libentius Deo famularentur, ac devotiores existerent. Ad thesaurum ipsius loci & ad luminaria ecclesiæ, sicut inveni in charta ab ipso scripta, delegavit mansum unum prope monasterium, &c. ad anniversarium diem peragendum quorumdam parentum suorum in Mausliaco duo mansa, &c. Ad finem vero chartæ hæc erant scripta: *Hæc, inquit, propter illa quæ habebant, largiti sumus fratribus opem postulantibus, & ut ea securius nostris futurisque temporibus possiderent, subscriptione propria roboravimus, fratresque & coepiscopos nostros ad idem præstandum* B *fleximus, &c.* archiepiscopi Senon. nomen vetustate exoletum dimisimus. *Gislebertus humilis Carnotensis episcopus huic decreto a nobis facto subscripsi. Hildegarius Meldensis ecclesiæ præsul. Æneas Parisius episcopus. Folchicus indignus episcopus Augustæ Tricorum. Christianus indignus episcopus Autissiodorensis. Aius Aurelianensis episcopus. Ego Lupus abbas Ferrariensis monasterii.* Defunctus vero Gislebertus III. nonas Januarii ex necrolog. sepultus est in choro sancti Petri Carnotensis, ubi nulla ejus exstant vestigia.

Hujus opinatur esse capitula Guilleberti episcopi in vetustissimo codice manuscripto bibliothecæ Thuaneæ Baluzius not. ad capitular. tomo C secundo col. 1284.

XLIV. Aimo.

Aimo seu Haimo episcopus Carnotensis cum
885. Haimerico abbate sancti Carauni anno 885. indictione III. sub die XII. calend. Decembr. monachos Fontanellenses cum reliquiis sanctorum Wandregisili & Ansberti ob metum Normannorum fugientes excepit, corpora sanctorum in ecclesia sancti Carauni collocavit, unde XIV. cal. Martii translatæ sunt in capellam, quam olim venerandus præsul Gislebertus infra domum suam construxerat. Vide Bollandistas tom. V. Julii pag. 289. D

XLV. Gerardus.

De hoc legitur in necrologio ecclesiæ Carno-
Analect. tom. 3. p. 552. tensis: *Idus Junii obit domnus Gerardus episcopus. Hic sua impetratione impetravit apud Carolum imperatorem Aloiam: cujus medietatem altari sanctæ Mariæ, alteram cessit profuturam fratrum utilitati. Qui etiam reddidit fratribus medietatem Alvernis, quam domnus Frotboldus episcopus jam olim tum*
* f. primus. *cesserat primam**. Carolum hic Crassum intellige, qui imperavit ab anno 885. ad annum 888.

XLVI. Aimericus I.

Anno secundo Odonis regis, Christi 889. aut
890. 890. Aimericus, forte ex abbate sancti Carauni,
Chart. 1. col. 287. episcopus firmavit aream Frotgingi canonici juxta regum sanctiones. Idem fane est ac Glimerius qui
891. anno 891. indictione IX. in synodo Magdunensi privilegio cuidam ab archiepiscopo Senonensi
Spicil. t. 2. pag. 734. Walterio pro monachis sancti Petri Vivi confecto subscripsit, ut in chronico sancti Petri Vivi videre est. Monasterium sancti Petri solo tenus a Transmarinis dirutum pleniter restauravit, & canonicis A cum victualibus stipendiariis tradidit, ex chartulhujusce monasterii, cujus majoris altaris a dextris sepultum ferunt. Memoratur IV. idus Februarii in necrologio sancti Aviti.

XLVII. Waltelmus.

Waltelmus, Waltellus, Wantelmus, Gantelmus, Antelmus, Gancelmus, &c. idem, ut nobis videtur, episcopus varie a variis scriptus & lectus, reperitur apud Ordericum Vitalem, chronicon Cadomense, & Willelmum Gemeticensem hist. Normannorum libro secundo cap. 15. an. 898. 898.
verbis istis loquentem: *Postremo Carnotenam urbem obsidione circumdat* (Rollo) *quam cum machinis & tormentis impugnaret, Richardus Burgundionum dux cum suo Francorumque exercitu adveniens super eum irruit. Cum quo congressus cum suis atrociter resistebat, quousque Antelmus episcopus ex civitate cum armis inopinato prosiliens, sanctæque Dei genitricis Mariæ supparum præferens, a tergo eum invasit cædendo.* Dudo libro primo de gestis Normannorum: *Quidam episcopus, nomine Wantelmus, urbi præerat, religiosissimus: is mærens & ejulans, continuisque orationibus instans, misit ad Burgundionum ducem Richardum & Pictaviensium comitem Ebalum, ut subvenirent urbi. Subito episcopus quasi missam celebraturus infulatus, bajulansque crucem atque tunicam sacrosanctæ Mariæ virginis in manibus, prosequente clero cum crucibus, Francisque aciebus constipatus, exiliens de civitate, paganorum terga telis verberat & mucronibus.* Chronicon Cadomense ad annum 898. *Rollo cum exercitu suo Carnotensem civitatem obsedit, sed episcopus ejusdem urbis, Walteli nomine, vir religiosissimus, Ricardum Burgundiæ ducem & Ebalum Pictaviensem ducem in suo auxilio provocans, tunicam S. Mariæ virginis in manu tenens, Rollonem ducem divino nutu fugavit & civitatem liberavit.* Aimoinus libro quinto de gestis Francorum cap. 41. *Obsidentibus Normannis Carnotinam civitatem. . . . Richardus & Robertus princeps frater Odonis regis irruerunt in eos, peremptisque ex paganis millibus octingentis, a paucis qui remanserant obsides ceperunt.* Chronica Malleacense, Andegavense & Besuense id factum narrant an. 911. die Sabbati XIII. cal. 911.
Aug. & quidem multo rectius, ut existimat Mabillonius, sed Normannorum occisorum nume- Annal. tom. 3. p. 64.
rum contrahit chronicon Malleacense ad 6800. Hanc hostium stragem antiqui scriptores Ordericus Vitalis, chronicon Cadomense, &c. B. Mariæ adscribunt, cujus reliquias ferebat Waltelmus Carnutum episcopus sacerdotali indutus habitu. Sepultus jacet in abbatia sancti Petri, ut liber Aga- E nonis docet, prope Ragenfredum successorem; *ad cujus lævam*, ait, *in corpore quiescit Guantelmus venerandus antistes, qui proprio interventu atque ostensione interioris tunicæ B. virginis Mariæ ab obsidione urbis odiosas Normannorum abegit phalanges.* Memoratur calendis Februarii in vetusto necrologio monasterii ejusdem.

XLVIII. Aganus.

Waltelmo successit Aganus, vel Agano, ex antiquissimis tabulis S. Petri, in quibus occurrit

ANNI CHRISTI nonis Junii anno VIII. regnante Rodulfo, & calendis Octobris anno V. regnante Ludovico,
931. scilicet IV. hi sunt anni Christi 931. & 940.
940. Reparator ejusdem abbatiæ dicitur ibidem, & gloriosus præsul, *qui clarus generis nobilitate, & humanarum rerum copiis abundans, bonisque virtutibus emicans, condoluit locum olim hominibus venerandum, nunc admodum neglectum & in solitudinem redactum. Divinæ virtutis zelo succensus, accersiit lapidum cæsores atque cæmentarios, impensas tribuit, magnopere locum istum restaurare jubens, restauratumque pontificali benedictione sacrare decrevit. Clerimoniæ quoque seriem instituens, quæ perdiu pernoxque laudes Deo*
Chart. II. col. 288. *debitas inibi redderet, & in usus necessarios tribuens ei vineæ clausum, terramque contiguam, quam antecessores ejus sacrilego voto sibi subripuerant. Rura quoque, quæ credidit sufficere clericorum numero, perpetua largitione condonavit.* De ejus obitu necrolo-
Analect. tom. 2. p. 553. gium majoris ecclesiæ: *VIIII. cal. Januarii anno DCCCCXLI. indictione XIV. obiit Haganus episcopus*
941. *& comes, Leobino beatissimo primus consimilis, cujus anima, sicut ei in hac vita jure potestatis coæquata est, ita cum eo in futura perenni felicitate perfruatur.*
Pag. 554. Ad quæ verba Mabillonius monet sibi videri hunc Haganonem comitem ipsum esse, de quo Frodoardus in chronico ad annum 920. ait, omnes Franciæ comites regem Carolum cognomento Simplicem deseruisse, quia Haganonem consiliarium suum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat. Idem pacto inito inter præfatum Carolum & Henricum reges anno 921. subscripsisse invenitur. Habuit & filium nomine Hugonem, primo militem, dein monachum monasterii de Nielfa, ex laudato necrologio ad VII. calendas Septemb. Hanc Mabillonii conjecturam
Pagg. 6. & 7. rejicit bibliothecæ Carnotensis scriptor, qui Aganum episcopum ab Haganone comite distinguit, licet Aganum Aganique decessorem & successorem comites Carnotenses fuisse existimet. Aganonis utpote abbatiæ sancti Petri restauratoris, nomen primæ hujusce chartularii parti gratus dedit auctor. Aganus vero defunctus sepulturam accepit in basilica sancti Petri in Valle sub suppedaneo majoris altaris.

XLIX. Ragenfredus.

Aganone ad consortia sanctorum translato, ut legitur in chartulario sancti Petri, *in episcopatu ei venerabilis Ragenfredus successit, qui quanto amore locum dilexerit, facile sequenti opere potest agnosci. Nam ejus sagaci ingenio, atque instanti suggestione, clarus genere & opere Alveus ejusdem loci abbas, cum canonicis quibus præesse videbatur, arctam viam ingredi cupiens, qua tenditur ad Dominum, in Floriacensi cœnobio clerimoniæ seriem religionis exornans habitu, per triennium normam beati Benedicti sedula intentione per obedientiæ bonum didicit, indeque revocante sæpe memorando episcopo Ragenfredo, cum suis instructus regularibus disciplinis, ad locum proprium rediit Carnotis, secum sumens & alios 12. monachos, quos ex congregatione supra memorati cœnobii maluit eligere, ut contra hostem antiquum, velut robustissimos tyrones, in novo certamine haberet adjutores. Episcopus ergo per totius interstitium triennii, quo se in sancta religione informaverunt, ædes ad manendum, claustrumque monachis congruum instanti construxit opere. Quibus cum magno gaudio receptis & annitente totius populi consensu, supra memorato Alveo abbate sacrato, victum & omnia necessaria largiter eis accommodavit. Ecclesias etiam atque villas, quas antecessores sui propria usurpaverant ambitione omni secluso dubietatis . . . . . subtrahens sibi, stipendiariis usibus, jamjamque redivivi ordinis regimini alacriter reddidit. Viridarium quoque, quod situm erat juxta cœnobium, terramque contiguam, priscis temporibus ab episcopis male retentam, per ingens quoddam thuribulum argenteum libens contradidit. Quia vero tam ab Elia, quam ab aliis post eum episcopantibus reddere terras nequivit, sine quolibet recuperationis respectu militibus in casamento datas, XII. præbendas in majori ecclesia monachis attribuit jure perpetuo possidendas, anathematis jugulo feriens aliqua dolositate hujus largitionis donum adnullare volentes, vel aliqua exorbitatione minuere machinantes. Itaque monachos in summa pace degentes augmentando, quamdiu vixit fovere non destitit, ammonitione paterna persæpe exhortans firmo gressu in sancta religione persistere, &c.* Hanc instaurationem a Ragenfredo factam Johannes Columbi refert ad annum 904. rectius vero assignatur ad annum circiter 954. ut ex subscribentium tem- 954.
pore colligit Mabillonius, cum triennio ante adhuc canonicis monasterii sancti Petri donavisset Ragenfredus vineæ clausum ab ipso plantatum, viridarium scilicet de quo supra, idibus Junii anno XIII. regnante Ludovico, qui est Christi 949. aut 950. Eodem circiter anno 954. monachis in monasterio sancti Petri restitutis ablata quædam ab antecessoribus sibique retenta, vel militibus data reddidit, quibus addidit duodecim ecclesiæ Carnotensis præbendas. Obiit ex Mabillonio circa annum 960. *Ragenfredo autem*, ut legitur in chartulario sancti Petri, *felici obitu ad cœlestem patriam transmigrante, ejus gleba corporis in cœnobio supra memorato ante altare beati Petri apostoli cum choris psallentium simul & flentium honore debito est sepulta.* De eo sic legitur in necrologio ecclesiæ Carnotensis: *XIV. calendas Augusti obiit Ragenfredus episcopus, qui ecclesiam sanctæ Mariæ ornavit mirifice, & clericis multa bona fecit.* Et in necrologio sancti Petri: *XV. cal. Augusti obiit Rainfredus episcopus Carnotensis structor & reparator hujus monasterii, & jacet ante altare, ad pedes abbatis Guidonis, ad cujus anniversarium camerarius debet XX. solidos.* Anno 1541. a Francisco de Brilhac abbate subtus altare positus est.

(Annal. t. 3. pag. 504. Chart. III. col. 289. Chart. IV. col. 289. Chart. V. col. 291.)

L. Harduinus.

Post obitum clarissimi viri Ragenfredi, ut notatur adhuc in chartulario sancti Petri, *qui hunc locum pio affectu in antiquo gradu desudavit ponere, atque in sancta religione studuit informare, frater ejus Ardoinus in episcopatu successit, sed, sicut prædiximus, neque locum coluit, neque locupletare voluit, sed quædam quæ a fratre suo largita fuerant, subtrahere non timuit. Unde de eo quod paginis inseram nihil aliud habens præter quod inserui, nisi solum opus lamentabile*

ANNI CHRISTI

quod priscorum relatione didici: obstrusum videlicet sibi episcopatus aditum, quem ut faceret pervium, abbatiam sancti Martini de potestate episcoporum ejecit, comitumque habendam in perpetuo tradidit potestati. Itaque eo relicto cum Arremberto, quem post beati Alvei excessum patrum congregationi præfecit, &c. Eadem fere jam narraverat idem auctor parte prima Aganonis libri: *Post obitum denique sæpe memorandi præsulis Ragenfredi episcopavit frater ejus Harduinus, locum ejus obtinens, non religionem, qui fastu superbiæ tumidus, plus æquo secularem sequebatur ambitionem: unde factum est ut monachos exosos haberet, ac eorum commodum suum fore magnum putaret detrimentum. Quidquid enim monachorum usibus eximius præsul concesserat ...... quasi sibi subreptum deplorabat. In tanta itaque cupiditate exarsit, ut de* X I I. *præbendis, quas frater ejus, ut præmisimus, dederat, medietatem extorquendo subripere non timeret.* Ex eodem chartulario discimus Harduinum e levita tum archiclavo ecclesiæ Carnotensis pontificem electum fuisse. Obiit ex necrologio majoris ecclesiæ pridie idus Augusti.

LI. VULFALDUS.

Ex abbate Floriacensi post Harduinum Carno-
962. tensis episcopus Vulfaldus electus est anno 962.
ex chronico Frodoardi, qui eum Vulfoldum appellat. Cum Ragenfredo instaurationi monasterii S. Petri prius incubuerat: mortuo autem Aremberto, quem post Alvei cœnobii restauratoris obitum Harduinus ordinaverat, abbatem Vuidbertum consecravit, ut est in chartulario. Migravit è vita, non anno 973. ut in Gallia quadripartita, sed
967. anno 967. pridie calendas Octobris ex historia
manuscripta sancti Petri Carnotensis. Sepultus fuit in ecclesiola sancti Benedicti, quam ædificaverat intra septa monasterii sancti Petri, & postea reædificata ecclesia, translatus in aliud sacellum ejusdem S. Benedicti recens constructum, cum hoc epitaphio contra parietem a latere epistolæ apposito: *Hic jacet Vulfaldus ex abbate Floriacensi & postea * S. Petri in Valle, episcopus Carnotensis: obiit anno 967. huc translatus 1667.* Necrologium Carnotense hæc de ipso habet: *VI. non. Octobris obiit Deo acceptissimus omniumque laudabilium virtutum claritate decoratus abbas primum postque pontifex sedis istius Vulfaldus.* Obitus ejus assignatur pridie cal. Octobr. in necrologio S. Petri in Valle.

* Vide abbatiam S. Petri.

LII. ODO.

Odo filius Rodindis, cujus mentio in necrologio sancti Petri ad II. calend. Aprilis, subscripsit chartæ Ervæi abbatis sancti Carauni duo molen-
968. dina concedentis IV. idus Maii anno XIV. regis
Lotharii. Aream duorum molendinorum ad abbatiam S. Carauni pertinentem cum molendinis Rodberto canonico Carnotensi largitus est V. cal.
971. Julii anno XVII. regni ejusdem. Monachis sancti
Chart. VI. col. 292. Petri dedit terram vinealem 20. solidorum, &
villulam in Belsia sitam, nomine Plascenciacum
974. villare, nonis Februarii anno XX. Donatam eis
ecclesiam Baliolum firmavit mense Februario anno
977. XXIII. Probavit donationes factas a Leigardi co-
mitissa eidem ecclesiæ S. Petri, tam pro se ipsa
quam pro anima nobilissimi senioris gloriosi comitis Thetbaldi conjugis sui, & pro anima patris sui Heriberti Trecassini comitis die 9. Februarii
anno XXIV. Ad preces Aviæ relictæ Walteri co- 978.
mitis capellæ sancti Stephani sitæ infra castrum
Drocas duo altaria concessit anno XXVI. Odo 980.
Carnotensis *archiepiscopus* in concilio Senonensi subscribit anno 980. munificentiæ Sevini archiepiscopi in monachos sancti Petri Vivi, ut monet Dacherius noster legi in antiquiori codice. Sed nec solum collata ab aliis cœnobio S. Petri Carnotensis laudavit Odo, quin & ipse aut ablata restituit, aut etiam multa de novo addidit, qua de re vide chartam inter instrumenta. Concessit etiam cum canonicorum consensu terram fisci, qui appellatur Trelus, monachis Gemeticensibus & Roderico abbati sub annuo censu nonis Aprilis
anno XXX. Lotharii. Ejusdem regis anno XXXI. 984.
idem episcopus cum Odone comite & ejus uxore 985.
Bertha, quam rex neptem suam vocat, impetravit ab ipso tunc in palatio Compendio aulam habente, preceptum regiæ definitionis, quod habes in appendice, pro sæpe commemorato sancti Petri mo-
nasterio. Anno circiter 987. excommunicavit 987.
Odo satellites Arnulfi Aurelianensis episcopi, qui Abbonem Floriacensem abbatem Turonos ad festivitatem S. Martini properantem noctu aggressi, gravibus affecerant contumeliis. Duas villas sancto Petro datas cum Rodulfo decano approbavit anno
988. Robertus rex anno regni sui octavo immu- 988.
nitati sancti Petri Milidunensis cavit diplomate, 1003.
cui subscripsit Odo. Addunt Sammarthani præbendas ecclesiæ Carnotensis, quæ antea in commune, prout præpositis placebat, dividebantur, ab ipso fuisse distinctas ac divisas. Necrologium Carnotense sic: *VIII. cal. Septemb. obiit episcopus*
Odo, anno scilicet 1004. 1004.

Tom. 2. Gall. Christ. instr. col. 7.

Spicil. t. 2. pag. 733.

Chart. VIII. col. 293.

Mabill. annal. ad ann. 983. n. 33.

Chart. IX. col. 294.

Mabill. ann. num. 38.

LIII. RODULFUS.

Ex cantore, posteaque decano, capituli suffragiis electus favente Roberto rege Rodulfus, Odoni subrogatus est, ut legitur in chartulario S. Petri. Designatus adhuc, necdum consecratus, missus est cum aliis ad Theobaldum comitem, qui abbatis sancti Petri obitum denunciarent, alteriusque eligendi facultatem deposcerent. Monachis hujus monasterii adversus Magenardum abbatiæ invasorem primum faverat; at postea in eodem chartulario dicitur avaritiæ æstu succensus, quæcumque reperit ab Odone data apostolo Petro, suis usibus usurpare non timuisse. Memoratur in notitia fundationis prioratus de Veteri vico: *A diebus Rodulfi Carnotini quondam episcopi ..... adusque tempora Agenerti, inter quos Fulbertus & Thedericus eidem episcopatui præfuisse noscuntur.* Factus est monachus apud S. Petrum ex Mabillonio ad annum 1003. n. XI. Attamen idem Mabillonius ad ann. 1007. num. CI. dicit sedem Carnotensem nonnisi post mortem Rodulfi vacasse: *In locum*, inquit, *Rodulfi episcopi demortui suffectus est Fulbertus.* Et certe nullibi Rodulfi monachi fit mentio, nec in necrologio Carnotensi, ubi de ipso scripta leguntur;

Fulbert. ep. 21.

Annal. t. IV. pag. 714.

ANNI CHRISTI

Pridie idus Julii obiit Rodulfus episcopus, ecclesiasticæ A
*disciplinæ cultor admodum strenuus, & rerum fratrum**
instructor sedulus, tutorque ferventissimus, omni morum
honestate præclarus. Sed neque etiam id innuit ne-
crologium sancti Petri, quod hujus meminit idib.
Julii. Ibidem sepultus dicitur.

* canonicorum.

LIV. Fulbertus.

Annal. t. IV. pag. 79. Fulbertum Romanum, aut certe Italum fuisse
colligit Mabillonius ex epistola ejus secunda ad
Einardum, a quo consultus de ritu quo presby-
teris recens ordinatis hostiam in 40. dierum com-
munionem tradebat episcopus, respondet id ita
statui in quodam codice, quem *a natali patria* inter B
ceteros devexerat, id est, quem *a Romano scrinio*
prolatum acceperat, ut in fine scribit epistolæ. Unus
Pag. 18. contradicit bibliothecæ Carnot. scriptor, qui Ful-
bertum Aquitanum vult sua fide; sunt & qui Car-
notensem eum tradunt. Humili loco natum se ipse
dicit Fulbertus in his versibus:

. . . . Non opibus, neque sanguine fretus,
Conscendi cathedram pauper de sorde levatus.

Et alio in loco seipsum sic alloquitur:

Te de pauperibus natum suscepit alendum
Christus, & immeritum sic enutrivit & auxit,
Ut collata tibi miretur munera mundus.
Nam puero faciles providit adesse magistros,
Et juvenem perduxit ad hoc ut episcopus esses.

At quam obscura patria ejus & genus fuere,
tam clara fuit & illustris sanctitas & doctrina. Ex
auditorio Remensi, ubi sub Gerberti disciplina
meruerat, ab Odone episcopo vocatus Carnotas,
scholas ibidem tenuit, quæ ipsum maxime cele-
brem reddiderunt. Nec in divinis tantum, hu-
manisque pro tempore literis excelluit, sed etiam
Epist. x. in arte medica, a qua tamen factus episcopus
abstinuit. Baronius monachum S. Petri Carno-
tensis Fulbertum fuisse putat, fultus quibusdam D
fundamentis, quæ id clare non probant. Idem
dicendum de iis, inter quos Guill. Cave, qui ab-
batum Floriacensium albo Fulbertum accensent.
At si non fuit monachus, saltem monachorum per-
quam studiosum, multorumque ex ipsis præcep-
torem fuisse constat. Falluntur quoque qui Ful-
bertum cancellarium regis Roberti fuisse dicunt,
quod probatione documentorum caret, ex quo-
rum fide ac testimonio unice pendemus, cum
revera fuerit potius ecclesiæ Carnotensis tantum
cancellarius, ut volunt Sammarthani, unde lu-
cerna ardens a Domino super candelabrum eccle-
siæ Gallicanæ sublatus mense saltem Sept. anni E
1007. 1007. ut ex tota ejus liquet chronologia, agente
Epist. 3. & 4. Roberto rege, defuncto Rodulfo in præsulatu su-
brogatur. A Leotherico archiepiscopo & metro-
politano Senonensi consecratus fuit, quemadmo-
Epist. 23. dum ipse affirmat epistola ad eundem: *Multum*
amoris atque fidelitatis tibi, pater, me debere censeo,
per cujus manum benedictionem & sacram unctionem
accepi. Episcopalem gradum assecutus Fulbertus,
a docendo non destitit, scholamque habuit dis-
cipulorum undequaque confluentium frequentia

pernobilem. Sed nec officii sui immemor, liber-
tates ecclesiasticas egregie tutatus est, ut passim
significat variis epistolis, quas ad pontifices ma-
ximos, reges & episcopos scripsit. Extant earum
nonnullæ de exstirpandis è manu laïca beneficiis.
Apud pontificem maximum Johannem graviter Epist. 22.
conqueritur de Rodulfo comite jurium ecclesiæ
suæ pervasore sacrilego, apostolicum implorans
auxilium *magnæ*, inquit, *& præclaræ ecclesiæ pusillus*
episcopus; quibus verbis humilitatem suam adstruit,
sicut & his epistolæ ad Odilonem abbatem Clunia- Epist. 68.
censem. *Decet, pater, ut tu quoque vicissim me tuum*
servulum de te pendentem, teque non sine magna
fiducia respectantem, sacris intercessionibus adjuves.
Sum enim valde miserabilis homo, qui cum ad pro-
priam non sufficerem, ad publicam curam nescio qua,
seu ratione, seu temeritate, perductus sum. Quanta
inter ipsum & Odilonem amicitia fuerit, docet
Silviniaci monachus in vita Odilonis: *Hoc nomine,*
(archangeli monachorum) *censebat eum appellan-*
dum in suis sermonibus & epistolis Fulbertus ille sibi
præcordialis amicus, Carnotensis episcopus, in sancti-
tate laudabilis, in sapientia mirabilis, in cujus morte
studium philosophiæ in Francia periit, & gloria sacer-
dotum pene cecidit. Sed per singula more solito
eamus.

C Subscripsit Fulbertus chartæ regis Roberti an.
998. datæ pro Dionysianis & synodo Calensi,
quæ exstant inter vetera monumenta historiæ San-
dionysianæ n. CIX. & CX. In collectione concil.
Labbeana differtur synodus Calensis ad XVI. cal.
Junii 1008. quod melius convenit cum tempore 1008.
inchoati episcopatus Fulberti, qui anno 998.
nondum sedebat, sed hujusmodi instrumenta sub-
scripta sæpe a posteris non semel monuimus. Anno
circiter 1010. Bernardus scholasticus Andega- 1010.
vensis librum de miraculis sanctæ Fidis a se com-
positum Fulberto nuncupavit, qui anno 1011. 1011.
Arnulfum abbatem Carnotensem ordinavit in lo-
cum Magenardi, quo annuente Fulbertus Gradulfi
militis petitioni acquieverat, ut de terra sancti
Petri, dicta Geranivillare, precariam sibi liceret
fieri. De ejus consilio anno 1015. Leothericus 1015.
Senonensis episcopus civitatem Senonensem Ro-
berto regi tradidit x. cal. Maias. Invitatus anno
circiter 1017. ad ordinationem Theoderici Au- 1017.
relianensis episcopi, non interfuit, ut colligitur ex
epistola ejus 28. in qua de Leutherico Senonen- Epist. 28. & 61.
sium archiepiscopo conqueritur, quod absque suo
consilio episcopos ordinaret. At licet in ipsa eccle-
sia ab ejus fautoribus pene fuisset peremtus, Theo-
derici postmodum cognita innocentia, ordina- Epist. 62. & 63.
tionem probavit & amicitiam coluit. Subscripsit
eodem anno instrumento a Willelmo Divionensi
abbate condito de libertate Fructuariensis mona-
sterii. Anno 1018. gravem habuit controversiam 1018.
cum Gauzlino Bituricensi archiepiscopo pro Ted- Epist. 39.
frido abbate Bonævallis, qui cum infamatus a suis,
abbatia sponte cessisset, de substituto sibi abbate
conquestus est. Insequenti Willelmus dux Aquita- 1019.
norum & comes Pictavinus Fulbertum sapientia Epist. 16. 15. 103. 104. 127. 128.
comptum, a Francia evocatum donavit thesau-
raria S. Hilarii, & penes se reverendum exhibuit,

ANNI CHRISTI

ita chronicon Ademari. Sed hanc dignitatem
officii sui muniis & via longa præpeditus, ante
Labb. bibliath. t. 2. pag. 173. obitum aut deposuit, aut saltem duci non semel
obtulit. Anno 1020. in nativitate beatæ Mariæ
1020. episcopatus Fulberti XIV. cum civitas totaque
Vita sancti Aniani ms. Carnotensis ecclesia igne consumptæ fuissent, fun-
damenta ecclesiæ jecit Fulbertus, miroque lapideo
Epist. 16. 62. 87. 97. 101. 102. fornice & tabulatu fere perfecit, pecunias impri-
mis suppeditantibus Aquitanorum duce & rege
Danorum Cnutone, ut discitur ex Willelmo Mal-
mesburiensi libro 2. de gestis Anglorum: *Rex
Cnuto ad Transmarinas ecclesias pecunias mittens,
maxime Carnotum ditavit, ubi tunc florebat Fulbertus
episcopus in sanctitate & philosophia nominatissimus,
qui inter cetera industriæ suæ documenta, ecclesiæ
dominæ nostræ sanctæ Mariæ, cujus fundamenta je-
cerat, summam manum mirifico effectu imposuit, quam
etiam pro posse honorificare studens, musicis modula-
tionibus crebro extulit. Quanto enim amore in honorem
Virginis anhelaverit, poterit conjicere, qui audierit
cantus cœlestia vota sonantes. Exstat inter cetera
Epist. 97. opuscula ejus epistolarum volumen, in quarum una
gratias agit Cnutoni magnificentissimo regi, quod lar-
gitatis suæ viscera in expensas ecclesiæ Carnotensis
Epist. 38. effuderit.* Electioni Ebali Remorum archiepiscopi
1021. imprimis favit anno 1021. Odolricum Aure-
lianensem electum sacravit presbyterum anno
1022. 1022. Romamque ire volentem, ut crearetur
Epist. 50. episcopus, dissuasit. Ipse vero eodem anno Romam
Epist. 109. Epist. 110. orationis ergo profectus fuit, ut docet chartula-
rium sancti Petri, ubi agitur de clericis Stephano
& Lisoïo, qui infecti prava hæresi ferebantur.
Pag. 671. Vide tomum secundum Spicileg. in gestis concilii
Aurelianensis adversus illos hæreticos habiti. Sub-
scripsit chartæ Odolrici Aurelianensis episcopi
cum Arnulfo abbate sancti Petri in controversia
ecclesiæ Ursivillaris pagi Dunensis circa annum
1024. 1024. Circa id tempus dedicationi ecclesiæ S.
Leonardi Belismensis adfuit. Roberti regis partes
adversus Constantiam reginam sectatus, gravissi-
mum ejus incurrit odium, unde ut benedictioni
1027. Henrici filii anno 1027. non adforet, valetudi-
Epist. 59. & 106. nem corporis adversam prætexuit. Diplomati Ro-
Chart. XI. berti regis pro abbatia Columbensi subscripsit
col. 295. anno 1028. Denique si instauratio cryptarum ec-
1028. clesiæ Carnotensis, quas ante hyemem cooperire
Epist. 102. satagebat, Fulbertum detinuerit, ne dedicationi
ecclesiæ S. Martialis Lemovic. quæ facta est XV.
cal. Dec. 1028. interesset, ut Mabillonio placet,
Num. 50. veroque videtur simillimum, vicit causa Mabillo-
nii, cui præterea favent inchoatus anno 1007.
episcopatus assignatique in epitaphio viginti unus
anni sedis cum dimidio, quidquid contra definie-
rint post Antonium Pagi nuperus auctor historiæ
Longueval tom. VII. & diar. Trivulc. Dec. 1736. pag. 2648. ecclesiæ Gallicanæ ejusque sodales.

Sacratissimæ Dei genitricis Mariæ servus addi-
ctissimus Fulbertus primus ejus nativitatem cele-
bravit, & laudes peculiari libro edidit, a qua remu-
neratum fuisse tradunt. Dum enim morbo fuisset
correptus, sacra per visum ei apparens Virgo ubera
aperuit sugenda, teste Alberico in chronico ad ann.
1022. *Florebat Fulbertus episcopus sanctitate &
philosophia nominatissimus, qui fundamenta sanctæ
A ecclesiæ Dei genitricis jecit, & eadem perfecit miro
lapideo tabulatu, qui etiam ab eadem Dei genitrice
in infirmitate sua visitatus esse dicitur, & de ejus lacte
sanctissimo recreatus. Hic enim multo amore & feli-
cissimo in honorem B. Mariæ virginis Dei genitricis
exarsit, quod ostendunt cantus, quos de ea ille edidit,
cœlestia vota sancientes. Inter cetera ejus opuscula ex-
stat epistolarum volumen, &c.* Idem docet Willelmus
Malmesburiensis libro tertio de gestis Anglorum,
loquens de Berengario hæresiarcha ipsius olim
in schola Carnotensi discipulo: *Berengarius plane,
quamvis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis
terris depravaverat, convertere nequivit. Quod epi-
B scopum Carnotensem Fulbertum, quem Domini mater
olim ægrotum lacte mamillarum suarum visa fuit sa-
nare, prædixisse aiunt. Nam cum in extremis positum
multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus
sufficeret, ille inter oppositas catervas oculo minatus
Berengarium, nisu quo valuit expellendum censuit,
protestatus immanem draconem prope eum consistere,
multosque ad eum sequendum blandiente manu &
illice anhelitu corrumpere.* Demum magnum illud
ecclesiæ Gallicanæ lumen exstinctum est IV. id.
Aprilis sexta die post Pascha anno 1029. licet 1029.
veteres nonnulli, sicut & recentiores, ann. 1027.
& 1028. assignaverint. At verus ejus obitus annus
C ex epitaphio ejus colligi debet, in quo annos 21.
cum dimidio ecclesiam Carnotensem rexisse di-
citur, ab anno scilicet 1007. Sepultus est ante
majus altare ecclesiæ sancti Petri Carnotensis ad
dextram Gaucelini episcopi a latere evangelii. Sigo
levita & cantor ecclesiæ Carnotensis nominatissi-
mus, consiliorum ejus & secretorum particeps,
ipsius ornasse tumulum legitur in necrologio ad V.
id. Julii: numquid hæc essent carmina, quæ olim
super ejus tumulum legebantur?

Terrenum Mariæ templum, Fulberte, parasti,
Pulcrius in cœlo nunc tibi Virgo parat.
D *Illic dum fidei meritorum munera præstas,*
Fœnore cum duplici præmia parta capis.
Nam tibi si vivo dedit hæc quæcumque petisti,
Nunc tibi defuncto nulla repulsa datur.
Hujus tu primus natalia festa per orbem
Vulgasti, laudis cantica sacra canens.
Hæc depascentem vultum compescuit ignem,
Lacte suo sanans perdita membra tibi:
Et tandem proceres, hominesque tui ordinis omnes
Mortis inopinæ condoluere vices.
Tu quacumque poli felix in parte moraris,
Fac ut sors hominum sit meliore loco.

E Aliud ad parietem prostabat his versibus epitaphium:

Quem tibi Carnotis concessit fons bonitatis
Doctrinæ fluvium dupplicis egregium,
Pontificum sidus, Fulbertus fulgidus actu,
Vestis pauperibus, victus & assiduus,
Inclausus jacet hic, factus de pulvere pulvis,
Et præstolatur surgere cum reliquis.
Virtutum cultor, vitiorum mortificator,
Auxiliante Deo, præstitit a puero.

ANNI CHRISTI

Bis denos annos, atque unum dimidiumque,
Virgo Maria, tuæ præfuit ecclesiæ.
Ingressurus erat Phœbus post lumina septem
Taurum, cum mœstum deseruit populum.

De Fulberto legitur in necrol. ecclesiæ Carnot. *Anno ab incarnatione Domini M. XXVIII**. *IV. id. Aprilis obiit dilectus Deo & hominibus pater noster bonæ memoriæ Fulbertus suæ tempestatis pontificum decus, lux præclara mundo a Deo data, pauperum sustentator, desolatorum consolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquentissimus & sapientissimus tam in divinis, quam in omnium liberalium artium libris: qui ad restaurationem hujus sancti* B *templi, quod ipse post incendium a fundamento reædificare cœperat, bonam partem auri sui & argenti reliquit, & disciplinæ ac sapientiæ radiis hunc locum illuminavit, & clericis suis multa bona fecit.* Hujus quoque meminerunt alia hagiologia & necrologia, chronica & auctores plurimi. De ipsius vita pluribus Baronius annal. ecclesiast. tomo undecimo, Trithemius, Sixtus Senensis, Henricus Gandavensis, Bellarminus de scriptoribus ecclesiasticis, Mabillonius in Annalibus, Guillelmus Cave in historia literaria scriptorum ecclesiasticorum, & ceteri. Memoratur cum longo encomio a Saussaio in supplemento martyrologii Gallicani, & a Buce- C lino in menologio Benedictino, a priore honoratus titulo sancti, ab altero solum beati. Ejus quoque nomen inseritur in litaniis sancti Petri Carnotensis & Pictonicis. Latiniaci celebrabatur utcumque ejus translatio ad diem 2. Junii antequam hæretici seculo XVI. hujus ecclesiæ reliquias dissipassent. Mirum itaque in breviario Carnotensi anno 1633. excuso nullam Fulberti venerationem præscribi, nec ullam usquam in hac ecclesia actam fuisse memoriam. Non ideo tamen inferas velim solemniter ei olim aut saltem hactenus sicut & Ivoni fuisse parentatum, ut scribit quidam hagiographus. Errat pariter scriptor alter, qui *lentam* D *prædam* (sic dictam, quod duobus primis annis a canonicis etiam qui capitulis intersunt generalibus, non percipitur) interpretatus est de reditibus obituum, qui in anno omissi fuere. *Lenta* enim *præda* pars est redituum ex feodis qui per annum recuperantur. Quod spectat ad doctrinam Fulberti, epistola ad abbatem nomine Adeodatum de sanctissima Trinitate, Baptismo, & Eucharistia, quam scripsit nondum episcopus, claram de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia & de transubstantiatione confessionem continet: *Terrena materia in Christi substantiam commutata.* Quod autem hac in sententia perseveraverit, præ- E ter alia argumenta, probat vulgata de eo fama, quod in extremis positus, videns Berengarium fidei catholicæ desertorem, eum expelli jusserit. Præter ejus epistolas, sermones & vitam sancti Autberti, Dacherius tomo secundo Spicileg. pagina 827. edidit epistolam quamdam de rebus ecclesiæ religiose & caute custodiendis; Martennius aliam de episcopis ad bella procedentibus. Oudinus quoque in supplemento bibliothecæ Patrum edidit ex codice manuscripto bibliothecæ Longi pontis

* Vet. calcul.

Baill. t.

Gravcolus.

Anecd. t. 1. col. 130.

A commentarium ad Actuum c. XII. & alia quædam. Ejus tempore multæ fuerunt contentiones inter abbates & episcopos de subjectione, quam hi sibi ab illis promitti cogebant, qua de re Fulbertus scripsit epistol. IV. ad Fulconem Aurelianensem episcopum contra Gauzlinum abbatem Floriaci ei subdi detrectantem. In epist. secunda meminit ritus tunc temporis observati, ut promotus ad sacerdotium de manu episcopi hostiam acciperet, ex qua particulam per dies quadraginta consumebat, quod etiam in ordine Romano præscribitur. Denique Hariulfus in chronico Centulensi libro IV. cap. 8. de Angelranno abbate sancti Richarii ait: *Quod præcipiente sibi venerabili suo quondam magistro, Domino scilicet Fulberto Carnotensi episcopo, almiflui confessoris Christi Richarii vitam, ab antiquis compendiose descriptam, versu heroico jucundiorem fecit.* Quid autem in schola Fulberti didicisset Angelrannus docet capite primo ejusdem libri: *Denique multorum experientia probatum, & liberalibus studiis ornatissimum, civitatis Carnotenæ venerabilem episcopum, ac cum multo honore vocitandum Fulbertum præceptorem adeptus est atque didascalum. Hic ei monitor, hic tam morum quam literarum fuit institutor. Gaudebat venerabilis præsul de tanti discipuli solatio, relevabatur tam idonei auditoris industria atque ingenio. Tandem igitur grammatica, musica, atque dialectica optime instructum, Centulam remittit tyronem amicissimum, jam tum sacerdotio ornatum.*

LV. THEODERICUS.

Fulberti defuncti in locum A. decanum elegerunt canonici Carnotenses, electumque significarunt L. archiepiscopo Senonensi, qui electioni quidem primum favit, sed postea rege id ita volente, Theodericum ejusdem ecclesiæ antea capicerium ordinavit: de quo conquesti sunt clerici Carnot. tribus epistolis, quas habes in collectione Fulbertina, quarum una Leotherium archiepiscopum monent violari ab ipso patrum sententias, qui ipsis invitis obtrudere vult episcopum, rogantque ne ejusmodi ordinationem, quam sine solutione canonum stare non posse tunc autumabant, auctoritate sua a rege requisitus corroboret. Altera Guarino Belvacensi, Odolrico Aurelianensi & Arnulfo Turonensi scribunt A. decanum, quem elegerant, factum licet monachum, optare tamen se sibi fieri episcopum, reprobarique lupum illum, quem præsules, quorum examini res commissa videbatur, probare poterant indignum, idiotam & ignarum. Tertia denique Odilonem Cluniacensem abbatem, quem clarissimum nuncupant speculum, obtestantur, ne Theoderici simulati episcopi partibus faveat, neve Odoni comiti suadeat facere cum eo concordiam.

Tenuit nihilominus Theoderici electio: episcopus enim Carnotensis interfuit dedicationi basilicæ sancti Aniani Aurelianensis XVI. cal. Julii anno 1029. Eodem anno ad monasterium sancti Petri accedens, aurea ecclesiæ argenteaque vasa & alia ornamenta in cereis tabulis conscribi jussit, & monachos, qui forte electioni ejus contradixerant, cum abbate expulit. Anno insequenti in 1030. apothecario

ANNI CHRISTI

Epist. 131.

Epist. 132.

Epist. 133.

ANNI CHRISTI apothecario sancti Petri annotatur quarta consla-
gratio civitatis Carnotensis facta anno 1030. III.
1030. idus Sept. D. Theoderici episcopi anno secundo.
Subscripsit dotationi ecclesiæ sancti Dionysii de
Nogento Rotrodi in Pertico factæ a Gofrido vice-
1031. comite Castriduni anno primo Henrici regis. Fun-
Chart. III. col. 412. dationi monasterii Pontis-levii consensit, quod
factum legitur Carnoti V. idus Julii anno tertio
1034. ejusdem regis 1034. Dedicatio ecclesiæ Carno-
Labb. bibl. t. 1. pag. 287. tensis facta est XVI. cal. Januarii anno 1037. ex
chronico Vindocinensi. Monachis S. Petri con-
1037. cessit Theodericus circa annum 1038. altare situm
Chart. XIV. col. 298. in ecclesia quæ regalis capella vocabatur, liberum
1038. ab omni debito. Dedicavit anno 1040. in vigilia
1040. sanctissimæ Trinitatis ecclesiam Vindocinensis mo-
nasterii, cui concessit privilegium exemtionis a
multis episcopis & abbatibus subscriptum & com-
memoratum in epistola 40. seu in privilegio Ale-
xandri II. papæ pro hoc asceterio. Confecta est
1045. anno 1045. in aula Theoderici Carnotensis epi-
Chart. XV. col. 299. scopi charta pro monasterio puellari sancti Aviti
apud Castrumdunum, cui subscripsit, sicut & di-
Chart. XVI. col. 300. plomati Henrici regis Unigradum fiscum in gra-
tiam canonicorum Carnotensium liberantis XV.
1048. calend. Maii anno 1048. indictione prima, regis
Henrici XVIII. Eodem anno Theodericus eccle-
siam Hildosivillæ concessit VII. idus Octobris a
vicaria, synodo & circada immunem Gaufrido
Columbensi abbati. De ejus consilio Gaufredus
Andegavensis comes exemisse se testatur præcepto
1050. dato anno 1050. monasterium SS. Trinitatis
Vindocinensis ab omni subjectione comitis Vin-
docinensis. Defunctus dicitur 16. Aprilis 1048.
Postridie sepultus, jacet in basilica sancti Petri ad
dextram Fulberti antecessoris, sub hoc epitaphio:

Extitit antistes Theodoricus hic vocitatus,
Sed factus pulvis, hic jacet exanimis.
Virgo Dei genitrix, tibi templum . . . . . habendum,
Cujus opus superis sumpserat auctor eis,
Vivendo solers tribuit, quibus ecce refulget,
Munera, Petre, tuis sacra dedit monachis.
Fessus onus . . . . Phœbi cum poneret æstus,
Membra dedit cineri, dans spiritale patri.

Hoc autem commendatur elogio in libro Aga-
nonis: *Ambrosiæ cujus opes velut torrens affluentes,
præclarum opus almæ nutris Domini aulæ complen-
tes, perediæ quoque atque bibesiæ inopum jugiter ob-
viantes, sacro dignum præconio efficiunt.* Quæ ad
intelligenda consulendus liber obituum, in quo
legitur: *XVI. calendas Maii obiit domnus Teode-
ricus episcopus, qui hanc ecclesiam librorum copia &
multimodis ornamentis decoravit, atque augendo fra-
trum usui contulit alodum suum de Cersiaco, ecclesiam
Viletæ cum altari, & ecclesiam supplantati cum altari,
duosque vinearum clausos, unum quinquaginta duorum,
alterum XII. agripennium cum quadam domo annonæ
& vino fratrum custodiendo necessaria.*

LVI. AGOBERTUS.

Agobertus idem proculdubio est ac Agenertus
& Adevertus, ex succentore ad infulas vocatus, ut

A eruitur ex actis revelationis corporis beati Romani ANNI CHRISTI
martyris in ecclesia Braii castri, cui *archipresbyter* T. 2. Instr.
interfuisse legitur. Adevertus nuncupatur in sub- col. 105.
scriptionibus episcoporum post literas originales
Henrici regis datas an. 1052. pro confirmatione 1052.
fundationis & dotationis monasterii Casæ Dei.
Agenertus vero dicitur in notitia de fundatione
prioratus de Veteri vico, ubi sic legi jam diximus;
A diebus Rodulfi Carnoteni quondam episcopi . . . . , Annal. t. 4.
ad usque tempora tunc præsentis illius, quem supra pag. 714.
*taxavimus Agenerti, inter quos Fulbertus & Theode-
ricus eidem episcopatui præfuisse noscuntur.* Gratam
habuit Agobertus societatem monachorum Ma-
B joris monasterii cum capitulo beatæ Mariæ Car-
notensis, quod factum refert Mabillonius ad ann.
1056. num. 97. Hic sane est Adevertus præsul, 1056.
qui subscripsit diplomati regis Henrici ecclesiam Mabill. annal. tom. IV.
Drocarum in finibus Carnotenis monachis sancti pag. 581.
Germani a Pratis apud Parisios donantis anno
1058. Columbensi abbati Gaufredo ecclesias de 1058.
Boconvilla & sancti Aniani de Senantis liberas &
quietas concessit IV. non. Septemb. anni ejusdem.
Memoratur in donatione cujusdam Odonis facta
sancto Petro in Valle eodem anno, quo Henricus
filium suum sibi in regno substituit, hic est 1059. 1059.
Eodem annuente episcopo, Albertus filius Ribaldi Ch. XVII.
C nobilissimi viri ecclesiam vici Bruerolensis in col. 301.
honorem sancti Germani Autissiodorensis eidem
monasterio largitus est, donationem confirmante
Henrico rege anno regni 32. Idem episcopus
concessit anno primo Philippi regis, Christi 1060. 1060.
indictione XIV. a Septembri inchoata VII. calend. Mabill. annal. tom. IV.
Decembris Alberto Majoris monasterii abbati fa- pagg. 600.
cultatem ædificandi ecclesiam in honorem sancti & 751.
Bartholomæi in pago Blesensi ad Scissiæ amnis
ripam ad ingressum silvæ Blimartii. Memoratur
adhuc anno secundo Philippi regis in chartulario
sancti Petri. Dedicavit ecclesiam sanctorum mar-
tyrum Gervasii & Protasii Choiniæ. Denique
D Agobertus ecclesiam Spedonensem ad preces Im-
berti episcopi dimisit capitulo Parisiensi pro jure
pastus. De eo legitur in chartulario sancti Petri;
*Agobertus quoque nostra tempestate præsul canonicis
assensum præbuit usurpandi non modicam partem terræ
campi fauni versus orientem, quam antecessores nostri
sine ulla calumnia, & nos moderni monachi longo usu
possedimus.* Et in necrologio ejusdem monasterii:
*V. idus Decembris obiit domnus Agobertus episcopus
Carnotensis.* Sepultus dicitur in ecclesia S. Petri
ante majus altare.

LVII. HI . . . . .

E Post Agobertum Carnotensem ecclesiam simo-
niace invasit Hi . . . . quibusdam Hildegarius, Ful-
berti discipulus, & ecclesiæ Carnot. subdecanus,
quem ab Alexandro II. damnatum, forte in sy-
nodo Romana an. 1063. ubi decreta contra simo- 1063.
niacos renovata sunt & confirmata, inde ejicien-
dum curavit Gervasius Remensis archiepiscopus,
de quo Alexander II. grates ei rependit epistola Brev. Rom. Pontif. t. 2.
23. post synodum Cabilonensem anni ejusdem pag. 393.
scripta, quod in ejectione Hi . . . . a se damnati, Conc. Hard. tom. 6. part.
qui Carnotensem ecclesiam simoniace invaserat, 1. c. 1093.

ANNI CHRISTI promtum se exhibuisset, Philippoque regi auctor fuisset, ut alter dignus & idoneus canonice ei substitueretur.

LVIII. Robertus I.

Subrogatus videtur Rotbertus ille Turonensis, *qui*, ut legitur in chartulario S. Petri, *ob quemdam Majoris monasterii monachum, Berengarii sectam sequentem, ut a veris relatoribus audivimus, quem in abbatiæ suggestu obtrudere non valuit, nobis acriter renitentibus ac viva voce resistantibus, Apostolorum sacrosanctum altare contra legem canonicam celebratione mysterii corporis & sanguinis Christi tribus mensibus, & eo amplius, carere fecit. Monachos quoque auxilium Dei & matris ejus exorantes, longe fieri ab eo minarum spiraus palam omnibus profano ore contestatus, contradicente ecclesiæ Romanæ legato, pariterque divinum officium eis interdixit, ac publice in principali ecclesia excommunicare ausus fuit.* Quo
Acc. 53. igitur fundamento Mabillonius ad annum 1065.
1065. tradidit hunc monachum fuisse abbatem Huchertum, urgente Roberto a legato pontificio postea benedictum? Sed nec audiendus, cum ibidem ex veteri codice mendis scatenti dicit Robertum bonum legatum fuisse, totamque Aquitaniam propriis sumtibus visitasse. Hæc quidem in Gaufrido de Leugis laudavit sanctus Bernardus, non in Roberto, cujus legati nullibi fit mentio. Rotbertus
Chart. Columb. autem bellum agebat cum castro Novigenti annis
1066. 1066. & 1067. quo ultimo subscripsit funda-
1067. tioni prioratus SS. Cosmæ & Damiani prope
Ampliss. collect. tom. 1. col. 471. Mellentum ab Hugone comite indict. v. Philippi regis IX. Anno sequenti, vel etiam 1069. in itinere Romano defunctus est, ut colligimus ex chartulario sancti Petri: ac proinde de Roberto I. intelligendus necrologus ecclesiæ Carnotensis liber, in quo legitur: *X. calendas Januarii obiit Silvaniaci Robertus episcopus Roma veniens, quo ipse perrexerat, ut ecclesiam istam retro diu inquietatam, reduceret in statum pristinæ tranquillitatis, consilio & auxilio sanctæ matris suæ: quam toto corde diligens reddiderat ei, redimendo plurima ornamenta male ab aliis distracta, calicem scilicet magnum argenti, & dorsalia plura cum cappis & palliis. Dederat quoque ei nova quinque dorsalia caro pretio emta, & duo manilia argentea cum urceo, multo plura & majora dare proponens, si Deus longiorem vitam sibi præstitisset.* Hic est procul dubio Rotbertus episcopus, cujus sepulcrum e terra erectum visitur in ecclesia cellæ Silviniacensis apud Burbonenses.

LIX. Arraldus.

Arraldus, quem Ayraldum & Adraldum vocant alii, ex monacho Vindocinensi, abbas Bremetensis in Italia, Carnotenses infulas adeptus,
1070. primo ordinationis suæ anno 1070. nonis De-
Anecd. t. 1. col. 198. cembris indict. VIII. consecravit capellam sanctæ Mariæ in cimiterio Vindocinensi, maxime propter pauperes & familiam monasterii conditam. Sub-
1071. scripsit diplomati Philippi I. anno 1071. VIII.
Ampliss. collect. tom. 7. col. 64. calendas Maii indictione IX. in concilio Senonensi edito, ad confirmandam donationem ecclesiæ S. Andreæ factam ab Hugone episcopo Trecensi

A ascetis Cellensibus. Liti de cella Credonensi inter Vindocinenses & sancti Albini monachos dudum ANNI CHRISTI
agitatæ finem ita imposuit anno 1072. ut de eo 1072.
quasi de homine versutiarum magistro conquesti Anecd. t. 1. col. 202.
postea sint P. papæ nepoti monachi sancti Albini. Circa id tempus A. Carnotensi episcopo excommunicationem minatus est Alexander II. Romæ cal. Julii, nisi restitueret septem ecclesias, quas in sua diœcesi monasterio Vindocinensi subtraxerat. Scribit ei Gregorius VII. papa libri primi epist. Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1222.
32. datam Argenteæ v. cal. Decemb. indict. XII. cujus initium anticipat, ut ad curam abbatiæ sancti 1073.
Launomari, remoto intruso, restituat Isembardum,
B si nulla alia culpa inveniat eum privatum, nisi quod Jerosolymam devotionis ergo profectus fuerit. Adraldo inter alios inscribitur epist. v. ejusdem pontificis libro secundo ad episcopos Francorum, in qua regni Francici calamitates, regisque nefanda Ibid. 1264.
narrat facinora. Data est Tiburi IV. idus Septemb. 1074.
indictione XIII. De consensu capituli præbendam Chart. XX. col. 303.
ecclesiæ suæ monachis Cluniacensibus contulit, quam donationem ratam habuit Richerius Senonensis metropolita. De eo necrologium: *IV. idus Februarii obiit Adraldus hujus misericordissimæ Dei matris ecclesiæ episcopus venerabilis & abbas Bremetensis, vir eloquentissimus, atque scientiæ radiis illu-*
C *minatus, qui ecclesiam istam sibi commissam toto cordis affectu, totaque mentis intentione dilexit, & eam vita sibi manente diversorum ornamentorum muneribus, cappis videlicet optimis & dorsalibus pretiosissimis, sicuti pastor egregius, instruxit, unumque ei calicem aureum opere elegantissimo informatum donavit, quem & quotidiano altaris servitio deputavit: atque hujus vitæ præsentis cursu completo, capellam suam, ornamentis episcopalibus instructam, cum ingenti argenti pondere, pro peccatorum suorum remissione huic præclaræ matri suæ ecclesiæ dereliquit.* Necrologium vero sancti Johannis de Valleia: *IV. idus Februarii obiit Arraldus Carnotensis episcopus, qui præbendarum*
D *almæ Mariæ anniversaria sancti Stephani canonicis, quos ipse constituerat, attribuit.* Carnotenses autem sancti Petri monachi post Robertum episcopum de Arraldo eodem fere modo ac ascetæ S. Albini loquuntur in chartulario: *Deinde Braimensem abbatem, cui tanta dolositas inerat, ut nisi eam lepos sermonis ejus obumbraret, non ipse dolositatis habitum videretur habere, sed eadem dolositas esse putaretur. Tantum quippe in eo valuit, ut avaritiæ cæcitate bonorum etiam oculos veritatis lumine sermone sacrilego citissime carere faceret. Unde crocotillo tempore, & abbate locum privavit, & optimam partem monachorum expulit, atque quemdam monachum abbatem*
E *ex improviso fecit, & quater viginti libras sibi abstulit, ac nisi cito inaudita mortis atrocitas malis suis imposuisset finem, secundum nomen suum omnia monasterii exteriora & interiora abraderet. Nam dicebat aurum vel argentum pretiosaque ecclesiæ ornamenta, fomenta esse monachis superbiæ, atque incitamenta lasciviæ. Pisces quoque monachos vel adipem comedere aiebat crudele facinus, eis annuens nuda edere olera, atque sine quolibet edulio suggerebat xirophagos persistere, cum ipse sibi magnos pisces, exoticaque edulia dari juberet, ventri suo gastrimargiam semper habens vernaculam.*

ANNI CHRISTI

LX. Rotbertus II.

Defuncto IV. idus Februarii anni quem nunc
1075. computamus 1075. Arraldo, Rotbertus quidam
monachus, Carnotensis episcopus, in tribus catalogis ob simoniam, sicut & ejus successor, omissus, donum ab Hugone Nivernensi factum canonicis suis de abbatia sanctorum Vincentii & Agricolæ approbavit in synodo Aurelianensi in crastino Paschæ VIII. idus Aprilis. Subscripsit eodem anno donationi factæ ab Hugone Trecensi episcopo monachis Floriacensibus. Sed quia episcopatum illum nefanda ambitione, sive simoniaca subreptione occupaverat, episcopali sede & officio a
Chart. XXI. col. 303. Gregorio papa VII. privatus, supra corpus sancti Petri apostoli sacramento se obligavit mense Apr.
1076. indictione XIV. anno 1076. in illam sedem sese non amplius ingressurum. Attamen Roma reversus illam invadere instituit, nec a legato apostolico licet admonitus, dimittere voluit. Hæc eruuntur
Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1358. ex duabus Gregorii VII. epistolis IV. non. Martii indict. XV. Carpinetæ datis, quarum una scripta
1077. est ad Carnotenses, ut alium eligerent episcopum, altera ad episcopos Senonensis provinciæ, quibus papa præcipit eumdem Robertum & fratrem ejus Hugonem commonere, ut juxta jusjurandum quod præstiterat, Carnotensi ecclesiæ ablata restituant, nec deinceps in eam se immisceant. Robertum
Annal. tom. V. p. 120. existimat, & quidem recte, Mabillonius hunc esse juvenem Carnoti indigne appositum pro episcopo, ab Hugone Diensi excommunicatum & irrecuperabiliter depositum: quam Hugonis sententiam
Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1383. confirmat Gregorius epistola XI. libro quinto.

In eadem epistola Hugoni significat Gregorius Philippum regem Francorum iterata postulatione legationem ad ipsum direxisse pro Roberto olim Uticensi tunc vero abbate monasterii sanctæ Euphemiæ de Calabria, *qui & hoc anno*, inquit, *cum in Longobardia eramus, per nos transivit in Franciam, ut eum ad regimen Carnotensis ecclesiæ episcopum ordinaremus & probaremus.* Tum subdit: *Reversus est etiam ille idem Robertus abbas ad nos, dicens se donum episcopatus offerente rege refutasse, nec quidquam inde sine nostro consilio facere voluisse, vel facturum esse.* Institere nihilominus suæ postulationi Carnotenses clerici, ex quibus duo pontificem ejus rei causa adierunt; sed quoniam absentium vota pontifici haud comperta erant, ejus rei cognitionem ad Hugonem Diensem episcopum retulit, at quid iste ea de re statuerit non liquet. Certe Robertum abbatem ad suum monasterium revertisse, ibique post septemdecim regiminis annos idibus Decembris feliciter ad Dominum migrasse auctor est Willelmus Gemeticensis libro septimo capp. 29. & 30. Ordericus de illo hæc habet libro V.
Duchesne histor. Norman. pagg. 283. 284. 583. pag. 583. *Anno ab Incarnat. Domini M. LXXVII. Rodbertus nobilis abbas frater Hugonis de Grentemaisnilio ad colloquium Guillelmi regis Anglorum in Normanniam venit, regique petenti veniam eo quod ipsum olim in exilium injuste expulerat, indulsit. Hunc nimirum accersierat Philippus rex Francorum, volens ei dare episcopatum Carnotensium. Sed Gallis Normannorum devitantibus magisterium, Goisfredus Eu-*

A *stachii Bolonensium comitis nepos præoccupavit pontificatum. Præclarus itaque Rodbertus, postquam sacris ordinationibus interfuit, Apuliam repetiit.* Cum his consentit quod retulimus ex epistola XI. libri V. Gregorii VII. qui dicit hunc abbatem fuisse sanctæ Euphemiæ de Calabria.

LXI. Gaufridus I.

Gaufridi de Bolonia Parisiensis episcopi & Eustachii Boloniæ comitis nepos Gaufridus sedem Carnotensem occupavit. Electus est III. cal. Aug. anno 1077. ut ex Orderico Vitali diximus, usus ille gratia & auctoritate avunculi: unde ejusdem
B dignitatis candidatis simoniæ eum arguentibus, in synodo Augustodunensi ejusdem anni depositus fuit ab Hugone Diensi famosissimo sedis apostolicæ legato, cui negotium Carnotensis ecclesiæ tractandum & ad finem perducendum mandaverat Gregorius VII. epistola XXII. libri IV. data IV. idus Maii indict. XV. Condemnationis causa Conc. Hard. tom. 6. col. 1366.
ea maxime fuit, quod duo archiepiscopi, duoque episcopi, qui electioni ejus non adfuerant, quosque Gaufridus testes adhibuerat, nonnisi sub conditione innocentiam ejus juramento testari voluissent. Condemnatus in synodo Gaufridus continuo Romam profectus est, unus forte ex episcopis illis
C sex, quos Hugo Flaviniacensis post concilium Augustodunense Romam evocatos fuisse cum archiepiscopo Remensi scribit. Hoc autem in itinere Labb. Bibl. t. 1. pag. 199.
comitem habuit Gotfridum avunculum suum Parisiensem episcopum, qui tam electioni nepotis cum Belvacensi episcopo, quam Augustodunensi concilio interfuerat, cujus acta ut fideliter papæ Conc. Hard. tom. 6. col. 1572.
referret, speciatimque de ordinatione Carnotensis ecclesiæ huic injunxerat Hugo. Prosperum iter non fuit, nam præter longi molestique itineris labores, in manus grassatorum inciderunt, suarum rerum jacturam fecere, captique nonnisi dato pretio dimissi sunt. Cum Romam tandem adventas-
D sent, apud summum pontificem Gregorium VII. graviter injuriam conquesti sunt, qui nihil de hac causa a legato audiverat, etsi eum admonuisset; ut de causis omnibus, quas in synodis ageret, ipsum redderet certiorem. Scripsit [a] itaque ad Hugonem legatum Laterani 2. nonas Decembris anni, ut puto, 1077. ut sibi de hac causa literas scriberet. a Ibidem col. 1490.
Receptis literis, reperit non omnia penitus congruere cum his, quæ prius Parisiensis episcopus suggesserat, rem tamen ejusmodi esse, ut posset ex indulgentia & misericordia definiri. Jussit prius ut uterque crimen simoniæ dilueret sacramento Ibidem col. 1491.
super sepulcrum B. Petri apostolorum principis,
E *ratus scilicet cujuslibet personæ gratiam, aut lucri temporalis ardorem tantum non valere, ut aliquis sanæ mentis vir, præsertim episcopus, spreto divini horrore judicii, ultro perjurium tam grave vellet patrare.* Sicque Gaufridus quia non invitatus & absens judicatus fuerat, episcopali officio a Gregorio VII. restitutus est, forte in synodo Romana IV. anni
1078. eo quidem tenore, quod (ut legato suo 1078.

a Ordinem qualemcumque inter novem Gregorii VII. epistolas, quæ de Roberto & Gaufrido, instituere tentavimus, quo successu viderint eruditi.

ANNI CHRISTI

sane obsequi videretur summus pontifex) causa sua A ante Hugonem retractaretur atque definiretur: ita Gregorius epistola XVII. libri V. data Romæ VII. Conc. Hard. tom. 6. col. 1388. idus Martii indictione prima, qua quid Romæ decreverit de præsulibus in illo concilio depositis aut suspensis sigillatim exponit. Neque enim audiendi qui Robertum loco Gaufridi legendum Amænit. critices tom. 2. pag. 70. censent, præsertim cum Gaufridi nomen hac una in epistola exprimatur, nec ulla mutationis hujusce legitima afferri queat ratio, quin omnia simili modo confundere & permiscere liceat. Deinde qui restitutus est anno 1078. episcopatum præoccupaverat jam anno 1077. ex Orderico Vitali Gaufridus Gaufridi Parisiensis episc. nepos. Hanc B Annal. t. 5. pag. 121. Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1490. & 1491. quoque affinitatem non advertit Mabillonius: non enim de Roberto Gregorii epistolas XV. & XVI. libri 9. intellexisset, quæ Gaufrido soli convenire queunt. Harum altera ad idem tempus revocanda, qua Carnotensibus præcipit Gregorius, ut episcopum suum de falso simoniæ crimine purgatum, debito honore suscipiant, eique ut proprio pastori obediant. Huic judicio vix acquievit Hugo legatus, qua de re ipsum reprehendit summus pontifex epistola XXXI. libri 9. in qua refert neque Ibidem col. 1502. ipsum, neque alium quemvis nuncium Romam ejus nomine venisse, qui depositionem Carnotensis episcopi allatis causis approbaret, diutius Parisiensem episcopum Romæ commoratum, justitiæ & æquitatis fuisse ut ecclesiæ judicio restitueretur Gaufridus, ipsum vero reprehensione dignum, qui in matrem suam exerceret censuram judicialem. Sanctæ Romanæ ecclesiæ judicio sic restitutus Gaufridus, ab hac die primum episcopatus sui annum computans memoratur in charta Burchardi comitis pro Vindocinensi monasterio, regnante
1079. Philippo anno 20. Christi 1079. Circa id tempus adfuit consecrationi ecclesiæ sancti Dionysii Bibl. Clun. pag. 522. de Nogento. Concilio Senonensi interfuit anno
1080. 1080. & donationem factam Majori monasterio ratam habuit anno eodem. Donatæ suburbano D sancti Remigii monasterio ecclesiæ sancti Baldi a Richerio Senonensi archiepiscopo anno 23. Philippi regis signum apposuit suum. Occurrit nonis Martii indictione V. in tabulis sancti Petri, cujus abbati Eustachio altare de Bruerolis ab omni synodi, circadarum, aliarumque consuetudinum
1083. onere liberum asseruit nonis Maii 1083. Obti-
1084. nuit V. idus Januarii indictione VI. a Passione restitutionem mancipiorum ecclesiæ suæ, sicut habuerat Arraldus episcopus, quæ Theobaldus comes Diplom. lib. VI. n. 60. Palatinus sibi & ecclesiæ sancti Martini vindicarat. Eustachio abbati sancti Petri quinque altaria in Pertico sine ulla redemtione concessit IV. nonas E
1086. Martii indictione IX. Incarnationis 1086. Anno eodem subscripsit diplomati Philippi regis anno 26. regni sancto Petro vineas Herberti in area Ch. XXIII. col. 304. braca confirmantis. Altare de Rodanivilla monachis sancti Martini a Campis donatum a vicariis liberum concessit. Verum sublato e vivis Gregorio papa, cujus unius indulgentia stabat Gaufridus, cum ad Urbanum II. ecclesiæ Carnotensis diu multumque laborantis perlatæ fuissent querelæ, Apostolico Gaufridi crimina patuerunt, qui ramus aridus (Ivonis verbis utor) in radice arboris matris nunquam coaluerat, nec in se virens fructum fecerat, cujus capri emissarii adulteria, fornicationes, Epist. 8. perjuria, proditiones per omnem fere Latinam ecclesiam publicatæ erant, pro quibus & aliis similibus magni cultoris manu excisus est, & a sede apostolica damnatus, ita ut purgare se non valens, virgam pastoralem & annulum sine conditione qualibet in manibus papæ, indignum se patenter agnoscens, refutarit, qui de eo in hæc verba emisit decretum: *Quicumque Gaufridum depositum deinceps juverit ad infestandum vel reinvadendum Carnotensem episcopatum, excommunicatum eum esse censemus.* Id autem accidit anno saltem 1089. ut patet ex 1089.
charta Stephani comitis Blesensis monasterium Hist. Blesens. prob. p. XIV. S. Johannis Baptistæ de Foro in suburbio Blesis monachis Pontilevensibus donantis. *Actum Blesis in camera sancti Johannis mense Novembri indictione XII. anno 1089. regnante in Francia Philippo rege 22* anno, ecclesia Carnotensi tunc temporis proprio* f. 31. *pastore Gaufrido viduata.* Hunc tamen an. 1091. Richerius metropolitanus consilio Parisiensis episcopi infatuatus, cum eo Meldensique & Tricassino episcopis in concilio apud Stampas in statum Epist. 12. pristinum reformare conatus est, sed frustra: appellavit enim Ivo, nec mutire ausi sunt episcopi.
C Pædagogus ille interea (sic Gaufridum appellat Epist. 6. Ivo) ab officio pastoris & nomine pulsus, jam non habens unde lac & lanas ovium perditarum diriperet, secessit in Normanniam, ubi Guillelmi Ebroicensis, insulsi, inquit Ivo, comitis patrocinio fretus, dilapidavit facultates præpositura, quam Ricardus Normanniæ dux circa annum 1017. ecclesiæ Carnotensi contulerat.

LXII. Ivo.

Gaufrido & suo & summi pontificis judicio e sede Carnotena dejecto, factaque clero Carnotensi alterius subrogandi ab Urbano potestate, Ivo omnium calculis electus est. Natus is in agro Bellovacensi ex genere minime nobili, ut ipse testatur epistolis 3. 12. 22. patrem habuit Hugonem de Altoylo, si Frontoni fides, matrem vero Hilemburgim, cujus nomen inscribitur necrologio sancti Quintini Bellovacensis IV. idus Februarii. Post humaniorum literarum & philosophiæ studia Parisiis confecta, theologiæ operam dedit in monasterio Beccensi sub beato Lanfranco. Primum fuit canonicus Nigellensis ex Sammarthano nostro in collectaneis. Postea vocatus a Guidone Belvacensi episcopo, præficitur prælatus, seu præpositus, aut abbas canonicis regularibus sancti Quintini, quam extra muros urbis suæ condiderat abbatiam hic episcopus. Ivo non solum huic loco quædam patrimonii sui prædia contulit, sed pro more horumce temporum in monasteriis usurpato theologiam ibi docuit, canonumque jam peritissimus quasdam constitutiones sodalibus suis dedit, unde pro canonicorum regularium institutore non immerito habetur. Collectionem quoque canonum, seu ex canonibus sanctorum compendiosum decretum tunc temporis concinnavit, quo ante Gratiani tempora utebantur juristæ: in eo Burchardum

ANNI CHRISTI

Vormatiæ episcopum ita accurate secutus, ut etiam ejus menda in suum opus transcripserit, non secus ac ipse Burchardus Reginonis. Jam multos annos in regimine transegerat Ivo, cum dejecti in locum Gaufridi, tale nihil suspicans, canonice, juxta monita summi pontificis Urbani, a clero & populo electus est, regique renitens præsentatus, a quo virgam quidem pastoralem accepit, sed non pariter consecrationem ab episcopo: nusquam enim Richerius Senonensis archipræsul, qui Gaufrido deposito favebat, diem Ivoni ad consecrationem, petentibus licet & pulsantibus clericis, præfigere voluit, de quo Ivo epist. 8. conqueritur. ubi Richerium Senonensem archiepiscopum sic alloquitur: *Aliunde me expetisse benedictionem calumniamini, veritate teste verum dicam, quia nec episcopatum, nec benedictionem episcopalem a vobis petii, nec a quoquam. Sed cum clericorum primo ingenio, postea violentia regi fuissem præsentatus, & inde cum virga pastorali a rege mihi intrusa ad ecclesiam Carnotensem adductus, cumque clericis petentibus & pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere, interea consilium mihi fuit electioni eorum non omnimode assensum præbere, donec certus fierem & de Gaufridi depositione & summi pontificis voluntate. Ad quem cum pervenissem, ad petitionem ecclesiæ Carnotensis apostolica auctoritate sum constrictus, & ita in episcopum consecratus.* De hac consecratione facta

1090. forte die ipsa 23. Novembris 1090. Urbanus

Ch. xxiv. col. 305. papa literas ad clerum populumque Carnotensem dedit Capuæ VIII. calendas Decemb. ut Ivonem episcopum in Gaufridi exauctorati locum reciperent, & crastina die ad Richerium Senonensem archiepiscopum, cui significat Ivonem canonice electum a se consecratum fuisse, quia ipse ei manum imponere recusaverat, rogatque ut eum benigne complectatur, eique ad ecclesiæ suæ regimen auxilium suum largiatur. Neque tamen sic quievit Richerius. Audiamus iterum Ivonem epistola 12. *Senonensis archiepiscopus consilio Parisiensis episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi episcopo, & duobus aliis non dissimilis vecordiæ, Meldensi & Trecassino, hoc anno Stampis de ordinatione, quam a vobis acceperam, me satis inordinate accusavit, dicens me in majestatem regiam offendisse, qui a sede apostolica consecrationem præsumseram accepisse. Cum itaque conarentur Gaufridum depositum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre, sedem apostolicam appellavi, & decretis apostolicis quamvis ea non nisi in futurum timerent, a sua præsumtione revocavi, appellationem tamen nec prosequi taxaverunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt.* Hanc autem epistolam scriptam sicut & concilium Stam-

1091. pis habitum anno 1091. putamus, quo Ivo memoratur episcopus in veteri charta apud Sammarthanos: *Actum anno 1091. indict. XIV. regnante Philippo, in ecclesia B. Quintini Ivone existente abbate, tunc Carnotensium præsule.* Occurrit & in charta monasterii Vindocinensis anno 1091. indictione XIV. feria sexta hebdomadæ Paschalis XIV. calend. Maii eo anno ordinatus, quo juxta caput ecclesiæ Vindocinensis recepit conventionem vice abbatis

A inter Garnaldum de Charismot & monachos. Unde jure concluditur epistolas Urbani tam ad populum clerumque Carnotensem Capuæ VIII. cal. Decemb. quam ad Richerium metropolitam VII. cal. ejusdem, anno 1090. adscribendas esse. Carnotensem episcopatum adeptus Ivo, non propterea curam cœnobii sancti Quintini Belvacensis deposuit, renitentibus hujus ecclesiæ canonicis, ad quos scribit epistolam 17. ut alium sibi præficiant abbatem, quod tandem obtinuit, ut ex epistolis 31. & 32. planum est, cum prælationem in manibus Fulconis episcopi Belvacensis omnino ejuravit. Subscripsit anno 1092. præcepto Ro- 1092.

B berti de Belismo pro monachis Majoris monasterii. Eodem anno Philippi regis odio, qui in legitimum Berthæ uxoris thalamum Bertradam Fulconis comitis Andegav. uxorem, nonnullis Galliæ præsulibus patrocinantibus etiam ac fœde conniventibus, superinduxerat, vir iste justi tenax, & tantum flagitium dissimulare non valens, diris modis fatigatus est, maxime ab Hugone Puiseti domino, qui eum pene per annum in carcere clausum, persæpe etiam absque pane retinuit, magna animi firmitate & constantia pellici depravatæ, & regis concupiscentiæ sese opponentem. De hoc contubernio & ira regis his expostulat

C Ivo verbis epistola 22. ad eumdem Philippum: *Quoniam,* inquit, *præcedente divina gratia de stercore pauper usque ad solium principum per manum vestram elevatus sum, fateor me post Deum pro posse meo cuncta vobis debere quæ vestro congruunt honori & saluti; sed quia exasperatus propter salubres monitus, quos serenitati vestræ ex summa fidelitate & charitate direxi, me diffiduciastis, & bona episcopalis domus diripienda adversariis nostris exposuistis, gravia & grandia inde perpessus incommoda, regali curiæ ad præsens nec secure possum interesse, nec honeste. Supplico itaque majestati vestræ ut regia interim me mansuetudine supportetis, donec possim aliquantulum respi-*

D *rare & damna, quæ mihi pene usque ad penuriam panis inflicta sunt, aliqua ex parte reparare.* Vinculis exemtus hæc scribebat, Raynaldi fortasse Remensis archiepiscopi & suffraganeorum opera, quibus Urbanus papa pro ereptione Carnotensis episcopi scripserat VI. calendas Novembris 1092. Conc. Hard. tom. 6. part. 2. p. 1672.

Altaria sex Eustachio abbati & monachis sancti Petri Carnotensis concessit libera, scilicet de Bruerolis, de Ermentariis, de Roheria, de Buxeto, de Cruciaco & de Castellariis calendis Julii 1093. 1093.

Gaufridum Vindocinensem abbatem consecravit IX. vel XI. calendas Septembris anni ejusdem: attamen in epistola 21. adhuc se in ergastulo

E clausum dicit, quando corpus sancti Juliani translatum est: hæc autem facta dicitur translatio XVI. calendas Novemb. anno 1093. VIII. ordinationis Höelli episcopi Cenomanensis, qui ordinatus est XI. calendas Maii 1085. ac proinde, pro 1093. legendum forte 1092. qui annus cum ordinatione optime quadrat. Præter enim jam dicta, mense adhuc Novembri anni 1093. cum Urbano papa Epist. 27. Romam pacifice intravit Ivo, ibique eum dimisit mense Januario. Reversus Beccenses inter & Molismenses monachos ortam de cella Pexiacensi

ANNI CHRISTI controversiam composuit anno 1094. Vocatus
ad concilium Remense pro nuptiis regis & Ivonis
1094. depositione qui eis contradicebat, habitum xv.
calendas Octobris ejusdem anni, cui aliquo modo
præfuit Richerius archiepiscopus Senonensis ipsi
infensus, adesse noluit, sed ad eumdem Richerium
scripsit epistolam 35. Monachis Cluniacensibus
monasterii extra urbem ædificandi licentiam fecit
III. nonas Januarii. Concilio Arvernensi adfuit
1095. die 8. Nov. 1095. & Turonensi anno 1096.
1096. ubi subscripsit decreto Urbani II. pro subjiciendo
Cormaricensi abbate sancto Martino. Ad eumdem
scripsit anno eodem pontificem pro Willelmo Parisiensi
electo, quicum & Galterio Meldensi Sanctionem
Aurelianensem episcop. consecravit apud
Carnotum. Subscripsit chartæ fundationis abbatiæ
de Rota tertio idus Februarii anni 1096. ineuntis.
Guillelmo Nivernensi comiti adfuit donanti ecclesiam
sancti Stephani apud Nivernum a se restitutam
abbati & monachis Cluniacensibus anno
1097. 1097. ac diris devovit omnes, qui huic dono
quoquomodo auderent refragari. Ecclesiam eamdem
consecravit idibus Decembris. Gaufridum
de Prulliaco comitem Vindocinensem jura & privilegia
monasterii sanctissimæ Trinitatis agnoscere
persuasit eodem anno, & cum abbate conciliavit.
Scripsit quoque Urbano II. pro consecratione
Daimberti Senonensis electi, & insequentis anni
1098. initio 1098. contra electionem Johannis Aurelianensis.
Altaria de Basenvilla, de Bisconcellis &
de Bovenivilla sine redemtione vicarii monachis
Majoris monasterii concessit tertio idus Maii.
Hoc eodem ineunte anno onus pontificium abdicare
voluit, ideoque Urbano pontifici maximo
his verbis scripsit epistolam 67. *Ecce jam hoc
transacto septennio vineam mihi commissam pro posse
meo excolui, fructum autem quem quærebam non inveni.
Detur ergo libertas octavo anno, ut hoc principium
veræ octavæ aggrediar, ut possim mihi sabbatizare,
dulces fructus contemplationis carpere, & octavæ illius
gaudia prælibare. Quod si vestra permissione id modo
non facio, necessitate tamen me oportebit id facere
propter renovatas in me veteri de causa regis inimicitias,
& propter parochianos meos contemptores verbi
Dei, qui proni sunt solis terrenis inhiare.* Pontificis
hortatu episcopali curæ haud renunciavit. Quinimo
eam inter maximas procellas ecclesiæque
Gallicanæ propudiosum tunc temporis statum laudatissime
sustinuit; testes sunt ipsius complures
literæ, quibus agit de cathedralium ecclesiarum
& episcoporum ordinatione, de legatorum & missorum
a latere comprimendo fastu, quibus Gallicana
sæpius gravabatur ecclesia. Legenda ejus
epistola 133. ad Richardum Albanensem episcopum
legatum apostolicum, qui eum tanquam
publicæ simoniæ reum graviter redarguerat, ad
quæ respondit decanum quidem, cantorem &
alios quosdam in ecclesia Carnotensi plura exigere
in receptione canonicorum, quæ rescindere conatus
fuerat, sed incassum, quod ii se tuerentur
exemplo ministrorum curiæ Romanæ, apud quos
Ch. xxv. col. 305. venalia sunt omnia. Interea Ivo episcopus canonicos
regulares e S. Quintino accitos in ecclesia

A S. Johannis in Valle instituit anno 1099. eisque ANNI CHRISTI
multa largitus est. Synodo Stampensi eodem adfuit
anno, & Majoris monasterii monachis concessit, 1099.
ut ecclesiam construerent apud Franchamvillam.
Latum a rege decretum de expellendis monachis,
canonicisque in ecclesia Pisciacensi restituendis
sub anathemate confirmavit anno 1100. Circa id 1100.
tempus omnium ecclesiarum sollicitudine pressus,
scribit ad Galterium Meldensem episcopum de *Epist. 70.*
incontinentia monialium sanctæ Faræ, quas monet
ut corrigat, vel monachos earum loco substituat.
Paschalis II. bulla data XVI. calendas Martii anni Ch. xxvi. col. 307.
ejusdem episcoporum Carnotensium domum,
B quam magnis Ivo impensis ædificaverat, exemit
ab omni spoliatione tunc temporis post episcopi
obitum fieri solita, juxta concilii Arvernensis decretum.
Annus Incarnationis 1104. componitur 1104.
cum anno episcopatus Ivonis 14. & Philippi regis
45. in tabulis sancti Petri. Hoc eodem interfuit
concilio Trecensi v. nonas Aprilis & subscripsit *Annal. t. v. pag. 671.*
diplomati Hugonis Campaniæ comitis pro Molismensi
monasterio. Adfuit & synodo pro reconciliatione
regis apud Balgenciacum Ivonis efflagitatu
30. Julii habitæ. Celebratum aliud concilium
apud Parisios Ivone præsente IV. nonas Decembr.
indict. XIII. Paschalis II. sexto ad reconciliandum
C absolvendumque regem Philippum, qui simul cum
Bertrada juravit divortium. In concilio Pictaviensi *Ibidem pag. 469.*
anni ejusdem sententia Burdegalensis concilii de
Marestasio pro Angeriacensibus adversus Maxentianos
monachos lata examini Ivonis commissa
fuit, ab eodemque & collegis confirmata. Datam
ab eo Beccensibus ecclesiam sancti Nicasii de Melento
confirmavit Paschalis II. secundo idus April. *Baluz. Miscell. tom. 7. pag. 131.*
1104. Insequenti Henricus comes Blesensis & 1105.
uxor Adela ad preces Ivonis domum episcopalem
a prava consuetudine supellectilis diripiendæ Chart. xxviii. col. 308.
liberam reddiderunt, quorum beneficium auctoritate
sua confirmavit Philippus rex anno regni Ch. xxix. col. 310.
D 46. Libertatem ecclesiæ de Burgomedio ad preces
Adelæ comitissæ ratam habuit Ivo eodem anno,
quo adfuit electioni Radulfi abbatis sancti Quintini
in festo Dedicationis. De mandato Paschalis II.
diremit anno 1106. querelam, quæ inerat inter 1106.
Ivonem de Curvavilla, vicecomitem Hugonem
& Rotrocum Perticensem comitem, qui ad sacrum
bellum ituris pacem turbabat. Invitatus ab Ivone
Pascha peregit apud Carnotum Paschalis papa anno
1107. Locum Bernardo a Rotroco comite ad 1107.
construendum monasterium datum anno eodem
confirmavit Ivo & cœmeterium consecravit. Dedit
literas super controversia ratione ecclesiæ Villæmendis
E inter Columbenses monachos & moniales
sancti Aviti VIII. calendas Septembris. Interfuit
anno 1108. exsequiis Philippi regis, & statim 1108.
post sacro Ludovici regis Aureliæ celebrato, Remensibus
clericis necquicquam refragantibus, qua
de re scripsit apostolicam epistolam 189. Subscripsit
1109. præcepto Ludovici VI. regis de 1109.
libertate testandi & bellandi pro servis ecclesiæ
Parisiensis. *Carrucatam* terræ in territorio de Garzeis
secus fluvium Tironum ad construendum *Annal. t. v. pag. 681.*
monasterium cum capitulo concessit tertio nonas

ANNI CHRISTI Februarii 1110. Subscripsit diplomati Ludovici A
regis pro canonicis sanctæ Genovefæ iv. idus
1110. Martii anni 1111. Ad concilia Viennense & An-
1111. sanum vocatus anno 1112. se excusavit. Sub-
1112. scripsit eodem anno regiis Ludovici literis in gratiam Floriacensium. Principis ejusdem chartam pro fundatione vel potius dotatione S. Victoris Parisiensis sua subscriptione munivit cum plurimis
1113. præsulibus anno 1113. Cum Arnaudo decano
Ch. xxxiv. totaque Carnotensi ecclesia institutam Tironensem
pol. 313. abbatiam approbavit, eique multa concessit privilegia tertio nonas Februarii, & anno elapso sigillum apposuit suum instrumento confirmationis eorumdem privilegiorum ab Conone Prænestino sedis apostolicæ legato tertio nonas Febr. B
Monachis Majoris monasterii concessit ecclesiam de Hanchis, quam Paganus canonicus tenebat, & quidquid eis ab ipsius fratribus tribuebatur anno
1114. 1114. Eodem Paschalis II. v. calendas Novemb.
Ch. xxxv. confirmavit decretum prius ab Ivone latum contra
pol. 314. præpositos qui gravabant capitulum, & angariis ecclesiasticos inferiores vexabant, aliaque ab eodem statuta, qua quidem bulla offensi præpositi, adversus Ivonem regem Ludovicum commovere nisi sunt, literasque ipsius ad eumdem obtinuerunt, cui respondit Ivo epistola 265. qua de re legendus Souchetus in novis observationibus ad epistolas C
Ivonis pagg. 252. & seq. Annus ordinationis Ivonis 25. illigatur cum anno 16. Paschalis II. Incarnationis 1114. in instrumento quodam ecclesiæ sancti Nicolai apud Souchetum pag. 254. *Facta est autem hæc cartula anno ab Incarnatione Domini M. CXIV. ordinationis vero domini Paschalis papæ XVI. atque ordinationis domini Ivonis Carnotensis episcopi XXV.* &c. Idem Souchetus refert bullam Paschalis II. Romæ pridie idus Martii, Ivoni Carnotensi & Radulfo Santonensi datam, qui duo concilio Arvernensi adfuerant, ut juxta concilii decretum, altaria, quæ ab annis triginta & sub vicariorum redemtione monachi possidebant, D
Souchet pag. 253. libera eis relinquerent. Redditam ab Ivone de Curvavilla ecclesiam sancti Nicolai fratribus
1115. de sancto Johanne concessit Ivo anno 1115. indict. VIII. Gravem habuit cum Bernardo Bonævallis abbate querelam, quam a Roberto de Ar-
Bolland tom. 3. Februarii pag. 610. brisello compositam indicat Roberti vitæ scriptor paulo ante ejusdem obitum, quem anno 1116. exeunte, qui nunc numeratur 1117. accidisse volunt. Ex chronico enim S. Albini Andegavensis: *Anno 1116. obiit Robertus de Arbrissel quinto calendas Martii.* Huic aliud non minoris ponderis
Tom. IV. pag. 324. argumentum subjicit doctissimus Pagi, Guillelmi nempe Nivernensis comitis anno 1116. ex chro- E
nicis Fiscanensi & Vezeliacensi capti, eorumque qui eum ceperant excommunicatorum, mentionem fieri in epistola 275. Ivonis: unde concludit
Annal. t. V. pag. 619. anno 1117. Mabillonius vero post Albericum, Elinandum, priscum sancti Quintini calendarium, &c. Ivonem sub finem anni 1116. obiisse; sed pace tantorum virorum dixerim, hæc cum usurpata in chartis Gaufridi successoris annorum computandorum ratione conciliari nequeunt, qui ex dicendis anno ineunte 1116. auspicatus est episcopatum. Præterea chronicorum diversitas in morte Ivonis, eorum arguit negligentiam. Denique amplius nescio quid, ni fallor, obsequii & reverentiæ debetur necrologiis ecclesiarum, in quibus mortui sunt & sepulti episcopi, quam aliis dissitarum plerumque ecclesiarum. Atqui in necrologiis ecclesiarum cathedralis & sancti Johannis in Valle obitus Ivonis assignatur ad diem x. cal. Januarii anni 1115. Defunctus Ivo sepelitur in choro ecclesiæ S. Johannis de Valle, sed hostilis hæreticorum rabies pios cineres in ventos impie seculo XVI. dispersit. Pius V. bulla data 18. Nov. 1570. canonicis sancti Johannis Lateranensis regularibus permisit, ut ejus festum quotannis celebrarent. Hanc facultatem ad canonicos Carnotenses extendit sacra rituum congregatio 28. Novembris 1648. procurante P. Natali Minimo Carnotensi tunc Romæ commorante, ad preces J. B. Soucheti canonici Carnotensis. Philippus ab Eleemosyna Bonæ-spei abbas hoc ei conscripsit epitaphium:

Reddidit affectus patrem, doctrina magistrum,
Regula canonicum, pontificemque gradus,
Famosum probitas, humilem natura, verendum
Vita severa, senem longa, pudica sacrum.
Præsule defuncto, sua tollere mos erat olim
Principis, hunc morem principis emit Ivo.
Hujus opem læsus, plebs dogmata, fræna malus rex,
Sensit egenus opes, pro grege vota Deus.

Referunt Sammarthani aliud carmen e veteribus membranis viri clarissimi Barnabæ Brissonii præsidis in senatu Parisiensi.

Mente, manu, lingua, doctrina, corporis usu,
Prudens, munificus, præstabilis, utilis, insons,
Firma columna domus Domini, quam jure salubri
Fovit, munivit, instruxit, jugiter auxit
Consilio, scriptis, quo viveret ordine rebus,
Cujus opem gratis æger, rem sensit egenus,
Istius urbis apex memorandus episcopus Ivo,
Hac situs exspectat adventum Judicis urna.

De eodem referre quoque juvat sequentes versus in modum epitaphii; qui in ecclesia sancti Johannis ante excidium legebantur.

Præsulis Ivonis corpus jacet hic tumulatum,
Cujus honos pulsat limen utrumque poli.
Juris hic antistes canonum decreta sacrorum
Perlegit, legum dogmata dans brevius.
Mystica sacra alibi dantur, rex, quam tibi Remis,
Consultorque tuis, rex vocitatus abis.
Hunc capit Hugo comes Carnutum mœnia tentans,
Quem pia plebs redimit sumptibus innumeris.
Aere suo atque opera renovavit præsulis ædes,
Firmat Johannis, qua jacet, abbatiam,
Atque decanatum Andreæ formavit & auxit.
Te duce fit Mariæ pulpitus ecclesiæ.
Fundamenta loci jecit Belli prioratus,
Hic Magdalenæ præparat ecclesiam.
*Vicenos * annosque duos sine crimine sedem* * f. 25.
Rexit, ab integris moribus atque fide.

ANNI CHRISTI

His addenda martyrologii Carnotensis verba: *x. calendas Januarii. Ipso etiam die Dominicæ Incarnationis M. CXV. obiit pater Ivo hujus sacratissimæ sedis antistes, vir magnæ religionis, ecclesiasticorum & secularium negotiorum prudentissimus, mitis affatu, patientia insignis, castitate pollens, & tam in divinis quam in philosophia eruditissimus. Qui sex pallia bona, & septem cappas, & infulas tres, & tapetia tria decori hujus ecclesiæ contulit: librum missalem & epistolarium, & textum evangeliorum, & unum lectionarium matutinalem dedit, & omnes argento paravit. Pulpitum miri decoris construxit, scholas fecit, domum episcopalem, quam vilem & ligneam in obitu episcoporum vel discessu, quibusdam pravis consuetudinibus per violentiam Carnotensium comitum inductis ancillatam invenerat, speciosam & lapideam a fundamento refecit, & cum omnibus ad ipsam pertinentibus, sive mobilibus sive immobilibus ex ancilla liberam reddidit, libertatemque ipsam astipulatione privilegiorum & Romanæ sedis, & regis, & comitis, quæ in archivis hujus ecclesiæ habentur, confirmavit. Terram etiam quandam contiguam eidem domui ad amplitudinem ipsius domus a vicedomino adquisivit, & muro clausit. Apud pontem Godinum alias domos ad usus episcopales ædificavit: eandemque villam in multis melioravit. Abbatiam sancti Johannis ex seculari in regularem convertit, instituit & auxit, consilio & auxilio ipsius monasterium infirmorum apud Bellumlocum constitutum fuit. Junioratus omnes hujus ecclesiæ, & precarias in communes redegit usus, & eas in posterum personis distribui tam suo, quam apostolico privilegio vetuit. Angarias & injustas exactiones, & pravas servientium discursiones fieri per præposituras iisdem privilegiis prohibuit. Potestatem quam habebat danda præpositura de Ebrardivilla & ceteris ad eam pertinentibus huic capitulo dedit. Taxata sepeliendorum precia in toto hujus ecclesiæ episcopatu cessare fecit. Ad augmentandam tabulam altaris idem moriens centum modios vini reliquit, & in aliis pluribus suæ ecclesiæ & clericis suis multa bona fecit.* Legitur quoque in necrologio sancti Johannis in Valle: *x. cal. Januarii anno ab Incarnatione Domini M. CXV. obiit bonæ memoriæ Ivo Carnotensis episcopus, qui canonicorum regularium ordinem in hac ecclesia constituit, & eandem rebus suis ampliavit, dans fratrum usibus ecclesiam sancti Stephani cum rebus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Luciaco, ecclesiam de Pontegodano & terram ultra stagnum, triginta quoque volumina librorum suorum, & multa alia.*

Ab omnibus fere ætatis suæ historicis dilaudatur Ivo: *Lucerna quippe occidentalis, orbis decus, ornamentum ac fulgor ecclesiæ Gallicanæ* honorifice appellatur a cardinale Baronio. Et certe recondita ac præcellenti eruditione conspicuus, juris divini humanique scientia, & victuris in ævum operum monumentis celeberrimus, eximiis ac plane consentaneis summo præsuli virtutibus, ævo suo non tantum ceteris regni, sed & omnibus Carnotensis ecclesiæ, si fas affirmare, præluxit episcopis. Præter decretum, quod concinnavit, reliquit plurimas epistolas, in quibus quidquid spectat ad jus canonicum licet invenire. Editis jam 288. duas novas adjecit Mabillonius in tomo quinto Annalium. Plurima quoque continent, quæ ad historiam ecclesiæ Gallicanæ, imo & universalis, plurimum lucis afferant. Sunt etiam inter ejus opera 24. sermones, quorum quartus a nonnullis Fulberto restituitur. De ipso Ivone plura habentur in editione ejus operum, quæ in lucem prodiit anno 1647. (cujus opera, videat lector curiosus in præfatione J. B. Souchet ad vitam sancti Bernardi abbatis Tironensis, ejusdemque Veritatis defensione edita Carnoti anno 1651.) Videndi quoque Baronius Annal. tomis undecimo & duodecimo, Spondanus, Possevinus, Bellarminus & alii.

LXIII. Gaufridus II.

DE LEVES.

Paulo post obitum Ivonis, communibus clericorum suffragiis ipsius in locum suffectus est Gaufridus e nobili dominorum de Leugis genere, secundo ab urbe Carnotensi lapide satus, frater Hugonis præpositi ecclesiæ ejusdem, & Gosleni domini de Leugis. Non e Cistercensium cœtu, ut legitur apud Chrysostomum Henriques, assumtus fuit, sed e clero Carnotensi, in quo si non præpositi dignitatem obtinebat, ut volunt nonnulli, saltem canonicus erat. *Tanta autem seditio inter clericatum & comitem illius civitatis* (Theobaldum) *ex hac electione coorta est, ut etiam nonnulli canonicorum amissis facultatibus suis jussu comitis membratim trucidari timerent . . . . deprædatus enim jam fuerat ejusdem urbis princeps canonicorum domos, eosque in claustro suo incluserat, & quod dictu quoque nefas est, præclarum illum virum, Gaufridum nomine, quem clerici in loco defuncti in pontificalem cathedram canonice inthronizaverant, ab urbe fugaverat.* Huc rogatus post celebratum apud Altam Brugeriam Natale Domini advenit Robertus de Arbrisello, cujus monitis comes ablata reddidit, Gaufridi electioni acquievit, eumque ad urbem redire concessit. Sed nec his contentus Robertus, ut omnem impleret justitiam, simoniacam labem, quæ Carnotensem ecclesiam diu fœdaverat, communi tam episcopi quam canonicorum assensu omnino abegit. Latum tunc a Gaufrido decretum, ut nullus canonicus de honoribus vel præbendis ecclesiæ quidquam in posterum exigeret vel acciperet, nullus daret vel promitteret, omnesque idem hac de re præstarent jusjurandum, confirmavit postea Callixtus II. bulla Gaufrido episcopo data Remis quarto nonas Novembris indictione XIII. anno Incarnationis 1119. Canonici vero votum quod fecerant, juramento firmaverunt, quod etiamnum fit ab eo, qui præbendæ investituram exspectat. Ordinatus jam tum cum hæc facta sunt, fuisse non videtur Gaufridus, quem Romæ a Paschali ordinatum discimus ex chartulariis sancti Petri & Josaphatensi, & quidem anno, ut videtur, 1116. qui primus ejus episcopatus annus dicitur in charta Majoris monasterii. Insequenti Ludovicus rex exactiones in prædiis ecclesiæ Carnotensis & monasterii sancti Petri a Puteacensibus fieri solitas penitus abolevit edicto, quod ratum habuit Paschalis II. bulla data Beneventi idibus Aprilis indict. x. Eodem anno Ludovicus rex quidquid Gaufridus episcopus & Gosfenus ejus frater ecclesiæ beatæ Mariæ

Fascic. Cist. part. 2. pag. 113.
Menolog. Cistere. p. 36.
Biblioth. Carnot. pag. 58.
Boll. Febr. tom. 3. pag. 611.

Chart. XXXIX. col. 317.
Not. ad Ivon. epist. p. 231.

1116.

1117.

Chart. XXXVI. col. 315.

ANNI CHRISTI

Mariæ de Josaphat contulerant, regia concessit A auctoritate anno 1117. regni IX. Adelaïdis reginæ III. Atque hinc repetenda videntur hujus abbatiæ primordia, quam cum fratre suo Gauzleno
Chart. XL. col. 318. fundasse dicitur Gaufridus anno episcopatus tertio,
1118. Christi 1118. & confirmavit Callixtus papa cal.
Chart. XXXVII. col. 315. Novembris 1119. Bernerio Bonevallensi abbati concessit Gaufridus ecclesiam B. Mariæ in castro Galardone sitam, id quod de casamento Carnotensis ecclesiæ possidebant monachi, & capellam sancti Vincentii, octavo idus Junii anno 1118. episcopatus tertio: unde patet Gaufridum jam anno 1116. mense Junio episcopatum fuisse auspicatum, quod ex dicendis magis ac magis patebit. B Eodem episcopatus anno tertio medietatem capellæ Osannæ ecclesiæ sancti Petri dedit. Giraldo abbati Casalis-Benedicti ecclesiam sancti Germani de villa Emblonis largitus est anno adhuc 1118. laudantibus canonicis, inter quos recensetur Goslenus de Leugis archidiaconus, episcopi nepos & successor. Doctrina Gaufridi & rerum agendarum peritia cœpit innotescere in concilio Remensi anno
1119. 1119. mense Octobri celebrato, præsente & præside Callixto II. nam teste Orderico Vitali lib. 12. hist. *Ibi Gerardus Encolismensis, Hato Vivariensis, Goffridus Carnotensis, & Guillelmus Catalaunensis duces verbi præ ceteris intonuerunt, & dicacibus* C *scholasticis, atque fervidis amatoribus Sophiæ invidiosi enituerunt.* Willelmi Catalaunensium episcopi precibus discordantes monachos Majoris monasterii & canonicos sancti Johannis Valliacensis super ecclesia sancti Nicolai de Curvavilla conciliavit, ecclesiamque communem utrisque declaravit III. cal. Decembris 1119. Circa id tempus ecclesiæ
Chart. XLI. col. 318. sancti Johannis bona & possessiones confirmavit *juxta tenorem privilegii D. Ivonis.* Subscripsit adhuc
Amplis. collect. tom. I. col. 652. anno 1119. diplomati Ludovici regis terram S. Lifardi Magdunensis monachis Columbensibus
1120. donantis. Anno 1120. quieti & integritati ec-
Ch. XLII. col. 320. clesiæ sancti Mauricii providit adversus ecclesiam D quam juxta Leugas constituerat: in hoc autem instrumento mendum irrepsit in anno vel Incarnationis vel episcopatus. Datum enim dicitur III. idus Januarii anno 1120. episcopatus tertio, quæ duo conciliari nequeunt ab utraque parte. Præterea Ernaldus, qui subscriptus inibi legitur, de-
Spicil. t. 2. præf. & pag. 770. canus esse desierat. Anno eodem sedit Gaufridus in concilio Belvacensi XV. calendas Novembris, ubi decretum fuit ut corpus sancti Arnulfi Suessionensis episcopi calendis Maii de humo levaretur. Dedicavit Gaufridus anno 1120. ecclesiam sancti Nicasii de Mellento. Ecclesias & decimas Columbensis monasterii confirmavit, monachisque dedit E decimam & medietatem ecclesiæ Novigenti. Fun-
Chart. VII. col. 419. dationi Eleemosynæ assensit 1121. & canonicos
1121. regulares instituit in ecclesia Burgi medii anno
Chart. VIII. col. 420. 1122. Guillelmo abbati & monachis Majoris monasterii concessit ecclesias de Cuschereio & de Nucareio sitas in pago Vindocinensi, cujus archi-
1122. diaconatum tenebat anno 1122. episcopatus VI. & hebdomada sequenti ad monasterium cum divertisset, in societatem & participationem beneficii fratrum susceptus est. Iisdem capellam de villa Bersoldi, quæ lignea erat, lapideam fieri permisit, in eaque tintinnabula haberi, propriisque a famulis audiri servitium. Habitum est anno Anecd. t. 4. col. 354.
1123. exeunte quarto idus Martii concilium 1123.
Carnoti in ecclesia beatæ Mariæ a cardinalibus & legatis Petro presbytero & Gregorio diacono. Discordantes monachos sancti Petri cum Clunia- Ch. XLVI. col. 323.
censibus super ecclesia sancti Dionysii de Nogento conciliavit Gaufridus an. 1124. episcopatus VIII. 1124.
data sancto Petro ecclesia de Braiolo. Sigillum Ch. XLVII. col. 324.
apposuit suum diplomati Ludovici regis pro sancto Germano in Laya anno eodem, quo circiter huic & Parisiensi Aurelianensique episcopis mandavit Callixtus II. ut interdictum ob incestuosas Guillelmi Normanni cum filia Fulconis Andegavensis comitis nuptias facerent observari. Anno 1125. 1125.
Gaufridus decani eligendi canonicis facultatem fecit. Interfuit duodecimo calendas Aprilis anni 1126.
1126. dedicationi ecclesiæ sancti Gervasii apud Sagium. Bona & privilegia monasterii sancti Petri confirmavit quinto calendas Decemb. anni ejusdem. Insequenti Honorius II. eadem Gaufridi 1127.
ad preces octavo idus Martii auctoritate apostolica Ch. XLVIII. col. 325.
munivit. Præsens fuit anno eodem judicio Romæ lato inter Stephanum episcopum Parisiensem & Theobaldum archidiaconum de juribus archidiaconatus. Testis anno 1128. trium præbendarum 1128.
ab Hugone vicecomite donatarum abbati Majoris monasterii Odoni, quem jussu Honorii papæ de ecclesia sancti Martini in Valle monachis ab Ivono prius data investivit VII. cal. Julii. Ipse est proculdubio Gaufredus, non vero Ranckedus, ut legitur in collectionibus conciliorum, qui adstitit anno 1128. in festo sancti Hilarii concilio Trecensi, ubi Templariis militibus cum regula assignatus habitus albus. Ipsius ad preces Ludovicus rex servis Spicil. t. 13. pag. 309.
ecclesiæ Carnot. testificandi & bellandi potestatem fecit anno eodem. Insequenti idem rex Bernerium 1129.
abbatem Bonævallis & ejus familiam in servos Gaufrido concessit. Adstitit sacro Philippi primogeniti Ludovici Crassi die Paschæ 14. Aprilis anni 1129. Cœtui plurimorum episcoporum adfuit apud sanctum Germanum a Pratis anno eodem, in quo probatum est præceptum Ludovici VI. pro restituendo monasterio Argentoliensi abbatiæ S. Dionysii. Subscripsit anno 1130. literis capituli 1130.
Compendiensis tres fontes in sylva *Luis* Guidoni abbati & monachis donantis. Aurelianis Innocentium II. Carnotum anno eodem exeunte deduxit, & ad populum sermonem fecit in consecratione altaris sancti Laurentii facta a summo pontifice in ecclesia Maurigniacensi XIII. calendas Februarii. Forte per id tempus ab Innocentio papa super Bituricensem, Burdegalensem, Turonensem & Dolensem provincias institutus legatus, hoc munus per plures annos summa integritate, ab avaritia præsertim & turpi lucro multum alienus, obivit. Certe Gaufridus sedis apostolicæ legatus Gaufridum Vindocinensem comitem ad restituendam sancto Launomaro villam Romanæ compulit anno 1130. ex tabulis sancti Launomari. In bulla Innocentii II. data anno 1131. Girardo abbati 1131.
Josaphatensi dicitur sapiens vir & religionis ac

ANNI CHRISTI pauperum amator. Adstitit mense Maio donationi
centum marcharum Cluniaco factæ ab Henrico
Angliæ rege. In concilio Remensi XIV. calendas
Novembris a summo pontifice habito chronicon
Maurigniacense testatur Gaufridum legisse Car-
thusianorum literas Innocentio obedientiam exhi-
bentium, rogantiumque, ut Hugonem Gratianopo-
litanum episcopum ab onere pontificali annorum
pondere oppressum liberaret, ipsique commen-
dantium recens institutos ordines Cisterciensem
& Fontis-Ebraldi. Eodem in concilio a summo
pontifice una cum Matthæo suo legato ad Ludo-
vicum Crassum delegatus est, qui pontificis regi
de funesta Philippi majoris natu filii morte dolo-
rem testarentur, ipsumque inducerent, ut Ludo-
vicum natu minorem Remos deducendum curaret
inaugurationis accipiendæ gratia, quam ipsi im-
pertitus est papa die Dominica 25. Octobris.
Chart. L. col. 317. Assignata Majori monasterio ecclesia S. Martini
de Valle, Gaufridus certos census definiit S. Petro,
Leprosis & sancto Johanni in Valleia pro præ-
bendis tribus, quas in hac ecclesia obtinebant, a
monachis solvendos, anno 1131. indictione IX.
XV. calendas Februarii. Eodem IX. calend. Martii
Ch. XLIX. col. 316. Innocentius papa præbendas canonicorum secu-
larium ecclesiæ sanctæ Magdalenæ Castrodunen-
sis Gaufridi ad preces assignavit canonicis regula-
ribus. Guillelmo Tironensi abbati ecclesias sancti
Leobini de quinque Fontibus, sancti Germani de
Colungis & de Mairoliis, & decimam sancti Petri
1132. Artgenvillier concessit an. 1132. Eodem locum
Monthalam fratribus Stellæ confirmavit. Eodem
discordantes canonicos Carnotenses & monachos
Tironenses super ecclesia Rotomagi conciliavit,
Fromundum abbatem Vindocinensem benedixit,
Spicil. t. 4. pag. 261. altare in honorem sanctorum Simonis & Judæ
consecravit in ecclesia sancti Vincentii in nemore,
& præsens fuit donationibus ibidem ab Hugone
Castrinovi factis. Dedicavit anno eodem eccle-
siam prioratus de Bellomer. Multum quoque eo
anno desudavit in causis Stephani de Garlanda
archidiaconi Parisiensis & Archembaldi subdecani
Aurelian. cui ac sociis ut honores & bona ablata
restitui fatagerent, mandavit Innocentius Gaufrido
Carnotensi & Stephano Parisiensi episcopis, literis
datis Placentiæ nonis Nov. Apud Jotrum conci-
1133. lium indixit an. 1133. in quo, tam de cæde Tho-
mæ Victorini prioris, quam Archembaldi subde-
cani Aurelianensis actum. Memoratur anno eodem
Chart. LI. col. 318. in charta fundationis prioratus beatæ Magdalenæ
Meduntensis. Latam adversus Archembaldi inter-
Spicil. t. 8. pag. 177. fectores sententiam Innocentius papa Gaufrido
significavit literis datis Pisis sexto idus Januarii
1134. anni 1134. Concilio Pisano eodem anno inter-
fuit Gaufridus, unde cum sancto Bernardo ab
Innocentio Mediolanum legatus fuit. Tota civitate
Carnotensi & ecclesia sancti Aniani hoc anno igne
consumtis, ossa sancti præsulis a flammis illæsa in
crypta reposuit, eademque 1136. Dominica 2.
Adventus septimo Decembris ad altare superioris
basilicæ reparatæ reportavit. Profectus in Aquita-
1135. niam comite sancto Bernardo anno 1135. Guil-
lelmum IX. ducem a schismate retraxit. Memo-

A ratur eodem anno in instrumento Manassis Mel- ANNI CHRISTI
densis episcopi pro monachis sancti Martini. Anno
1136. episcopatus 21. monachis sancti Petri con- 1136.
firmavit ecclesiam S. Leobini, quam eis cesserant
Cluniacenses, & statuit ut reditus & beneficia illius
ecclesiæ inter monachos S. Petri & presbyteros
S. Leobini æque dividerentur. Hugonem Autis-
siodorensem episcopum, remoto ad tempus Hen-
rico metropolitano, apud Ferrarias consecravit circa
festum B. Vincentii anno 1136. Subscripsit XV.
cal. Julii anni 1137. testamento Sugerii abbatis 1137.
sancti Dionysii. Ludovicus rex Gaufridi amici sui
carissimi ad preces villam Fraxinetum ab omni
B consuetudine liberam concessit anno eodem, an-
nuente Ludovico ejus filio. Ab eodem eodemque
anno cum plurimis magnatibus Burdegalam missus
est, ut Ludovici filii regis cum Eleonora Aquitana
nuptiis interesset. Ibi Ludovico immunitatem a
regalibus Aquitaniæ præsulibus concedenti adfuit.
Hic autem audita patris morte, continuo profectus,
Eleonoræ curam Gaufrido demandavit. Ecclesiæ
Carnotensi data ab Hugone majore pascua de
Vovis confirmavit anno 1138. episcopatus 23. 1138.
Memoratur eodem anno nono calendas Februarii
episcopatus 24. in tabulis Carnotensibus, hic est
annus 1139. quo ineunte vigesimum quartum 1139.
C episcopatus annum agebat Gaufridus, cujus pro-
inde initium a mense Januario anni 1116. repe-
tendum, ut diximus. Abbatem Vindocinensem
Hubertum benedixit an. 1139. protestatus penes
abbatem Vindocinensem esse monachos suos ad
quem mallet episcopum ordinandos mittere. Eo-
dem anno celebrato concilio Lateranensi de man-
dato summi pontificis Gaufridus totam Aquita-
niam perlustravit, & altaria a Gerardo Encolis-
mensi, vel Gilone Tusculanensi episcopo schisma-
tico consecrata solemni ritu execratus, propriis
manibus diruit, aliaque exstrui jussit. Interfuit
concilio Senonensi habito in octava Pentecostes
D anno 1140. ut liquet ex epistola 337. Bernardi 1140.
scripta sub nomine Henrici archiepisc. Senonensis,
Gaufridi episcopi Carnot. & sedis apost. famuli,
id est legati, &c. Testis anno eodem & 1144.
donatæ canonicis sanctæ Mariæ Blesensis decimæ
a Theobaldo comite. Subscripsit & dono Rainaldi Spicil. t. 1.
de castello Rainaldi de libertate loci, qui dicitur pag. 389.
Lauda. Testis fuit anno 1141. domus Josapha- 1141.
tensibus a Zacharia decano datæ. Bonis instructæ Chart. XII.
a Theobaldo comite abbatiæ de Eleemosyna anno col. 415.
1142. cum pluribus aliis præsens adstitit. Heliæ 1142.
Aurelianorum episcopo auctor fuit donationis
factæ monachis sancti Martini de Campis anno
E eodem. Decrevit anno 1144. *adhuc sedis apo-* 1144.
stolicæ legatus, episcopos Britanniæ archiepiscopo
Turonensi esse subjectos. At *non amplius legatus*
adfuit consecrationi capitalis partis ecclesiæ sancti
Dionysii & translationi reliquiarum tertio idus
Junii anni ejusdem, & dedicavit capellam sancti
Stephani. Eodem abbatem Maurigniacensem, ar-
chiepiscopi absentis vices gerens, solemni subli-
mavit benedictione, peculiari episcoporum Car-
notensium prærogativa, qui archiepiscopi Seno-
nensis usque ad distractionem primi semper fuere

ANNI CHRISTI

suffraganei. A clero quoque Senonensi invitatus A fuit, ut archiepiscopo electo benedictionis munus impertiretur. Initam inter monachos Tironenses & vicecomitem Castriduni pacem corroborat
1145. anno 1145. Memoratur anno 1146. in tabulis
1146. sancti Petri. Synodus apud Carnotum eodem anno habita est Dominica tertia post Pascha pro expeditione in terram sanctam suscipienda, cui cum archiepiscopis, episcopis & regni optimatibus interfuit rex Ludovicus. Una cum Girardo abbate Josaphatensi Gaufridus composuit litem monachorum prioratus de Challou, quem Josaphatensi-
1147. bus dederat, cum hospitali Stampensi an. 1147. Ipsius ad preces Eugenius III. eodem anno bona B Josaphatensis monasterii confirmavit XIII. calend. Augusti. Sancto Bernardo comes adjunctus fuit ad Tolosanas partes adversus Henricum hæreticum proficiscenti anno 1147. Memoratur in charta Matthæi de Montemorentiaco an. 1148. ex qua constat Simonem Tervellum, qui terram apud Carrerias usurpaverat, ab eo & Theobaldo Paris. fuisse excommunicatum. Denique Gaufridus cum capiceriam ecclesiæ Carnot. simul obtineret, obiit non anno 1138. ut volunt Sammarthani, sed nec anno 1147. quo amanuensis errore cathedra episcopalis Carnotensis vacare legitur defuncto Gaufrido episcopo in charta comitis Blesensis pro C Pontilevienfibus monachis. Veri ejus obitus & annus & dies innotescunt ex charta Josaphatensi, quæ sic incipit: *In anno quo mortuus est dominus Gaufridus Carnotensis episcopus, evolutis post obitum ejus XLV. diebus, anno videlicet ab Incarnat. Domini*
1148. *1148.... hebdomada Martii II. XL^a. III. fer. V. ipsius hebdomadæ.* Unde jure concluditur Gaufridum defunctum esse die 24. Januarii anni olim 1148. nunc 1149. quæ dies concordat cum necrologiis ecclesiarum Carnotensis, Josaphati, S. Johannis, S. Justi Belvacensis, ubi dicitur fundator ecclesiæ de Stella, & ceterarum quibus bona largitus est. Defunctus sepelitur in choro ecclesiæ D beatæ Mariæ de Josaphat a latere evangelii, prope arcum per quem nunc itur ad capellam beatæ Mariæ, e regione abbatis Girardi, & in necrolog. istius monasterii legitur: *IX. calendas Februarii depositio domni Gaufridi Carnotensis episcopi, qui in primordio sui episcopatus, anno videlicet III. monasterium hoc in terra patrimonii sui incipiens ædificare, multis locis de patrimonii sui terris atque redditibus ditavit, & monasticæ religionis institutis luculenter ordinavit. Insuper locum istum, & quæcumque ejus possessa vel possidenda, munimentis privilegiorum sanctæ Romanæ & apostolicæ auctoritatis, utpote sedis apostolicæ legatus, magnifice roborare annuit, &c.* De E eo martyrologium Carnotense: *IX. cal. Februarii in Dei misericordia egressus est de ergastulo carnis pia & dulcis memoriæ pater noster Gaufridus, hujus sanctæ sedis antistes, legatione sedis apostolicæ sub beato papa Innocentio super Bituricensem, Burdigalensem, Turonensem & Dolensem provincias per annos circiter quindecim sancte & religiose functus, multa in ipsa legatione a schismaticorum infestatione, quos ad sinum matris ecclesiæ revocavit, pericula passus. Simoniacæ pestis egregius exstirpator, excutiens manus a*

Suger. epist. 88.

Hist. Bles. inst. p. XIV.

Chart. LV. col. 331.

munere, florens & firma suo tempore ecclesiæ Dei, tam in sacerdotii dignitate, quam in honore regni columna, doctrinæ divinæ præco mirabilis, omnium, quæ suæ necessitati subtrahere poterat, pauperibus dapsilis erogator, rectitudinis & caritatis præcipuus amator, anima sanctus & mundus corpore, qui in magna tranquillitate quoad vixit, præsentem rexit ecclesiam, & murum validissimum pro ea se opponens, ab innumeris perturbationibus eam strenue defensavit, multa beneficia ei contulit, pallia & pannos sericos plures dedit, cereos duos, qui ante beatæ Mariæ memoriam die ac nocte in perpetuum ardeant, instituit. Inter multa munimenta Romanorum pontificum, regum quoque & principum, quæ de immunitate possessionum hujus ecclesiæ nonnullo labore & expensis suis acquisivit, de libertate etiam hominum, tam qui ad episcopum, quam qui ad nos pertinent, scilicet ut adversus omnes, tam liberos quam servos, in omnibus causis, placitis & negotiis liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam, a pio rege Ludovico communi episcoporum & procerum suorum & illustris comitis Theobaudi assensu & consilio, necnon & uxoris suæ Adelaïs & filii sui Philippi in regem jam designati, & a beatæ memoriæ papa Honorio valde utilia privilegia impetravit. Pro cujus anima habemus in anniversaria die obitus sui, quam deinceps annuatim accensis quatuordecim cereis solemniter celebrari instituimus, ab eo qui possidebit villas, quas ipse huic ecclesiæ ædificavit, videlicet Tertregoderam, Teelim & boscum sancti Martini. Unusquisque canonicus, qui eidem anniversario interfuerit, decem & novem, & clericus chori non canonicus sex denarios percipiet. Gaufridum quoque summis extulerunt laudibus coætanei scriptores. Apud Robertum de Monte in appendice ad Sigebertum dicitur vitæ merito ac prudentia venerabilis. A Theobaldo in vita sancti Guillelmi magnarum virtutum vir commendatur. Chronicon Mauriniacense loquens de nuptiis Ludovici septimi regis cum Eleonora Aquitana Burdegalæ: *Erat inter eos* (optimates regni) *Gaufridus Carnotensis provinciæ episcopus, scientiæ quidem literalis non indigus, secularium quoque negotiorum dispositor ac tractator famosus. Hunc præcedentes Apostolici amicum semper & familiarem habuerant, & pro valoris vel elegantiæ, qua præditus erat, magnitudine, totius ei Aquitaniæ legationem indixerant.* De eo in vita sancti Bernardi libro secundo capp. 1. 2. & 6. libro quarto cap. 4. item epistolis 15. 42. 47. 55. ac libro primo de Consideratione capp. 1. 2. & 6. vir apostolicus prædicatur. Sed præcipuus est locus libri quarti cap. 5. ubi sic de eo loquitur: *Sed ô mihi locum suavem, ubi incidit occasio memorandi & nominandi suavissimi odoris virum, episcopum loquor Gaufridum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumtibus administravit. Rem loquor quam vidi ipse,* &c. quæ legesis apud Bernardum, qui narrat quam constanter & generose oblata sibi munera refutaverit. Petrus Cluniacensis ei inscribit epistolam: *Magno sacerdoti Dei & ecclesiæ famoso episcopo.* Gaufridi etiam honorifice meminerunt Nicolaus Clarevallensis epistola 14. Goffridus Vindocinensis libro secundo epist. 21. & seqq. usque ad 32. Johannes Saresberiensis

Lib. IV. epist. 43.

ANNI CHRISTI

Polycratici libro quinto capite 15. Henriques in A menologio prima Febr. idem in fasciculo libri 2. dist. 10. cap. 12. Baronius tomo duodecimo ad annum 1135. Gaufridus Grossus monachus in prologo vitæ Bernardi primi abbatis Tironensis, quam ei dicavit, docet ejus hortatu hoc opus elucubrasse, quod anno 1649. cum notis Johannes Baptista Souchetus Carnotensis ecclesiæ canonicus evulgavit. Gaufrido nuncupavit tractatum de schismate orto post Honorii mortem Arnulfus Sagiensis archidiaconus & postea episcopus Lexoviensis, qua in lucubratione quantum excurrit in laudes Gaufridi, tantum invehitur in Geraldum episcopum Engolismensem: vide Spicileg. tomum B secundum præfat. Denique Matthæus Vindocinensis abbas, vel alius hunc sic affatur:

Maxime pontificum, Romanæ signifer aulæ,
Carnotensis apex, & pater urbis, ave.

DE LEVES.

LXIV. GOSLENUS.

Defuncto Gaufrido, Sugerius abbas S. Dionysii regni rege peregrinante administer, ad ecclesiam Carnotensem nuncios statim misit, qui nomine regis regalia reciperent & conservarent. Alterius interea eligendi præsulis ab eo facultatem popo- (Duchesne tom. 4. pag. 494.) scerunt Robertus decanus & capitulum Carnotensis C ecclesiæ, qua obtenta, una elegerunt voce Goslenum Gaufridi patrui nepotem, ecclesiæ suæ archidiaconum, cui electo ut regalia regis vice redderet, Sugerium rogaverunt. Hic autem assen- (Chart. LVI. col. 332.) sum electioni præbuit, regaliaque restituenda pollicitus est, quamprimum electus in palatio regi & regno fidem jurasset. Hæc autem omnia anno, ut tunc computabatur, 1148. exeunte peracta, quo (Ch. LVII. col. 332.) recensetur Goslenus in charta Theobaldi Blesensis comitis pro monasterio Vindocinensi & Castridun. Exstat ejusdem anno eodem charta in chartulario Columbensi. Bona B. Mariæ Josaphatensis (Chart. LIII. col. 330. Prov. hist. Monmor. pag. 47.)
1149. confirmavit an. 1149. Eodem initam inter mo- D nachos de Monteletardi Miciaco subjectos & presbyterum de Monteleon concordiam ratam habuit Ludovici peregrinationis in Jerusalem anno tertio, episcopatus vero sui anno secundo. Ordinem canonicum in ecclesia sancti Carauni instituit, quem confirmavit Eugenius III. papa XIII. cal. Aprilis (Chart. LIX. col. 334.)
1150. an. 1150. Eamdem in qua institutum fuerat Josaphatense monasterium concessit libertatem nonis Dec. 1150. Cum Roberto decano canonicis S. Johannis concessit quidquid in burgo novo dicto Casteleth parochiali jure reclamabant anno epi-
1151. scopatus tertio. Eodem, & Incarnationis 1151. dotationem cellæ S. Dionysii de Felins approbavit E tertio calendas Junii. Præsens fuit confirmationi (Chart. LX. col. 335.) factæ a Gaufrido & Milone omnium, quæ pater eorum, patruus vero ipsius, monasterio Josaphatensi donaverat, secundo & tertio calend. Octob.
1152. Insequenti decimam de Bensanni ipsius in manibus resignatam Josaphato tradidit X. calendas Julii episcopatus anno quinto. Decimas Orrevillæ datas ecclesiæ sancti Johannis eodem 1152. anno approbavit. Donum factum Josaphatensibus mona-
1153. chis corroboravit anno 1153. charta, cujus testis

Milo frater ejus archidiaconus. Reperitur in tabulis ejusdem monasterii anno 1154. & in charta de molendinis de Lambouré sitis apud Joiacum data an. 1155. cui subscribunt Goslenus episcopus & Robertus decanus. Bernardi abbatis Charevallensis anno 1153. defuncti precibus, Laudam monachis Fontanensibus dedit ad opus grangiæ. Ecclesiam de Guvillum monachis sancti Martini a Campis concessit, aliaque in sua diœcesi contenta confirmavit. Obiit anno 1155. quo Ludovicus VII. canonicis suis Carnotensibus morte episcopi Gosleni desolatis confirmat privilegia olim ab Henrico comite & Adela comitissa concessa, & a Philippo rege confirmata de non diripienda episcopi defuncti supellectile. Ejus memoria in necrologio Josaphatensis monasterii, ubi sepultus est, calendis Februarii consignatur his verbis: *Depositio domni Gosleni Carnotensis episcopi fundatoris abbatiæ sancti Carauni, cujus ossa jacent in sacello beatæ Mariæ virginis post cathedras nostri chori.* Sequens tamen ejus epitaphium appositum est ad portam, qua fit aditus e claustro in ecclesiam:

ANNI CHRISTI 1154. 1155. (Spicil. t. X. pag. 390.) (Amplis. collect. tom. I. col. 831.)

Hic tandem, Goslene, jaces sub pulvere, cujus
Secula mirantur relligionis opus.
Josaphat abbatiam, cujus primus fuit auctor
Gaufridus, innumeris sumtibus ædificas.
Præterea abbatiam Carauni martyris auges,
Virginis ecclesiam nobilitas tabulis.

De eo in necrologio majoris ecclesiæ legitur: *III. nonas Februarii obiit Goslinus hujus sanctæ sedis reverendus antistes, qui textum evangeliorum auri purissimi quinquaginta duabus unciis optime decoratum, lapidibusque pretiosis operose distinctum; tabulam quoque auream, septuaginta duas uncias appendentem, & pallia duo huic ecclesiæ contulit. Domos episcopales novas ex magna parte multo sumtu construxit: apud Bercherias satis idoneam mansionem ædificavit. Præposituram de Unogradu ex episcopali jure in usum fratrum qui matutinis interfuerint, munifica largitione perpetuo transfudit. Singulis canonicis perpetua caritate decem solidos moriens delegavit: clericis de choro non canonicis centum libras distribui fecit: ad opus turris centum libras dereliquit. Multo quoque rerum ipsius impendio rex Francorum Ludovicus, Lodovici regis filius, libertatem episcopalium domorum cum omnibus ad eas pertinentibus privilegii sui auctoritate & sigilli sui testimonio corroboravit. Super majoribus villarum & relevaminibus majoriarum & gravaminibus rusticorum, nova quæ necessitas expetere videbatur instituta prædictus pater sanciens, & mala quæ in privilegio ejus communi assensu capituli facto dinumerantur, ulterius fieri sub anathemate prohibens, nostræ omnium utilitati & pauperum quieti providere curavit. Villas subscriptas adquisivit, scilicet Mongervillam, Loum, Castellarias, & medietatem villæ quæ dicitur Pons Erardi, & medietatem alterius, quam Espinterias nominant, & ejus medietatem quam Villam bonam appellant: quas ea conditione successores sui episcopi possidebunt, ut singulis canonicis, qui anniversario ejus interfuerint, decem & octo tribuant denarios, sex autem non canonicis.*

ANNI CHRISTI

LXV. ROBERTUS III.

Robertus natione Armoricus occurrit primum in tabulis Josaphatensibus, ubi legitur ejus charta pro prioratu de Challou data XV. cal. Novembris
1156. 1156. Fulcaudum abbatem & canonicos sancti Johannis investivit de decima Osanneville, ab Hugone de Thuetvilla eis donata anno eodem. Unus est ex episcopis, qui indulgentias concessere visitantibus cappam pueri Jesu apud Argentolium. Composuit adhuc eodem anno querelam inter dominum de Leugis & Josaphati monachos de altitudine aquæ molendinorum cimeterii. Huic restituta a Theobaldo comite Blesensi terra de Buissiaco in conventu Stampensi in Natali Domini anno 1156. Præsens fuit compositioni factæ inter abbatem Gemeticensem Petrum & Robertum comitem regis Ludovici fratrem pro terra de
1157. Beu Parisiis anno 1158. per manum Hugonis
1158. cancellarii. Occurrit annis 1157. & 1159. cum
Ch. LXII. col. 335. Ivone decano in chartis Carnotensibus. Ordinationem fecit anno 1160. pro parthenone sancti
1159. 1160. Remigii de Landis. Simile quid peregit pro monasterio sancti Cyrici, unde forsan pro fundatore, id est instauratore harumce abbatiarum habetur.
1161. Anno 1161. significat Girardum, cognomento Boellum, gravissima infirmitate detentum, furnum & hospites, quos apud sanctum Mauricium hactenus tenuerat, dedisse Fulcaudo abbati S. Johannis.
Ch. LXIII. col. 337. Bullam accepit ab Alexandro III. pontificatus anno IV. VIII. calendas Octobris indictione secunda,
1162. Incarnationis 1162. possessiones Carnotensium episcoporum confirmante. Similem prius impetrarat ab Adriano Alexandri decessore. Præsens fuit initæ inter monachos Majoris monasterii & Gaudinum presbyterum de Orchesa concordiæ
1163. anno 1163. Canonicis S. Johannis confirmavit decimam molendini novi apud pontem Goëni
1164. anno 1164. Possessiones abbatiæ Clarifontis confirmavit, quam sub protectione Carnotensis ecclesiæ admisit XIV. calendas Octobris anni ejusdem. Vuillebertum abbatem Josaphatensem de dimidia parte molendini de Illeis investivit tertio idus Martii 1164. ex tabulario monasterii; unde quis nec immerito concluderet erratum esse, si non in anno 1164. assignato pro obitu Roberti in necrologio Carnotensi, saltem in die: nam anni tunc a Paschate inchoabantur. At dicendum vel male annum 1164. scriptum fuisse pro 1163. vel annum a nativitate assumtum fuisse, ut plerumque fiebat. Musicam primus in suam cathedralem induxisse dicitur a Rouillardo Robertus, qui defunctus 23. Septembris 1164. tumulatur in ecclesia Josaphatensi, in capella prope ambitum chori, alii dicunt in sacello sancti Johannis Evangelistæ, ubi nunc est sacristia. De eo in necrologio habetur: *IX. calendas Octobris depositio D. Roberti Carnotensis episcopi amici & benefactoris nostri, qui in sui pontificatus administratione egregiis admodum enitens moribus, religionem nostram in maximo habebat honore, & eam ubique terrarum præconiis attollebat & commendabat; necnon nos ipsos, & hanc domum quadam prærogativa caritatis peculiariter diligebat, tue-*

A *batur atque fovebat, denique & multa alia beneficia dum viveret ab ipso nobis illata sunt, & in fine dierum suorum LX. libr. ad ædificationem nostri monasterii.* In necrologio vero Carnotensi sic legitur: *IX. cal. Octobris Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo sexagesimo quarto migravit a seculo Robertus bonæ memoriæ hujus sanctæ sedis reverendus antistes, qui huic ecclesiæ plurima contulit beneficia, videlicet X. marcas argenti, tapetum, cappam, casulam, sandalia, stolam episcopalem, lapides plurimos pretiosos, vas crystallinum artificiose cælatum, bacinos cupreos insigni sculptura mirandos, annulum suum benedictum scrinio beatæ Mariæ affixum. Pavimentum* B *vero in introitu chori mirifice reparavit, domos episcopales ex magna parte emendavit; capellam ibidem satis idoneam in honore beati Martini a fundamento refecit & consecravit; domum quandam in claustro positam, quam nimis arctam invenerat, multo sumtu melioravit, & terram eidem domui contiguam ad amplitudinem ipsius domus a manu laïca in honore ecclesiæ adquisivit.*

Tres abbatias instituit, scilicet abbatiam beatæ Mariæ de Clarofonte, abbatiam sancti Remigii, abbatiam sancti Cyrici, & libros plurimos, & alia multa eisdem moriens dereliquit. Apud Bercherias granicam muro clausit. Apud Fontem Gadanum molendinum C *unum & parvum stagnum reparavit, & domum episcopi ibidem cum multa expensa firmavit. Buxeium cum maximo sumtu & labore ex laïcali jure in usum episcoporum perpetuo transfudit & privilegiis firmavit. Basochas a regia exactione, quæ bannagium dicitur, non sine maximo sumtu liberavit. Juxta Bercherias super Volgriam sitas terram quandam terræ hujus ecclesiæ proximam, ad augmentum episcopatus, ad villam ibi ædificandam, industria sua & sumtu a laïcis adquisivit. Decimam quandam juxta Veosiam ad locum qui dicitur Capella, retroactis temporibus ab ecclesia alienatam revocavit. In episcopatu vero Ebroicensi, in territorio Illeiarum, decimam valde bonam, quæ* D *communis est cum monachis beati Petri adquisivit: quarum decimarum utramque suis successoribus episcopis eo tenore possidendam dereliquit, ut inde conferant singulis canonicis, qui ejus anniversario interfuerint, XII. denarios, VI. autem non canonicis.*

LXVI. GUILLELMUS I.

DE CHAMPAGNE.

Paulo post Roberti obitum, ad eligendum convenerunt Carnotenses canonici, quibus studia in contraria scissis, decanus, subdecanus & archidiaconus Senonas petiere, ut summo pontifici quam incaute & inconsulte in facto electionis ecclesiæ processissent, exponerent. Hos Alexander III. E hortatus est, ut unanimes in unum convenirent, & terminum præfixit octavas Epiphaniæ, regemque literis datis Senonis octavo idus Octobris (1164.) rogavit ut canonicos ad id compelleret. Redintegratis igitur comitiis, una electus est voce Guillelmus Palatinis Campaniæ comitibus editus anno 1135. Theobaldum magnum Campaniæ comitem & Mathildem Carinthiacam parentes habuit, fratres vero Henricum I. comitem Campaniæ & Briæ, Theobaldum Blesensem, Stephanum Sacricæsaris dominum, & sororem Aleidem Alexand. III. epist. 57. append. 2.

ANNI CHRISTI

uxorem Ludovici VII. Francorum regis, ex qua
natus Philippus Augustus, cujus avunculus & tutor
fuit Guillelmus. Sacris ab ineunte ætate deditus, in
scholis Paris. sub Petro Lombardo educatur. Inter
ecclesiasticas dignitates, quas plurimas & maximas
possedit, rite numerantur præbendæ ecclesiarum
Cameracensis, Meldensis, &c. præpositurae Suessionensis,
S. Quiriaci, Pruvinensis & Trecensis.
Certe cum operam S. Bernardi Theobaldus comes
ejus pater adhibere voluisset ad quamdam dignitatem
filio suo Willelmulo (sic eum appellat Bernardus)
procurandam, sanctus abbas ei respondit ep.
271. id minime licere, nec plures honores in
diversis ecclesiis possideri posse, quod satis significat
jam Guillelmum puerum aliquo beneficio
donatum fuisse anno 1151. quo scripta est hæc
Gall. Christ. tom. IV. col. 125. epistola. Electus anno 1163. a clero & populo
Lugdunensis archiepiscopus, causa destitit. Carnotensium
vero electus anno, ut vult Robertus de
1165. Monte, 1165. summum pontificem apud Montempessulanum
adiit, a quo benigne exceptus &
exauditus est, data ab Alexandro ei facultate, ut
consecrationem suam ad quinquennium differret,
inquit Robertus de Monte, scriptisque pro eo ad
Ch. LXV. col. 339. Ludovicum regem commendatitiis literis XIV.
1166. calendas Septembris anni ejusdem. Insequenti episcopatus
adhuc primo, Ivonem priorem de Novigento
& Hugonem vicecomitem Castriduni
super consuetudinibus burgi sancti Sepulcri litigantes
conciliavit. Dona a Theobaldo comite
Blesensi facta ecclesiæ beatæ Mariæ confirmavit.
Præsens fuit venditioni factæ Stephano Meldensi
episcopo decimæ de Quinciaco prius ab ipsius
germano Henrico collatæ. Concilio Belvacensi
eodem anno interfuit, ubi excommunicati monachi
Resbacenses episcopo & abbati suis rebelles.
Initam inter abbates beatæ Mariæ Blesensis & Pontileviensem
compositionem ratam habuit anno
1167. 1167. Datum Josaphatensibus nemus S. Arnulfi
confirmavit anno eodem, quod a rege jure morticinii
donari fecit anno sequenti. Huic adhuc
electo scribit Alexander III. cap. IV. *De officio & potestate judicis delegati*, scribit & Stephanus
Tornacensis epistolam secundam. Archiepiscopi
Senonensis Hugonis in fata cedentis Willelmus
Carnotensis electus successor, consecratus est XI.
1168. cal. Jan. anno 1168. Non ideo tamen ecclesiæ
Carnotensis administrationem reliquit, quam ad
biennium a papa Alexandro concessam, per octo
annos indulgentia summi pontificis retinuit, donec
ad archiepiscopatum Remensem assumtus, Carnotensem
cathedram Johanni sequenti cessit, qui
tacito nomine hujus sic meminit sub finem epistolæ
233. ad Johannem Pictaviensem episcopum:
Dominus Guillelmus Papiensis interfuit ordinationi Carnotensis electi, viri quidem magnæ spei, & famæ clarissimæ, & magnæ auctoritatis, & virium multarum in regno Francorum. Is est post regem Franciæ, qui domino Cantuariensi & suis patrocinium, consilium & auxilium singulariter præstat. Vobis autem desiderat familiaris esse; & utinam quandoque, Deo propitiante, amicitiam ulterius ineatis. Non est enim in clero Franciæ, ut ex animi sententia loquar, qui eum prudentia

A *& eloquentia antecedat*. Ecclesiam Josaphati die 9.
Junii dedicavit Guillelmus anno 1169. Nonnulla 1169.
statuit sedis apostolicæ legatus circa residentiam
canonicorum anno 1171. Ablatam præpositis 1171.
ecclesiæ Carnotensis jurisdictionem ad canonicos
transtulit decreto, quod confirmavit Alexander
bulla data 1172. Josaphatensi dedit monasterio 1172.
anno 1173. annualia præbendæ sancti Mauricii, 1173.
quæ confirmavit Alexander papa eodem anno.
Triennio post e Senonensi ad Remensem translatus, 1176.
Carnotensem cathedram omnino dimisit.
Guillelmi fit mentio in obituario Carnotensi VIII.
idus Sept. in quo multum laudatur, ut victoriosi
B regis Francorum Philippi avunculus, tanto nepote
præ sui regalis animi excellentia non indignus.
Ibidem recensentur omnia ejus beneficia in ecclesiam
Carnotensem collata. De Guillelmo reliqua
in archiepiscopis Remensibus & Senonensibus.

LXVII. Johannes I.

Petit dictus de Salisberi.

Natione Anglus Johannes, a patria Sarisberiensis
vulgo cognominatus, Parisios profectus
anno 1136. magistros habuit Petrum Abelardum,
Albericum Remensem, Gilbertum Porretanum,
Robertum Pullum, aliosque hujus ætatis
doctrina insignes viros. In scholis Parisiensibus
C annos fere duodecim consumsit instruendis ad
paupertatem sublevandam nobilium liberis. Familiaris
fuit Theobaldi Cantuariensis archiepiscopi,
ejusque successoris S. Thomæ: ad primum adhuc
cancellarium Henrici II. Angliæ regis insigne opus
de Nugis curialium misit, cum in obsidione Tolosæ
regem comitaretur anno 1159. Regi quoque
Angliæ acceptus, ab ipso publicis gerendis negotiis
adhibitus est. Misit enim eum Romam ad
Adrianum papam IV. ad impetrandum occupandæ
Hiberniæ privilegium, quod solemniter in
synodo Guaterfordiensi recitavit, regique obtulit
summi pontificis nomine annulum aureum in
D signum Investituræ. Summis etiam pontificibus
carus fuit & notissimus, Eugenio III. & Adriano
IV. ut liquet ex libertate & fiducia, qua huic
papæ ausus est exponere plurima curiæ Romanæ
vitia. Alexandro quoque papæ a secretis & epistolis
fuit; eo enim potissimum usus est ad scribendum
adversus Octavianum antipapam ejusque
fautores. Denique post peragratas Italiam &
Galliam, quas nominis sui fama jam impleverat,
promovente imprimis Guillelmo Senonensi archiepiscopo Ch. LXVII. col. 340.
simulque electo Carnotensi, & rege approbante
eligitur episcopus Carnotensis, tum ob
doctrinæ & vitæ meritum, tum maxime quod
E sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi fuisset
in exilio aliisque ærumnis socius. Post hanc electionem
die 22. Julii anno 1176. Cantuariam
accesserunt decanus, cantor & cancellarius ecclesiæ
Carnotensis, petentes Johannem sibi concedi, cui
capitulum absente episcopo dimissorias dedit literas.
Johanni quoque ipse scripsit Ludovicus rex,
ut electioni præberet assensum. Sicque apud Senonas
consecratus fuit die Dominica 8. Augusti a
Mauricio Parisiensi episcopo; die vero Assumtionis
beatæ Mariæ ecclesiæ suæ solemnem iniit

ANNI CHRISTI

possessionem, quam per annos quatuor rexit. De eo sic in supplemento Sigeberti: *Successit in Carnotensi urbe Johannes Salesberiensis, vir honestus & sapiens, qui prius fuerat clericus Theobaldi Cantuariensis episcopi & postea sancti Thomæ martyris successoris ejusdem Theobaldi.* Clericus quoque fuerat Petri Cellensis, ut constat ex epist. VI. lib. VII. ad Lundensem archiepiscopum: *Senonensis archiepiscopus factus est Remensis: magister Johannes Saresberiensis, quondam clericus noster, factus est episcopus Carnotensis.* Alumnum Johannem vocat lib. VII. epistolis 20. & 21. de ejus electione loquens ad Cantuariensem archipræsulem: *Sanctissimæ,* inquit, *memoriæ prædecessor vester archiepiscopus Theobaldus de gremio & sinu nostro magistrum Johannem Carnotensem episcopum inopem & pauperem suscepit, sed Deo juvante, usque ad nomen magnorum qui sunt in terra fomentis suis provexit.* Apud eumdem Cellensem leguntur & septem epistolæ scriptæ Johanni nondum episcopo, & complures e quibus innotescit arcta cum ipso amicitiæ necessitudine conjunctum fuisse, a quo exsul in abbatiam benigne exceptus, multisque postea beneficiis donatus fuit, quibus obnoxium se profitetur Johannes, imprimis vero epistola 85. cujus exordium est: *Non est novum quod mihi vestra benignitas alimentorum subsidia procuravit, quæ sic meam in terra aliena paupertatem excepit, ut nec patris munus, nec maternus mihi deesse videretur affectus. Magnum quidem erat sic exuli providere, ut apud exteras nationes civium commoditatibus fruerer, sed multo majus est quod mihi diligentia vestra prospexit, ne a natalis soli dulcedine, qua totius generis universitas capitur, perpetuo exularem. Vestrum namque munus est, quod reversus sum in terram nativitatis meæ. Vestrum munus est, quod principum virorum assecutus sum notitiam, familiaritatem, gratiamque multorum. Vestrum munus est, quod florere in patria videor, & auctore Domino multis præferri concivibus & coætaneis meis. Sed quid est quod liberalitatis & munificentiæ vestræ titulos membratim exequor, cum illorum numerus & immensitas sic totum animum impleant, ut effluant, & totius mentis capacitatem exuperent! A Domino quidem ut & illa sola, quæ non sufficio recordari, debeam meruisse quidquid sum & possum. Obligatus itaque sum, ut nulla gratiarum actione valeam liberari, cum merita vestra omnes conatus meos absorbeant, præsertim cum devotio vestra me sibi continuis obliget beneficiis,* &c. Factus itaque episcopus Johannes B. abbati sancti Launomari licentiam dedit ædificandi oratorii in villa Moresio an. 1176. episcopatus primo. Concessam a prædecessoribus ecclesiam de Choa canonicis
1177. sanctæ Magdalenæ Castriduni confirmavit anno 1177. Eodem conventionem inter Simonem Meldensem episcopum & abbatem Fossatensem initam vice papæ fungens in hac parte ratam habuit. Adstitit quoque regibus Franciæ & Angliæ jurantibus ituros se in servitium Crucis. Anno
1178. 1178. qui episcopatus ejus secundus dicitur in chartulario sancti Aviti, ecclesiam de Villamauri canonicis S. Clodoaldi adjudicavit contra Wauterium archidiaconum Dunensem 15. Sept. Con-
1179. cilio Lateranensi interfuit mense Martio 1179. in quo sedentibus patribus ad condenda nova decreta, *absit,* inquit, *nova condi & plurima veterum reintegi & innovari,* &c. Abbatem sancti Petri investivit anno eodem de eleemosyna facta monasterio. A sede apostolica delegatus discordias inter abbatem sancti Dionysii & canonicos sancti Exuperii
Corboliensis composuit anno 1180. Eodem anno 1180.
Johannis comitis Vindocinensis ad Jerosolymitanum iter sese accingentis excepit satisfactionem de injuriis monasterio sancti Launomari Blesensis illatis, eumdemque a vinculo excommunicationis, quam ob illatas monachis Vindocinensibus injurias a triennio incurrerat, absolvit. *Anecd. t. 1, col. 596. & 597.* Exstant apud Martennium duæ ipsius epistolæ, ne Petrus de Candeio monachos de Fontanis contra formam ordinis Cisterciensis missam in ecclesia de Lauda celebrare cogeret. *Ibidem col. 602.* Robertus de Monte in appendice mortem Johannis ad annum 1181. refert, alii 1182. Communior inter eruditos sententia est Johannem e vivis sublatum fuisse die 25. Octobris anni 1180. ut constat tum ex necrologio Josaphatensis monasterii, in quo sepultus est, tum ex chronologia Hugonis monachi Autissiodorensis ejus æqualis, qui prædicto anno mortem Johannis adscribit, tum ex Guillelmo Nangio, qui eum ob sapientiam & animi strenuitatem laudat In necrologio Josaphati de Johanne sic habetur: *VIII. cal. Novemb. depositio domni Johannis Carnotensis episcopi, viri christianis institutis præclarisque moribus admodum fulgentis, cujus corpus jacet apud nos in capella beatæ Mariæ. Hic ante adeptionem episcopatus fuit capellanus sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, cum ipse martyrium passus est apud Anglos.* Necrologium vero Carnotense: . . . . *obiit piæ recordationis pater noster Johannes prius B. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi & martyris a secretis, postea hujus misericordissimæ Dei matris ecclesiæ episcopus venerabilis, vir magnæ religionis, totiusque scientiæ radiis illustratus, verbo, vita, moribus pastor omnibus amabilis, soli sibi nimis crudelis, a pedibus usque ad collum cilicio semper carnem domante. Qui domum episcopi ab avena, quam in ea præpositus Bailholi habebat, liberavit, ecclesiamque istam toto cordis affectu, tota mentis intentione dilexit, & eam diversorum ornamentorum fulgore decoravit, cappa optima, tribus palliis, annulo episcopali pretioso, vestimentis sacerdotalibus pretiosis. Duo vasa pretiosa eidem ecclesiæ contulit, in altero quorum sanguinem gloriosi martyris Thomæ Cantuariensis archiepiscopi videntibus nobis adhuc stillantem, in altero reliquias sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani posuit. Reliquias etiam gloriosas nobis contulit S. Gereonis de comitatu virginum Coloniensium. Privilegium etiam adquisivit, ut servos Carnotensis ecclesiæ posset pro necessitate vel manifesta utilitate sua manumittere, non impediente secularis violentia potestatis; in quo etiam additur, ut si quando pro justitia nostra ante seculares vel ecclesiasticos judices tracti fuerimus, nullus nobis duellum, vel judicium candentis ferri, vel aquæ ferventis seu frigidæ imponat, sed justitiam nostram liceat duobus vel tribus testibus legitimis comprobare. Contulit etiam huic ecclesiæ hæc librorum volumina, Hieronymum super Marcum, Isaiam, & Ezechielem & Danielem, & epistolas Pauli & XII.*

ANNI CHRISTI

prophetas. Minus breviarium ejusdem & psalmos. Item contra Jovinianum, librum de divinis officiis, librum Hugonis, & lamentationes Jeremiæ, librum de ecclesiastica seu cælesti hierarchia, Rabanum de ecclesiasticis officiis, etiam & Paralipomenon, Augustinum contra Judæos, & de LXXXIII. *quæstionibus, de doctrina christiana. Origenem in Josue. Valerium, Lactantium, Vegetium, chronica Sigeberti, psalterium Lombardi, librum regum glossatum, irarchiam, Lantfrancum de Eucharistia contra Berengarium, historias Johannis Turonensis, historias Eutropii, Isidori etymologias, homilias Leonis PP. benedictionalem & collectarium, Senecam de naturalibus quæstionibus, Tullium de officiis & de oratore, & præter hæc Polycraticon suum, & bibliothecam integram, quorum maxima pars temporum incuria deperditi, aut aliquorum damnata cupiditate suffurati fuerunt. Ad opus etiam fratrum, qui anniversario ejus interessent, adquisivit in vico sancti Petri de Valle* XI. *solidos supercensuales apud Mongervillam,* XX. *sextarios oblitarum cum furnimentis, & campipartem, & alios redditus unius & dimidiatæ beatæ terræ. In parochia Chausurni decimam de Charmeio. In majoria fisci decimam alodorum Genunvillæ, & alia plura.*

Græco Latinoque facundus eloquio hic præsul, posteritati reliquit famosum Polycratici librum distinctum octo libris, de Nugis curialium & vestigiis philosophorum, quod opus Theobaldo Henrici regis Angliæ cancellario inscripsisse auctor est Albericus, sed de eo nihil in proœmio. De hoc libro Petrus Blesensis epistola 22. ad eumdem, quem magistrum suum appellat: *Librum vestrum de nugis curialibus legi, & mirabiliter me refecit: nam & ibi optima forma eruditionis est, & propter artificiosam sententiarum varietatem inæstimabilis materia voluptatis.* Eumdem Polycratici librum laudat J. Lipsius ad librum 12. Annalium Taciti. Vitam quoque sancti Thomæ Beketi archiepiscopi Cantuariensis composuit Johannes, sub eo notarii officio functus, ejus individuus comes, imo manus & oculus, cujus meritis tantum tribuebat, ut factus episcopus, in omnibus chartis tunc temporis datis, non suis, sed sancti martyris meritis pontificalem adscriberet dignitatem. Inter plurimas quas ad eum Petrus Blesensis scripsit epistolas legenda potissimum 70. ex qua intelligimus Johannem ita a carne & sanguine fuisse alienum, ut mallet externos ad beneficia promovere, quam nepotes, licet pauperes & honestos. In notis ad epistolam 22. ejusdem Petri Blesensis, qui Johannis fuerat discipulus, Gussenvillæus encomium fecit nostri Johannis, de cujus aliis operibus consulendi bibliographi. Præcipua sunt, epistolarum volumen editum e bibliotheca eruditi Papirii Massonii. Alias ejusdem epistolas numero 93. e tenebris eruit Christianus Lupus, edidítque Bruxellis an. 1682. sicut & alia de panibus, de tabernaculo, de conscientia, metalogicos libros quatuor, &c.

LXVIII. Petrus I.

Ortu Campanus Petrus, adolescentulus in monasterio sancti Martini a Campis aliquantulum demoratus, in Cellensi tamen apud Trecas vitæ monasticæ rudimenta didicisse videtur, cui circa annum 1150. præfectus, in abbatiam S. Remigii Remensis migravit anno 1162. indeque in sedem ecclesiæ Carnotensis anno 1181. ut vult Robertus de Monte, successit Johanni de Sarisberia amico 1181. suo jam grandævus, utpote qui a triginta annis vitam religiosam professum se dicit in tractatu de disciplina claustrali, ubi senem elementarium, manum claudicantem & vacillantem, ætatemque advesperascentem causatur. Confirmavit an. 1181. mense Octobri conventionem factam inter abbatem Sernaii & Guignardum eremitam de prioratu de Planai. Anno sequenti primo adhuc episcopatus sui, Incarnationis 1182. confirmavit omnes decimas, quas monachi sancti Maglorii in ipsius obtinebant diœcesi, ex veteri chartulario sancti Maglorii. Eodem forte tempore concessit eis ecclesiam sancti Petri Montisfortis. Insequenti Lucius III. bulla data Velitris XVI. cal. Februarii, hic est nunc 1183. Petro episcopo, G. decano & canonicis Carnotensibus pluralitatem beneficiorum prohibuit, & residentiam præscripsit. Scripsit & epistolam 9. libri XI. Hugoni, qui anno 1183. electus est Cluniacensis. Hanc habes in bibliotheca Cluniacensi, ubi pro *Petrus electus Hugoni abbati,* legendum *Petrus episcopus Hugoni electo.* Nullum post hunc annum hactenus de Petro occurrit vestigium, nisi quod Gaufridum decanum & Reginaldum Carnotensis ecclesiæ præpositum litigantes conciliavit anno incerto super exactionibus ministrorum decani. In quodam Carnotensium episcoporum indice auspicatus episcopatum dicitur anno 1180. ecclesiæ Carnotensi annos VII. præfuisse, & anno 1187. obiisse, quæ & cum jam dictis & cum duabus Lucii III. bullis quomodo conciliari queant non video: altera enim data Veronæ VIII. cal. Decemb. ubi de Johanne antecessore loquitur, cantorem Carnotensis ecclesiæ electum Carnotensem vocat, altera ibidem data confirmat monachis de Diogilo ecclesiam de Vernolio, quam ipsis adjudicarat Reginaldus electus Carnotensis: at Lucius III. Veronæ commoratus est a mense Julio 1184. ad Novembrem 1185. quo obiit. Sed nec ecclesiæ Carnotensis cantor fuit Petrus, qui defunctus memoratur a Roberto de Monte anno 1182. forte exeunte, & in necrologio Josaphatensi commendatur his verbis: *X. calendas Martii depositio D. Petri Carnotensis episcopi, summi & nostris temporibus incomparabilis viri. Hic enim ad ornamentum collatarum sibi a Domino virtutum, etiam virgineæ perhibetur munditiæ gratia floruisse. Jacet in choro nostro, ubi epistola legitur.* Additum vero recentiori manu: *Hic obiit anno M. CLXXXVII.* Exstat hujus epitaphium in abbatia Josaphatensi, ubi humatus est die XI. calendas Martii:

Mœnibus & plateis urbem insignivit & auxit,
Et variis præsul tecta superba locis.
Hunc pia plebs habuit tanti pietatis amore,
Oscula mille suis ut dederit pedibus.

In hunc ferme modum in necrologio Carnotensi legitur: *X. calend. Martii obiit piæ recordationis pater & pastor noster egregius Petrus Carnotensis episcopus,*

Spicil. t. III. pag. 43. & seqq.

1182.

Ibid. t. XIII. pag. 251.

Pag. 1445.

ANNI CHRISTI

*episcopus, qui prius in monasterio sancti Remigii Re- A
mensis super monachorum gregem sibi creditum fidelis dispensator & prudentissimus, demum suffragantibus meritis ad pontificalis honoris apicem sublimatus, in sacra religionis proposito perseverans, carnem suam assidue vigiliis & abstinentiis edomans, multa apud nos memoranda mirabiliter & magnifice operatus est. Civitatem enim istam a porta de Sparris usque ad ecclesiam sanctæ Fidis, quæ in ea parte fossatis tantummodo cingebatur, ad quorum reparationem ipsius episcopi terræ homines pro voluntate comitis sæpius urgebantur, de suo proprio novis muris vallavit, & præfatis hominibus ab hujusmodi operum vexationibus liberationem perpetuam adquisivit. Antiquam banni consue- B
tudinem, quam perniciosa quorumdam cupiditas immutaverat, consentiente & sanctæ ejus exhortationi assensum humiliter præbente viro clarissimo & illustri Theobaldo ejusdem temporis comite, in statum pristinum reformavit, talem scilicet cum eodem comite circa bannum moderationem perpetuo observari constituens, ut nullus de cetero tabernam vini facere occasione banni valeat prohiberi, ita tamen quod de unoquoque vini modio trium solidorum summa a burgensibus, qui banni tempore tabernas instituerint, pro bannagio persolvatur. In viis quoque, quæ ex omni parte civitatis longa vetustate & attritione nimia dirutæ ac pene jam inviæ videbantur, novas fieri calciatas instituit, & ad C
ejusdem operis instaurationem centum libras largitus de proprio, universos exemplo & exhortatione pariter invitavit. His itaque & aliis caritatis operibus insignitus, tanto dilectionis vinculo subditi sibi gregis animos pius pastor illexerat, ut ad venerandas ejus exsequias passim & publice universi confluerent, & devotione mirabili ob sanctitatis ejus munditiam ad corpus exanime & in feretro collocatum propius accedentes, os ipsius & faciem deosculari penitus non horrerent. De bonis autem ejus, quibus ipse in supremi dispositione arbitrii, ad opus fratrum, qui ejus interent anniversario, redditus adquiri præceperat, hujusmodi redditus adquisivimus, pastus scilicet majoris de Campis, octavam D
partem tam majoris, quam minutæ decimæ de Luceio, & quidquid Hugo de Ruchevilla apud Cerevillam habebat, censum videlicet & terram.*

Vir fuit suo seculo doctus hic Petrus, uti fidem facit epistolarum codex libris novem distinctus, quas vulgavit anno 1613. & notis illustravit doctissimus Sirmondus Societatis Jesu presbyter. Præter illas epistolas, plurimos tractatus ac sermones elucubravit, quos cum reliquis operibus publici juris fecit D. Ambrosius Janvier e congregatione sancti Mauri monachus apud Ludovicum Billaine anno 1671. Complures ad eum clarissimorum ævi sui virorum exstant literæ, una beati E
Bernardi 293. cum esset abbas Remigianus, Johannis Saresberiensis epist. 75. 76. & aliæ: in epistola ad Henricum comitem 172. vocatur fidelissimus ac devotissimus abbas. Vide adhuc epistol. 180. & Alexandri III. epistolas, ubi cum laude commemoratur. Nicolaus autem Clarevallensis monachus epist. 25. sic loquitur: *Abbas Cellensis vir religiosus ac timens Deum, homo bonus & testimonium bonum habens a bonis, vita & literatura conspicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus, ut non sit unus de ceteris, sed præ ceteris unus.*

ANNI CHRISTI

LXIX. Reginaldus.

DE BAR, dictus DE MONÇON.

Post obitum Petri, quantum conjectura assequi possumus, duo electi sunt æmuli: Philippus enim dicitur electus in chartulario sancti Aviti Castridunensis anno 1182. Hic ille fortasse est cantor, quem electum Carnotensem vocat Lucius III. bulla data Veronæ VIII. calendas Decembris. Reginaldus autem ex Roberto de Monte in locum Petri defuncti suffectus est anno 1182. & certe electus dicitur in chartis ab anno 1182. ad 1187. quo sive per obitum, sive per cessionem Philippi, sive alio quolibet modo, episcopus nuncupatur in bulla Urbani III. ut mox dicemus. Reginaldus itaque, qui & Rainaldus, ex ducum Barri prosapia, filius nempe Rainaldi II. comitis Barri & Moncionis, & Agnetis primogenitæ Theobaldi magni Campaniæ & Briæ comitis Palatini, necnon Blesensis ac Carnotensis, & sororis Guillelmi I. superioris, germanum habuit Hugonem ecclesiæ Carnotensis præpositum. Præpositus & ipse hujusce ecclesiæ, & S. Martini Turonensis thesaurarius, eligitur episcopus ex chronico Roberti de Monte anno 1182. Petri quoque appellatur successor in episcopatu Carnotensi a Stephano Tornacensi epistola 118. ad eumdem. Bullam electus obtinuit a Lucio III. pontificatus anno tertio, tertio idus Decembris anno 1183. indictione secunda, ex 1183.
tabulario ecclesiæ Carnotensis. Eodem anno decimam sancti Germani ecclesiæ sanctorum Gervasii & Protasii ex dono contulit. Electus datam monasterio Fontis-Ebraldi eleemosynam approbavit mense Maio 1184. Electus adjudicavit ecclesiam 1184.
de Vernolio monachis de Diogilo adversus archidiaconum Pisciacensem, quam eis confirmavit Lucius III. bulla Veronæ data. Electus attendens paupertatem domus de Stella, dedit religiosis parochiam de Authon anno 1185. Electus datam 1185.
monachis Majoris monasterii apud Fractam vallem decimam septimanam omnium molendinorum suorum confirmavit XV. calend. Maii 1186. Fun- 1186.
dationem parthenonis de Fontaneto eodem anno approbavit. Testis & donationis factæ monialibus sancti Aviti a Gauterio de Friesca milite. Electus adhuc dicitur in chartulario Blesensi anno 1187. 1187.
R. autem episcopo & capitulo scripsit Urbanus III. Spicil. t. 13. pag. 322.
XII. calend. Martii Venetiis, ne domus in claustro laïcis darentur, aut a canonicis locarentur. Eodem anno ad preces Philippi Francorum regis & Willelmi Remorum archiepiscopi avunculi sui, dedit Renoldo de Bretulio quinque modios frumenti in grangia de Busseio. Fundatur ejus temporibus prioratus sancti Remigii prope Neiron anno 1188. 1188.
Reginaldus memoratur anno 1189. in chartul. 1189.
Gemeticensi. Donavit Carnotensi capitulo anno 1190. mense Julio capellam sanctorum Sergii & 1190.
Bacchi, in curia domorum episcopalium sitam, in ea libertate & immunitate, qua eam possidebat, jure plenario possidendam, pro cujus beneficii largitione promisit capitulum quotannis celebrare ejus anniversarium, ejusque patris & matris, necnon Henrici comitis. Destructa fuit postea hæc

ANNI CHRISTI

capella jussu Pauli Godet episcopi, ut amplificando episcopali palatio daretur locus. In hoc autem instrumento videtur loqui de sua profectione Jerosolymitana: *Cum*, inquit, *in voto haberemus .... ecclesiæ Carnotensi ..... redditus providere, de quibus nostrum posset anniversarium celebrari, via Jerosolymitana, & temporis angustia nostrum propositum impedivit.* Et certe profectus est hoc anno 1190. ut constat ex chartulario sancti Maglorii, ubi modium frumenti eodem anno donatum monachis sancti Maglorii reversus postea confirmavit. Et quidem cum Philippo rege Franciæ die 4. Octob. Messanam ad Angliæ regem accessit duos reges conciliaturus. Eodem anno cum rege Angliæ die B Natalis Domini epulatus est in castro de Monte-griffun. Insequenti cum aliis episcopis dedicavit
1191. 16. Julii 1191. ecclesias civitatis Accon, quas polluerant Pagani. Recessit die 30. mensis ejusdem ab Accon cum rege Franciæ. L. abbati Vindocinensi permisit ædificare oratorium apud Corto-
1192. zejum anno 1192. Insequenti confirmavit capi-
1193. tulo Carnotensi justitias [a] quatuor præpositurarum de Nogento, de Fontaneto, de Amilliaco & de
Ch. LXXV. col. 347. Belsia, quas W. Remensis archiepiscopus, cum esset Senonensis & curam gereret ecclesiæ Carnotensis, ei contulerat, quibus e suo addidit earumdem reditus in commodum canonicorum, vicissimque capitulum Reginaldo concessit, ut de quatuor precariis in eadem ecclesia, nempe de Normannia, de Mazengeio, de Auversio & de Ingreio totidem faceret præposituras mense Oct. 1193.
Ch. LXXVI. col. 347. quam rex diplomate regio sancivit conventionem eodem anno. Ad preces Hugonis abbatis Cluniacensis Reginaldus concessit monachis sancti Dionysii de Nogento Rotrodi jus patronatus ecclesiarum ab ipsis dependentium in ipsius diœcesi, ad normam Gosleni antecessoris nono calendas Aug. 1193. Omnes ecclesias ad abbatiam sancti Johannis in Valleia pertinentes ab annuali procu-

A ratione in perpetuum absolvit XII. cal. Decemb. Composuit mense Martio Josaphatenses disceptantes cum Matthæo de Montmorenci de molendino de Richebor apud Galardonem. De consilio avunculi Guillelmi Remensis archiepiscopi ecclesiæ sancti Johannis dimisit procurationes de Curvavilla, de Trembleio & de Loigniaco, quas annuatim ei debebat, quandiu abbas foret Radulfus, mense Maio 1194. Monachis sancti Nicasii de 1194.
Mellento confirmavit ecclesias & decimas, quas habebant in ipsius diœcesi, 18. Februarii. Communem cum G. decano scripsit chartam mense Augusto anni 1195. apud Josaphat in domo epi- 1195.
scopi de oblationibus in capella Girondeti fieri solitis. Reperitur & in duabus chartis prioratus de Croto a Majori monasterio dependentis: datæ sunt XIV. calendas Septembris ejusdem anni. Monachis Josaphatensibus dedit præbendam sancti Mauricii, quæ prima vacaret: qui vicissim ei assignaverunt quatuor anniversaria pro eo, patre, matre & Henrico fratre quotannis celebranda, mense Augusto 1196. Probavit eodem factam inter 1196.
monachos Fossatenses & presbyterum de Boolon compositionem. Concessit presbyteris decanatus Spernonis ne amplius exactionibus vexarentur, quod Innocentius III. confirmavit anno 1198. 1198.
C libro primo epistolarum, de quo item epistola 45. Ilembardo Fossatensi abbati confirmavit VII. cal. Decembris quidquid monasterium in diœcesi Carnotensi possidebat. Exstat ejus charta in chartophilacio sancti Wandregisili pro ecclesiis de Rotonio, de Rollecripta, Calsurni & Vileta, apud Carnotum mense Januario. Josaphatensibus capellam de Felins in archidiaconatu Pisciacensi concessit anno 1199. Testis eodem anno in charta 1199.
Theobaldi Trecensium comitis uxori suæ Blanchæ comitissæ septem castella in dotalitium concedentis. Venditionem factam monialibus Portus regii a Reginaldo de Pruneto approbavit octavo
D idus Novemb. 1200. Eodem dedit sancto Petro 1200.
Carnotensi decimas novalium in omnibus suæ diœcesis parochiis, quarum patroni erant monachi, & in quibus antiquis fruebantur decimis. Donum monasterio S. Petri a Johanne de Friesia factum confirmavit mense Maio 1202. Eodem capellano 1202.
monasterii de Fontaneto reditus assignavit. Dedit cal. Aug. 1203. literas pro collatione prioratus 1203.
de Oiselma capellano suo facta. Nicolao abbati & canonicis sancti Johannis privilegium Guillelmi Senonensis archiepiscopi, ut nullus, nisi in capella ab eis constructa intra fines parochiæ sanctæ Fidis, divina celebraret, confirmavit mense Septembri.
E Capellanum instituit in eleemosyna de Mellento nonis Aprilis 1204. Privilegia ab Ivone episcopo 1204.
& Arnaudo decano monachis Tironensibus prius concessa una cum Odone decano confirmavit & capitulo V. calend. Julii. Anno eodem mense Julio moniales ordinis Cisterciensis instituit in abbatia Chart.
de Claretis nuper fundata. Eodem statuit ut prio- LXXVIII. col. 349.
ratus sancti Johannis in Valleia procurationes ipsi nisi in nativitate B. Mariæ non solverent. Ablatas priori de Basenvilla decimas restituit cal. Martii
1205. Arbiter inter Nicolaum abbatem sancti 1205.

a Hujus autem ad intelligentiam rei sciendum est ab antiquo in ecclesia Carnotensi quatuor præpositos fuisse, de Belsia videlicet, alias de Vovis, de Nogento fisci, de Amilliaco & de Fontaneto, penes quos omnium capituli redituum, sive in granis, sive in pecuniis administratio, seu recipiendi & distribuendi jus erat. Hi cum gravarent capitulum, & angariis ecclesiasticos ipsius inferiores vexarent, apud Ivonem de vexationibus & re male gesta a canonicis insimulati sunt, qui ut eorum excessus retunderet, decretum tulit, quod firmavit summus pontifex Paschalis II. anno 1114. bulla, quæ cum ad præpositorum notitiam pervenisset, adversus Ivonem regem Ludovicum commovere nisi sunt, quasi Ivo præposituras exstinguere vellet, literasque regis ad eum obtinuerunt, quibus respondit Ivo epistola 265. simulque ad Paschalem scripsit epistolam 271. ut decretum suum iterum confirmaret. Eo in statu res perdurasse videntur ad Guillelmum I. Carnotensem episcopum, qui justitias prædictarum præpositurarum capitulo concessit. Hæc autem donatio cum Reginaldo ejus successori & nepoti minime arrisisset, capitulo super justitiis movit querelam, quæ ab arbitris ita sopita est mense Octobri 1193. ut capitulo non solum justitias ab avunculo datas confirmarit nepos episcopus, sed etiam reditus præpositurarum adjecerit: capitulum vero episcopo concesserit, ut quatuor precarias de Normannia, de Mazengeio, de Auversio & de Ingreio præposituras faceret, quas canonicis conferret: hancque rex diplomate regio sancivit conventionem anno eodem. Ex quo præposituras de Normannia, de Mazengeio, de Auversio & de Ingreio seu Unogradu anno tantum 1193. præposituris de Belsia, de Fontaneto, de Nogento fisci & de Amilliaco suffectas vult Souchetus in notis ad vitam sancti Bernardi Tiron. pag. 260. Dissimulari tamen non potest in bulla Alexandri III. data capitulo anno 1173. quam inter instrumenta legere est, inter alia capituli bona recenseri præposituram de Alvers, præposituram de Unigradu, præposituram de Masengi & præposituram de Normannia, pura puta nomina precariarum a quibus denominationem, qui præpositorum nomen retinuerant, prioribus exactis, jam tum forte nacti sunt, quæque postea favente Reginaldo in locum priorum factæ sunt ipsæ præposituræ.

ANNI CHRISTI Johannis & Gaufridum de Leugis disceptantes pronunciavit mense Octobri 1206. Declaravit
1206. in capitulo Carnotensi quinto calendas Julii anno
1207. 1207. monasterium Tironense ejusque dependentias nulli omnino, nisi ipsi, subjacere. Eodem anno milites Templi de Campobugle cum Agalone de Pruneto litigantes super silva de Pruneto conciliavit mense Septembri. Rogavit abbatem sancti Johannis, ut capella Simonis de Pisciaco consanguinei sui de novo ædificata apud Acrum montem, parochia remaneret, mense Mart. quod annuit abbas, hancque parochiam liberam decre-
1208. vit Reginaldus anno 1208. Dedit mense Julio chartam de residentia canonicorum & de perceptione fructuum præbendæ. Eodem anno confirmavit donum ab Odone Borello factum sancto Michaeli in Periculo maris. R. camerario suo ecclesiæ Carnotensis præbendam contulit, qui ab Innocentio III. ex sententia judicum repulsus est; admonitusque est episcopus, ne tales in familiaritatem admitteret, XVII. calendas Octobris pontificatus anno XI. Nomen dedit expeditioni adversus Albigenses, ut testis est Petrus monachus Vallium cap. 41. ubi ait: *Supervenerunt de Francia viri nobiles & potentes, Carnotensis videlicet episcopus,*
1209. &c. Et Albericus ad annum 1209. *Fuerunt autem qui erant in pectore signati cruce Reginaldus Carnotensis*, &c. Datam H. abbati Eleemosynæ eleemosynam confirmavit mense Februario anno Gal-
1210. licano 1209. Occurrit anno 1210. in chartulario
Spicil. t. 13. pag. 332. Sangermanensi. Præsens fuit anniversario a Stephano de Pertico milite in ecclesia Carnotensi
1211. instituto mense Junio 1211. Monachis Majoris monasterii Sparnone commorantibus dedit decimas omnium novalium in diversis locis mense Septembri ejusdem anni. Dicitur dominus Mar-
1212. chesii villæ anno 1212. in thesauro chartarum.
1213. Confirmavit anno 1213. mense Maio monachis Vindocinensibus decimas, quas a laïcali manu acquisierant. Dedit mense Januario chartam de anniversario Bartholomæi de Roya quondam Franciæ camerarii. Monachis de Eleemosyna decimas de manu laïcali venientes liberas dedit &
1214. concessit anno 1214. Pensata novelli sancti Salvatoris Blesensis collegii paupertate, statuit ut
Ch. XVIII. col. 428. semel in vita episcopus Carnotensis procurationem septem librarum ab iis reciperet, mense Apr.
1215. 1215. Commutationem factam inter Hervæum nepotem suum comitem Nivernensem & dominum Aloyæ & Guidonem abbatem sancti Petri confirmavit mense Maio. Josaphatensium bona & privilegia sancivit mense Septembri, & indulgentias iis concessit, qui dona huic monasterio largirentur. Eodem anno monachis sancti Petri confirmavit jus in plures ecclesias. Recepit clientelam marescalli sui Hugonis pro majoria de sancto Carauno mense Decembri. Bartholomæo abbati Floriacensi confirmavit donatam decimam a Simone de Monteforti & Roberto de Brena primo-
1216. genito R. comitis Drocensis anno 1216. Eodem interfuit mense Julio judicio parium Franciæ in causa, quæ vertebatur inter comitissam Campaniæ & Erardum de Brena. Feodi dominus assensum

præbuit eodem anno, ut Thomas comes Perticensis fortalitium regi redderet. De assensu G. abbatis sancti Petri instituit parochiam in castro Thes. chart.
Coüen mense Decembri. Eleemosynam factam monialibus Portus regii ab Hugone de Marchesio pro Acelina filia approbavit mense Aprili 1217. 1217.
Scripto testatur mense Augusto majoriam Rubridi sancto Dionysio derelictam. Confecit instrumentum pro prioratu de Orrevilla iisdem mense & anno administrationis suæ in episcopatu Carnotensi XXXV. De Reginaldo legitur in historia genealogica comitum Barri: *VI. idus Decembris obiit 1217. venerabilis pater piæ memoriæ Reginaldus hujus sanctæ sedis reverendus antistes, illustris comitis Moncionis filius, clara stirpe Francorum principum, & regali cognatione vir nobilissimus, sed animi liberalitate longe nobilior, & corde humilis ac benignus.* In chartulario Carnotensi: *Multa bona ecclesiæ & fratribus suis canonicis & clericis procuravit, domos & possessiones episcopatus melioravit & auxit. Privilegia multa a sede apostolica, & a rege Philippo, & principibus aliis libertates & honores ecclesiæ & subditorum tangentia impetravit. Capellam sanctorum Sergii & Bacchi in curia episcopi capitulo dedit, & propter hoc fit anniversarium suum, ac patris, & matris, ac fratris ejus comitis Moncionis, in quo distribuuntur redditus, quos faciunt capellani dictæ capellæ pro oblationibus, quas recipiunt in eadem. Dedit etiam ad augmentum cantoriæ præbendam, quam percipiebat in ecclesia S. Johannis in Valleia. Rexit ecclesiam XXVIII. annis, & obiit anno Domini M.CCXVII. Jacet in ecclesia de Josaphat* ante altare Angelorum, ex quodam indice mss. Legendæ quas post ejus electionem Reginaldo scripserunt epistolæ Stephanus Tornacensis 118. & Petrus Blesensis 15. docens eum quibus virtutibus ornari debeat, & a quibus vitiis abhorrere. De ipso conqueritur Petrus epistola 20.

LXX. GALTERUS.

Adami unius e præcipuis comitis Carnotensis & Blesensis ministris filius Galterus, ex priore Prulliacensi abbas Fontis Johannis, tum Pontiniacensis, Carnotensis eligitur episcopus an. 1218.[a] apud Nangium, ordinatur vero mense Januario ineuntis anni 1219. ex chronico Alberici, ab Honorio III. summo pontifice. Decanis & presbyteris suis Raginaldum Boëlli a M. Aurelianensi episcopo excommunicatum denunciavit mense Augusto. Iisdem mense & anno chartam Gaufridi decessoris procurationes abbatiæ Rosetensis relaxantis confirmavit; die vero 20. Octobris cum Garino Silvanectensi & Fulcone Tolosano episcopis ecclesiam Caroliloci consecravit. Dedit abbati & religiosis Stellæ novalia parochiæ de Authou anno 1220. Honorius III. bulla data VI. idus Octobris pontificatus anno V. huic mandavit ut Erardum de Brena, Philippam uxorem, & fautores in bello adversus comitem Campaniæ, a censuris prius latis absolveret. Dissidium habuit anno 1221. cum capitulo Meduntæ pro annua

Biblioth. Carnot. pag. 104.
a
1218.
1219.
Ch. LXXX. col. 351.
1220.
1221.

a Sedes Carnotensis vacat mense Junio 1218. ex tabulis de Claretis, ubi Raginaldus tunc temporis defunctus dicitur.

ANNI CHRISTI procuratione quam ab iis exposcebat, Bartholo-
mæo Carnotensi decano controversiæ arbitro.
Transegit cum Guillelmo majore de Ponte goëni
de juribus dicti majoris apud Pontem goënum
coram rege apud sanctum Germanum in Laya
mense Aprili, & compromisit in Garinum Silva-
nectensem episcopum, qui ea die sententiam tulit.
Benedixit abbatissam de Claretis mense Junio.
Judex a summo pontifice delegatus definiit jus
patronatus parochiæ de Colenz penes decanum
Cenomanensem esse mense Augusto. Abbatiam
Vallium Sernaii investivit de decima parochiæ
1222. d'Escronnes mense Aprili 1222. Invadiationem
factam a Johanne de Ambasia ecclesiæ B. Mariæ
Blesensis approbavit iisdem mense & anno. Ste-
phanum Mimatensem episcopum Romæ conse-
1223. cravit anno 1223. ad preces Simonis Bituricensis
archiepiscopi. Eodem anno mense Julio exsequiis
Philippi regis apud sanctum Dionysium interfuit
& Parisiensi adversus Albigenses concilio. Una
cum aliis episcopis indulgentias concessit anno
eodem visitantibus reliquias sancti Eustachii in
ecclesia sancti Dionysii. Querelam habuit cum
archidiaconis super cognitione causarum matri-
monialium, quæ composita est mense Decembri.
Una cum Ricardo Ebroicensi episcopo consecravit
1224. in die Ascensionis 1224. ecclesiam beatæ Mariæ
de Brolio ordinis Cisterciensis, & indulgentias
Chart. LXXXIII. col. 352. concessit. Ecclesiam Gaudiivallis die octava Pen-
tecostes dedicavit, factasque ei donationes con-
firmavit. Sententia Galterii archiepiscopi Seno-
nensis cecidit mense Decembri in causa procu-
rationum, quas a Maurigniacensi monasterio exi-
gebat. Factam monialibus de Porregio a comite
Burchardo de Malliaco eleemosynam confirmavit
mensibus Aprili & Junio. Querelam habuit cum
Henrico abbate Becci pro procuratione, quam exi-
gebat in ecclesiis de Breval & de Rouvres, mense
1225. Aprili 1225. Acquisivit a capitulo villam Des-
conseturæ mense Junio. Ludovicus VIII. hunc
eodem mense testamenti sui inter alios exsecuto-
rem instituit ex tomo primo inventarii chartarum
thesauri fol. 156. Fundationem & dotationem
Chart. LXXXVIII. col. 359. monialium de Aqua approbavit mense Februario.
Litem composuit inter Florentiam abbatissam Ca-
lensem & conventum ejus super collatione quo-
1226. rumdam beneficiorum mense Aprili 1226. Ho-
minibus Blesensibus confirmavit libertatem iis ab
abbate sancti Launomari concessam mense Maio:
nonnulla commutavit cum Radulfo de Chambly
mense & anno iisdem. Concessa monasterio sanctæ
Magdalenæ Castriduni confirmavit, sicut ecclesias
& possessiones monasterii S. Aviti mense Maio.
Corpus sancti Leonardi anachoretæ elevavit VI.
idus Maii. Ludovico VIII. morienti adfuit 8.
Novembris, statimque Ludovico ejus filio fidem
juravit. Subscripsit literis prælatorum & procerum,
quibus significant, quod cum apud Montempen-
serium esset Ludovicus VIII. declaravit velle se
ipsius defuncti filium sub tutela matris fore, ideo-
Anecd. t. 1. col. 937. que ejus inaugurationem Remos ad Dominicam
primam Adventus proximam ante instans festum
sancti Andreæ indicant. Transegit cum monachis

A sancti Carilefi pro procuratione in prioratu de
Melereyo mense Februario. Locum dictum Peru- ANNI CHRISTI
sium, ubi de novo fundata & exstructa fuerat ec-
clesia a Bonavalle dependens, a procuratione exe-
mit mense Martio. Una cum G. archiepiscopo
Senonensi promittit solutum iri regi Francorum Ampliss. coll. tom. 1. col. 1212.
per quadriennium pro negotio Albigensi 1500.
libr. Parisienses ab ecclesiis provinciæ Senonensis,
mense Augusto 1227. Factam ecclesiæ Fontis- 1227.
Ebraldi eleemosynam confirmavit mense Maio.
Interfuit eodem anno dedicationi monasterii Lon-
gipontis. Factum monialibus Portus regii ab
Odone Pelu donum confirmavit an. 1228. mense 1228.
B Aug. Eodem anno patronatus ecclesiæ de Son-
champ Floriacensibus adversus eum confirmatur.
Cum abbate Vindocinensi transegit annis 1228.
1229. & 1230. pro procurationibus sibi in eo-
rum obedientiis debitis. Declaravit abbatem Ti-
ronensem ad synodum diœcesanam venire mini-
me teneri nisi vocatum, idque ad deliberandum
de rebus ecclesiasticis, quinto Junii 1229. Excepit 1229.
mense Augusto clientelas Ursionis de Melleio &
Stephani de Sacro Cæsare. Benedixit eodem anno
Odonem abbatem sancti Dionysii. Eodem anno
cum litigarent inter se prior de Matonviller &
presbyter de Gardelaria super parochianis & deci-
C mis, quas presbyter ad suam dicebat ecclesiam per-
tinere, tandem ad amicabilem compositionem co-
ram Galtero episcopo adducti sunt. Adfuit mense
Junio anno 1230. celebri judicato contra Petrum 1230.
Britanniæ comitem. Anno eodem rex Ludovicus Ampliss. coll. tom. 2. col. 1239.
in augmentum regalium ei concessit porprisiam
Vallis viridis extra muros Parisienses. Construxit Ch. XCII. col. 362.
an. 1231. conventum Dominicanorum in loco 1231.
ab Hugone decano ob id dato. Eodem Minores
apud Carnutum stabiliuntur mense Aprili. Eodem
50. solidos censuales apud Lucceium ab abbatissa
Fontis-Ebraldi excepit Galterus. Consecravit altare
Regalis montis calendis Julii. Mense eodem pro-
D hibuit ne abbas & canonici sanctæ Magdalenæ
Castriduni domos vel possessiones ecclesiæ ad
vitam vel ad hereditatem concederent. Venditio-
nem factam monialibus Portus regis a Johanne
de Alneolo approbavit mense Aprili 1232. Eo- 1232.
dem XIV. calendas Julii consecravit altare beatæ
Mariæ in ecclesia Regalis montis, & die sequenti
altaria sanctæ Crucis, sanctorum Benedicti, Ber-
nardi & Malachiæ, sanctæ Mariæ, sanctæ Crucis
& sancti Barnabæ, sanctorum Andreæ & Bartho-
lomæi, sanctissimæ Trinitatis, sancti Jacobi, sancti
Laurentii, sancti Johannis Baptistæ, S. Agnetis,
ubi erat oratorium S. Ludovici, & S. Magdalenæ.
E Donum Herivallensibus factum eodem anno con-
firmavit. Insequenti memoratur in chartulario 1233.
Portus regis mense Aprili. Eleemosynam Bonæ-
valli factam confirmavit mense Octobri 1234. 1234.
Testamentum condidit eodem anno die 5. Dec. Ch. XCIII. col. 362.
in quo inter alia debitis providet, anniversarium
instituit, sepulturam in monasterio Prulliacensi
eligit, aliaque aliis ecclesiis legat. Defunctus apud
Lanceium prioratum Majoris monasterii, ex Sam-
marthanis, sepelitur in monasterio Prulliacensi, ut
testamento caverat, cum hoc epitaphio: *Hic jacet*

ANNI CHRISTI *bonæ memoriæ Gualterus monachus & prior Prulliacensis, inde assumptus in abbatem Fontis Johannis, postea abbas Pontiniacensis, postmodum factus episcopus Carnotensis.* Ita Stephanotius noster ex schedis
Anecd. t. 3. col. 1246. D. J. B. Souchet. Attamen in historia Pontiniacensis monasterii apud Martennium, in Gualterio abbate XII. ex Pontiniacensi abbate Carnotensis ecclesiæ pontifice creato legitur: *Obiit die XIII. Decembris anno M.CCXXXIV. in ecclesia PP. Prædicatorum, quam erexerat, sepultus fuit.* In indice mss. episcoporum *ante majus altare* jacere additur.

LXXI. Hugo.

DE LA FERTÉ.

Galtero successit Hugo nobilitate & facundia B clarus, filius quippe Hernaudi de Feritate & germanus Mabiliæ abbatissæ Fontis-Ebraldi. Ex decano factus episcopus Carnotensis exeunte anno 1234. ex chronico Alberici, Galtero archiepiscopo obedientiam promisit. Memoratur anno
1235. 1235. mense Junio in chartulario Maurigniacensi. Ad alteram vitam transiit sub finem anni
1236. 1236. ex eodem chronico, sepultusque est apud Dominicanos, quos ipse decanus fundaverat, in choro e regione majoris altaris sub tumba elevata. Hoc elogio celebratur in obituario Fontis-Ebraldi: *VI. idus Augusti migravit a seculo vir piissimus pater dominus Hugo de Feritate Carnotensis episcopus,* C *frater Mabiliæ venerabilis abbatissæ nostræ. Multa siquidem nobis caritatis beneficia contulit, inter quæ pie recitandum est, quod penuriam aquæ, quam multo tempore patiebamur, pro salute animæ suæ nobis bene consolando abscidit, refectorium nostrum quamplurimum honestavit. Inter cetera beneficia quæ nobis impendit, ut se nobis devotiorem exhiberet ad gradum sacerdotii promovendum, relicta propria ecclesia, ad præsens monasterium declinavit, & in eo sacerdotii dignitatem suscepit & ministerium inchoavit.*

LXXII. Albericus.

CORNUT.

Genere nobilis Albericus, frater Galteri Seno- D nensis archiepiscopi, in ecclesia Parisiensi a teneris enutritus, juris canonici & civilis Luteciæ professor, tum consiliorum regis fratri adjutor adscitus, canonicus Senonensis, Carnotensis & Parisiensis, decanus sancti Martini Turonensis, recusato episcopatu Lemovicensi, alii dicunt Lexoviensem vacantem per obitum seu cessionem Guillelmi de Ponte arcæ, bis electus est ad patriarchalem Bituricensem sedem, sed reprobata a Gregorio IX. hac electione, defuncto paulo post Hugoni Carnotensi episcopo successor datus est anno 1236. ut vult Albericus, quo exeunte memoratur in diplomate Ludovici mense Februario. Factam a E monachis de Vindocino emtionem approbavit
1237. mense Martio 1237. Capellam Meduntæ villæ
1238. parochialem effecit mense Octobri 1238. *ex officii debito,* inquit, *per nostram diœcesim visitando discurrens.* Litem inter monachos sancti Petri & Raginaldum de Furno composuit mense Martio. Scripsit ad magistrum domus Templi de Andavilla, ut monialibus sancti Aviti solveret dimidium modium bladi a quinque annis debitum nec solutum, die Lunæ ante festum S. Johannis

A Baptistæ 1239. Latam ab arbitris inter monachos ANNI CHRISTI
S. Maglorii & presbyterum de Essartis sententiam
mense Dec. approbavit. Acquisivit a Raginaldo 1239.
majoriam de Bercheriis episcopi mense Junio
1240. Dedit monasterio Josaphatensi duas partes 1240.
minutarum decimarum & oblationum in quatuor festivitatibus in parochia sancti Piati mense Julio. Eodem commutationem factam ab abbatissa Portus regii cum heredibus Hugonis de Marchesio approbavit. Unitarum jam a Galtero decessore duarum ecclesiarum de Moconvillari cum nondum reditus ad presbyterum propter paupertatem sufficerent, addidit capellam mense Septemb. Romam profectus ad concilium a Gregorio IX. indictum ad diem Resurrectionis 1241. statim remeavit 1241.
cum archiepiscopo Turonensi. Novellam sancti Salvatoris Blesensis ecclesiam ordinavit mense Julio, assignata decano cura animarum canonico- *Chart. XXI. col. 430.*
rum, capellanorum & beneficiatorum, clericorum vero & aliorum in castro & inferius commorantium capellano ecclesiæ ejusdem. Compromissum inter abbatem sancti Maglorii Parisiensis & presbyterum de Rambolleto super medietate decimarum novalium hujus ecclesiæ factum Carnoti eodem anno Alberici munitur sigillo. Literis quoque eo tempore suis notas fecit, tum donationem 110. librarum factam S. Vincentio de Nemore a Roberto de Pedagio, tum venditionem majoriæ seu *sergenteriæ* in gratiam hujus cœnobii a Roberto presbytero de Columbis. Cum Philippo Bituricensi & Juhello Turonensi archiepiscopis videt & probat literas comitis Blesensis pro Pontilevio mense Augusto 1242. Limites parochiæ 1242.
Villæ novæ de Perreio definivit die Veneris post festum Omnium sanctorum. Fratribus Prædicatoribus vetuit ne sordes coquinæ suæ immitterent ut prius, in fossatum, quod erat inter murum civitatis & monasterium sancti Johannis, die Jovis post octavas Paschæ 1243. Reperitur adhuc Sab- 1243.
bato ante nativitatem beatæ Virginis eodem anno. Denique vocatus ab Innocentio IV. Romam, iter aggrediens, apud Primeriacum castrum episcopi Nivernensis, qui tunc erat Robertus ejus nepos, beato fine quievit quinto decimo cal. Novemb. non 1244. ut legitur in necrologio Carnotensis ecclesiæ apud Mabillonium Analect. tomo 2. pag. 573. sed 1243. quo sedes vacabat. Inde delatus ad Nivernensem ecclesiam, in eadem honorabiliter est sepultus ex necrologio Carnotensis ecclesiæ, ubi de legatis ab eo hæc adduntur: *Contulit autem huic ecclesiæ duo peroptima pallia & altare quoddam portatile triplici genere lapidis pretiosi munitum, grangiamque de Frauxineto sumtuosis ædificiis reparavit, & majoriam de Bercheriis episcopi acquisivit, quam ad anniversarium suum singulis annis celebrandum legavit. Pro qua reverendus pater Matthæus Carnotensis episcopus in capitulo nostro præsens voluit & concessit, quod ipse & successores episcopi Carnotenses, qui pro tempore fuerint, quatuor libras monetæ currentis solvere teneantur in die anniversarii, canonicis qui anniversario intererunt distribuendas. Item Johannes de Espaillardo præpositus de Masengeio, dicti Alberici consanguineus, & ab eodem specialiter*

ANNI CHRISTI

prædilectus, dedit & concessit in augmentum quadraginta & quinque solidos, quos assignavit annis singulis percipiendos super iis, quæ idem præpositus emerat a majore de Masangeio apud Masangeium: & ad hoc ea quæ emerat, esse concessit & voluit obligata. Ita quod centum solidi de prædictis, canonicis, & reliqui viginti clericis de choro, qui anniversario in vigiliis & in missa intererunt, distribuentur, & quinque solidi qui supersunt, pulsatoribus campanarum, qui etiam grossiora tymbala in utraque turre in vigiliis & in missa pulsabunt & pulsari facient, distribuentur: salva matricularariis clericis portione in summa clericis non canonicis deputata. Voluerunt & concesserunt tam dominus episcopus & capicerius, quam capitulum, quod dictum anniversarium de cetero cum sollenni luminari & sollenniter celebretur. Alberici quoque memoria celebratur in necrologio Parisiensi ad XI. & IX. calendas Novembris, ibique multa bona huic ecclesiæ fecisse dicitur, maxime in præposituris Rosseti & Vernoti.

DE GRES.

LXXIII. HENRICUS.

Bartholomæi ex Hadvide domina de Gressu filius Henricus, fratres habuit Stephanum decanum, Evrardum priorem sancti Martini a Campis & Guillelmum militem, ut fidem facit martyrologium vetus S. Martini, in quo legitur Evrardum pro suo anniversario faciendo, similiter & pro fratribus suis Henrico episcopo Carnotensi & Stephano decano, quamdam domum dedisse apud Luteciam anno 1261. Henricus vero ex archidiacono Blesensi episcopus Carnot. a capitulo eligitur anno 1243. ex inventario thesauri chartarum fol.
Spicil. t. XI. pag. 530. 144. & ex chronico Guillelmi Nangii. Giloni archiepiscopo Senonensi obsequium pollicitus est. Querelam habuit cum Ludovico Francorum rege pro collatione trium præbendarum, quæ a morte Alberici episcopi, sede vacante, vacaverant, cujus
Ampliss. collect. tom. I. col. 1283. sedandæ causa arbitros elegerunt Odonem sancti Dionysii & Thomam de Hermeriis abbates, qui hujusmodi præbendas alternatim a rege & ab episcopo conferendas definierunt anno 1244. in
1244. festo sancti Andreæ. Concilio Lugdunensi inter-
1245. fuit anno 1245. Concessit anno 1246. mense
1246. Aprili, ut intra parochiam sancti Mauricii apud boscum Lugarum fieret capella, in qua divina officia celebrarentur. Defuncti apud Mellentum in ecclesia sancti Nicasii 2. nonas Decemb. anni, ut puto, ejusdem, corpus Carnotas delatum sepelitur juxta Stephanum fratrem ante altare sancti Jacobi in ecclesia Fratrum Prædicatorum cum hoc epitaphio:

Hos fratres pridem tumulus modo colligit idem.
Quos amor univit, mors dissociare nequivit.
Henricus, Stephanus, hic episcopus, ille decanus
Carnoti, vitæ similis prius archilevitæ.
Ambo timorati, generoso sanguine nati,
Juribus armati, factis verbisque probati.
Dura prius Stephanum cinerum lux incineravit
Durior Henricum Nicholai nox nichilavit.

De Henrico legitur in necrologio Carnotensi:

A *Secundo nonas Decembris obiit Henricus prius hujus ecclesiæ Blesensis archidiaconus, postmodum vero in episcopum assumtus. Fuit utique vir iste in spiritualium & temporalium amministratione providus, industrius & discretus; gratiarum quoque multiformi munere copiosus, lenis, pacificus, mansuetus, modestus, sobrius, domui suæ bene præpositus, omnium morum venustate præclarus, in literarum scientia & juris maxime peritissimus, eloquentia conspicuus, in judicio justus, in consilio circumspectus, hujus ecclesiæ defensor egregius, opponens se murum pro domo Domini, & scutum inexpugnabile contra quoscumque libertates & consuetudines ecclesiasticas impugnantes, qui decurso vitæ*
B *stadio temporalis, apud Mellentum in ecclesia sancti Nicasii diem clausit extremum: cujus corpus ad hanc urbem delatum, ante altare sancti Jacobi juxta Stephanum fratrem suum, hujus ecclesiæ quondam decanum habet contiguam sepulturam. Hæc est enim vera fraternitas, ut quos fraterna dilectio in vita conjunxit, post vitam etiam locorum distantia non disjungat. Pro cujus anniversario in hac ecclesia singulis annis celebrando, reliquit canonicis hujus ecclesiæ, qui anniversario ejus intererunt, quatuor libras & decem octo solidos censuales super viginti & octo sextariis terræ Semeure, sitis inter Bercherias, Lairengot & Joiacum, quos emit a Guilloto de Messolet armigero, qui census*
C *debet reddi singulis annis apud Joiacum in festo beati Dionysii.*

LXXIV. MATTHÆUS.

DES CHAMPS.

Galtero de Campis & Adela parentibus satus Matthæus, nepos Galteri quondam hujus ecclesiæ episcopi, cum in ea per annos 22. serviisset in officio subdecani, factus episcopus approbavit compositionem factam inter abbatem Montis sancti Michaelis, & priorem dicti loci & rectorem parochiæ super novalibus de Gohero, septimo Aprilis 1247. Dedicationi sanctæ Capellæ Parisiis 1247.
interfuit mense Aprili 1248. P. comitis Vindo- 1248.
D cinensis clientelam pro feodo Montis Duplelli mense Julio excepit, quam permutavit cum clientela Rupium episcopi. Obligavit se & successores quotannis soluturos in anniversario Raginaldi de Bercheriis, a quo multa emerat Albericus antecessor, quatuor libras Carnotenses mense Augusto. Nonnulla ordinavit cum Johanne de Montetirelli & ejus uxore Isabella super majoria de Ponte goëni mense Aprili 1250. Cum G. Aurelianensi 1250.
exsecutor fuit testamenti Isabellæ comitissæ Carnotensis mense Junio. Collem Goderani emit mense Novembri. Ermenivillam acquisivit mense Octobri 1251. Sopivit mense Decembri contro- 1251.
E versiam inter abbatem & monachos sancti Petri adversus parochum de Brezolles super decimis & oblationibus. Matthæum vicedominum Carnotensem hominem suum ligium recepit mense Apr.
1252. Ordinationem ab Alberico prius factam 1252.
de ecclesia sancti Salvatoris Blesensis confirmavit Chart. XXI. col. 430.
mense Julio. Decrevit mense Augusto ut pauperes canonici sancti Georgii de Vindocino centum solummodo solidos Turonenses pro procuratione solverent. Concilio a Gilone habito adstitit, & subscripsit literis prælatorum ad regem Navarræ

datis Parisiis die Veneris post festum S. Martini
ANNI CHRISTI hiemalis. Decimas apud Luceium emit mense Decembri. Multa a Matthæo de Bercheriis acqui-
1253. sivit mense Septembri 1253. Datas Maurigniacensibus decimas ecclesiæ de Domibus in Belsia
1254. confirmavit mense Octobri 1254. Statuit ut quatuor tantum libræ Turonenses ipsi quotannis persolverentur pro procuratione in ecclesia S. Leobini
1255. de Vindocino debita, mense Nov. 1255. prius declaraverat mense Maio nullam sibi deberi in prioratu de Garneio, ubi tribus vicibus pernoctaverat. Cum aliis episcopis testatus est eodem anno Ludovicum regem prohibuisse, ne Petrus episcopus Catalaunensis vexaretur. Nomen suum apposuit literis episcoporum datis pridie cal. Augusti
1256. 1256. qui in synodo Parisiensi Academicorum & Dominicanorum rationes audiverant. Has habes in historia Universitatis Parisiensis tomo tertio pag. 309. ubi loco M. librarii incuria irrepsit R. Concilio Senonensi interfuit eodem anno celebrato de
Amplis. collect. tom. 7. col. 146. clericis bannitis & in peregrinatione Jerosolymitana missis propter mortem cantoris Carnotensis. Procurationes in prioratu sancti Petri de Dordano ob ejusdem modicas facultates pro 30. solidis annuis cedit die Veneris ante nativitatem sancti
1257. Johannis Baptistæ 1257. Nonnulla emit hoc anno mensibus Julio & Martio. Querelam habuit cum Maria comitissa Drocensi, quæ homines ipsius ceperat, cujus sedandæ arbiter electus T. archiepiscopus Remensis die Mercurii post Brandones.
1259. Composuit mense Augusto 1259. cum sancto
Chart. c. col. 369. Ludovico super procurationibus & gistis regi debitis, tum in domo episcopi apud Carnotum, tum alibi pro 50. libris Turonensibus, e quibus sanctus Ludovicus duas fundavit capellanias in majori ecclesia Carnotensi. Subscripsit eodem anno literis episcoporum S. Ludovico indulgentium, ut quæ ignotis restituere non poterat, pia in opera impenderet. Johanni abbati S. Johannis in Valleia concessit facultatem oratorii ædificandi in grangia sua de Edevilla mense Septembri. Obiit eodem anno pridie calendas Januarii in senectute bona antistes Matthæus, cujus apud Prædicatores in choro sepulti sequens legitur epitaphium:

Moribus insignis, præclarus dogmate, dignis
Laudibus ornatus Matthæus jacet hic tumulatus.
Hic studuit regis æterni regna mereri.
Ipse fuit cleri gemma, lucerna gregis,
Mitis, pacificus, prudens, & juris amicus,
Sobrius & castus fuit, & sine crimine fastus.
Annis millenis junctis C. *bis* L. *que, novenis*
Cursibus expletis Matthæus transiit annis.

Hoc quoque de eo in necrologio legitur elogium: *Anno Domini* M. CCLIX. *pridie kalendas Januarii obiit in senectute bona reverendus antistes hujus ecclesiæ Matthæus, nepos piæ recordationis Galteri quondam episcopi nostri. Hujus Matthæi vita simplex & recta apud Deum, apud homines commendabilis & pia fuit. Nam refulgebat Deo dilectus sanctis virtutibus, innocentia præditus, simplicitate conspicuus, mansuetudine commendabilis, suavitate vene-*

A *rabilis, benignitate laudabilis, humilitate incomparabilis; qui tanquam fidelis dispensator & prudens negotiator, talentum sibi creditum & commissum Domino Deo multiplicatum reddere studuit cum usuris. Is enim nomen episcopi non assumsit in vacuum: sed nomen confœderavit operi, honoremque oneri indissolubiliter glutinavit; in vestimentis, equitatura, comitatu, clientela supervacuam pompam, inutiles expensas & quidquid ambitionem seu admirationem modernorum nostrorum perversa via sequi potest, salvo statu episcopalis ordinis detestatus est. Hic obmissa qualibet vanitate, studebat moribus implere pontificem, & Sancto sanctorum devote serviens, officium suum, quotiens incum-*
B *bebat, sedulus impendebat: subditos non gravabat, patrimonium Christi & ecclesiæ in egentium necessitates, vel in usus extraordinarios expendebat. In defensione ecclesiæ suæ ac jurium ejus, quotiens opus fuit, contra barones & principes, qui de facili in unum conveniunt adversus Dominum & adversus Christum ejus, se opposuit viriliter murum pro domo Israël venientibus ex adverso, ita quod per Dei gratiam tempore suo adversus eam non prævaluerunt. Huic ecclesiæ sanctæ laudabiliter servivit in officio subdecani per spatium viginti duorum annorum*, &c. Plura qui de multis ab hoc pontifice adquisitis & legatis desideraverit, adeat vetera Mabillonii Analecta tomo secundo
C pag. 581. usque ad 588. ubi fusius ex necrologio Carnotenæ ecclesiæ recensentur.

LXXV. PETRUS II. DE MINCI.

Nobilibus editus Petrus, dictus de Minciaco, a vico prope Melodunum, ubi natus est, Henrici decessoris nepos, tot ac tantos liberalibus in studiis progressus fecit, ut Parisiis in artibus rexerit. Inde in utroque jure, tum canonico tum civili, doctoris lauream consecutus, ibidem docuit in decretis. Carnotensis ecclesiæ primo fuit canonicus, dein Dunensis, & post Pisciacensis archidiaconus, demum ex decano episcopus electus est
D pridie idus Februarii anno 1259. nunc 1260. 1260.
a 39. e 66. canonicis, quorum 27. appellaverunt, & crastina die curis archiepiscopi Rotomagensis ad collegas suos accesserunt, Petrumque una voce elegerunt, qui receptus est tertio idus Apr. 1260. quo die Dominica post festum S. Lucæ dedicata est ecclesia Carnotensis, indulgentias concedente Chart. ci. col. 370.
Alexandro IV. summo pontifice. Aliquanto post huic, Hervæo abbati Bonævallis, & Guillelmo decano Parisiensi commisit Ludovicus rex negotia Judæorum mense Novembri anni ejusdem. Nonnulla emit mense Aprili die Sabbato post *Oculi mei.* Memoratur anno 1261. mense Octob. & 1262. 1261.
E Augusto in tabulis Carnotensibus. Statuta condidit 1262.
pro bono regimine ecclesiæ sancti Andreæ de Chart. cii. col. 370.
Castroduno die Jovis post Pentecosten 1263. 1263.
Decimas parochiæ de Luceio a Matthæo quondam episcopo acquisitas Johanni abbati sancti Johannis in Valleia vendidit mense Aprili anni ejusdem. Querelam habuit cum priore sancti Martini in Valle pro procurationibus sibi debitis in vigilia receptionis suæ, cujus finiendæ ergo arbitrum elegerunt Simonem Macloviensem episcopum mense Septembri 1264. qui Decembri pronunciavit 1264.

ANNI CHRISTI

monachos episcopo deinceps soluturos 160. libr. Præscripsit quid quisque sibi deberet prioratus S.
1265. Launomari pro jure visitationis, anno 1265. die festo B. Mariæ Ægyptiacæ. Clemens IV. literis datis pridie idus Decemb. pontificatus anno primo Petro indulsit, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in beneficiis ecclesiasticis ad ipsius collationem pertinentibus minime teneretur per literas sedis apostolicæ vel ejus legatorum. Clientelam Johannis filii Ludovici regis Franciæ Parisiis ex-
1266. cepit anno 1266. Quædam acquisivit a Matthæo
1269. vicedomino Carnotensi anno 1269. Transtulit mense Martio parochiam Crucifixi, quæ prius erat in ecclesia sancti Nicasii de Mellento, in capellam sancti Jacobi sitam in castro ibidem. Quadraginta indulgentiarum dies iis concessit, qui receptioni unius de spinis Coronæ Domini in monasterio B. Mariæ de Burgomedio interessent, die Martis
Anecd. t. 1. col. 1131.
1270. post festum sancti Georgii anno 1270. Ecclesias sancti Maglorii in diœcesi Carnotensi sitas confirmavit die Jovis post festum Omnium sanctorum. Litem habuit cum capitulo pro quadam procura-
1272. tione, quæ terminata est anno 1272. Robertus comes Nivernensis Petro obligatum se agnoscit in 180. libris Turonensibus pro terra d'Alluye die Lunæ ante festum S. Bartholomæi. Gerardus de Loignaco clientelam ipsi professus est die Mercurii post festum Purificationis beatæ Mariæ anni ejusdem. Emit feodum apud Buisseium mense
1274. Maio 1274. Homines suos apud Fresneium, Hymonvillam & Tancrenvillam sitos in libertatem asseruit pro summa 400. libr. Turonensium mense Junio. Una cum episcopis Senonensis pro-
Chart. CIII. col. 371.
1275. vinciæ scripsit mense Julio 1275. ad cardinales pro canonisatione sancti Ludovici regis. Finivit vitam XI. calendas Aprilis anni, ut nunc computamus, 1276. ex necrologio ecclesiæ Carnotensis, sepultusque est die prima Aprilis anni 1275. (more Gallicano) in æde Dominicanorum coram altari majore sub ærea lamina, in qua hoc legitur epitaphium:

Corpus pontificis, quem Petrum nomine dicis,
Hic jacet, hic patruis jungitur ipse suis.
Prudens, mansuetus, humilis fuit, atque pudicus,
Doctor discretus, & pacis semper amicus,
Sobrius & lenis, nulli pietate secundus,
Donis fecundus, sibi parcus, largus egenis,
M. semel & bis C. triginta bis his quoque misce,
Et cum quinque decem, percipiesque necem,
Luce caro fragilis prima sepelitur Aprilis.
Huic sit propitia pia mater virgo Maria,
Quæ procuret ei sedem sanctæ requiei.

Notatur Petrus in necrologiis Andaonensi & Silvæ majoris v. cal. Martii, in Meldensi pridie calendas Aprilis: in Carnotensi vero sic: *Anno Incarnati Verbi millesimo CC. septuagesimo sexto XI. calendas Aprilis recolendæ memoriæ Petrus de Minciaco, pius pastor quondam hujus almæ ecclesiæ, migravit ad Dominum, qui pacis vinculum cum suis fratribus, quod dudum gerebat in pectore, in fine volens ostendere, dissolutionem sui corporis cernens imminere, ad episcopalem domum suam Carnotensem quasi divino nutu se transferens, vocatis fratribus ut ipsum decedentem misericorditer visitarent, ipsos præsentes caritatis sinceræ quam ad eos habebat, non immemor, ferventi spiritu, licet fere viribus destitutus, verbis Salvatoris nostri mortem temporalem præcognoscentis fretus, est ita benigne allocutus:* Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. *Quibus, sicut paterna pietas suadebat, expositis, ab omnibus & singulis petita de commissis contra eos venia & obtenta, ipsos data benedictione sua ultima, omnipotentis Dei benedictioni & custodiæ commendavit. Ut tamen summo Deo a quo bona cuncta prodeunt, de bonis operibus gratia referatur, & bene operandi incentivum posteris augeatur; aliqua de suis virtutibus, conditionibus & gestis in commisso sibi officio censeo exponenda. Ipse quidem de nobili prosapia ortus, ab ineunte ætate de virtute nisus crescere in virtutem, liberalibus studiis intentus, Parisius rexit in artibus; ac demum ad civilia jura se transferens & circa ea proficiens, tandem ad jura canonica se convertit, digneque meruit doctor fieri, & Parisius regere in decretis. Quippe recensendæ memoriæ avunculorum suorum Henrici quondam episcopi, Stephani quondam decani Carnotensis, & Evrardi prioris S. Martini de Campis Parisius nepos non degener, sic ad omne bonum & communem gratiam propositum coaptavit, ut de canonico Dunensis archidiaconus, de Dunensi Pisciacensis, de Pisciacensi decanus, de decano episcopus obtinuerit Dei providentia promoveri. Item vero, tam in spiritualibus quam temporalibus circumspectus, in consiliis providus, in judicio justus, in prosperitate mitis, in adversitate fortis, sobrie & caste vivendo, humiliter & devote. prudenter & cum moderamine suos subditos importune opportune salubriter corrigendo, fratres canonicos & familiares suos studiose ad concordiam invitando, adversariis ecclesiæ consulte & viriliter resistendo circa commissum suæ sollicitudini officium per annos XVI. cum Dei auxilio, dispensator strenuus laboravit. Operibus intentus misericordiæ, miseriam inopum & gemitum pauperum nunquam sprevit; visceribus pietatis affluens, pauperes, orphanos & viduas amplectendo, a conventibus religiosorum & maxime pauperum monialium faciem non avertit: & quod mirum videtur, in sua senectute tenacitatem & avaritiam repulit & contemsit, plebemque sibi commissam, tam misericorditer quam salubriter gubernavit. Ecclesiam circa cultum divinum augmentari disposuit, eam possessionibus ampliavit, ipsamque juxta sui sancti propositi benignum arbitrium in institutione personarum virtutibus & fama pollentium, non habens considerationem necessitudinis, sanguinis, nec ad originem, magnifice decoravit; & quamplures de civitate atque diœcesi, tam in majori ecclesia quam alibi in diœcesi ad beneficia sublimavit: ita quod in retroactis temporibus non legitur qui tot personas de civitate & diœcesi vocaverit ad ecclesiastica beneficia & etiam dignitates, & in suo regimine sic est laudabiliter conversatus & taliter approbatus, talentaque sibi credita taliter ampliavit, quod in die disceptationis extremæ pater familias, qui talenta ipsa sibi credidit & commisit, justam & irreprehensibilem creditur posse reddere rationem. Porro divino faciente præsidio, sic bona temporalia suis sibi temporibus abundarunt,*

abundarunt, & ea fideliter adeo dispensavit, quod ædificia episcopatui perquam necessaria, apud Bercherias videlicet domum novam cum clausula pulcherrima, & apud Pontem gočni amplam & tornellis ornatam granchiam construxit sumtu non modico, & domos Buisseii, & etiam episcopales domos Carnotenses quibusdam ædificiis in eis de novo constructis optime reparavit: necnon circa trecentas libras annui redditus episcopatui acquisivit, & de duodecim libris annuis anniversariorum suorum anniversaria augmentavit. Insuper & parcimoniæ suæ studio episcopatum super contractis jamdudum debitis prædecessorum suorum temporibus, usque ad summam duorum millium librarum Turonensium erga monasteria beati Launomari Blesensis, & sancti Martini de Campis Parisius, & alias liberavit, & eum ab omni ære alieno dimisit liberum & immunem. Præterea mille libras Carnotenses ad augmentationem divini servitii in hac ecclesia assignavit, & anniversarium suum solemne constituit, ad quod faciendum annis singulis quindecim libras annui redditus assignavit. Terræ sanctæ sexcentas libras dedit: familiæ suæ non solum debitas, sed & gratuitas remunerationes, & aliis piis locis totum residuum salubriter erogandum. In ecclesia Fratrum Prædicatorum ante majus altare juxta suorum avunculorum sepulcra honorifice est sepultus, exspectans veram carnis resurrectionem die novissimo, & cum sanctis & electis Dei percipere portionem, quam sibi concedat fons misericordiæ Deus noster, amen. Prædictas quindecim libras solvit episcopus, de quibus clerici de choro habent sexaginta solidos.

LXXVI. Simon I.

DE PERRUCHE

Canonici Carnotenses post obitum Petri a rege episcopi eligendi veniam petierunt an. 1275. ex inventario thesauri chartarum; sedes tamen adhuc
1276. vacasse legitur in chartis mense Septemb. 1276. & Sabbato post *Reminiscere* anni, ut hodiernus
1277. est mos, 1277. forte quia obtenta a rege venia, tunc tantummodo ex canonico & archidiacono
Chart. CIV. col. 372. Pisciacensi electus est Simon Martini IV. summi pontificis nepos, qui postmodum Romam profectus; ibique post diuturnam disceptationem confirmatus, consecratus, obedientiam professus Nicolao papæ, ab eodemque regi commendatus anno pontificatus tertio, antequam Carnotum ingrederetur, ab archiepiscopo Senonensi requisitus fuit, ut ipsi & ecclesiæ Senonensi debita & consueta a suffraganeis præstaret officia. Simon primo abnuere, utpote qui sedi apostolicæ hanc prius fecerat professionem. Archiepiscopus itaque huic pontificium quodlibet munus in diœcesi Carnotensi interdixit, speciatimque ordines celebrare vetuit, quos ad diem Sabbati post Pentecosten indixerat. Melius consultus Simon XII. calendas Julii anni
1280. 1280. die Jovis ante nativitatem sancti Johannis Baptistæ, qua synodum celebrabat archiepiscopus, Senonas venit, ibique solemniter ut episcoporum provinciæ decanus receptus, debitam & consuetam publice fecit archiepiscopo & ecclesiæ Senonensi coram tota synodo professionem. Inde Carnotum accedens, clientes episcopi ad ingressum suum

A vocavit ad diem Dominicam post festum sanctæ Magdalenæ, inter quos cum nec per se, nec per procuratorem adsuisset Carolus rex Siciliæ, feodum ejus de Aloya cepit Simon die Lunæ post festum sanctæ Magdalenæ, quem tamen in manu Johannis argentarii regis reddidit die Mercurii sequenti. Concilio Senonensi interfuit die Mercurii post festum sancti Michaelis, ubi delegatus ab episcopis, ut sententiam adversus Johannem de Ambasia, qui Pontilevienses monachos vexabat, latam ad effectum perduceret, alios delegavit die Jovis post festum sancti Dionysii, & arbiter rem definivit die Martis post festum sancti Andreæ. Ch. XXV. col. 436. Amplis. coll. t. VIII, col. 277.
B Contendit eodem anno cum Roberto de Galardone pro justitia in terra de Ermenonvilla. Eodem anno, sin mavis sequenti, Sabbato scilicet post Cineres, de mandato concilii, de quo supra, sex libras Parisienses imposuit solvendas pro itinere Romano deputatorum ab eodem concilio ad Romanam curiam pro statu & negotiis ecclesiæ Gallicanæ, ab abbatibus de Burgo medio, de Nealpha veteri & de Josaphat. Excepit anno 1280. hominium Roberti comitis Drocensis, 1281. Caroli regis Jerusalem & Siciliæ per procuratorem, & 1283. Beatricis comitissæ Drocarum. Petro filio regis Franciæ comiti Alenconii, Blesarum & Car- Chart. CV, col. 372. 1281.
C noti solemni jurejurando spopondit in capella turris Carnotensis se pro virili conservaturum urbem Carnotensem an. 1281. Recognovit eodem in festo sancti Petri ad Vincula collationem personatuum & dignitatum ecclesiæ Carnotensis, sede vacante, alternis vicibus ad regem & episcopum pertinere. Circa id tempus Romam petiit, ut discimus ex instrumento Margaritæ Siciliæ reginæ, quo forsan in itinere canonisationem S. Ludovici prosecutus est, ut habetur in literis Martini IV. ad Rotomagensem & Autissiodorensem præsules anno 1281. X. cal. Jan. pontificatus anno primo. Abbatiam Guichiæ ab ordinaria diœcesani epi-
D scopi jurisdictione exemit anno 1283. pro decem 1283.
libris annui reditus. Subscriptus habetur anno eodem chartæ magni pastoralis Parisiensis de reditibus capituli pro quadam ædicula tradita domui Dei de Spedona Carnotensis diœcesis. Villam de Boissiaco ab ecclesia de Autoliolo separatam parochialem effecit anno circiter 1284. Memoratur 1284.
eodem die Mercurii post festum sancti Matthæi in tabulis sancti Maglorii. Ipse est proculdubio Carnotensis episcopus, qui erat apud Telliacum die Lunæ post festum sancti Martini hiemalis Mabill. Anal. t. III, pag. 510.
anni 1285. cum Simone Bituricensi archiepi- 1285.
scopo, quo venerant obviam corpori Philippi
E regis Franciæ Perpiniani defuncti. Excepit eodem anno clientelam Margaritæ reginæ Jerusalem & Siciliæ. Litem habuit cum rege Philippo Audace, qui, vacante sede Carnotensi, contulerat decanatum S. Andreæ & præbendam in ecclesia sancti Mauritii tempore & ratione regalium Carnotensium, quæ coercere volebat episcopus ad præbendas majoris ecclesiæ, sed causa cecidit in parlamento Omnium sanctorum anno 1286. Pluri- Concordia Sac. & Imp. col. 1324. 1286.
mas excepit clientelas Sabbato post Pentecosten

ANNI CHRISTI

anno 1289. Eodem a Johanne Choleto cardinali S. Ceciliæ delegatus, transtulit Sorores Minores
1289. e burgo Trecarum in Parisiense sancti Marcelli
1290. monasterium. An. 1290. die Jovis post octavam sanctæ Magdalenæ dedit licentiam consecrandi cœmeterium xenodochii in castro de Montils fundati ab Aalicia comitissa olim Blesensi, & voluit ut ejusdem rector ab heredibus deinceps nominaretur. Abbatem Tironiensem vocavit ad synodum pro successu felici belli sancti habendam 8. Oct.
1293. 1293. Querelam habuit cum capitulo super fructibus quorumlibet diœcesis beneficiorum sibi a papa primo vacationis anno indultis, quæ ab arbitris definita est anno eodem. Hospitale pauperum cœcorum a Reginaldo Barbou in civitate Carno-
1294. tensi institutum laudavit mense Novembri 1294. Eodem anno Gacho de Loigniaco miles huic obedientiam & subjectionem spopondit. Johannem de Corbolio ad parochiam de Domnamartina Simoni præsentavit Benedictus cardinalis mense
1296. Novembri 1296. Amalricus major de Ballolio huic clientelam professus est pro majoria sua die
1297. Jovis post Ascensionem 1297. Denique ne quid dissimulem, duæ sunt in chartulario Tironiensi, cujus exemplar præ manibus est, Simonis literæ datæ 27. Novembris & 28. Januarii 1297. quibus testatur episcopus archidiaconos Carnotenses fassos fuisse coram ipso nihil jurisdictionis & procurationis habere se in monasterium & appendices Tironii; unde sequeretur falsam esse diem mortis ejus in epitaphio mox referendo assignatam. Et certe obitus Simonis annotatur ad primordia
Spicil. t. XI. pag. 598. anni 1298. in chronico Guillelmi Nangii. Parisiis defunctus Simon humatur in choro ecclesiæ sanctorum Innocentium, ubi legitur Gallica inscriptio [a], sic Latine reddita: *Hic jacet nobilis vir M. Simon de Perruche, bonæ memoriæ olim episcopus Carnotensis, nepos sancti patris nostri apostolici Martini, qui ibi elegit humiliter suam sepulturam inter pauperes, & excessit anno gratiæ 1297. die Lunæ post festum Omnium sanctorum. Orate pro eo.* De eo in obituario Parisiensi legitur: *V. calendas Novembris obiit beatæ memoriæ D. Simon olim episcopus Carnotensis, qui dedit nobis 300. libras ad opus anniversarii sui.*

DE GARLANDE.

LXXVII. JOHANNES II.

Johannis de Garlande militis domini de Vineux filius Johannes, e subdecano Carnotensi subroga-
1298. tus est episcopus ineunte anno 1298. ex chronico Guillelmi Nangii, die vero Lunæ ante festum sancti Vincentii, ex regesto Roberti Mignon. Modernus dictus episcopus, Margaritæ reginæ Jerusalem & Siciliæ clientelam excepit Senonis anno 1297. qui tam de exeunte superiori anno, quam de initio anni insequentis potest intelligi. Guillelmo rectori de Monteforti concessit facultatem, ut a quocumque episcopo ad minores ordines ad titulum dictæ ecclesiæ posset promoveri, die Lunæ

a *Cy gist noble homme M. Simon de Perruche de bonne memoire, jadis evesque de Chartres, neveu de nostre Pere l'Apostole Martin, qui a esleu ceans par humilité sa sepulture entre les pauvres, & trespassa l'an de Grace 1297. le Lundy d'après la Toussaincts. Priés Dieu pour luy.*

A post Decollationem S. Johannis Baptistæ 1298. ex chartulario sancti Maglorii, ubi præsentatum ad parochiam de Meriaco excepisse dicitur Sabbato ante festum sanctorum Lupi & Egidii. Philippus rex Johanni confirmavit procurationes ipsi per diœcesim debitas, quas nonnulli recusabant,
Sabbato post Cineres anno 1302. Querelam habuit cum Carolo filio regis Francorum, qui arbi- 1302.
tros nominavit anno 1303. Insequenti rex Phi- 1303.
lippus dedit ecclesiæ Carnotensi centum annui 1304.
reditus libras in gratiarum actionem pro felici Ch. CVII. col. 374.
pugna Montium in Pabula. Fundatam in ecclesia sancti Leobini de Brajoto capellam confirmavit
B Johannes die Veneris post *Quasimodo* 1305. In- 1305.
sequenti adfuit translationi capitis sancti Ludovici 1306.
regis Francorum, ad Sacram capellam Parisiensem, ubi cum aliis episcopis largitus est unum annum & dies 20. indulgentiarum in gratiam vere pœnitentium & confessorum, qui ad hoc festum convenerant. Arbitrorum inter Davidem sancti Launomari & Gaufridum Pontilevienseni abbates disceptantes sententiam approbavit anno 1307. A 1307.
Clemente V. summo pontifice delegatus quædam in sua diœcesi præscripsit an. 1308. mense Martio 1308.
pro prioratu de Hennemont. Corpus sancti Piati martyris elevavit anno 1310. Concilio Viennensi 1310.
C adstitit anno 1311. ob idque privilegiis a summo 1311.
pontifice donatus est annis insequentibus, totoque durante concilio pro ejus sospitate cantata est quotidie missa a capitulo. Confirmavit eodem anno monachis Tironiensibus decimas ecclesiæ de Condreto & prioratum de Castaneis. Transegit anno
1312. cum comite Vindocinensi pro jurisdi- 1312.
ctione, eodemque anno exemtionem monasterii Vindocinensis agnovit. Initam inter monachos sancti Maglorii & presbyterum de Viaco compositionem confirmavit Dominica ante Assumtio-
nem 1314. Conventioni inter abbatem ejusdem 1314.
monasterii & priorem de Hennemont sigillum
D apposuit suum die Veneris in festo Omnium sanctorum. Officialem Pisciacensem commisit die Veneris post festum hiemale sancti Martini, qui de juribus sancti Maglorii in ecclesia S. Leodegarii de Laya inquireret, cui respondit officialis die Mercurii ante festum sancti Clementis. Capellam de Charmeya contulit, cujus agnovit jus patronatus ad abbatem sancti Maglorii pertinere, die Mercurii in crastino sancti Gregorii, hic est 13.
Martii anni exeuntis 1314. ineuntis vero 1315. 1315.
quo testamento die Martis in vigilia S. Carauni condito, plura fundavit anniversaria pro se ipso, parentibus & Guidone fratre defuncto, multaque
E propinquis & amicis legavit. Non ergo obiit anno 1314. ut apud Sammarthanos, sed 1315. ut vult D. du Fourni, & quidem calendis Octobris. Sepultus fuit apud Franciscanos in veteri ecclesia sub tumba marmorea nigri coloris, in qua inducta est ejus effigies marmoris albi; sed destructa anno 1568. ecclesia, & in urbem translata, nullum nunc hujusce superest vestigium. Johannis temporibus pulsæ sunt e civitate sorores Beguinæ, quæ prava dogmata disseminabant.

ANNI CHRISTI

LXXVIII. ROBERTUS IV.

DE JOIGNI.

Obtenta 9. Octob. quam post obitum Johannis
Ch. cviii. & cix. col. 375. a rege Ludovico eligendi postularant licentiam Sabbato post festum S. Remigii 1315. canonici, in episcopali solio substitutus est Robertus canonicus Carnotensis, ex stirpe comitum de Joigniaco, patruus Johannæ comitissæ uxoris Caroli Valesii comitis Alenconii. Ecclesiam suam solenniter ingressus est die Dominica post festum sancti Lucæ. Multas his initiis excepit clientelas. Clero Carnotensi nota fecit Sabbato post *Oculi mei* statuta novissime, cui adstiterat, celebrati concilii Senonensis super appellatione Flamingorum. Ei B
1316. quoque exhibitæ fuere clientelæ anno 1316. die Dominica post festum sanctorum Jacobi & Philippi. Cum Egidio Rotomagensi arbiter electus fuit querelæ inter Philippum Longum, & ducem Burgundiæ nobilesque Campaniæ & Briæ mense
1317. Julio 1317. Querelam habuit cum Roberto d'Ivri ratione patronatus Leprosariæ Ibriacensis, quæ
1318. sopita est anno 1318. die Mercurii ante festum sancti Martini. Clientelam decani excepit anno
1319. 1319. Grave dissidium habuit anno eodem cum canonicis Carnotensibus occasione sententiæ ab officiali ipsius latæ, ob quam citatus in capitulo appellavit officialis a privilegiis eorumdem, unde C lites inextricabiles, suspensiones, excommunicationes ex utraque parte. Canonicos quoque episcopus excommunicavit, eo quod visitationem ejus abnuissent, die Martis post festum sancti Bar-
1320. tholomæi 1320. Postea ecclesiæ suæ regimine vicariis generalibus Philippo abbati sancti Petri Carnotensis & Johanni de Bova legum professori demandato, iter ad curiam Romanam ob id negotii arripuit, ubi Johannes papa XXII. omnia restituit bulla data Avenione xv. calend. Augusti, pontificatus anno v. Antequam proficisceretur Robertus, concilio provinciali apud S. Petrum de Meleduno die Martis post *Misericordia Domini* D adstiterat. Habitum aliud ibidem die Mercurii in
1321. octava S. Martini hiemalis 1321. cui an adfuerit Robertus incompertum. Recensetur in quadam concessione indulgentiarum ecclesiæ beatæ Mariæ
1322. de castro Trecis mense Martio 1322. Permissu
1323. Johannis XXII. transtulit prima Decemb. 1323. caput S. Martini. Clientelas recepit annis 1323.
1324. & 1324. die Mercurii ante Cathedram S. Petri & post festum hiemale sancti Martini. Cerebrum sancti Johannis Baptistæ in veteri maceria ecclesiæ de Nogento Rotroci repertum levavit, & in so-
1325. lenni vasculo condidit anno 1325. nonis Maii. Synodum habuit anno eodem die Mercurii post E festum sancti Lucæ, in qua statuta edidit, quæ videsis Ampliss. collect. tomo VII. col. 1364. Immunitatem monasterii Vindocinensis appro-
1326. bavit anno 1326. Multa ecclesiæ suæ largitus, defunctus est eodem anno die 20. *al.* 25. April. & tumulatus apud Joigniacum in sepulcro proavorum in ecclesia prioratus beatæ Mariæ.

LXXIX. PETRUS III.

DE CHAPPES.

Roberto defuncto, ad Carnotensem ecclesiam A transtulit Petrum episcopum Atrebatensem Johannes XXII. bulla data Avenione XII. calendas Junii, pontificatus anno x. Hanc habes tomo 3. in appendice col. 81. Cognominabatur de Capis ab ejus nominis castro in diœcesi Tricassina, in quo in lucem editus erat. Cancellarius Franciæ fuerat ab anno 1316. ad 1320. Factus episcopus Carnotensis, cum Petro Autissiodorensi a Carolo Rymeri tom. IV. p. 420.
rege legatus fuit pro tractando negotio pacis inter reges Galliæ & Angliæ, ut constat ex literis ejusdem Caroli datis prima Apr. 1326. nunc 1327. 1327.
Eodem anno hunc Johannes XXII. cardinalem creavit presbyterum tituli, non sancti Clementis, ut diximus tomo tertio col. 335. sed S. Martini in Montibus xv. calendas Januarii anno 1327. Dictus cardinalis Carnotensis obiit die 24. Martii 1336.

LXXX. JOHANNES III.

PASTÉ.

De Johanne domino du Plessis Pasté & de Montlhery locuti jam fuimus tomo tertio col. 335. In ecclesia Carnotensi a juventute enutritus, e decano ejusdem & archidiacono Laudunensi ad Atrebatensem episcopatum vocatus, hic quoque ex Atrebatensi a Johanne XXII. translatus est ad Chart. cxi col. 375.
Carnotensem bulla data Avenione x. cal. Januar. pontificatus anno XII. Cameræ apostolicæ promisit die 23. Februarii 1328. ut constat ex libro 1328.
obligationum Vaticani. Guillelmo archiepiscopo Senon. obedientiam spopondit. Johanni nondum ecclesiam Carnotensem ingresso, nec fidem capitulo professo, capitulum concessit die Veneris post festum S. Remigii hac vice, ut missam celebraret in ecclesia Josaphati, rogatus a rege, qui Carnotum peregrinationis causa venerat, & per hanc abbatiam transibat. Ordines celebravit in ecclesia sancti Carauni mense Decembri, & transegit cum capitulo mense Februar. Johannis Britanniæ ducis cum Johanna de Flandria nuptias in ecclesia Carnotensi rege præsente celebravit ineunte anno 1239. Possessionem apprehendit & sacramentum 1329.
præstitit die 3. Octob. anni ejusdem. Initam inter priorem & parochum de Chuinia compositionem ratam habuit 29. Octobris 1329. Venditionem terræ S. Georgii super Aduram factam capitulo Carnotensi a Guidone buticulario confirmavit 10. Februarii, & clientelam pro hacce a capitulo recepit. A Bertrando Nivernensi episcopo emit die Martis ante Purificationem an. 1330. domum 1330.
episcopatus Nivernensis Parisiis sitam in vico Judæ. Adfuit dedicationi ecclesiæ sancti Ludovici Pisciacensis die 12. Februarii 1330. præsente rege Philippo VI. cum pluribus aliis præsulibus. Abbatem Tironiensem vocavit die 5. Oct. ad synodum pro auxilio regi ad arma se accingenti præstando celebrandam post festum S. Lucæ. Dissensio orta inter eum & Guillelmum vicedominum Carnotensem dominum de Mellaio sopita est per clientelam, quam episcopo professus est vicedominus die Jovis 18. Apr. 1331. E vita migravit Johan- 1331.
nes 30. Martii anni ejusdem exeuntis, qui nunc est 1332. a qua die episcopatus temporalia in manibus regiis fuere ad diem 4. Julii sequentis, ex

ANNI CHRISTI

schedis D. du Fourni. Sepultus est Johannes in A
choro ecclesiæ sancti Johannis in Valle.

DE CHASLUS.

LXXXI. Aimericus II.

Not. in vit. pap. Aven. col. 840.

De castro Lucii dictum Aimericum putat Baluzius a loco originis suæ in Lemovicibus. Doctor juris solennis, fuit primo canonicus Lemovicensis, dein archidiaconus Transvigennensis in ecclesia Turonensi; auditor palatii apostolici, missus est a Johanne XXII. anno pontificatus quarto in Italiam nuncius apostolicus ad compescendam audaciam quorumdam hominum potentium, qui Romanæ ecclesiæ juribus insultabant. Ab eodem Ravennas archiepiscopus renunciatus est anno B
1322. Romandiolæ provinciæ rector & comitatus Britonorii a sede apostolica constitutus, a Ravennensi ad Carnotensem ecclesiam translatus
1332. anno 1332. electus promisisse legitur die 8. Maii in libro obligationum Vaticani. Varias excepit
1333. clientelas annis 1333. 34. 36. 37. 38. 41. 42.
1334. Summum pontificem Benedictum XII. datis 1. Dec. pontificatus hujus papæ anno primo literis rogavit, ut præbendam Carnotensem pauperi monasterio de Josaphat indulgeret adinstar aliarum ecclesiarum, quæ pari gaudebant privilegio. Fundatam a Lora de Ponthieu domina de Roosni vidua nobilis Guidonis Mauvoisin capellam in C
suo manerio Villæ novæ *en Chevrier*, confirmavit
1336. 12. Maii 1336. Ratam habuit anno 1337. ini-
1337. tam inter monachos sancti Petri & parochum d'Arron transactionem. Amicus ad monasterium
1341. Vindocinense accessit anno 1341. cujus immunitates & privilegia agnovit. Componit cum Simone abbate Majoris monasterii pro procurationibus ipsi debitis in prioratibus monasterii sitis in diœcesi Carnotensi, pro quibus abbas dedit ei prioratum de Calvigniaco, certamque ei quotannis pecuniæ summam assignavit in dictis prio-
1342. ratibus 10. Septembris 1342. Strenuissime per annos jam decem ecclesiam Carnotensem rexerat, D
cum die 20. eorumdem mensis & anni ornatur purpura & titulo sancti Martini in Montibus a Clemente VI. & crastina die 21. temporalium in possessionem rex venit ad diem XI. Nov. Vir, ut refert Hyeron. Rubeus hist. Ravennat. libro VI. ingenio præstans Aimericus & egregiis moribus clarus, legatione apostolica functus est mittente Clemente VI. anno sui pontificatus primo, quod munus adhuc exercebat anno 1345. Clementis quarto. Insequenti apud Avenionem erat, quando Carolus marchio Moraviæ futurus imperator præstitit sacramentum de servandis ecclesiæ juribus. Tot tamen distentus negotiis, Carnotensis ecclesiæ E
non oblitus est Aimericus; capellam enim parochiæ de Tielino univit 4. Maii 1346. Dedit & capitulo 12000. florenos auri de Florentia pro 12. canonicis in capella sancti Piati instituendis 16. Maii 1349. Obiit eodem anno, memoratus in necrologio Carnotensi ad VII. idus Januarii, & in obituario monialium sanctæ Mariæ de Bonasania in Lemovicibus ad XVII. cal. Novembris. Orationem in ejus laudem habuit Clemens VI. quæ edita est Lovanii anno 1575. post medi-

ANNI CHRISTI L'AMY.

tationes Henrici cardinalis Portugalliæ.

LXXXII. Guillelmus II.

Vir summæ scientiæ, probitatis & morum Guillelmus Amici Lemovix, ex auditore Rotæ electus Aptensis, cameræ apostolicæ promisit 28. Octobris 1341. unde post promotionem Aimerici, Clementis VI. familiaris, ab eodem pontifice ad Carnotensem ecclesiam translatus bulla data anno pontificatus primo, promisit XI. Octobris 1342. Ordinatus episcopus dicitur XI. Novemb. in schedis D. du Fourni, quod non omnino intelligitur. Jam enim episcopus erat Aptensis, antequam fieret Carnotensis, ut constat ex pactis matrimonii domini de Turre, de quibus in episcopis Aptensibus. Vicarios nominavit, qui capellam de Gondrevilla infirmariæ Josaphatensi annecterent
24. Junii 1343. Electus est eodem anno arbiter 1343.
inter Guillelmum Bertrandi dominum castri sancti Romani in diœcesi sancti Flori, & Johannem episcopum Aniciensem super proprietate villæ de Capella in diœcesi Aniciensi. Narrat scriptor vitæ secundæ Clementis VI. quomodo Guillelmus ab Aimerico cardinale legato delegatus est pontifi-
catus Clementis anno IV. hoc est 1345. ut dis- 1345.
cordias inter Pisanos & Luchinum vicecomitem tiondum sopitas conciliaret, ut Insubriæ regulos a mutuis inferendis cladibus abduceret, & ut curaret Andræam regem Siciliæ ejusque uxorem coronari; sed strangulato rege a perduellibus, in curiam remeavit Guillelmus, ut de rebus Siciliæ regem faceret certiorem. Exstat tomo tertio Vaddingi in appendice p. 330. breve Clementis VI. Johanni archiepiscopo Neapolitano & Guillelmo episcopo Carnotensi apostolicæ sedis nuncio, ut restitui faciant bona per Sanciam reginam relicta in pios usus, XII. calend. Septembris pontificatus quarto datum. Dedicavit cum aliis episcopis ecclesiam de Escoyaco diœcesis Rotomagensis & indulgentias concessit, quas confirmavit Clemens VI. octavo calendas Maii pontificatus quarto. Prolixas fecit ordinationes pro bono regimine, & percipiendis dispensandisque reditibus cœnobii sanctæ Mariæ
de Monte alto mense Octobri 1346. indictione 1346.
XIV. Missus est anno 1347. in Galliam cum Pa- 1347.
store Ebredunensi, ut revocari procuraret constitutionem Philippi regis latam adversus prælatos & personas ecclesiasticas, quæ tum in regno non erant præsentes, ut constat ex epistolis Clementis ad Johannam reginam Franciæ, quas habes Spicileg. tomo quarto pag. 272. ad Philippum VI. regem & ad Fulconem episcopum Parisiensem in collectione Baluzii ad vitas paparum Avenionensium col. 702. Hoc nomine anno eodem cum Pastore Ebredunensi archiepiscopo literas Viverii dedit ad archiepiscopum Narbonensem de pecuniæ summa per ipsos Narbonensi provinciæ imposita. Plures hoc quoque anno excepit clientelas ad jurisdictionem episcopalem spectantes per procuratorem nempe, absens enim in chartis Carno-
tensibus memoratur ultima Januarii 1348. nec 1348.
ecclesiam Carnotensem aliter per annos octo, quam per vicarios rexit, manens semper apud

ANNI CHRISTI

curiam Romanam, vel ab eadem diversis mune- A
ribus præpositus. Factus est anno 1349. patriarcha
1349. Jerosolymitanus, simulque commendata est ei
ecclesia Forojuliensis, quam ad mortem usque
tenuit, quæ contigit apud Montempessulanum die
Not. in vit. pap. Aven. col. 911. 9. Junii 1360. ex Baluzio. Guillelmi cadaver de-
latum ad ecclesiam cathedralem Lemovicensem,
sepultum est in corollario, a parte sinistra, in
sacello S. Thomæ, ubi visitur ejus statua lapidea,
& habet absolutionem. In libro obituum ecclesiæ
Lemovicensis his verbis recensetur ad diem 9.
Junii: *Hic fiat anniversarium quondam Dom. Guil-
lelmi Amici de castro Lemovicarum, & familia hone-
storum burgensium Amici oriundi, Carnotensis episcopi* B
*ac Jerosolymitani patriarchæ, viri utique sanctissimi,
& miraculis in dies coruscantis, hac die defuncti anno
Domini M. CCCLX.* Repete quæ diximus tomo
primo hujus novæ editionis col. 364. & 436.
& emenda.

DE VAUCEMAIN.

LXXXIII. Ludovicus I.

Carnotensis electus Ludovicus, patria Trecensis,
promisit die 18. Martii 1349. ex libro obliga-
tionum. Insequenti Februario mense Johanni de
Vaucemain nepoti dedit quidquid habebat in terra
de Parreoi. Mensis ejusdem die XI. anni exeuntis
1350. 1349. seu, ut nunc computamus, 1350. a Guil- C
lelmo Senonensi archiepiscopo interdicto, suspen-
sione & excommunicatione perculsus est, eo quod
visitationem ejus admittere nollet, ipsique debitam
procurationem denegaret; at tandem jure visitandi
gaudere archiepiscopum agnovit, pacemque &
concordiam cum Guillelmo iniit, ut patet ex in-
strumento receptionis ejusdem archiepiscopi die
6. Maii 1350. Ludovicus autem a rege Johanne
1351. 18. Martii 1350. nunc 1351. delegatus est cum
Raymundo de Salga decano Parisiensi, Guillelmo
Durandi ejusdem ecclesiæ canonico, Johanne de
Levis & Arnaldo de Roquefeuil, qui cum dele-
gatis regis Aragonum conciliarent subditos utrius- D
que regis qui clarigatione utebantur. Eidem adhuc
negotio Perpiniani vacabat 6. Oct. 1351. Quin
1352. in remotis agebat die Veneris sancta 1352. Lu-
dovicus, qua vicarii ejus generales abbati de Burgo-
medio facultatem fecere recondendi reliquias sancti
Leonardi in alia capsa. Obtinuit die 4. Augusti
1353. anni 1353. senatusconsultum, quo Philippus Na-
varrus propter Yolandam de Flandria comitissam
Barri coactus est ad solvendam redemtionem *(le
rachat)* baroniarum, quas nomine uxoris tenebat
ab episcopo Carnotensi. Cameræ apostolicæ pro-
1354. misit die 16. Januarii 1354. Statuta synodalia
1355. edidit 1355. Transegit die 18. Apr. cum decano E
Amplis. col-lect. t. VII. col. 1366. & capitulo ecclesiæ Parisiensis, eisque remisit pa-
nes centum & duos vini modios, quos episcopis
Carnotensibus pro pastu debebant, utpote quibus
Agobertus Carnotensis episcopus ad hoc dederat
ecclesiam Spedonensem. Carnotensi capitulo le-
gavit domum suam Parisiis sitam. Fato functus
1357. 1357. 19. Januarii conditur Parisiis ad Eremitas
Augustinianos versus cornu Evangelii.

ANNI CHRISTI

LXXXIV. Simon II.

LE MAIRE.

E Dolensi ad Carnotensem ecclesiam translatus
Simon solvit 27. Junii pro ecclesia Dolensi, cui
præfuerat & 23. Decembris 1357. pro Carno-
tensi, ad quam transferebatur, ex libro obligatio-
num Vaticani. Clientelas hoc & annis 1358. & 1358.
1359. excepit. Huic quoque debita præstitere 1359.
officia Audoïnus cardinalis Magalonensis archi-
diaconus Dunensis die Lunæ post *Quasimodo* &
Johannes decanus die Lunæ XI. Maii 1360. De- 1360.
functus eodem anno Simon deportatur in eccle-
siam S. Martini in Valle, unde translatus sepelitur
21. Junii ad pulpitum Evangelii in ecclesia Ma-
joris monasterii, cujus per longa tempora fuerat
abbas. De eo in necrologio Josaphatensi legitur:
*XIII. calendas Julii obiit bonæ memoriæ R. P. do-
minus Simon le Maire quondam episcopus Carnoten-
sis, qui dedit nobis ad reedificationem ecclesiæ nostræ
50. florenos ad scutum.*

LXXXV. Johannes IV.

D'ANGUERANT.

Ludovici de Vaucemain nepos Johannes, Car-
notensis a teneris canonicus, consiliarius regis ac
præses in camera computorum, ex decano Carno-
tensi factus est episcopus. Huic clientelas pro-
fessi sunt 8. Martii 1361. Philippus de Navarre, 1361.
& die Martis in Conversione S. Pauli Johannes
le Royer abbas de Arcisiis. Circa id tempus e
custodia ereptus rex Johannes Carnotum venit
gratias Domino acturus, canonicisque, qui ingen-
tem pecuniam redemtionis ejus pretium eroga-
verant, jus quod dicitur *committimus* donavit. Atre-
batum a rege missus Johannes recepit 100. flore-
nos auri 3. Julii 1362. 200. 4. Junii, totidem- 1362.
que X. Sept. 1364. 200. ultima Dec. 1366. 1363.
& 25. libras 1368. Parochiam sancti Petri in 1364.
burgo de fisco Blesensi cum parochia S. Nicolai 1365.
conjunxit 14. Decembris 1362. In remotis age- 1366.
bat Sabbato post *Oculi mei* 2. Martii 1363. quo
vicarii ejus generales ad electum abbatem de Ar-
cisiis confirmandum assignarunt diem Jovis post
Lætare Jerusalem. G. archiepiscopo Senonensi
mense Maio 1365. obedientiam spopondit. Ec-
clesiæ Parisiensis canonicis dedit literas die XI.
Julii Dominica anno 1367. quibus significat ad 1367.
eorum ecclesiam die Sabbati proxima accessurum
se, ut pastum ad quem episcopis Carnotensibus
tenentur, pro hoc anno recipiat. In veteri instru-
mento dicitur ad Laudunensem cathedram trans-
latus circa 2. Augusti anni ejusdem. Hæc est forte
translatio, cui non adquievisse Johannem signi-
ficat Urbanus V. literis datis pontificatus anno VI.
in inventario thesauri chartarum. Bonorum epi-
scopatus copiam rex Johanni fecit literis 13. No-
vembris ejusdem anni. Memoratur in regestis ca-
meræ computorum 13. mensis ejusdem. Johanni
tractatum de Solutione decimarum inscripsit circa
festum Pentecostes anni, ut videtur, 1368. Guil- 1368.
lelmus abbas S. Petri Carnotensis, quem translato
Johanne, Guillelmo statim successori nuncupavit.
Tractatus est mss. in bibliotheca sancti Petri. Va-
cantem enim ad ecclesiam Belvacensem transtulit

ANNI CHRISTI

Johannem Urbanus V. bulla data apud Montemflasconem IX. cal. Octob. pontificatus anno VI. cui adquievisse videtur, uti dicemus in episcopis Bellovacensibus, ubi de eo plura. Et certe sedes vacasse legitur 12. Octobris 1368. in regestis Parlamenti Parisiensis. Johannes memoratur in necrologio sancti Aviti ad VI. calendas Maii.

DE CHANAC.

LXXXVI. GUILLELMUS III.

Parisiis ortus Guillelmus, parentibus Guidone de Chanaco & Isabella de Monte Berulphi, pronepos Guillelmi, nepos vero Fulconis episcoporum Parisiensium, monasticen septennis amplexus in abbatia sancti Martialis Lemovicensis, ejusdem factus est capicerius, tum patruis jubentibus Parisios profectus est, ubi in decretis lauream adeptus, alios vicissim edocuit. Fuit autem prior Longipontis, abbas Vezeliacensis & Besuensis & Salmuriensis, & cancellarius Ludovici Andium comitis, quidquid contradicat Baluzius. Ab Urbano V. Carnotensis fit episcopus bulla data apud Montemflasconem IX. calendas Octobr. pontificatus anno sexto. Electus promisit pro Johanne & Simone antecessoribus 24. Nov. Possessionem per procuratorem iniit die Jovis 7. Decembris, ipse vero Dominica post Purificationem, qua die juramentum exhibuit pro ecclesia sua Carnotensi.
1369. Multas hic quoque anno hoc & sequenti excepit clientelas. Indulgentias concessit ecclesiam & sepulcrum S. Thomæ visitantibus. Ad Mimatensem ecclesiam transiit sub finem anni 1369. aut initium 1370. ut asserunt tabulæ Mimatenses & Carnotenses, & regesta Vaticani, tandemque creatus est cardinalis tituli sancti Vitalis anno 1371. die 6. Junii. Testamentum condidit die 29. Dec. 1384. quo Carnotensi capitulo legat 100. francos auri pro anniversario quotannis celebrando pro se & parentibus. Illud habes apud Baluzium in collectione ad vitas paparum Avenionensium tomo secundo col. 952. Obiit ex necrologio Salmuriensis ecclesiæ, ubi sepultus est, die 30. Dec. dies tamen obitus assignatur 29. ejusdem mensis anni 1384. in epitaphio. Vide quæ de eo in episcopis Mimatensibus tomo primo col 99. & vitas paparum Avenionensium Baluz. tomo primo col. 1087. & 1451.

D'ARCEY.

LXXXVII. GUARINUS.

Ex auditore Rotæ & legum doctore Guarinus, summæ scientiæ & gratiæ vir, patrocinio Gregorii XI. Carnotensis electus, ab ipso inauguratus est.
1370. Cameræ promisit apostolicæ 21. Jan. 1370. ex libro obligationum. Roberti de Vieuxpont clien-
1371. telam excepit die 30. Aprilis 1371. Sabbato post
1372. *Quasimodo* Parisiis. Anno 1372. instituitur exse-
Prob. hist. dom. Arvern. pag. 182. Ch. CXII. col. 3-8. cutor testamenti Guidonis de Bolonia cardinalis episcopi Portuensis & S. Rufinæ, conditi Avenione die 6. Maii. Anno 1374. die Martis post Ramos Palmarum 17. Apr. hic est annus 1375.
1375. primo post consecrationem suam & solemniter in ecclesiam suam ingressus est, delatus in cathedra
Reg. episcop. Carnotensis fol. 31. lignea more solito per D. G. vicedominum Carnotensem a latere anteriori, & per D. Nicolaum de Loigniaco ab uno posteriori, ab alio vero per D. P. Drocensem militem & pro D. de Foresta, nomine tamen episcopi postulantis, eo quod terra domini de Foresta certis de causis erat in manu episcopi. Domina vero de Alloya & de Brajoto, quia non comparuit, posita fuit in delectu. Hac in solemnitate baculum episcopi portavit abbas sancti Johannis in Valle absque præjudicio partium, ex chartis Carnotensibus. Eodem anno Johannes de Borbonio comes Marchiæ & de Vindocino hominium Guarino præstitit ob castellaniam de Rupibus episcopi. Guillelmus Gast capicerius Carnotensis Guarino clientelam professus est 14. Maii 1376. nomine Johannis cardinalis Ambianensis archidiaconi Vindocinensis. Idem præstitit Yolanda comitissa de Barro pro terris de Brajoto, &c. Eodem anno Guarinus decessit die 10. Augusti in palatio episcopali, quod ex parte refecerat. Jacet ante majus altare Dominicanorum. 1376.

DU PUY.

LXXXVIII. EBLO.

Patria Lemovix Eblo, germanus Geraldi de Podio cardinalis Majoris monasterii sic dicti, eo quod Petro alteri fratri in regimine istius monasterii successerat, e subdecano absens a capitulo Carnot. præsul postulatus, a Gregorio papa XI. electus & confirmatus est. Solitum fidelitatis juramentum ultima Octobris 1376. regi Carolo præstitit, qui ballivo Carnotensi eadem die mandavit, ut temporalibus hujus ecclesiæ episcopum uti & gaudere faceret. Eodem anno Eblo clientelas excepit & declaravit 29. Decembris in prioratu sancti Thomæ Spernonensis amicum se & non episcopum pransum fuisse. Insequenti Johannes de Neella miles clientelam ei professus est 19. Julii 1377. pro feodo de Foresta apud Quercum deauratum in domo Guillelmi Rotomagensis archiepiscopi apud Pontisaram. Recognovit pro Guarino antecessore 12. Octobris & promisit cameræ apostolicæ 12. Novembris anni ejusdem. Fundavit capellam beatæ Mariæ de Nivibus, & reædificavit ex parte manerium de Ponte goëni. Migravit a seculo die Dominica 26. Februarii 1379. qui nunc 1380. Cadaver terræ mandatur ad S. Johannem in Valle juxta principem aram.
(1377. 1380.)

LE FEVRE.

LXXXIX. JOHANNES V.

Bartholomæo Fabro Parisiis natus Johannes, ex abbate sancti Vedasti Atrebatensis, ut diximus tomo tertio col. 388. episcopus Carnotensis a Clemente VII. pronunciatus die 15. Mart. 1380. promisit & recognovit pro Eblone 17. ejusdem mensis. Margaritæ de Elvat clientelam excepit die 25. Maii. Idem ei præstitit Geraldus cardinalis subdecanus Carnotensis per procuratorem 22. Octobris 1381. aliique 16. Decembris. Anno 1381.
eodem a Carolo VI. missus est ad ducem Britanniæ die 16. Junii pacis ineundæ gratia. Ecclesiam parochialem de Goheriaco contulit 14. Septemb. cujus patronatus ad abbatem S. Michaelis spectat. Cancellarius Ludovici Andegavensis Siciliæ regis, pro eo & Maria Siciliæ regina multis perfunctus est legationibus, ut ex diario ab ipsomet confecto

ANNI CHRISTI

ab anno 1381. ad 1388. palam fit. Memoratur
14. Febr. 1382. in regesto 24. chartophylacii
1382. regii. Anno 1383. recepit clientelam Johannis
1383. de Bourbon 13. Junii & Reginaldi d'Angennes
die Jovis penultima Julii. Ad regem Castiliæ missus est anno eodem. De regulis quibusdam convenit cum abbate Burgi medii 9. Februarii
1384. 1384. Cum Petro cardinali de Luxemburgo archidiacono Drocensi pepigit pro officiali foraneo & sigillifero promotore 23. Martii. Excepit die
1388. Lunæ post Pascha 1388. hominium Philippoti
de la Panneterie armigeri pro feodo de la Fenade.
Ch. CXIII. col. 378. Carnotensem episcopum præcipuum heredem ordinavit testamenti codicillis, cujus curam demandavit Egidio Vaurensi episcopo, Matthæo de Peronne Carnotensi canonico & Johanni de Moy
1390. præposito Vedastino diebus X. & XI. Jan. 1390.
indictione XIII. Animam Deo reddidit die XI. Avenione, defensor studiosus Clementis VII. sub quo variis functus erat provinciis. Sic legitur Johannis epitaphium in lapide incisum juxta parietem in ecclesia sancti Martialis Avenionensis prope mausolæum cardinalis de Croso:

Parisius genitum niger excipit ordo tenellum,
Eximius doctor canonis inde sacri.
Trinochii primo, Vedasti denique cœtus
Moribus & vita splendidus abba regit.
Intrusum Romæ detestans rite Johannes,
Clementem Petri sceptra tenere docet.
Undena tandem Jani sub luce quievit
Carnotum præsul, sis sibi, Christe, pius.

In codice 814. Colbertino exstat tractatus de schismate a Johanne compositus Paris. an. 1379.

XC. JOHANNES VI.

DE MONTAIGU.

Gerardi domini de Marcouci ex Bietta Cassinel filius Johannes, Gerardi Pictaviensis tum Parisiensis episcopi germanus, senator Parisiensis, ex thesaurario Bellovacensi, necnon camerario pontificis Clementis VII. ad cathedram Carnotensem subvectus, recognovit pro Johanne antecessore ultima Januarii an. 1390. ex libro obligationum. Occurrit & 19. Februarii in regesto Clementis VII. Plurimas excepit clientelas penultima Aug. Huic sese submisit Yolandis de Flandria comitissa Barrensis pro baroniis d'Alluye, de Brou, Montmirail, Authon & la Basoche 4. Septemb. Tempus ad solvendum cameræ pontificiæ prorogatum Jo-
1391. hanni est ultima Julii & 23. Decembris 1391.
Pepigit anno eodem cum Guillelmo de Poitiers archidiacono Pisciacensi pro juribus hujusce ar-
1392. chidiaconatus. Adfuit anno 1392. translationi
reliquiarum S. Ludovici in ecclesia S. Dionysii. Yolandis de Flandria comitissa de Barro huic pro-
1393. fessa est clientelam die XI. Aprilis 1393. Ab
exsecutoribus ultimæ voluntatis Johannis decessoris recepit summam 1052. florenorum cameræ apostolicæ debitam ob promotionem suam, de qua exsecutores liberavit 21. Julii. Guillelmus cardinalis archidiaconus Carnotensis huic præstitit
1394. hominium 15. Julii 1394. Excepit hominia Reginaldi d'Angennes anno 1394. Stephani Morier

A 1395. Mariæ la Brosseronne viduæ Theobaldi ANNI
Gouffier 1398. Simonis de Richebourg 1401. CHRISTI
Abbatem & conventum sancti Johannis in Valle 1395.
ad pristinam disciplinæ severitatem reduxit die Ch. CXIV. col. 383.
Mercurii 28. Junii 1396. Consecrationi ecclesiæ 1396.
Alborum Mantellorum adstitit anno 1397. Pe- 1397.
pigit cum Odone Fouboucherii decano super
jurisdictione ecclesiastica 16. Aprilis 1398. Pro- 1398.
topræses cameræ computorum factus 19. Febr. sacramentum præstitit ultima ejusdem mensis, qua donatus est summa 2000. librarum officiorum
ergo, aliaque 9. Junii 1399. ad acquirendam 1399.
domum. A rege in Angliam missus est die 29.
B Januarii cum Anglis tractaturus. Arbiter electus ab abbatibus de Tironio & de Troncheto, declaravit abbatiam de Troncheto pendere a Tironio
die Mercurii post Nativitatem Domini an. 1400. 1400.
juxta calculum Gallicanum indictione IX. Missus
fuit anno 1401. ad reginam Angliæ in Franciam 1401.
reducendam. Cum Johanne priore sancti Martini composuit anno eodem super procurationibus ipsi debitis, quas ad 10. florenorum summam assignavit 10. Februarii. Clientelam excepit Ro-
berti ducis Barrensis 16. Octobris 1402. Prius 1402.
confirmaverat emtionem factam ab abbate Vindocinensi 25. Maii. Procurator regis Caroli VI.
C una cum Jacobo de Bourbon comite Marchiæ fœdus sanciit inter regem & Audoënum princi-
pem Walliæ anno 1404. Querelam habuit cum 1404.
capitulo Parisiensi super jure patronatus ecclesiæ
de Spedona, cui renunciavit an. 1405. Franciæ 1405.
cancellarius eodem anno factus est. Insequenti sancti Petri impugnabat archidiaconatum. Tra-
ductus anno 1406. a Benedicto XIII. ad metro- 1406.
polim Senonensem, ut inibi dicemus, Carnotensem ecclesiam pretiosa ornamentorum supellectile ditavit. Johanne sedente, Augustiniani religiosi, qui Carnoti absque licentia episcopi & civium sedem fixerant, ab eo expulsi sunt.

D

XCI. MARTINUS.

GOUGE DE CHARPAIGNES.

De Martino diximus jam tomo secundo col. 291. Ducis Bituricensis ærario præfectus est anno 1402. Ex canonico Bituricensi Carnotensis episcopus anno 1406. reliquias perlustravit in cœnobio sancti Corentini, ex Sammarth. Generalis vectigalium judex a rege institutus mense Aprili
1408. pecunia ab eodem donatus est ad emenda 1408.
vasa argentea pro convivio consecrationis ipsius die 8. Junii, & 3300. libris officiorum ergo die 26. Septembris anni ejusdem; unde quis nec immerito concluderet hoc tantum anno inaugu-
E ratum fuisse Martinum. Legatos misit ad conci- *Spicil. t. 6. pag. 363.*
lium Pisanum anno 1409. Captus est eodem
anno mense Octobri cum Johanne Montaigu, & 1409.
in carcerem detrusus, e quo paulo post data pecunia exiit. Composuit cum capitulo pro loco
cameræ capitularis 10. Aprilis 1414. quem ipse 1414.
largitus est. Regis consiliarius & ducis Aquitaniæ delphini Viennensis regis primogeniti cancellarius, una cum Johanne Senonensium archiepiscopo generalis commissarius instituitur pro subsidio a clero Gallicano regi concesso anno eodem.

ANNI CHRISTI

Insequenti Martinus transfertur a Johanne XXIII. A
ad ecclesiam Claromontensem vacantem per obi-
1415. tum Henrici, bulla data Friburgi Constantiensis
diœcesis tertio idus Maii, pontificatus anno v.
Quo deposito postmodum per concilium Con-
stantiense pontifice, Martinus a Martino papa V.
confirmatus & denuo translatus fuit bulla data
Constantiæ septimo cal. Febr. pontificatus primo,
ex regestis Vaticani. Reliqua videsis loco citato
tomo secundo col. 291.

XCII. Philippus I.

DE BOIS-GILOUD.

Ch. CXV. col. 384. Ch. CXVI. col. 385. Ch. CXVII. col. 385.

Quam post Martinum translatum petierant a
rege 25. Julii, eligendi facultate 30. ejusdem B
mensis obtenta, canonici tacitis elegerunt suffra-
giis die 4. Septemb. Philippum de Bosco Giloudi
nobilem, licentiatum in legibus, regis consilia-
rium, & canonicum Carnotensis ecclesiæ. Hujus
electionis instrumentum ad Johannem archiepi-
scopum Senonensem eadem die direxerunt, ro-
gantes ut Philippum cito confirmatum sacro inun-
ctionis munere donaret. Johannes variis tum regis
tum ecclesiæ Senonensis distentus negotiis, Ge-
rardo Parisiensi episcopo & Felici abbati de Bello-
loco curam demandavit die 16. Septembris, ut
hanc electionem expenderent. Hi literis 17. ejus-
Ch. CXVIII. col. 387. dem mensis datis assignata Parisiis ad examen die C
7. Octob. Philippum electum confirmarunt, Ge-
rardusque Parisiensis & Johannes Meldensis dele-
gati 16. Septembris ab archiepiscopo Senonensi,
Ch. CXIX. col. 388. die 20. Decembris comprovinciales invitaverunt
ad consecrationem Philippi Dominica post Epi-
phaniam celebrandam. Regiis quoque literis datis
Rotomagi 22. Octobris 1415. confirmatus Phi-
lippus, tempus obtinuit ad præstandum regi fidei
sacramentum usque ad Purificationem. Sic inau-
gurato Philippo Oliverius de Husson recognovit
debere se clientelam profiteri pro terra de Mar-
1416. chevilla 1416. 20. Aprilis die Lunæ post Pascha.
Ipse est Philippus, non vero Ludovicus, cui clien- D
telam exhibuit Johannes d'Angennes pro terra de
la Lupa, si revera exhibuit, die 13. Maii 1416.
ut legitur hist. Magnatum Franciæ tomo secundo
pag. 424. Litigabat mense Septembri cum Mar-
tino antecessore pro sartistectis episcopatus. No-
1417. minatur in veteri regesto die 14. Junii 1417.
ubi mutuo 50000. librarum Turonensium regi
se obstrinxit cum aliis præsulibus Gallicanis. Con-
sensit cum Milone decano parochiæ S. Saturnini
in urbem transferendæ, fundum præbente Maria
1418. d'Angennes, prima Augusti 1418. Diem postre-
mum clausit 21. Sept. cum prius testamenti tabu-
lis in Franciscanorum basilica sepeliri mandasset. E

XCIII. Jordanus.

DES URSINS.

Defuncto Philippo, ecclesia Carnotensis com-
mendata est Jordano cardinali des Ursins anno
1418. quo mense Aprili pro unitate ecclesiæ,
paceque inter Angliæ & Galliæ reges componenda
a summo pontifice missus, degebat in Gallia. Huic
autem cum post elapsum forsan legationis tempus
renunciasset, electus est sequens. Reliqua quæ ad
ipsum spectant videsis in historia cardinalium.

XCIV. Johannes VII.

ANNI CHRISTI

DE FITIGNI.

Humberti ex Catharina de la Palu filius, nepos
vero Petri cardinalis de Fitigniaco archidiaconi
Blesensis defuncti die Martis post festum Omnium
sanctorum anni 1392. Johannes Burgundus, in
legibus licentiatus, ex canonico & archidiacono
Blesensi postulatus a capitulo, fit a Martino V.
episcopus Carnotensis per cessionem cardinalis
Ursini XIII. calendas Januarii anni 1419. ita 1419.
habent regesta Vaticani. Sic electus Johannes cum
propter Armaniacenses Carnotensem agrum occu-
pantes non posset apud sanctum Martinum in
Valle, sicut priscus erat mos, in capitulo sancti
Petri Carnotensis solitum canonicis præstitit sacra-
mentum. Regi vero fidem dixit 17. Maii 1420. 1420.
Æmulum passus est Robertum Delphini, cui ad-
hærentes in synodo circa hoc tempus a commu- Ch. CXX. col. 388.
nione ecclesiæ Carnotensis sejunxit. Thomæ co-
mitis Saresberiensis & Perticensis ob quinque ba-
ronias clientelam excepit 24. Junii 1426. Anno 1426.
1428. nunc 1429. decanus suffraganeorum pro- 1429.
vinciæ Senonensis Johannes adfuit concilio pro-
vinciali apud Parisios coacto mense Martio a
Johanne metropolita Senonensi. Occisus est anno
1432. 25. Martii die Sabbati post *Judica* in 1432.
urbis invasione per Johannem Aurelianensem co-
mitem Dunensem, cum staret a partibus Bur-
gundionis.

XCV. Robertus V.

DAUPHIN.

De Roberto jam fuimus prælocuti tomo primo
col. 32. & tomo secundo col. 359. E regio
Francorum genere oriundus, filius nempe Beraldi
II. Arverniæ Delphini, comitis Claromontensis
& baronis de Mercorio, & Margaritæ comitissæ
Sacricæsaris, germanus autem Johannæ Jaquelinæ
abbatissæ sancti Menulphi, ex monacho Casæ Dei
abbas Tironiensis, electus jam Carnotensis dicitur
in archivis capituli Claromontensis præsens jura-
mento, quod eidem capitulo præstitit Martinus
Gouge e sede Carnotensi ad Claromontensem
translatus anno 1419. die Dominica 26. Martii
hora tertia indictione XII. Martini V. pontificatus
anno secundo. Vide tomum secundum col. 291.
in notis. Quin eodem anno die 19. Jan. se ipse
dicit episcopum Carnotensem & dominum de
Mercuer in chirographo, quo testatur se perce-
pisse 1300. libras Turonenses ad legationem ob-
eundam apud reges Castiliæ & Aragoniæ; instru-
mentum est in camera computorum. Unde ortum
in ecclesia Carnotensi schisma, dum alii alii ad-
hærent episcopo, vacant ecclesiæ totaque pertur-
batur rerum facies. Horum miseratus malorum Ch. CXX. col. 388.
Johannes, Roberto *intruso* faventes communione
ecclesiæ privatos declaravit in synodo, cujus tem-
pus non assignatur, sed nec propterea pontificalia
exercere destitit munia Robertus. Guillelmus enim
Grimault ad benedicendum ei est præsentatus an.
1426. haud tamen episcopis Carnotensibus annu-
merandus videtur ante annum 1432. quo vacanti
per obitum Johannis Carnotensi ecclesiæ provi-
disse legitur Eugenius IV. de persona Roberti
Delphini

ANNI CHRISTI

Delphini monachi Benedictini tertio cal. Junii in regestis Vaticani, ubi electus iterum dicitur 16. Junii ejusdem anni. Sedis hujus regimen obtinuisse fertur a Sammarthanis favente Carolo VII. rege, tametsi canonicorum scrutinio postulatus fuisset Philippus Prunellé S. Launomari Blesensis abbas. Regi fidem juravit die 23. Januarii anni exeuntis 1432. bienniomque post ad Albiensem ecclesiam translatus est ab Eugenio IV. 22. April.
1434. 1434. pontificatus IV. ex regestis Vaticani, ubi translatus adhuc dicitur XI. calend. Aprilis 1435. quia nimirum aemulum passus est electum a capitulo Bernardum de Cassiliaco, cujus in favorem
Ampliss. collect. t. VIII. col. 741. 771-772. 875. concilio Basileensi dederunt literas die 8. Septemb. B 1434. consules Albienses, canonici vero pro Roberto eidem concilio scripserunt die 16. Novemb. sicut & Carolus rex 24. ejusdem mensis. Attamen sententia ejusdem concilii ab Albiensi dejectus est Robertus ecclesia, in qua confirmatus Bernardus 19. Novemb. 1435. Reliqua videsis in episcopis Albiensibus. Fuit & Robertus abbatiae Issiodorensis administrator perpetuus, quam ad mortem usque retinuit, quae obtigit an. 1461. ex Baluzio.

LE MOINE.

XCVI. THEOBALDUS.

a Patria Cenomanus Theobaldus [a], juris utriusque doctor, Elizabethae Siciliae reginae a consiliis, C sedis apostolicae protonotarius, electus jam Sagiensis ab anno 1433. ex regestis Vaticani, Carnotensis ibidem dicitur 24. Maii 1434. Huic electo Carnotensi & papae referendario Eugenius papa IV. tertio nonas Julii 1434. indulsit, ut per septennium dioecesis suae ecclesias per alium visitari faceret. A summo pontifice superioris resignatione promotus ad episcopatum a Sammarthanis dicitur prima Septemb. 1434. quod genus obtinendi beneficia per resignationem, inquiunt, nondum auditum fuerat in hac ecclesia. At in regestis Vaticani Theobaldus Monachus promotus tantum ad Carnotensem ecclesiam dicitur per abrogatio- D nem literarum promotionis Theobaldi ad Sagiensem pridie calendas Maii 1435. ab Eugenio IV. Multas admisit clientelas an. 1434. per Alexium Bouin in legibus licentiatum, archipresbyterum Burgoliensem in dioecesi Andegavensi, nepotem suum & vicarium generalem. Officio hoc functi sunt die 3. Novembris Johannes de Villabrema archidiaconus Blesensis, Johannes Bude archidiaconus Vindocinensis die 14. ejusdem, & Nicolaus de la Chapelle decanus 24. Decembris. Adstitit
1435. Theobaldus die 7. Decemb. 1435. Aquis sextiis in regio palatio clientelari juramento Siciliae reginae exhibito ab hominibus civitatis Aptae, qui E ab ea privilegiorum immunitatem obtinuere, ex archivis regiis Aquensibus. Relaxavit unam e duabus procurationibus ipsi debitis a Philippo abbate sancti Launomari propter paupertatem monasterii
1436. anno 1436. Electum Johannem Barre abbatem
Chart. CXXIII. col. 392. sancti Johannis confirmavit 25. Septemb. 1438.

1438. a Theobaldus fratrem habuit Johannem Monachum, nepotes Alexium Bouin & Jacobum Marais, neptem Johannam la Bouine uxorem Bineti Bouret mercatoris apud Andegavos, duos pronepotes Johannem & Theobaldum les Marais, ut patet ex testamento ejus paulo ante mortem condito.

A Testamento condito die Jovis 22. Junii 1441. elegit sepulturam in ecclesia sancti Johannis de Hospitali Parisiis, cui nonnulla legavit, sicut ecclesiae collegiatae sancti Petri Andegavensis, ubi parentes ejus sepulti, ea lege ut quolibet mense duo anniversaria pro iis celebrarentur. Defunctus jacet Parisiis in capella aedis prioratus militiae Jerosolymitanae sancti Johannis de Laterano sub hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus Theobaldus Monachi Cenomanensis dioecesis, dudum Dei gratia Carnotensis episcopus, utriusque juris doctor & referendarius domini Eugenii papae IV. qui obiit anno Domini 1441. die 28. mensis Junii, cujus anima requiescat in pace. Amen.* ANNI CHRISTI 1441.

XCVII. PETRUS IV. DE COMBORN.

Omissus a Sammarthanis Petrus, abbas Obasinae in dioecesi Lemovicensi, Theobaldo defuncto sufficitur episcopus ab Eugenio IV. XV. cal. Septemb. 1441. ex regestis Vaticani, ubi adhuc memoratur 27. mensis sequentis. Fidei juramentum praestitit eodem anno, ex regesto camerae computorum Parisiensium. Possessionem adeptus est die 5. Januarii 1442. & a summo pontifice ad ecclesiam 1442.
Ebroicensem translatus v. cal. Februarii 1443. 1443.
ubi de eo plura.

XCVIII. PETRUS V. BECHEBIEN.

Petro translato suffecit Eugenius IV. alterum Petrum, ut legitur in regestis Vaticani: *Petrus Bechebien, qui se gessit pro episcopo Carnotensi, provisus Carnotensis per translationem Petri, de quo supra, ad Ebroicensem, ab Eugenio IV. v. calend. Februarii 1443.* Hic autem Petrus patria Blesensis, cum esset medicinae doctor, reginaeque physicus vel archiatrus, quin & decanus facultatis medicinae in academia Parisiensi 6. Novemb. 1417. a Carolo Delphino *gratia exspectativa* ecclesiae Laudunensis donatus est, scriptis capitulo 30. Martii 1418. literis. Inde Sacrae capellae Parisiensis thesaurarius, archidiaconus Drocensis & praepositus Normanniae in ecclesia Carnotensi, episcopus eligitur 28.
Januarii 1443. Reperitur 24. Maii 1446. in 1446.
tabulario Fontanellensi. Querelam habuit eodem anno die 5. Novembris cum abbate beatae Mariae de Pontilevio ratione procurationum in prioratu sancti Valeriani. Pepigit cum Philippo des Courtils
super praesentatione apparitorum 19. Febr. 1447. 1447.
Percelebris in ecclesia Carnotensi habitus est magnatum conventus die 15. Maii 1450. ut dissi- 1450.
dium inter summum pontificem & ecclesiam Gal- Ch. CXXVI. col. 400.
licanam omnino tolleretur, concordiaque cum Nicolao V. super collatione & provisione beneficiorum stabiliretur. Perlustravit Petrus die 19.
Decembris 1451. capsam sancti Marculfi in aede 1451.
collegiata beatae Mariae Meduntensis, una cum Johanne Columbensi, Roberto de Nealsa veteri & Guillelmo de Grandi campo abbatibus. Convenit cum abbate beatae Mariae de Pontilevio de procurationibus sibi debitis 23. Martii. Eadem de
re transegit 25. Octob. 1452. cum abbate sancti 1452.
Launomari. Assensum praebuit unioni monasterii Chart.
S. Gemmae factae monasterio Columbensi anno CXXVII. col. 401.

ANNI CHRISTI

1453. Abbatem de Tironio benedixit XI. Nov.
1456. Abbatis S. Vincentii obedientiam excepit
12. Novemb. 1458. Obierat ante 19. Martii se-
1453. quentis, qua die dato diplomate Carolus rex licen-
1456. tiam fecit capitulo episcopum eligendi. Defunctus
1458. tumulatur in ecclesia sancti Johannis in Valle, seu
Chart. CXXVIII. col. 402. potius apud sanctum Caraunum, de cujus cano-
nicis bene meritus est.

XCIX. Milo.

D'Illiers.

Post obitum Petri, canonici Carnotenses a rege
Chart. CXXVIII. col. 402. Carolo eligendi petierunt licentiam, qui de gratia
speciali dedit, eos hortatus, ut pastorem eligerent
Deo gratum & ecclesiæ utilem 19. Martii 1458.
Aliquanto tamen post legatis ad capitulum missis,
Ch. CXXIX. col. 402. scriptisque per Johannem comitem Dunensem
1459. die 6. Maii 1459. literis, Milonem decanum ejus-
dem ecclesiæ ad futuram electionem commen-
davit. Regis votis annuit capitulum, electusque
Milo Ludovico de Melun Senonensi archiepi-
Ch. CXXX. col. 403. scopo obedientiam promisit 7. Junii, confirma-
tusque a Pio II. pridie calendas Septemb. 1459.
Ch. CXXXI. col. 403. inunctus est Mantuæ a Guillelmo d'Estouteville
cardinali die Sabbati 8. Septembris ejusdem anni.
Is autem ex vetusta nobilique familia de Illariis,
Petri equitis toparchæ illius loci filius, frater autem
Florentii, de quo in obsidione Aureliæ, in ex-
pugnatione Carnotarum, &c. apud Johannem
Chartier & alios, ubi de Carolo VII. ex Parisiensi
legum doctore, senatore Parlamenti ac decano
Carnotensi ad hanc cathedram assumtus, adhuc
electus dicitur XI. Septembris ejusdem anni in
regestis Vaticani. Statuta condidit anno 1459.
asservata inter mss. codices Baluzii in bibliotheca
regia. Theaudi de Chateaubriant clientelam exce-
pit pro castellania de Loigniaco die Mercurii 12.
Martii, & abbatissæ de Aqua prima Januarii. Pri-
Spicil. t. 5. pag. 587. mus nominatur inter suffraganeos provinciæ Se-
nonensis in concilio Senonis habito anno 1460.
1460. Causa cecidit adversus Johannem Cheneteau ma-
jorem archidiaconum Senonensem, cui conserva-
tum jus *inthronisandorum* episcoporum Carnoten-
sium, decreto Parlamenti Parisiensi 4. Decembris
1462. 1462. Jussus est a rege Ludovico ad quem ap-
pellaverat, reconciliare ecclesiam sancti Petri in
Valleia pollutam sanguine monachorum, quos
servi episcopi ad monasterium visitandi gratia ac-
cedentis, mutilaverant. Literæ regiæ datæ sunt
1465. Carnoti 20. Februarii 1465. Apostolicæ solvit
1466. cameræ anno secundo Pauli II. hic est 1466.
Vocatus fuit ad comitia regni Turonensia anno
1467. 1467. Clientelas recepit 9. Aprilis anni ejusdem.
Abbatem Eleemosynæ benedixit die Dominica
1468. 6. Novembris 1468. Querelam habuit cum Ra-
ginaldo de Paris archidiacono magno Carnotensi
super *saisina* juris vulgo *deportus* nuncupati 23.
1469. Junii 1469. Sacros generales ordines in ecclesia
collegiata beatæ Mariæ de Pisciaco celebravit die
Sabbati 7. Aprilis anni ejusdem exeuntis. Que-
relam habuit cum Renato de Chateaubriant pro
1470. clientela terræ de Loigniaco mense Maio 1470.
Abbatem sancti Launomari benedixit 18. Aprilis
1471. 1471. & 22. abbatissam sancti Corentini. Circa

A id tempus lites habuit cum capitulo circa juris-
dictionem, quibus cecidit. Monasterii Vindoci-
nensis immunitatem ab episcopo recognovit anno
1475. 21. Maii in die festo sanctissimæ Trini- 1475.
tatis, quo ad monasterium solenniter peregrinus
accessit. Biennio post 1477. immunitatem abba- 1477.
tis & monachorum sancti Launomari impugnabat.
Anno 1478. parochiam sancti Jacobi & lepro- 1478.
sariam sancti Bartholomæi de Isleriis tenebat in
commendam. Interfuit dedicationi ecclesiæ paro-
chialis sancti Martini in claustro sancti Marcelli
Parisiensis 24. Aug. 1480. Abbatem de Tironio 1480.
anno eodem 20. Octobris ad synodum vocavit.
B Nescio qua de causa administratio episcopatus in
spiritualibus 21. Julii 1482. a Juliano non ita 1482.
pridem legato, & in temporalibus a rege cuidam
judici nomine Boffile commissa est, nisi forte quia
excommunicatus fuisse dicitur Milo: quo tempore
canonicis coram eo officium celebrare renuentibus,
ex ecclesia exire coactus est. A Tristando archi-
episcopo Senonensi ad synodum provincialem
suffraganeorum decanus vocatus est die 6. Junii
1485. & ut suffraganeos vocaret invitatus, tum 1485.
literis regis & universitatis super ipsius postulata
responsuros, tum ad reformandum clerum. Geor-
gii de Brilhac admisit clientelam 31. Aug. 1484.
C Antonii de Vieuxpont ob castellaniam de Pont-
goin 4. Novembris 1486. & ducis Nemorosii 1486.
22. Februarii 1487. Abbatissam sancti Aviti 1487.
benedixit 10. Novembris 1491. Senio confectus 1491.
dicitur in literis Innocentii octavi ad episcopum
Aurelianensem 17. Dec. ejusdem anni. Ejuravit
episcopatum anno 1492. retenta pensione. Vica- 1492.
rius in spiritualibus Renati episcopi Carnotensis
literas *dimissorias* dedit 5. Junii & 24. Novemb.
anni ejusdem, sacrosque ordines in ecclesia colle-
giata B. Mariæ de Medunta celebravit die Sabbati
post Dominicam *Lætare Jerusalem* 23. Martii,
more Gallicano. Sublatus e vivis 15. Octobris
D 1493. sepelitur in ecclesia Dominicanorum Car-
notensium, alii dicunt in capella sancti Nicolai
al. sanctorum Sergii & Bacchi episcopali domui
contigua. Maximis sub Carolo VII. Ludovico XI.
& Carolo VIII. functus est legationibus. Delegatus
a Ludovico XI. fuit ad Carolum Nivernensem
comitem e propagine Burgunda, ut cum a fœdere
ineundo cum Carolo comite Carolesii averteret.
Scripsit Miloni Robertus Gaguinus ordinis san-
ctissimæ Trinitatis generalis minister epist. 21.

C. Renatus.

D'Illiers.

Milonis ex fratre Florentio Carnotensium ballivo
E nepos Renatus, matrem habuit Johannam de
Contes neptem Johannis le Mercier domini No-
genti, majoris domus regiæ præpositi sub Carolo
VI. fratres autem Carolum decanum & Floren-
tium Carnotensis ecclesiæ magnum archidiaco-
num. Ipse vero in utroque jure licentiatus, abbas
Bonævallis, cessione patrui jam octogenarii, bene-
ficio Caroli VIII. successor ejusdem episcopi re-
nunciatur tertio nonas Decembris anno 1492.
ab Alexandro VI. cujus literas regi præsentavit
Sabbato in Purificatione beatæ Mariæ 2. 3. & 4.

ANNI CHRISTI

Februarii, supplicans ut sacramentum ejus admit-
teret, cui respondit rex causam ejus recogniturum,
quia nempe inter Renatum lis inerat & Milonem,
qui pensionem sibi reservarat. Quam quidem litem
1493. cum definiisset senatus consulto 7. Sept. 1493.
regalia die 19. mensis ejusdem ei fuere adjudicata,
quibus tamen non statim potitus videtur; nam in
regestis Parlamenti legitur quod anno 1493. die
26. Febr. Renatus d'Illiers seipsum dictitans epi-
scopum Carnotensem, de temporalibus episcopii
sui manum regis levari postulaverit, quandoqui-
dem saepe se ad fidem regi jurandam obtulisset,
pluriesque renunciasset defunctus Milo d'Illiers de-
cessor suus ultimus & immediatus: cumque regis
homines dixissent sublatas sibi videri causas, prop-
ter quas rex illum ad fidem admittere noluerat, nec
prohibere se quominus fructuum percipiendorum
libertas ipsi concederetur, cum jampridem in eam-
dem sententiam literas ad regem ipsum dedissent;
requirente regis procuratore, curia manum regis
a dictis fructibus levavit, ut iis libere frueretur
dictus Illerius, ea conditione, ut ad fidem juran-
dam praesto semper esset. Scribendum tamen
ad regem censuit, ejusque responsum quindecim
diebus exspectandum, priusquam illud decretum
suum pronunciaretur. Sic munitus Renatus, Tri-
stando Senonensi archiepiscopo obsequium polli-
1495. citus est 10. Julii 1495. Paulopost admissus dici-
tur (forte in ecclesiam suam) a Sammarthanis die
4. Decemb. Eodem anno Franciscum ducem Bor-
bonii sepelivit in ecclesia castri Vindocinensis,
protestatus Ludovico de Crevant cardinali abbati
nullum sibi jus competere in ecclesiam Vindoci-
nensem. Sententiam tulit adversus camerarium
monasterii Tironiensis, quem Ludovicus abbas
1498. deposuerat, 7. Maii 1498. Eodem anno adfuit
judicio lato a commissariis pontificiis pro rescin-
dendo matrimonio regis Ludovici cum Johanna
de Francia 17. Decembris. Electionem Matthaei
Gouffier abbatis de Arcissiis confirmavit in mo-
1499. nasterio Bonaevallis 13. Novembris 1499. Abba-
1501. tissam de Claretis benedixit 23. Maii 1501. Pe-
1504. pigit die 3. Junii 1504. cum Ludovico Pot epi-
scopo Tornacensi & abbate S. Launomari super
procurationibus. Ejus temporibus igne e coelo
delapso, e campanilibus alterum cum sex campanis
1506. die 2. Augusti 1506. funditus periit: servata
tamen ab incendio cathedrali, processionem gene-
ralem in gratiarum actionem indixit Renatus, cui
nudis pedibus interfuit. Naturae debitum solvit in
domo episcopali die 8. Aprilis anni incipientis
1507. 1507. sepultusque est apud sanctum Caraunum
in choro sub tumba marmoris albi.

Prob. libert. eccl. Gall. tom. 1. cap. 16. de regal. artic. 52.

Hist. Divors. prob. pag. XXXV.

CI. Erardus.

DE LA MARK.

Defuncto Renato, rex Ludovicus XII. datis
literis apud Villanum die 12. Aprilis canonicos
rogavit, ut ne episcopum eligerent, quin prius
proxime ab ipso deputandos audiissent oratores,
aliis Mediolani datis ultima Maii, ut eligerent
episcopum Leodiensem ducem Bullonii, quem
regis nomine eis designaverat cardinalis a Lu-
xemburgo. Congregati canonici prima Junii per
A viam sancti Spiritus nil profecerunt: rem itaque
compromisso permiserunt, electionemque ad diem
28. mensis ejusdem assignarunt: alias interim
eadem de re receperunt literas die 15. a cardinali
de Ambasia, quibus fultus commendationibus,
electus pro more est a capitulo, inquiunt Sammar-
thani, Erardus *al.* Everardus de la Mark germa-
nus Roberti ducis Bullonii, Franciae marescalli &
Sedani principis: unde e Leodiensi, quam tamen
non reliquit, ad Carnotensem translatus legitur
ecclesiam 5. Novemb. 1507. in regestis Vaticani.
Is nomine Ludovici XII. regis ad Maximilianum
imperatorem missus fuerat legatus, ideoque ab eo-
B dem episcopatu Carnotensi remuneratus est. Sub-
scripsit pactis matrimonialibus Ludovici regis &
Mariae ab Anglia 14. Sept. 1514. Per vicarios 1514.
regebat generales 30. Octobris 1517. Carolum 1517.
d'Illiers canonicum & praepositum de Ingreio in
ecclesia Carnotensi, & Antonium de la Voüe ca-
nonicum & archidiaconum Dunensem. Cum
autem insequenti anno ad Caesarianas partes de-
fecisset, ad preces Caroli V. imperatoris creatus
fuit cardinalis a Leone X. pontifice Romae v. idus
Augusti 1521. Itaque biennio post a Rege epi- 1521.
scopatu spoliatus fuit, regaliaque in ecclesia Car-
notensi anno 1523. aperta. Nonnisi tamen anno 1523.
C 1525. datus est ei successor, quicum transegit,
ut jam diximus, sub annua 9500. florenorum
pensione. Defunctus sepelitur Leodii marmoreo
sepulcro, quod in medio choro basilicae sibi ere-
xerat, hoc brevi titulo adjecto: *Erardus a Marka
mortem habens prae oculis, vivens posuit.* Vide epi-
scopos Leodienses tomo tertio col. 905.

CII. Ludovicus II.

GUILLARD

Caroli Guillard domini d'Espichelliere alterius
in senatu Parisiensi praesidis ex Johanna de Vigna-
court filius Ludovicus Parisiensis, ecclesiae Tor-
nacensis, cujus erat episcopus, fructibus spoliatus,
D eo quod in Francia apud regem ageret, urbe Au-
striacae ditionis facta, cum Erardo Carnotensi
episcopo, qui ad Caesaris partes defecerat, conve-
nit, & ad Carnot. ecclesiam per cessionem Erardi
cardinalis Leodiensis translatus 29. Mart. 1525. 1525.
dicitur in regestis Vaticani. Decano & capitulo
Senonensi, sede vacante, juravit obedientiam 10.
Maii & admissus est die 2. Julii. Querelam habuit
anno eodem cum Johanne d'Orleans archiepi-
scopo Tolosano & episcopo Aurelianensi pro terra
de Loigniaco. Vicario generali eodem tempore
utebatur Ludovico Bouchier cantore & canonico
Carnotensi 21. Octobris. Clementem Marot ob
E haeresim carceribus mancipandum jussit die 13.
Martii 1525. (1526.) ballivisque & praepositis
Parisiensi, Turonensi & Blesensi mandavit, ut eum
capi facerent. Quapropter & quia cardinali Lotha- 1526.
ringo addictus erat, dicteriis eum incessere Neo-
terici. Admisit die 28. Septembris 1526. ad
clientelam Florimundum Robertet propter baro-
niam d'Alluye. Approbavit anno eodem privilegia
monasterii Vindocinensis. Interfuit anno 1528. 1528.
concilio Senonensi. Hujus ad preces Franciscus
rex instituit nundinas & mercatum in loco dicto

Chart. CXXXIV. & CXXXV. col. 408. & 409.

ANNI CHRISTI

Fresnay l'evesque mense Aprili 1533. Senatus-
consultum obtinuit 14. Decemb. 1535. adversus
Mariam de Melun, quæ clientelam quam ei dene-
1533. gabat, professa est 17. Julii 1536. Statuta syno-
1535. dalia ejus jussu anno eodem evulgantur, quibus
1536. præfixa est præfatio ab eodem conscripta. Stepha-
nus de Poncher episcopus Baionensis Ludovico
clientem se exhibuit pro terra d'Esclimont 17.
1539. Aprilis 1539. Senatorio munere in Parlamento
1543. Parisiensi fungebatur anno 1543. Transegit 19.
1545. Februarii 1545. cum Eustachio Chambon super
præsentatione apparitoris jurisdictionis ecclesia-
sticæ. Fidem clientelarem ei promisere Franciscus
du Fou & Ludovica Robertet ejus uxor ob baro-
1548. niam d'Alluye die 4. Januarii anno 1548. Offi-
ciali & vicario generali Medardo Thiezsault ute-
1549. batur 18. Octobris 1549. Senatusconsultum ob-
1551. tinuit 26. Septembris 1551. ut posset conferre
in scriptis tam ad impediendam præventionem
papæ, legati, &c. & devolutionem ad eos, quam
ad receptionem promoti in possessione beneficii.
Basilicam suam tabellis adornavit, plura mona-
steria ad primigenium institutum revocavit, ac
Filias Dei juxta Carnotum instauravit. Ad Cabi-
lonensem translatus est ecclesiam per obitum An-
1553. tonii de Vienne die 16. Oct. 1553. ex regestis
Vaticani, ut diximus tomo IV. col. 937. indeque
ad Silvanectensem, ubi reliqua quæ ad eum spe-
ctant, exsequemur. Vide & tom. III. col. 238.

GUILLARD

CIII. Carolus.

Andreæ domini d'Espichelliere comitis consi-
storiani & Mariæ de la Croix Planci filius Carolus
per cessionem Ludovici patrui dicitur episcopus
Carnotensis jam die 12. Octob. 1553. in regestis
Vaticani. Abbatis S. Carauni obedientiam excepit
1554. 9. Maii 1554. Memoratur anno 1556. in charta
1556. sancti Martini a Campis. Vicarios generales car-
dinalis Ferrariensis commisit ad reformandum
1561. monasterium Tironiense 18. Novembris 1561.
Vicarium generalem habebat Guillelmum de Au-
bermont camerarium & canonicum ecclesiæ Car-
1563. notensis 4. Junii 1563. Tractatum de principiis
1565. fidei scripsit Parisiis editum anno 1565. Abbatiæ
Spali diœcesis Cenomanensis reditus locavit die
1567. 7. Augusti 1567. Ejus temporibus Carnotum
1568. obsessum fuit 1568. pridie cal. Martii, solutaque
a obsessio idibus. De hæresi * insimulatus est apud
Gall. Christ. tom. I. col. 331. summum pontificem Carolus, ut jam dictum est
in Johanne SanRomano Aquensium archiepi-
scopo. Abdicasse dicitur ante mortem, quæ con-
1573. tigit Carnoti anno 1573. mense Martio.

DE THOU.

CIV. Nicolaus.

Parisiis ortus Nicolaus familia cum primis clara
& nobili, patre videlicet Augustino senatus præ-
side & Claudia de Marle matre, patruus viri illu-
strissimi Jacobi Augusti Thuani senatus quoque
præsidis multiplici eruditione ac virtute cumula-

A tissimi, ac frater Christophori ejusdem Parlamenti
Parisiensis principis, ipse quoque inibi consiliarius
ecclesiasticus, abbas S. Symphoriani Bellovacensis,
canonicus & archidiaconus Paris. thesaurarius Bel-
lovacensis, & decanus sancti Germani Autissiodo-
rensis, consecratur Lutetiæ Carnotensis episcopus
in templo beatæ Mariæ die festo SS. Petri & Pauli
29. Junii 1573. a Carolo cardinali Lotharingo.
Carnotum invectus ultima Octobris sequentis,
confestim animum adjecit pastorali curæ & in-
staurationi episcopalis palatii. Clientelam excepit
pro terra d'Esclimont 28. Octobris 1574. Causa 1574.
cecidit adversus archidiaconum Senonensem, cui
B confirmatum jus installandi Carnotenses episcopos
consulto senatus dato 30. Maii 1575. Anno eo- 1575.
dem in synodo normas pie vivendi parochis diœ-
cesis suæ præscripsit. Clientelas nonnullas admisit
16. Martii 1583. & XI. Julii 1584. Ad sol- 1583.
vendum vectigal a clero impositum divendidit 1584.
majoriam de Laons penultima Decemb. 1586. 1586.
& prædium Villænovæ 2. Apr. 1587. Synodum 1587.
habuit hoc anno, in qua statuta condidit. Anto-
nium Michon ad fidem præstandam excepit 6.
Junii 1588. Claudium de Sainctes episcopum 1588.
Ebroicensem a canonicis electum abbatem sancti
Carauni 25. Octobris 1589. ob concordata con- 1589.
C firmare non est ausus. Conventui prælatorum apud
Meduntam adfuit 21. Septemb. 1591. Invitatus 1591.
a rege Henrico IV. die 18. Maii 1593. ut ipsius 1593.
abjurationi adesset, obtemperaturum se respondit
27. ejusdem mensis. Subscripsit eodem anno lite-
ris episcoporum summo pontifici scribentium VIII.
idus Augusti nihil reverentiæ ipsi debitæ in hac
abjuratione contrarium accidisse. Henricum IV.
qui Remos ob bella civilia adire tunc non poterat,
in ecclesia sua consecravit die 27. Februarii anni
1594. chrismate S. Martini Majoris monasterii 1594.
apud Turones, cujus monachis sacram ampullam
afferentibus processionabiliter obviavit ad portam
D dictam des Epars 19. ejusdem mensis. Die se-
quenti 28. torquem S. Spiritus eidem principi
dedit. Sacrum autem illud scriptis mandavit ipse
episcopus Nicolaus. Parochiam de Vandeuvre Lin-
gonensis diœcesis Edmundo Blanche contulit a
senatu Paris. delegatus 6. Sept. 1595. Denique 1595.
post recte administratam diœcesim fato repente
correptus, animam Deo reddidit apud castrum
suum Villæboni juxta Parisios 5. *al.* 6. Novemb.
1598. annos natus 96. Tumulatus est in sepulcro 1598.
gentis Thuanæ apud S. Andræam de Arcubus.
De eo in necrologio S. Petri Carnotensis legitur:
Nonis Novembris anno Domini M. DXCVIII. obiit
E *reverendus in Christo pater & dominus dominus Ni-*
colaus de Thou hujusce civitatis Carnotensis veneran-
dus antistes, qui circa annum suum 96. postquam
rexit suam cathedralem ecclesiam 25. annis, concessit
nobis seu dispensavit nos manducare carnes, sicut cæteri
sæcularium, in conventu nostro diebus scilicet Natalis
Domini evenientis fer. IV. VI. vel Sabbato, Epipha-
niæ Domini fer. IV. vel Sabbato, & passionis sancti
Petri die Mercurii evenientis, sicut cæteri hominum
religiosorum & sæcularium. Quapropter ex omnium
fratrum consensu ac pia recordationis affectu statutum

a Adstitisse dicitur Carolus monacho Vallium Cernaii die festo sanctorum Omnium in ecclesia Carnotensi Calviniana dogmata disseminanti, finitaque concione, fugientibus episcopo & præconi plebs insultasse: quin & in palatio episcopali hujusmodi conciones subministrasse, cui interesset ducissa Ferrariensis.

ANNI CHRISTI

est ut in perpetuas æternitates in nostra ecclesia missa privata advenientibus supradictis diebus celebraretur a tertio hebdomadario religioso presbytero, scilicet ab eo, cui ex ordine vicissitudinis suæ competit dicere missam de Beata, *& loco dictæ missæ* de Beata, *celebret alteram ad illius intentionem, & in fine missæ recitetur* Libera me Domine, *ac psalmus* De profundis *cum oratione* Deus qui inter, *&c.* Plura Nicolaus scripsit opera ad usum clericorum & laïcorum.

HURAULT.

CV. PHILIPPUS II.

Philippo Huralto Chevernii comite & Limosii, sancti Spiritus equite torquato, Aurelianensis & Carnotensis provinciarum regulo Franciæque cancellario & Anna Thuana parentibus tertius Philippus natus 19. Septembris 1579. clero destinatur a patre juvenis. Abbas B. Mariæ de Pontelevio, Valassiæ, Regalis montis, S. Petri & Bonævallis, primus Mariæ Mediceæ reginæ eleemosynarius, & sacri consistorii consiliarius, Nicolao avunculo paulo post obitum, forte jam mense Novembri 1598. Carnotensis episcopus successit. Consecra-
1607. tus tamen non est ante annum 1607. postquam sedes vacasset jure regaliorum annis circiter novem. Urbem invisit solenniter festiva inaugurationis
1608. pompa 28. Augusti 1608. ac die festo nativitatis sanctæ Mariæ 8. Septembris sequentis in cathedrali sacrum missæ sacrificium ritu pontificio cele-
1609. bravit. Plures anno sequenti admisit clientelas &
1611. 1611. 15. Novembris Jacobi Challou & Isaaci
1612. d'Authier. Comitiis cleri Gallicani adstitit 1612. Parisiis, synodoque inibi habitæ 13. Martii, ubi damnatus liber Edmundi Richer de ecclesiastica & politica potestate. Abbatiam Burgi medii visitavit & in melius ordinavit anno 1616. Obiit
1620. die 27. Maii 1620. sepultusque fuit in castro Cheverniaci. Fulberti Carnotensis episcopi epistolas Philippo dicavit anno 1608. Carolus de Villiers doctor theologus facultatis Parisiensis & canonicus Carnotensis.

D'ESTAMPES.

CVI. LEONORIUS.

Dominis de Valançay editus Leonorius, filius quippe Johannis equitis, & germanus Achillis cardinalis tituli sancti Adriani, Philippi vero Huralti consobrinus, proavia quippe ortus Maria Huralta Philippi cancellarii amita, natus est die 6. Februarii 1589. Literis humanioribus & philosophiæ in Parisiensi Navarræ collegio operam dedit, tum diversis temporibus abbas de Cultura, de Curia Dei, Burgulii, de Campania, de Pellicia, de Spalo, & sancti Martini Pontisarensis, deputatus est admodum juvenis ad generalia regni comitia in senescallia Andegavensi anno 1614. ibique scripto cum decanis capitulorum prioris in consessu gradus certamine abbas commendatarius ambegit. Eruditionis jam suæ specimen dederat tum carmine in laudes beatæ Mariæ Parisiis edito 1605. tum facundis concionibus. Defuncto Philippo successor datus anno 1620. sacra unctione inauguratur Parisiis apud Carmelitas discalceatos anno
1621. 1621. ab Henrico cardinali Gondio episcopo Parisiensi, assistentibus Francisco Pericard Abrincensi
A & Jacobo Camus Sagiensi episcopis. Francisci Briçonnet clientelam excepit 24. Octob. 1622. 1622.
Johannem Franciscum de Gondi primum Parisiensem archiepiscopum cardinali de Sourdis inungenti mutuam dedit operam cum archiepiscopo Rotomagensi 19. Febr. 1623. Libros ad ecclesiæ 1623.
suæ usum spectantes typis edi curavit mense Aprili anni ejusdem. Canonicos regulares anno 1624. 1624.
in urbem accivit in ædes sancti Stephani, ubi tunc degebant canonici S. Johannis. Clientelas admisit 25. Aprilis 1625. Religiosorum Carme- 1625.
litarum Parisiensem ecclesiam dedicavit 21. Dec. eodem anno, & adstitit cœtui cleri Gallicani, cujus
B nomine regem peroravit 13. Februarii 1626. 1626.
Cœtui quoque notabilium interfuit anno 1627. 1627.
orationemque ad regem habuit 3. Febr. Ecclesiæ suæ *rituale* hoc anno Parisiis vulgavit. Bullam summi pontificis monialibus ordinis S. Benedicti abbatiam de Arcissiis concedentis exsecutioni demandavit mense Junio 1631. Breviarium correctius 1631.
edidit anno 1633. eodemque privilegia mona- 1633.
sterii Vindocinensis agnovit. Henricum Listolfi Maroni Vasatensem episcopum unxit Pisciaci in ecclesia monialium Dominicanarum octavo Junii 1634. Antonium Grassensem episcopum conse- 1634.
cravit Parisiis 4. Decembris 1636. Cum aliis 1636.
C episcopis apud sanctam Genovefam congregatis scripsit ad episcopos Galliæ 9. Februarii 1639. 1639.
de damnandis duobus voluminibus, quorum unum libertates ecclesiæ Gallicanæ, alterum probationes earumdem libertatum continent. Comitiis cleri Gallicani interfuit apud Meduntam anno 1640. 1640.
Senatusconsultum obtinuit, quo jubetur ut ipsi solenniter celebranti duo adstorent archidiaconi. Sub ipso instituuntur Carnoti & Blesis Minimi sancti Francisci de Paula, sacerdotes Oratorii apud Vindocinum, Jesuitæ Blesis, Capucini apud Montfortium & Pisciacum, Augustiniani strictioris regulæ in abbatia Clarifontis, moniales Carmelitæ
D Blesis, quæ jam Carnoti, sede vacante, 1620. Ursulinæ in iisdem oppidis, necnon Vindocini, Meduntæ & Nogenti Rotrodi, Benedictinæ apud Loigniacum in Pertico, Montfortium, Juriacum, Nogentum Rotrodi & Annetum, virgines Montis de Calvario Vindocini, sanctæ Mariæ apud Hodantum & Montfortium, Hospitalariæ Meduntæ & Pateii in Belsia, denique sancti Bernardi moniales apud Curvam villam, jam sede vacante anno 1642. Translatus est enim Leonorius ad metropolim Remensem 18. Nov. anno 1641. 1641.
ut fusius ibi dicemus. Huic anno 1621. tractatum de oratione ab Antonio Molina Cartusiano scrip-
E tum ex Hispanico in Gallicum translatum dicavit Renatus Gautier.

CVII. JACOBUS. LESCOT.

Augustæ Veromanduorum ortus Jacobus abbas Omnium sanctorum Catalaunensis & B. Virginis capellæ ad Plancas Trecensis diœcesis, in sanctiore consistorio consiliarius, ex theologiæ doctore Sorbonico regioque professore, magna celebritate & eruditione sacras literas per annos complures apud Sorbonam interpretatus, ad sedem episcopalem

ANNI CHRISTI

propria tandem virtute, & probitate perspecta, A
regiaque munificentia ascendit, commendante
apud Ludovicum XIII. Armando cardinali Ri-
chelio virorum in qualibet facultate præstantium
diligenti indagatore, cui erat Jacobus a confes-
sionibus. Nominatur autem Carnotensis episco-
pus die 13. Decembris anno 1641. Bullis ab
1643. Urbano VIII. die 22. Julii 1643. obtentis, mu-
nus unctionis excepit in sacello Sorbonico die 15.
Novembris ejusdem anni a Leonorio decessore
archiepisc. Remensi, assistentibus præsulibus Fran-
cisco le Fevre de Caumartin Ambianensi & Petro
Bertier Uticensi episcopo coadjutore Montalba-
nensi. Hujus in locum N. de Jassin regi ab elee- B
mosynis electus est director congregationis de
1644. propaganda fide 16. Februarii 1644. Comitiis
generalibus cleri Gallicani Parisiensibus interfuit
1645. annis 1645. 1646. & 1656. Ludovicum XIV.
1646. religiosæ peregrinationis vota Domino & sanctis-
simæ Virgini pro restituta sanitate exsolventem
1648. in cathedrali 24. Martii 1648. excepit. Reliquias
1653. sancti Carilefi 21. Septembris 1653. transtulit.
Cum abbate generali sanctæ Genovefæ præfuit
1656. anno 1656. vice cardinalis Mazarini capitulo mo-
nachorum Cluniacensium reformatorum. Eodem
anno comitiis generalibus cleri Gallicani deputatus
adstitit, quorum tempore cum obiisset, episcopus C
Montalbanensis nominatus est, qui defunctum ora-
tione funebri laudaret. Licentiam obtinuit regio
decreto quindecim canonicos ad instruendam
plebem mittendi præcones, qui fructibus præ-
bendarum suarum interim potirentur. Sub ejus-
dem regimine instaurantur reformanturque apud
Bonamvallem, Columbas, Meulantum & Carno-
tum Benedictini admissa congregatione S. Mauri:
apud Blesas canonici regulares sancti Augustini &
nosocomium sive domus Dei. Eriguntur cœnobia
Ursulinarum apud Pisciacum, congregationis B.
Mariæ apud Castrodunum, collegium sive gym-
nasium apud Nogentum Rotrodi & congregatio D
Filiarum Providentiæ apud Carnotum. Ecclesiam
vero sibi commissam pastorali sollicitudine regens,
Carnotensis infulæ decus qua par est prudentia
per annos 13. sustinuit, quibus exactis, stranguria
obiit die 22. Augusti 1656. annos natus 63.
Sepultus est die 13. Septembris solenni pompa
in ecclesia sancti Aniani juxta tenorem testamenti,
quod condiderat 5. Januarii 1655. annos natus
61. 5. menses & 5. dies, quo sepulturam ibi ele-
gerat sub lapide marmoreo, his verbis insculptis
ab ipso scriptis: *Jacobus episcopus Carnotensis:* Et
in muro: *Jacobi Carnutum episcopi hic caro requiescit
in spe. Precare quisquis es ut anima in bonis demo-* E
*retur & sit in pace locus ejus. Obiit anno Domini
M. VI.c LVI. die XXII. Augusti.* Aliquot juvenis
Jacobus scripsit opera, quorum senem pœnituit.
Biblioth. Carnot. pag. 252. Hunc quoque aliquando ecclesiæ Carnotensis hi-
storiam meditatum ferunt, a qua scribenda præ
difficultatibus abstinuit. Jacobo opera Ivonis Car-
notensis dedicarunt, & Johannes Baptista Souchet
canonicus Carnotensis, & P. Fronteau canonicus
regularis sanctæ Genovefæ.

CVIII. Ferdinandus.

ANNI CHRISTI. DE NEUVILLE.

Carolo de Neuville marchione d'Alincourt,
domino de Villeroy, equite torquato, Lugduni
gubernatore, apud summum pontificem legato &
Jaquelina de Harlay parentibus editus Romæ Fer-
dinandus, frater autem Nicolai paris & marescalli
Franciæ regisque gubernatoris, militiæ Melitensi
primum dedit nomen, tum clero adscriptus, abbas
sancti Vandregisili in Normannia, S. Mevennii
in Armorica, Moissiaci & Bellævillæ ad Ararim,
comes consistorianus & consiliarius consilii con-
scientiæ, rebusque ecclesiasticis præpositus, ex ec-
clesia Macloviensi, ad quam anno 1644. nomi-
natus fuerat, ad Carnotensem translatus, Josephum
Zongo-ondedei episcopum Forojuliensem inau-
guravit in majori sacello B. Mariæ ecclesiæ sancti
Germani a Pratis die 20. Octobris 1657. & 1657.
ecclesiam suam die XI. Decembris ingressus est.
Breviarium Carnotense an. 1661. recudit. Annis 1661.
eodem & 1662. jurisdictio in totam diœcesim 1662.
adversus capitulum senatusconsultis asserta ei est.
Adjudicata quoque est Ferdinando jurisdictio in
parochiam sancti Saturnini senatusconsulto dato
24. Martii anno 1664. adversus capitulum Car- 1664.
notense. Regem christianissimum reginamque ba-
silicam Carnotensem voti exsolvendi causa adeun-
tes die 10. Decembris 1667. excepit. Antonii 1667.
de Monthelon clientelam admisit prima Octobris
1688. Obiit 8. Januarii anno 1690. duos supra 1688.
octoginta annos natus, sepultusque est in sacello 1690.
seminarii, quod prope Carnotum ædificaverat,
in choro, ubi hæc leguntur in lapide muro affixo:

Ferdinandus de Neuville de Villeroy
Carnotensium episcopus, regi ab omnibus consiliis,
Seminarii fundator,
Hoc in templo jacet, quod exaltavit Domino,
Inter clericos,
Quibus magnificas ædes exstruxit.
Animam ejus in æterna tabernacula recipiant pauperes,
Quorum fuit pater,
Et sit habitatio ejus in Sion.
Obiit die VIII. Januarii anno Dom. M. DCLXXXX.
ætatis suæ LXXXII.

CIX. Paulus.

GODET DES MARAIS.

Apud Taleyum anno 1647. natus est Paulus
parentibus Francisco Godet & Maria de la Mark
filia naturali Ludovici marchionis de Maulni tor-
quati equitis, quam uxorem duxerat Franciscus
anno 1645. Paulus autem ab ineunte ætate cle-
ricali militiæ addictus, quatuordecim tantum annos
natus Igniacensis abbas factus est, cujus opimi
sacerdotii reditus non ad laxiorem vitam, sed ad
bona opera quamplurima adhibuit, intra semina-
riorum, maxime Sansulpiciani, arcta septa, ubi
velut in virtutum omnium palæstra sese exercebat,
ut antea, manere gestiens. Laurea doctoris Pari-
siensis insignitur 31. Augusti 1677. Virtutum
Pauli fama permotus rex christianissimus, episco-
pum eum designavit anno 1690. XI. Februarii,
bullasque ei concessit Innocentius XII. pridie non.
Febr. anno 1692. pontificatus primo, in quibus 1692.

ANNI CHRISTI

Paulus dicitur annos 43. natus, & a 18. in sacerdotio constitutus. Sacratur apud S. Cyricum ab archiepiscopo Parisiensi, adstantibus Aurelianensi & Meldensi episcopis 31. Aug. ejusdem anni. Regi sacramentum dixit die prima Septemb. urbemque suam ingressus est die 26. Decemb. In episcopatu sanctiores episcopos imitandos sibi proposuit, in custodia sui gregis vigilantissimus, in arcendis lupis fortissimus, in juvandis pauperibus liberalissimus. Attamen quasi tanto oneri imparem se fateretur, auctor fuit ut amplissima dioecesis in duas divideretur. Sicque ex ejus animi sententia novus in urbe Blesensi erectus est episcopatus anno
1697. 1697. Ejus etiam consiliis maxime debetur erectio regiæ domus sancti Ludovici apud sanctum Cyricum, ubi nobiles virgines in pietate christiana gratuito instituuntur usque ad maturam ætatem. Ecclesiæ sollicitus, negotiorum sui temporis difficilium pars maxima fuit. Cum archiepiscopo Cameracensi theologico certamine ambegit annis
1698. 1697. & 1698. Immunitatem & jurisdictionem quam in 72. parochias exercebat capitulum, for-
1699. titer impugnavit episcopus anno 1699. hancque tam in capitulum quam in personas & ecclesias dependentes post longam altercationem obtinuit
1700. senatusconsulto dato x. Augusti 1700. Quæstionem vulgo dictam *le Cas de Conscience* reprobavit
1703. anno 1703. Institutiones theologicas ad usum seminariorum ab Oratoriano N. Juenin scriptas mulctavit anno 1710. Multas quoque scripsit instructiones pastorales ad proscribendos libros, in quibus errores subodorabatur. In his autem operibus cum maxime Romanæ sedi faveat, quam gratum sibi hoc esset Clemens XI. ipsi brevi scripto
1709. die 7. Septembris 1709. significavit. Quatuor seminaria erexit, unum Carnoti, alterum apud sanctum Cyricum, tertium apud Nogentum Rotrodi, quartum apud Fraxinum, quodlibet 30. aut 40. pauperibus clericis alendis idoneum. Scholas quoque variis in locis fundavit pro pueris instituendis. Successorem heredem ex asse reliquit, defunctus in sua dioecesi 26. Septembris 1709. ætatis 62. cujus cor delatum ad parthenonem sancti Cyrici, corpus vero sepultum fuit in majori seminario Belliloci tertio Octobris, ubi hoc legitur epitaphium:

Hic exspectat beatam spem
Corpus ill. ac reverendiss. in Christo patris
DD. Pauli Godet des Marais
Episcopi Carnotensis.

Qui clericali militiæ Cœlo vocante adscriptus,
Vita integritate dilectus Deo,
Doctrinæ luce ac puritate ecclesiæ perutilis,
Religionis studio SS. pontificibus probatus,
Omnibus boni antistitis virtutibus regi acceptus,
Universo gregi charus vixit.
Regio S. Cyrici parthenoni moderando præpositus,
Consilio ac sapientia,
Majori se administratione dignum præbuit.
Huic dioecesi episcopus divino beneficio concessus,
Sacros ministros, egenos, urbem, provinciam
Optimis moribus & sanctiore disciplina
Propriis facultatibus, verbis & exemplis
Instruxit, pavit, juvit, excitavit, confirmavit.
Clero Carnotensi canonicam institutionem,
Eruditionem necessariam, utriusque perennitatem,
Providit, atque in posterum asseruit.
Antiquæ fidei depositum vigilantissime servavit,
Peritissime ac strenue defendit.
Ejusdem fidei hostes summa sagacitate detexit,
Pari animo ac scientia debellavit.
Frequens verbi divini prædicatio, condita seminaria,
Atque in tenuiorum clericorum subsidium dotata,
Instituta inter parochos de fidei morumque doctrina
Disceptationes assiduæ,
Præscripta eisdem in hoc ascetarum secessu exercitia,
Ad revocandum pietatis ardorem identidem repetenda,
Egregiæ lucubrationes,
Honorificentissimum de illis Christi vicarii judicium,
Affecta semper valetudine cura ovium indefessa,
Mors ipsa acriori labore accelerata,
Et pie inter pastoralis officii functiones obita,
VI. kal. Octobr. an. Christi M. DCCIX. ætat. LXII.
Episcopat. XX.
Ætati suæ Paulum commendarunt,
Posteritati transmittent.

Carolus Franciscus des Monstiers de Merinville Pauli in sede successor avunculo beneficentissimo mærens posuit.

Anno sequenti solenniter ei in ecclesia cathedrali parentatum est die 21. Januarii, defuncti laudes prosequente regio oratore N. le Prevot canonico Carnotensi, qui argumentum sumsit ex his Jacob verbis ad Laban: *Fugiebat somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi:* quæ verba exprimunt numerum annorum episcopatus Pauli. Hæc oratio typis est excusa Parisiis apud Nicolaum Pepie in via sancti Jacobi. Genes. 31. 40. & 41.

CX. CAROLUS FRANCISCUS. DES MONSTIERS DE MERINVILLE.

Pauli sobrinus Carolus Franciscus, filius Caroli des Monstiers comitis de Merinville, gubernatoris Narbonæ, & Margaritæ Gravé parentum, erat vicarius generalis, cum die 26. Apr. an. 1709. a rege nominatus coadjutor, Paulo defuncto eodem anno episcopus successit annos natus 27. Designatus quoque 12. Oct. Igniacensis commendatarius, regi sancti Carilefi commendam restituit, quam a die prima Novembris 1701. tenebat. Episcopali 18. Maii 1710. charactere insignitur in aula 1710.
confirmationum Parisiensi a cardinali de Noailles, opem ferentibus Blesensi & Trecensi episcopis. Regi sacramentum dixit 3. Junii anni ejusdem, ecclesiamque suam solenniter ingressus est die 26. Mariam Franciæ reginam vota Deo pro nato Delphino solventem in ecclesia sua excepit 27. Maii 1732. & in chorum præeuntibus canonicis de- 1732.
duxit. Comitiis generalibus cleri Gallicani pluries interfuit. Pastor vigilans muneris mensuram implere satagit.

DECANI ECCLESIÆ CARNOTENSIS.

NIHIL non movimus, ut accuratam decanorum ecclesiæ Carnotensis seriem contexeremus: sed cum nec sic quidquam profecerimus, quam ex variis monumentis & auctoribus conflavimus, hanc accipe.

I. Aimo subscripsit chartæ libri Aganonis in gratiam canonicorum sancti Petri Carnotis in domo matris ecclesiæ publice subscribentibus Aganone episcopo, Aimone decano nonis Junii anno VIII. regnante Rodulfo serenissimo rege, Ragemfredo levita ad vicem Clementis cancellarii subscribente.

II. Gaufridus vivebat Aganone episcopo sedente ex Sammarthanis.

III. Suggerius occurrit anno XIII. Ludovici regis. Reperitur in charta Ragenfredi episcopi donantis sancto Petro 12. præbendas in ecclesia cathedrali anno 954. Subscripsit chartæ Ervei abbatis sancti Carauni IV. idus Martii anno XIV. Lotharii regis. Memoratur cum Odone episcopo v. calendas Junii ac 7. Junii anno XVII. ejusdem, in donatione Odonis ejusdem facta abbatiæ sancti Petri nonis Febr. anno XX. & in charta ejusdem anno XXIII. Subscripsit diplomati Odonis episcopi pro monasterio sancti Petri in Valle, quo alia restituuntur, alia de novo ceduntur ab hoc præsule. Recensetur in permutatione canonicorum sanctæ Mariæ cum monachis sancti Petri, Salicone ypodecano existente. *Chart. V. col. 291. Chart. VI. col. 292. Chart. VIII. col. 293.*

IV. Rodulfus I. ex præcentore decanus anno 988. in charta donationis Viviani ex genere dominorum du Puiset factæ cœnobio sancti Petri Carnotensis. Ex decano factus est post Odonem episcopus, ut diximus.

Sigo discipulus S. Fulberti ad preces Frederici abbatis sancti Florentii Salmuriensis composuit cantum responsoriorum pro officio S. Florentii. Fueritne decanus an cantor variant auctores.

V. A. decanus cum tota congregatione sanctæ Mariæ Carnotensis, Fulberto Romam peregrinante anno 1022. Hugoni Turonensium archiepiscopo scripsit, solatium quæsiturus adversus terrarum ipsorum prædatores; epistola est 109. apud Fulbertinas. Post Fulberti mortem electus est episcopus anno 1029. verum Theodericus, favente rege, ipsi æmulus datur, ut diximus ex epistolis ibidem 131. & 132. A. itaque monachus factus legitur in literis eisdem clericorum beatæ Mariæ, qui eum nihilominus sic optabant sibi fieri episcopum, at regis favor prævaluit. Albertum hunc vocant Sammarthani, & ex monacho factum abbatem Majoris monasterii obiisse anno 1063. tradunt, memoratum in martyrolog. Carnotensi XIII. calendas Junii rerum ecclesiasticarum procuratorem egregium & monasticæ regulæ observatorem diligentissimum. Quo autem fulti fundamento adhuc nescitur.

VI. Georgius Henrico I. Francorum regnum moderante anno 1031. Theoderico præsule.

A VII. Harduinus legitur decanus in charta fundationis Pontislevii anno 1034. *Chart. III. col. 413.*

VIII. Odo reperitur decanus temporibus Theoderici episcopi in charta pro sancto Petro.

IX. Hugo I. jam decanus memoratur a Sammarthanis anno 1038. vixit enim temporibus Theoderici, sicut & Agoberti Carnotensium præsulum. Testis nominatur in fundatione prioratus de Veteri vico, cujus notitia apud Mabillonium tom. IV. Annal. pag. 715. Reperitur anno 26. Henrici I. regis. Subscripsit chartæ Agoberti pro Columbensibus anno 1058. Præerat adhuc anno 1059. aut 1060. nam subscripsit literis episcopi B sui Agoberti pro Majori monasterio datis anno primo Philippi regis.

Gencelinus, qui & apud Sammarthanos Gancelinus sive Gaucelinus, occurrit decanus cum Hugone antecessore in charta Henrici regis pro monasterio sancti Petri; quin & anno secundo Philippi regis, sed utrum S. Mariæ Carnotensis, an alteriusvis ecclesiæ fuerit decanus dubium est, nam *Ch. XVII. col. 301.*

X. Ingelrannus decanus dicitur & cancellarius tempore Agoberti episcopi & abbatum S. Petri Landrici & Eustachii. Subscripsit chartæ Airaldi episcopi monachos sancti Albini Andegavensis C cum Vindocinensibus de cella Credonensi disceptantes conciliantis anno 1072. Sigillum quoque apposuit suum alteri ejusdem Arraldi chartæ Cluniacensibus monachis præbendam in ecclesia Carnotensi conferentis. Adstitit mense Aprili indict. XIV. anni 1076. juramento Roberti episcopi. Scripsit chartam qua Theobaldus comes Palatinus restituit ecclesiæ Carnotensi mancipia, quæ sibi & ecclesiæ sancti Martini vindicarat. Data est anno a Passione Domini 1083. ut videre est libro sexto Diplomat. num. 60. Memoratur & in instrumento prioratus de Roinvilla circa annum 1084. *Chart. XX. col. 303. Chart. XXI. col. 303. Ch. XXIII. col. 304.*

D XI. Adelardus subdecanus in instrumento prioratus de Roinvilla, de quo supra, factus decanus subscripsit chartæ Gaufridi episcopi pro eadem cella. Sic memoratur in necrologio sancti Johannis in Valle: *VII. calendas Septembris obiit Adelardus S. Mariæ canonicus & decanus, auxilio cujus & consilio in sancti Stephani ecclesia canonici constituti sunt, ad quorum conversationem areas suas, quæ juxta ecclesiam sunt, & altare de Morenceiis, & apud sanctum Mauricium 13. agripennos vinearum cum torculari & utensilibus dedit, librosque suos, scilicet duos homiliarios & alios complures ecclesiæ contulit.*

Raynaldus vero ex decano monachus apud E sanctum Petrum in Valle Gaufrido I. præsulante, ex Sammarthanis, idem videtur ac

XII. Arnaldus qui & Ernaldus subscripsit chartis Ivonis episcopi pro Majori monasterio 1092. pro monachis sancti Petri anno 1093. pro Cluniacensibus tertio nonas Januarias 1094. pro fundatione canonicorum sancti Johannis in Valle *Ch. XXV. col. 305.*

Ch. xxxiv. col. 313. Valle 1099. pro Burgo medio 1105. pro Tironio 1113. Injuriam ab ipso ejusque nepote illatam sibi queritur Ivo epist. 182. ad Daimbertum Senonensem archiepiscopum. Subscripsit & privilegio (Ch. xxx. col. 311.) Paschalis II. pro cœnobio sancti Petri Carnotensis an. 1106. Occurrit annis 1100. 1107. & 1115. Idem Ernaldus vestem induit monasticam apud Vindocinum, teste Ivone epist. 262. quam posthac abjecit, ad pristinum statum reversus, ut indicant verba Goffridi libro secundo epist. 7. *Domnus Ernaldus, quem decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste Flocello de capite suo, potius in nostra, quam in vestra forte manere debuisset.* Et certe decanus adhuc subscripsit chartis (Chart. xxxvii. col. 315.) Gaufridi episcopi pro Bonevallensibus VIII. idus Junii 1118. pro sancto Johanne (Chart. xli. col. 318.) hoc vel sequenti anno, pro S. Mauricio 1120.

(Ch. xlii. col. 320.) XIII. Samson ex præposito & subdecano Carnotensis ecclesiæ decanus, subscripsit chartæ Gaufridi episcopi de ecclesia sancti Nicolai de Curvavilla tertio cal. Dec. 1119. Reperitur & 1120. (Ch. xlv. col. 323.) Sigillum apposuit suum chartæ Gaufridi de concordia monachorum sancti Petri & Cluniacensium anno 1124. Occurrit in charta notis chronicis destituta cum Gaufrido episcopo & Salomone cantore. Utrum ille sit Simon de Mauvoisin, qui ecclesiæ (Chart. li. col. 328.) Carnotensi præpositus, fundavit prioratum beatæ Magdalenæ Meduntensis, & factus est archiepiscopus Remensis anno 1140. aliquis est dubitandi locus.

XIV. Lisiardus decanus memoratur a Sammarthanis ex chartulario magno Belliloci Gaufridi II. tempore. Numquid ipse est, cujus Gaufridus eligendi facultatem fecit anno circiter 1125?

XV. Bernardus I. decanus Carnotensis subscripsit & consensit donatæ Burgo medio ecclesiæ S. Solemnis a Theobaldo comite Blesensi circa 1130.

XVI. Zacharias decanus reperitur IV. calend. Martii 1131. 1133. 1136. 1138. IX. calend. Febr. Luna 20. fer. 3. anno Ludovici junioris 2. Gaufridi episcopi 24. Ecclesiam monachis Josaphatensibus dedit, iisdem domum apud portam Perticanam anno 1141. medietatemque decimæ de Chaleto a Rogerio abbate Columbensi acceptam, ad preces Gaufridi episcopi & Gerardi abbatis Josaphatensis monasterio Columbensi postea dimisit.

XVII. Salomon ex præcentore temporibus Samsonis & Zachariæ decanorum, factus & ipse decanus, præsens fuit donatæ a Gaufrido episcopo & sanctæ sedis legato Josaphatensibus ecclesiæ de Challou. Sic memoratur in necrologio sancti Johannis in Valle: *IX. calend. Septembris obiit Salomon bonæ memoriæ decanus almæ Mariæ canonicus noster ad succurrendum, qui totam istam ecclesiam diligens, eidem ecclesiæ unam domum dedit, & ad caput ejusdem ecclesiæ readificandum 24. marchas argenti reliquit.*

XVIII. Robertus I. subscripsit chartæ Gaufridi episcopi pro Josaphatensibus, quando Ludovicus rex habuit concilium pro tranquillitate regni, dum in Jerusalem peregrinaretur. Electum Gosllenum (Chart. liii. col. 330.) Sugerio regni administro significavit anno 1148. Occurrit anno 1150. & mense Maio 1151. X. calendas Junii, Gosleni episcopi III. Subscripsit chartæ Gaufridi & Milonis filiorum Gosleni de Leugis confirmantium quidquid pater monasterio Josaphatensi donaverat XI. calend. Octob. 1151. eodemque anno fundationi cellæ sancti Dionysii de Felins III. calendas Junii. Subscripsit & chartis Gosleni episcopi pro monachis sancti Martini a Campis & sancti Maglorii. Testis cum Hugone subdecano in charta Odonis Borelli de Curtalano eodem tempore. Reperitur adhuc cum Gosleno episcopo anno 1155. necnon & cum Roberto.

XIX. Ivo in variis instrumentis annorum 1156. 1157. 1159. ita memoratur in martyrologio sancti Johannis in Valle: *XVIII. calend. Septembris apud Ermansum obiit Ivo Carnotensis ecclesiæ decanus, vir multa scientia & honestate præditus, qui ecclesiam istam sancti Johannis in Valleia quanto affectu vivens dilexit, moriens indicavit, cui 36. librorum suorum volumina dereliquit.*

XX. Goffridus decanus occurrit regnante Ludovico Ludovici filio anno 29. cum Gisleberto subdecano & Guillelmo electo anno 1165. Memoratur anno 1166. 1167. in chartulario beatæ Mariæ Blesensis. Quamdam definiit querelam de Guillelmi electi mandato anno 1168. Reperitur annis 1169. 1171. 1172. Bullam accepit ab (Ch. lxvi. col. 339.) Alexandro III. anno 1173. Querelam habuit cum monachis Majoris monasterii pro præstatione debita a monachis sancti Martini de Valle, quæ a Willelmo Senonensi archiepiscopo electo definita est anno 1176. Subscripsit chartæ Johannis episcopi pro ecclesia sanctæ Magdalenæ Castriduni an. 1177. Occurrit annis 1179. 1183. 1185. in archivis Becci. Paciscitur 1187. mense Octob. cum Roberto comite Drocensi super mansione de Firmecort & adjacentibus officinis. Memoratur annis 1188. 1189. in archivo Becci. Bullam accepit a Clemente III. qua possessiones capituli confirmantur, datam Laterani per manum Moysi sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi vicem agentis cancellarii pridie nonas Junii indict. VIII. Incarnationis 1190. Clementis III. Ipsius temporibus Carnotense capitulum consuetudines suas Cenomanensi explicavit. (Ch. lxxiii. col. 344.) Reperitur annis 1191. 1193. 1196. 1198. 1200. Convenit cum monachis sancti Petri de procurationibus ab ipsis capitulo debitis mense Martio 1201. Innocentius (Chart. lxxvii. col. 348.) papa G. decano Carnotensi scribit Laterani XVII. calendas Maii beneficia, quæ G. episcopus Carnotensis apostolicæ sedis legatus vacantia moriens reliquit, a nullo danda, nec accipienda absque licentia superioris legitime ordinati. Ipse creditur Goffridus, ad quem scripsit Petrus Blesensis epist. 49. expostulans cum amico quorumdam canonicorum collegarum nequitiam, qui ipsum præposituræ Carnotensis officio spoliarant. De eo in necrologio Josaphatensi: *V. calend. Decembris obiit Gofridus decanus.*

XXI. Odo I. idemne est qui reperitur in charta Ludovici comitis Blesensis & Claromontensis pro cœnobio S. Petri anno 1191. & anno 1200. mense Sept. in literis ejusdem Ludovici

pro ecclesia Parisiensi, ac qui anno 1204. quinto A calendas Julii cum Reginaldo episcopo privilegia monachis Tironiensibus concessa confirmavit?

XXII. Hugo II. enim decanus jam dicitur anno 1203. mense Februario & 1205. mense Julio. Hugo decanus & Guillelmus subdecanus paciscuntur anno 1205. cum Guidone abbate sancti Petri super jurisdictione in servientes abbatis & monachos manentes in urbanis finibus Carnotensibus. Reperitur adhuc Hugo XV. calend. Maii 1206. in charta Reginaldi episcopi & Roberti abbatis sancti Carauni.

XXIII. Guillelmus I. ex subdecano decanus jam anno 1206. mense Decembri in charta de B cessione majoriæ de Bagnaux & de Basoches facta Reginaldo episcopo ab Herberto majore. Occurrit adhuc anno 1207. mensibus Septembri & Octob. 1208. mense Februario, 1209. mense Februario, 1212. mense Martio. De quo in necrologio S. Petri ad v. idus Julii: *Obiit Guillelmus decanus, ad cujus anniversarium habemus medietatem decimæ Oënvillæ.*

XXIV. Bartholomæus erat decanus die Lunæ post nativitatem beatæ Mariæ 1212. Huic scripsit literas P. archiepiscopus Senonensis, ex quibus liquet promotum eum & delectum fuisse ab episcopo Carnotensi. Cum J. abbate S. Genovefæ C electus arbiter, quæstionem inter decanum & canonicos sancti Germani Autissiodorensis exortam de justitia seculari terræ sancti Germani definiit mense Februar. 1213. Occurrit 1215. 3. Junii, 1216. mensibus Decembri & Martio. Arbiter controversiam diremit inter capitulum Carnotense & ecclesiam sancti Johannis in Valle 1217. Reperitur annis 1218. 1219. Arbiter fuit cum G. episcopo Carnot. & Garino abbate de Josaphat mense Augusto 1221. Ab Honorio III. summo pontifice cum aliis duobus delegatur ad absolvendos Erardum de Brena, Philippam uxorem, eorumque socios VI. idus Octob. pontificatus 6. D
Chart. LXXXV. col. 353. Arbitros elegit anno 1222. mense Decemb. querelarum inter capitulum & monachos sancti Petri. Occurrit anno eodem in charta de residentia personarum, 1223. mense Augusto & 1224. quo ob scientiam maxime canonum & vitæ integritatem factus est Parisiensis episcopus, ut diximus alibi. Attamen legitur R. decanus anno 1215. cum Reginaldo episcopo, bisque 1221. mense Julio, ubi suspicor mendum in apice R. loco B.

XXV. Hugo III. de Feritate, electus est in octavis Dominicæ Ascensionis mense Maio 1224.
Ibidem. Promisit mense Junio 1225. ratum se habiturum quidquid statuerint electi arbitri querelarum capi- E tuli cum monachis S. Petri. Cessit iisdem mense & anno cum capitulo villam Desconseturæ, quæ ab antiquo ad usum surgentium ad matutinas deputata fuerat, Galtero episcopo. Memoratur 1226. mense Novembri & Sabbato post Nativitatem Domini. Munificum se præbuit erga cœnobium sancti Vincentii de Nemore, ut patet ex variis instrumentis annorum 1230. 1231. 1232. Carnotensis antistes factus anno 1234. eidem cœnobio beneficum se præbere semper studuit. Dominicanos quoque decanus fundavit.

XXVI. Thomas decanatum anno 1234. suscepit. Occurrit die Sabbato ante festum sancti Arnulfi 1236. obiit 1241. Dicitur quondam decanus anno 1256. cujus avunculus Henricus de sancto Dionysio.

XXVII. Stephanus I. de Grès frater Henrici episcopi & Evrardi prioris S. Martini a Campis, electus est an. 1236. decennioque post obiit die Cinerum anni 1245. & sepultus est cum Henrico fratre ante altare sancti Jacobi in ecclesia Fratrum Prædicatorum, ubi legitur epitaphium, quod videsis in Henrico episcopo.

XXVIII. Johannes I. summi pontificis capellanus, decanus Carnotensis erat anno 1245. quo cum Luca decano Parisiensis ecclesiæ Luteciæ VIII. idus Septembris præsens nominatur fidei juratæ ab Alfonso principe Lusitano, Johanne archiepiscopo Bracarensi & Tiburcio Conimbricensi episcopo adhuc deputatis ad concilium Lugdunense, ut advertit Acugna in historia archiepiscoporum Bracarensium. Electus est episcopus Mindoniensis, & a summo pontifice confirmatus V. idus Octobr. pontificatus VI. 1248. Sub eo Philippus dominus Milliaci subdecanum agebat anno 1248. ex charta Sacri portus.

In necrologio ecclesiæ Carnotensis sic legitur: *IV. idus Martii obiit Nicolaus decanus, venerabilis sacerdos & Dunensis archidiaconus hujus ecclesiæ, qui illustris Francorum regis Ludovici gratiam & amicitiam assecutus, ab ipso in capellanum & familiarem consiliarium est susceptus, pro cujus fidelitatis intuitu, ad custodiam sigilli regii prælectus, in partes Transmarinas cum domino rege peregre profectus, cum post captionem Damietæ cum exercitu dicti regis in ulteriores partes Ægypti tenderet, hujus vitæ temporalis diem clausit extremum anno M. CCXLIX.* Decanus autem ibine est dignitatis nomen, an generis, dubium.

XXIX. Robertus II. de Courtenai dominus de Danville, de Nonancourt, de Vermanton & de Baillet, frater Johannis archiepiscopi Remensis, decanus jam dicitur ann. 1247. & 1248. rectene incertum. At occurrit anno 1249. die Mercurii in festo sancti Egidii, & die Veneris ante nativitatem B. Mariæ 1250. in permutatione facta inter M. episcopum & Johannem de Montetirelli, 1251. in charta domus Nivernensis. Chartam M. episcopi de usagio Friesiæ approbavit mense
Octobri 1252. Carrucatam terræ, quam in fundatione monasterii Tironiensis contulerant canonici, liberam cum omni justitia seculari alta & bassa, cum tota villa de Tironio dimisit mense Vit. S. Bernardi Tiron. pag. 260.
Decembri. Roberti hujus temporibus, ob necem R. de Spina cantoris in contentione inter burgenses Carnotenses & servos canonicorum oborta, Ch. XCVI. col. 367.
dum ad matutinas accederet occisi, auctoritate concilii provincialis mense Novembri 1253. capitulum Carnotense Meduntam ad festum sequens Ch. XCV. col. 366.
sancti Thomæ est translatum, quod mense Octob. anni sequentis approbavit Innocentius papa literis ad archiepiscopum Senonensem, qui anno 1255. in festo Conversionis sancti Pauli R. decano & Ch. XCVI. col. 367. Ch. XCVIII. col. 368.

capitulo Carnotum reversis scripsit, ut Meduntam redirent. Idem archiepiscopus cum suffraganeis iisdem mandavit mense Octobri 1256. ut infra octavas Omnium sanctorum apud Stampas sese reciperent, ibi officia celebraturi, quoniam nulla eis adhuc erat Carnoti facta securitas. Robertus autem chartam Matthaei episcopi pro prioratu de Dordano approbavit anno 1257. in vigilia nativitatis B. Johannis Baptistae. Ad episcopales Aurelianensis ecclesiae infulas postulatus est an. 1258. ubi vide.

Ch. XCIX. col. 368.

XXX. Petrus I. de Minciaco eidem substitutus anno 1259. mense Novembri insequenti ad Carnotensem cathedram evectus est.

XXXI. Rodulfus II. d'Aubusson successit, idem qui a capitulo Ebroicensi electus fuerat episcopus anno 1256. sed irrito conatu. Cum autem esset canonicus ecclesiae Carnotensis, a capitulo electus est decanus, quo nomine occurrit mense Novembri 1264. Composuit cum episcopo die Jovis post festum sancti Martini aestivalis anno 1272. Dignitate eodem anno abdicata, defunctus memoratur anno 1276. in tabulario sancti Maglorii, cui vineam cessit.

XXXII. Guillelmus II. des Grès occurrit 1274. mense Junio in archivis ecclesiae Carnotensis. Significavit pluribus episcopis latam a capitulo, sede vacante, in Johannem dominum Ambasiae excommunicationis sententiam, ut eam observarent, Sabbato post *Reminiscere* 1276. Nicolaus III. regi declarat a se promotum ad ecclesiam Autissiodorensem G. decanum Carnotensem, eo quod electi a capitulo jam essent episcopi Johannes Cenomanensis & Petrus Matisconensis pontificatus anno secundo, 1279.

XXXIII. Guillelmus III. Duranti, *Speculator* dictus, sanctae sedis capellanus & Clementis IV. qui eum palatii apostolici procuratorem generalem constituerat, decanus erat Carnotensis, cum a cardinalibus ad principes Italiae missus fuit anno 1280. ut Clementiam primogeniti Caroli Salernitani principis sponsam in Siciliam transmigrantem honorifice susciperent. Ad Mimatensem sedem evectus est anno 1286. tom. 1. col. 94.

Ampliss. collect. tom. 1. col. 1278.

XXXIV. Robertus III. de Frouville memoratur decanus 1293. die Dominica post Epiphaniam.

XXXV. Guillelmus IV. de Cornilhano electus 1294. desiit 1299. quem secutus

XXXVI. Theobaldus d'Aulnai jam anno 1306. Praesens adstitit elevationi sancti Piati martyris cal. Octobris 1310. Facultatem eligendi episcopi petiit a rege anno 1315. Obiit 1317.

Chart. CV. col. 375.

XXXVII. Stephanus II. de Bourret decanus memoratur mense Octobri 1317. Roberto Carnotensi episcopo clientelam professus est anno 1319. die Veneris post festum sancti Barnabae. Memoratur in regestis capituli Parisiensis anno eodem & Sabbato post festum sancti Jacobi, quo ibidem factus est episcopus, ut diximus.

XXXVIII. Johannes II. Pasté a capitulo suffectus, possessionem iniit die Veneris post festum Omnium sanctorum anno 1320. Roberto episcopo clientelam professus est die Dominica post Ascensionem 1324. Ad Atrebatensem cathedram evectus anno 1326. mense Decembri, sigilla decanatus post consecrationem capitulo restituit anno 1327. die Lunae post *Judica*, & post ad Carnotensem assumtus est ecclesiam.

XXXIX. Michael de Mauconduit jurium professor, assumtus est ad annum 1328. quo defunctus sepelitur apud Cartusianos Parisienses in sacello sancti Ludovici.

XL. Armandus de Narcesio, sic dictus in necrologio Carnotensi, quem Sammarthani Arnaldum de Varceio & tabulae Aquenses Armandum de Barcesio scribunt, praepositus de Ingreio in aede Carnotensi primaria, & sacri palatii auditor, a Johanne XXII. summo pontifice, cujus capellanus erat, decanus Carnotensis renunciatus est, & postmodum Aquarum sextiarum archiepiscopus ab eodem effectus, camerae apostolicae promisit 27. Junii 1329. Emendanda itaque archiepiscoporum Aquensium series tomo primo col. 322. in qua Arnaldum perperam ab Armando distinximus, duosque pro uno archipraesules confudimus.

XLI. Radulfus III. de Capriaco die Martis post *Oculi* 1329. locum Armandi sumsit, quem ad annum 1334. tenuit.

XLII. Bernardus II. Hugonis de Cardaillac, nepos Bertrandi episcopi Montalbanensis & Johannis Tolosae archiepiscopi, patriarchae Alexandrini, ex archidiacono Blesensi in eadem ecclesia canonicorum suffragiis electus est. Una cum capitulo instituit & dotavit duas capellanias pro animabus Arnaldi de Pellagrua cardinalis archidiaconi Carnotensis, Clementis V. & propinquorum, ex mille florenis, quos legaverat Arnaldus, anno 1336. die Mercurii post Dominicam *Misericordia Domini* 17. Aprilis. Hominem exuit die Veneris post *Judica* idibus Aprilis 1355. sepultusque est in ecclesia sancti Johannis in Valle ad laevam majoris altaris.

XLIII. Johannes III. de Anguerant a summo pontifice dictus decanus anno 1357. Simoni episcopo clientelam professus est die Lunae XI. Maii 1360. Sedem Carnotensem eodem anno adeptus, decanatum in manibus summi pontificis dimisit. Hic ille est proculdubio Johannes de Angeraco decanus Carnotensis, non Bellovacensis, qui adfuit jucundo adventui Johannis de Dormans episcopi Bellovacensis anno 1360.

XLIV. Philippus de Talaru Johannis Lugdunensis archiepiscopi germanus, regi a consiliis, a summo pontifice Johanni suffectus est, ut ex bullis patet, reluctante licet capitulo, quod in Aimericum Carnotensem ipsius ecclesiae cancellarium vota contulerat. An. 1361. die 22. Junii Petrus de la Forest cardinalis hunc sui executorem testamenti instituit. Suum & ipse condidit testamentum die 23. Julii 1365. quo elegit sepulturam in ecclesia sancti Johannis Lugdunensis subtus crucem ante altare, quod ipse cum fratre suo Johanne tunc decano Lugdunensi construxerat. Guillelmo episcopo clientelam professus est anno

1368. & Ebloni successori anno 1376. Decanus adhuc erat die 22. Aug. anni ejusdem, ex literis ejus authenticis in schedis D. de Clairambault. Iis appensum sigillum gentilitia exhibens insignia, qualia habebat Johannes de Talaru Lugdunensis archipræsul. Memoratur in necrologio sancti Petri XVII. calendas Septembris & X. calendas ejusdem in necrologio beatæ Mariæ, ubi 20. solidos legasse dicitur pro anniversario.

XLV. Everardus de Tremigon libellorum supplicum magister, quo in episcopum Dolensem anno 1382. assumto,

XLVI. Odo II. Fonthourchier ducis Burgundiæ consiliarius, & magister requestarum hospitii regii, successor datus est. Pepigit 13. Januarii 1391. cum Johanne de Merhayo cantore, Guillelmo comitis subdecano, &c. super ecclesiis de Pontville, Escublai & Gastelles ad decanum spectantibus. Convenit cum Johanne episcopo super jurisdictione ecclesiastica 16. Aprilis 1398. Decanatum tenuit ad mensem Martium vel Aprilem anni 1405. quem cum sequenti pro scholaria Abrincensi & canonicatu Bajocensi permutavit.

XLVII. Milo I. de Dangello Roberti Nivernensis episcopi frater, regis consiliarius & cameræ computorum magister, ex permutatione præcedenti factus decanus, electionem Philippi episcopi archiepiscopo Senonensi significavit 4. Septemb. 1415. Composuit cum eodem præsule pro parochia sancti Saturnini prima Augusti 1418. Erat etiam canonicus Parisiensis, ibique fundator capellaniæ perpetuæ ad altare Assumtionis B. Mariæ, quam 17. Novembris 1431. pura & simplici resignatione a Petro de Pressigniaco in manibus ipsius facta vacantem contulit Petro de Faukemberge presbytero Morinensis diœcesis. Obiit Milo iisdem anno & mense die 28. Multa legavit capiceriæ S. Genovefæ Paris. ubi ejus anniversarium notatur & Roberti fratris VIII. calendas Decemb.

Ch. CXVII. col. 386.

XLVIII. Nicolaus de la Chapelle *al.* Chapelote a summo pontifice decanus creatus adversus Guillelmum Cottin præcentorem ecclesiæ Carnotensis, & in suprema Franciæ curia senatorem, via Spiritus sancti 8. Februarii anni ejusdem electum, Theobaldo episcopo clientelam professus est 24. Decembris 1434. Concilio Basileensi, ut decanus, interfuit, & anno 1443. vitam morte commutavit.

XLIX. Milo II. d'Illiers brevi Nicolaum secutus est: tertia namque post obitum die a capitulo favore archiepiscopi Remensis electus est, contra Petrum de la Lande a summo pontifice promotum, quem in senatu Parisiensi evicit. In utroque jure licentiatus, de baronum & militari genere procreatus, regis consiliarius, & magister requestarum hospitii dicitur in regestis Vaticani. Huic concessit Eugenius papa, ut duo, quoad vixerit, & tria per quinquennium beneficia tenere valeret, bulla data Romæ anno 1444. tertio idus Februarii, pontificatus anno XIV. Memoratur 15. Octobris anni ejusdem in chartis episcopatus, quo ingredienti episcopo adstitit. Occurrit 18. April. 1450. Consiliarius ecclesiasticus a rege designatus

A est, qui adforet comitiis Scaccarii annis 1453. & 1454. in Paschate, & in festo sancti Michaelis 1456. De eodem anonymo sic loquitur Pius papa II. in commentariis sub nomine Gobelini editis ad annum 1458. *Erat eo tempore Romæ decanus Carnotensis regis Franciæ legatus, qui ad Callixtum de rebus Turcarum acturus venerat. Is suæ gentis studio magnopere instabat, ne regnum Siciliæ Ferdinando concederetur, laturum id ægre regem suum atque in apostolicam sedem ulturum dictitans.* Promotus in episcopum Carnotensem anno 1459. Milo, in favorem sequentis decanatum ejuravit.

L. Carolus d'Illiers Milonis ex fratre nepos, B patruo cedente decanatum obtinuit bulla Pii papæ data Mantuæ IX. cal. Septemb. 1459. Æmulum Guillelmum Fournier a capitulo electum evicit senatusconsulto 25. Junii 1463. Adstitit clientelis, quas Miloni episcopo professi sunt Johannes abbas sancti Petri in Valle ultima Julii 1464. Ludovicus Bonævallis 4. Junii 1465. & Stephanus de Columbis 1466. Præerat adhuc capitulo 6. Novembris 1474. quo tempore Milo d'Illiers erat succentor, quicum permutavit, non tamen ante annum 1508. ad quem usque perseverasse videtur.

LI. Milo III. d'Illiers ex succentore decanatus C possessionem adeptus est die 20. mensis Februarii 1508. vi bullarum Julii papæ datarum Romæ sexto calendas Februarii ejusdem anni super collatione decanatus in favorem Milonis, vacantis per resignationem Caroli in causa permutationis cum præpositura quadam. Quibus ex literis liquet Milonem ex utroque parente nobili genere ortum. Fuit & camerarius Columbensis, postea ejusdem loci abbas. Huic Stephanus Guerin consecravit poëma in laudem sancti Stephani & elegiam de incendio ecclesiæ Carnotensis idibus Septembris 1516. ex quibus discimus decanum tunc temporis adolescentem præceptores habuisse Geor- D gium Bokest ac Hieronymum de Hangest sacræ paginæ professorem, quo docente magistralem lauream ex ædibus sanctæ Genovefæ reportaverat Milo. Ad ultimum electus episcopus Lucionensis bulla Clementis papæ data Romæ X. calendas Januarii 1526. licentiam retinendi simul decanatus assecutus est, quem ad annum 1553. retinuit, quo ab humanis excessit.

LII. Petrus II. d'Hommes Milonis ex sorore nepos, electus est decanus 14. Martii 1553. (1554.) & 29. ejusdem possessionem nactus est. Ludovico episcopo clientelam professus est ultima Aprilis. Præbenda carens nusquam recedit, nec E capitulo præfuit. Sequenti cessit mense Martio 1565. & biennio post obiit 27. Maii 1567.

LIII. Stephanus III. Boudet, præcedentis forsan consanguineus, baccalaureus in decretis, parochus Castri novi in Pinceraio annos natus 44. per cessionem Petri admittitur in curia Romana 26. Maii 1565. & invito capitulo possessionem nactus est. Æmulum quippe passus est Petrum de Fontaines electum a capitulo 28. Maii per obitum Petri d'Hommes, eumque evicit senatus Parisiensis consulto die 3. Februarii 1569. Postea

ejurata & dimissa in manibus capituli dignitate, A

LIV. Guillelmus V. d'Aubermont Tornacensis, ex archidiacono Blesensi & camerario electus 18. Augusti 1578. Nicolao episcopo clientelam professus est 3. Novembris. Eodem vivis exemto anno 1590. mense Februario,

LV. Ludovicus Boucher ex præcentore electus est decanus & receptus 20. Martii ejusdem anni, & 3. Januarii 1600. in fata concessit, annos natus 86.

LVI. Augustinus Prevost de Brevanes ex archidiacono Pisciacensi decanus electus est XI. Januarii 1600. Diem clausit supremum 18. Aprilis 1606. Jacet apud Dominicanos Carnot. B

LVII. Robertus IV. Boette ut in archidiaconatu successerat, ita & in decanatu Augustino 26. Aprilis 1606. successit. Philippo episcopo fidem juravit 22. Septemb. 1609. Minores Capucinos in suburbium Carnotense adduxit, stabilivit, cœnobiumque majori ex parte construxit. Cathedram concionatoris in ecclesia cathedrali de novo erexit cum pensione annua 500. librarum Turonensium pro sermonibus Adventus & Quadragesimæ. Dignitatem cum sequenti permutavit mense Januario 1638. & 22. Decembris viam universæ carnis ingressus est, & ad Fratres Capucinos Carnotenses, ipsorum indutus vestem, appositus est 24. eorumdem mensis & anni. De eo C in necrologio sancti Aviti: *VIII. calend. Januarii obiit D. Robertus Boette decanus Carnotensis, qui dedit nobis 6000. libr. pro restauratione ecclesiæ nostræ, & alia multa bona fecit nobis. Obiit anno M. DCXXXVIII.*

LVIII. Petrus III. Fougeu ex cancellario ecclesiæ & sancti Severini castri Landonis abbate, generalique Jacobi Lescot in spiritualibus vicario, permutatione cum præcedenti facta pro abbatia sancti Severini, possessionem decanatus adeptus est 9. Januarii 1638. defunctus 1650.

LIX. Elias Fougeu d'Escures superioris germanus, Carnotis oriundus, doctor Sorbonicus & archidiaconus Drocensis, Petro cedente electus a capitulo 20. Aug. 1650. decanatum ad annum 1684. tenuit, quo

LX. Henricus Goault Sorbonæ baccalaureus, electus est 24. Augusti, decennioque post sequenti cessit.

LXI. Robertus V. Goault Henrico patruo cedente receptus est 2. Augusti 1694. æmulum passus Jacobum Wanet electum a capitulo 12. Junii anni ejusdem, doctorem Sorbonicum & archidiaconum Dunensem.

LXII. Antonius Bochart de Champigni licentiatus in decretis ex cancellario canonicus, ex canonico electus est a capitulo decanus 24. Januarii 1695. quinquennioque post thesaurarius Sacræ capellæ Parisiensis anno 1699. in festo Paschæ, cui decanatum abdicanti,

LXIII. Johannes Baptista Mareschaulx successit, receptus 24. Junii 1701. Obiit mense Augusto 1710.

LXIV. Michael Johannes Morel doctor Sorbonicus, præpositus de Auversio & canonicus, decanus electus est a capitulo 26. Augusti 1710.

DE SANCTA CAPELLA CASTRODUNENSI.

POSITUM erat in ipso castro vetus quoddam sacellum, quod Ludovicus comes Blesensis ineunte seculo decimo tertio dederat capitulo B. Andreæ ejusdem oppidi, capitulum vero cesserat anno 1220. monasterio beatæ Mariæ Magdalenæ Castridunensis. (Ch. LXXXI. col. 351.) Sacellum illud, quod ruinam minitaretur, demoliti sunt celeberrimus Johannes Dunensis & Maria Harcuriensis ejus uxor, ut aliud quoddam nobilius exstruerent. Ibi autem remuneratis beatæ Magdalenæ canonicis collocare proposuerant canonicos regulares alios tredecim, ex D abbatia sancti Victoris Parisiensis assumtos. Quod consilium ad irritum cecidit. Franciscus eorum filius, canonicis regularibus recusatis, locum attribuit anno circiter 1467. presbyteris secularibus, (Chart. CXXXII. col. 404.) quos aliquanto post creari canonicos voluit. Constat collegium illud, quam *Sacram capellam* vocant, præposito uno, cantore uno, canonicis aliis octo, ac tribus choristis. Quæ omnia diplomate pontificio firmavit Innocentius VIII. papa, quinto cal. (Chart. CXXXIII. col. 405.) Januarii anno 1490.

ABBATIÆ DIŒCESIS CARNOTENSIS,

Quæ amplius non exstant.

I. SAINT MARTIN EN VAL. Sanctus Martinus in Valle. Fundatum erat A illud cœnobium in ea valle suburbii Carnotensis, unde nomen suum hauserunt pariter monasteria sancti Petri, sancti Johannis & Josaphati. Quo tempore, quibusve fundatoribus originem sumserit, ignoramus. Tradunt sanctum Leobinum Carnotensem episcopum, & sanctum Launomarum abbatem, ibi sepultos fuisse sexto seculo; unde conjiciunt utrumque in eodem asceterio vitæ monasticæ nomen dedisse: quæ quidem omnia potuisse fieri non diffitemur, facta esse tamen asseverare non audemus. Ut ut hæc sint, observatum est in episcopis Carnotensibus, Harduinum fratrem & successorem Ragenfredi, ut *obtrusum sibi episcopatus aditum sibi faceret pervium, abbatiam* hanc *de potestate episcoporum ejecisse, comitumque potestati habendam in perpetuo tradidisse*. Hinc igitur fugati sunt monachi anno circiter 960. basilica vero & monasterium clericis secularibus subinde tradita ad pontificatum usque Honorii II. papæ, (Chart. L. col. 327.) quo tempore monachis restituta sunt sub imperio ac ditione Majoris monasterii Turonensis. Stetit prioratus ille ad annum circiter 1660. quo utraque mensa prioris & monachorum attributa est monasterio beatæ Mariæ de Bono-nuncio Aurelianensi; basilica vero tradita Patribus Capucinis, qui ut sedem suam ibi figerent, primum ædificiorum suorum lapidem solenni ritu posuerunt xv. calendas Octobris anno 1664.

II. BROU. Braiacum. Hoc uno abbatiam illam novimus, quod sanctus Leobinus ab Ætherio Carnotensi episcopo illic constitutus fuerit abbas antequam ipse Carnotensem cathedram conscenderet. Progrediente ætate transiit monasterium ad Cluniacenses monachos, qui illud cesserunt anno 1124. Carnotensibus sancti Petri monachis, a quibus hactenus pendet, in prioratum quem vocant simplicem jampridem redactum. Videsis quæ observamus in Guillelmo I. sancti Petri Carnot. abbate.

III. S. LUBIN DES VIGNES. Sanctus Leobinus in Vineis. Quod ab ipso sanctissimo præsule Leobino constructum esse tradunt in suburbio Carnotensi sacellum, illud postea in abbatiam evasit sub ejusdem præsulis nomine, quam Odo I. Carnotensis comes Fulcherio tradidit. Præerat autem Fulcherius ille ex instrumentis, (Chart. VII. col. 293.) mense Februario anno XXVII. Lotharii regis, hoc est anno Christi 981. Transiit postea abbatia illa sub titulo prioratus in potestatem monachorum sancti Petri in Valle, qui locum integrum titulo prioratus servato cesserunt anno 1585. Patribus Capucinis, anno 1664. ad sanctum Martinum in Valle traductis.

IV. POISSI. Pisciacum. Monachos ex ecclesia Pisciacensi expulsos anno 1100. tam a Philippo I. rege, B quam ab Ivone Carnotensi, canonicosque ibidem restitutos jam animadvertimus in ipso Ivone. Henricum tamen & Philippum fratres Ludovici VII. Francorum regis, deinde Petrum legimus sedisse abbates beatæ Mariæ Pisciacensis: *Henricum* in tabulario S. Victoris Parisiensis, anno circiter 1138. *Philippum* in tabulario sancti Melonis Pontisarensis, anno 1147. *Petrum* in tabulariis abbatiarum Josaphati & Gaudii-vallis an. 1220. mense Junio, anno 1221. & anno 1223. mense Junio. Nempe ecclesiam hanc occuparunt primo canonici seculares, deinde monachi, tum canonici regulares, ad extremum canonici seculares qui C eam etiamnum possident.

V. MANTE. Medunta. Privilegium quoddam profert Marlotus datum anno circiter 1138. ab Henrico (Marlot. hist. metrop. Rem. tom. 2. pag. 385.) filio Ludovici VI. Francorum regis antequam Remensem cathedram conscenderet, in gratiam monasterii S. Victoris Parisiensis, quod sic incipit: *Henricus frater illustrissimi Ludovici, Dei gratia regis Francorum & ducis Aquitanorum, sancti Martini archiclavus, abbas quarumdam regalium ecclesiarum, videlicet sanctæ Mariæ de Stampis, sanctæ Mariæ de Corbolio, sanctæ Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Pisciaco, sancti Melonis de Pontisara*, &c. Unde colligimus idem dicendum esse de ecclesia Meduntensi, ac de ecclesia Pisciacensi. Porro inter abbates Meduntenses, præter hunc *Henricum* qui

præerat anno 1138. chartæ sancti Melonis Pontisarensis recensent *Philippum* fratrem ejus, anno 1147. & quædam schedæ *Simonem Faroul* anno 1615. Sed hunc perquam verisimile est ideo duntaxat dictum fuisse *abbatem*, quod apud nos usu receptum sit ante hos circiter ducentos annos, *abbatum* nomine eos omnes appellare honoris gratia qui habitum clericalem gestant, nullo etiam beneficio ecclesiastico donatos. Certe Farulfus ille decanus erat & officialis Meduntensis; de eoque recurret sermo in tractanda metropoli Remensi, ubi agemus de prioratu S. Marculfi Corbiniacensi.

VI. LEVES.

Leugæ. Non longe ab urbe Carnotensi positus erat parthenon ille in monte Leugarum, unde cognomen sumserunt Gaufridus de Leugis & Goslenus de Leugis episcopi Carnotenses. At eum solo tenus destructum nono seculo ab Helia eorum decessore non unquam posthac restitutum esse legimus.

VII.

Sancta Gausburgis. Quam sanctæ Gausburgis cellam Ivo Belismensis comes dedit anno 1034. Carnotensibus sancti Petri monachis, ut mox observabimus in Landrico hujus monasterii abbate, hanc eamdem Willelmus Ivonis pater dederat cuidam monacho Bonevallensi, nomine Beringerio. Sed Beringerius *abbas consecratus, bellorum frequentiam atque loci paupertatem quotidie crescentem ferre non valens, sponte ad suum cœnobium reversus* fuerat. Abbatiæ igitur titulo aliquandiu decoratum est sanctæ Gausburgis monasterium, uni autem *Berengerio*, tanquam abbati, paruit. Existimavit Mabillonius noster Beringerium illum non sanctæ Gausburgis, sed Bonævallis abbatem fuisse: qua in re doctissimum virum offendisse nemo non videt. Adde quod nullum hujus nominis abbatem commemorant Bonevallenses tabulæ. Obiit Beringerius duodecimo calend. Januarii, ex necrologio sancti Petri Carnotensis, anno incerto.

Ex chartul. sancti Petri in Valle.

Annal. Bened. tom. 4. pag. 396.

VIII. SAINTE GEMME.

Sancta Gemma. Anno 1148. fundatus est a Garnerio Bisolio prioratus sanctæ Gemmæ, monasterio sancti Aviti Castridunensis obnoxius; postea abbatia facta, & seculo decimo tertio ineunte, ab omni sanctimonialium sancti Aviti dominatione libera; nunc denique ab anno 1444. quo propter loci desolationem attributa est Columbensi asceterio, & abbatiæ titulo carens, & monialibus destituta. Nonnullas parthenonis hujus abbatissas, quarum nomina sparsim occurrunt, excepimus.

Chart. LIV. col. 331.

Ch. CXXIV. col. 393.

I. Ermengardis, seu Ermensendis aut Hermensendis. Anno 1203. ad preces Roberti comitis, domini Drocarum & Branæ, & Yolendis comitissæ ejus uxoris, canonici Magdunenses Ermensendi abbatissæ & pauperibus monialibus S. Gemmæ permiserunt molendinum construere apud Morvallem; ex chartulario sancti Lisardi Magdunensis.

II. Isabella sedebat anno 1279. ex tabulario monasterii sancti Johannis in Valle.

III. Maria mense Novembri anno 136 . .

IV. Margarita XII. cal. Martii anno 1389.

V. Maria de Marc XIV. calend. Januarii anno 1390.

VI. Johanna de l'Epine IV. idus Novembris anno 1392. & XVII. cal. Februarii anno 1403.

VII. Petronilla calend. Martii anno 1404. & idibus Januarii anno 1407.

VIII. Martina Drouin seu la Drouine XI. cal. Januarii anno 1409. & tertio idus Septembris anno 1412.

IX. Nicolaa XIII. cal. Augusti anno 1426.

X. Johanna II. IV. cal. Decemb. anno 1435.

XI. Martina II. X. cal. Martii anno 1450. & VI. calendas Martii anno 1456. forte etiam anno 1454. quando pronunciatum est exstinguendam esse abbatiam.

XII. Alips.

XIII. Jaquelina.

XIV. Phil . . . .

XV. Isabellis de Booleto Tyerrio. Quatuor illæ clientelam professæ sunt ecclesiæ Carnotensi annis indenunciatis, ex necrologio ejusdem ecclesiæ.

XVI. Coleta de Graveron Miloni episcopo Carnotensi obedientiam promisit IV. cal. Januar. anno 1460. Nondum forte, ut credere est, consummata erat parthenonis rescissio.

IX. S. ANDRÉ.

Sanctus Andreas. Ecclesiam sancti Andreæ olim in suburbio, nunc intra mœnia urbis Carnotensis positam, abbatiæ titulo decoratam fuisse constat; monachos autem an canonicos regulares enutrierit, non est forte disputandi locus. Quod si verum est quod ait Rulliars, partheniæ suæ cap. 13. ecclesiam hanc Ivonem Carnotensem aliquandiu possedisse, canonicos regulares ibidem sub abbate a religiosissimo præsule positos fuisse omnino credibile est. Hinc verisimilitudinem quamdam habet quod observabimus infra ex Sammarthanis, Henricum sancti Carauni præpositum secularem nominari anno 1108. in actis fundationis sancti Andreæ Carnotensis. Et certe quos novimus hujus monasterii abbates, ii duodecimo duntaxat seculo vixerunt, vel saltem undecimo exeunte. Nunc vero & ab ipsis forte seculi decimi tertii primordiis, locum occupant canonici seculares.

I. Guizo sedebat abbas ex apographis quibusdam anno 1092.

II. Galerannus præerat ex instrumentis nostris anno circiter 1119. Subscripsit anno 1124. concordiæ initæ Cluniacenses inter & monachos sancti Petri Carnotensis. Sedebat adhuc septimo calend. Julii anno 1128. ex tabulario sancti Martini in Valle.

Ch. XLI. & XLV. col. 319. & 324.

III. Guillelmus occurrit in tabulis anno 1156.

IV. Hugo præerat ex tabulario capituli Carnotensis anno 1190. mense Apr. & anno 1192. mense Maio.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

SUNT illæ numero 21. quibus pro dignitate sua adjungemus monasterium sancti Ludovici Pisciacense.

ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Virorum.

Sanctus Petrus in Valle.
Bonavallis.
Nealfa vetus.
Columbæ.
Tiro, seu Tironium; ad cujus calcem recudemus abbatias *Ferrariarum* & *Jugi-Dei*, a nobis olim tom. II. & IV. hujus nostræ Galliæ Christianæ minus accurate tractatas.
Josaphat.

Quibus propter plurima scitu digna addemus *Mellentinam sancti Nicasii* cellam.

Feminarum.

Sanctus Avitus Castrodunensis.
Sanctus Cyricus.
Sanctus Remigius *de Landis.*
Sanctus Corentinus.
Arcissæ, seu Arcissiæ.

ORDINIS SANCTI AUGUSTINI.

Virorum.

Sanctus Caraunus.
Sanctus Johannes in Valle.
Clarus-fons.
Sancta Magdalena Castrodunensis.
Sanctus Vincentius in Nemore.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Feminarum.

Claretum, seu sancta Maria de Claretis.
Aqua.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Virorum.

Alba-curia.
Grandis-campus.
Gaudium-vallis.

ORDINIS SANCTI DOMINICI.

Feminarum.

Sanctus Ludovicus Pisciacensis.

SANCTUS PETRUS IN VALLE.

S. Pere en Vallée.

ANtiquissimum *sancti Petri* monasterium ad radices montis, cui superimposita est urbs Carnotum, in amœnissima valle conditum est secus Auturam * amnem, olim quidem extra mœnia positum, & ab ipso vico cui nomen dederat, sejunctum, sed anno circiter 986. ad præcavendas infestationes quibus non semel dirutum fuerat, muris ac propugnaculis cum maxima vici sui parte opitulante Odone comite circumseptum, demum
A urbi ipsi cum eodem vico fuit adjunctum intra annos 1356. & 1360. De prima ejus origine nihil comperti habemus, nisi quod locus ille *inter regales per Galliam nobiliter fundatos & augustalibus titulis comtus & præclarus* dicitur in veteri Aganone, hoc est in pervetusto monasterii ejusdem codice ms. qui Aganonis episcopi nomine inscriptus est. Scilicet eo loci, ubi non solum episcoporum & cleri, verum etiam, ut memoriæ proditum est, ceterorum a primis christianæ religionis apud Carnotes incunabulis fidelium corpora plerumque sepeliebantur (ibi autem condita fuerat S. Solina virgo & martyr, cujus corpus etiamnum asservant
B in capsa pulcherrima monachi sancti Petri) fundatum est vel sexto seculo, vel saltem ineunte septimo, monasterium quod reges ac proceres nonnulli & villis & latifundiis amplificaverunt. Laudantur in primis in eo codice Hilarius quidam illustris, qui alodium suum ad portam urbis *cinerosam* condendæ in honorem S. Hilarii ecclesiæ medio septimo seculo concessit; & Bathildis regina, cui Geneti & Autrici villæ apud Velocasses acceptæ referuntur.

Anno circiter 845. Helias, de quo egimus in episcopis Carnotensibus, abbatiam S. Petri regia auctoritate, quam forte pecunia redemerat, adep- *Annal. Bened. tom. 2. pag. 608. ex veteri Aganone.*
C tus, eam armis occupare instituit repugnantibus monachis, qui ejus tyrannidem merito reformidabant. Hos itaque militari manu aggressus, multo cruore effuso, rerum tandem potitur, pretiosa quæque cimelia & ornamenta diripit, vasa sacrata aurea & argentea asportat distrahitque, terras sanctuarii partim in suos usus convertit, partim propriis stipendiariis in beneficium confert. Hinc factum est ut episcopum abhorrentes plerique monachi, loco derelicto, ad Autissiodorense sancti Germani cœnobium confugerint, aliis interea vix sibi relicta victus ac vitæ facultate incertis quo pergerent, ab eodem invasore dure & inclementer
D tractatis. Mortuo tamen Helia, suffectoque ei Burchardo, reversi sunt monachi ad pristinam sedem. Verum sub Frotboldo Burchardi successore, anno 857. barbara Normannorum manus supremam cladem urbi & monasterio attulit; qua in vastatione trucidatus est Titulfus presbyter & monachus sancti Petri pridie idus Junii. Paulo post Gislebertus præsul munificus, ut augeret in illo cœnobio numerum monachorum, eorum paupertati subvenit. Sub Gerardo episcopo, qui sedebat anno circiter 888. vel sub Aimerico qui Gerardum proxime excepit, aliquot clerici exstinctis monachis locum occupavere. Agano episcopus,
E qui sedebat annis 931. & 941. monasterium pene in solitudinem redactum a fundamento restituit, ecclesiamque vel instauravit vel reparavit, canonicis ibidem sub Alveo præposito constitutis. Ad extremum Ragenfredus proximus Aganonis successor, cum suapte pietate, tum etiam impulsu Alvei præpositi, qui religionis monasticæ studiosissimus

* l'Eure.

studiosissimus erat, monachos ibidem restituere A decrevit in locum canonicorum, qui relictis spiritalis militiæ exercitiis ad terrena & caduca toti conversi erant. Alveus itaque a seipso bene vivendi initium sumendum ratus, ad Floriacense monasterium tunc fama religionis celebre se contulit, & monastico indutus habitu, ibidem per triennium conversatus, regulam S. Benedicti perfecte didicit. Inde a Ragenfredo episcopo revocatus, duodecim secum monachos adduxit concedente ac comitante Vulfaldo abbate, qui tum Floriacensibus præerat, factus postea & ipse episcopus Carnotensis. Alveo duce ac magistro monastica disciplina reviviscere cœpit in illo sancti Petri monasterio, cui B Ragenfredus multas possessiones a decessoribus suis subtractas restituit, eique in supplementum duodecim ecclesiæ suæ assignavit præbendas, quarum postea mediam partem Harduinus ejus frater ac successor abstulit. Ragenfredi unum hac de re instrumentum ex Aganonis codice ms. jam ediderant Sammarthani, cui & nos alterum addimus inter instrumenta ecclesiæ Carnotensis, ex eodem codice, utrumque sine chronicis notis, sed ut Mabillonio ex subscribentium tempore videtur, vix ante annum 954. conscriptum.

Chart. v. col. 291.

Basilica hujus monasterii, quam ab episcopo Aganone consecratam fuisse tradunt, ducentis fere C post annis ruinam minitabatur ex incendio, quod monasterio necnon urbi ipsi plurimum offecit nonis Septembris anno 1134. quum sub annum 1160. Fulcherius abbas, operi manum admovente Hilduardo peritiæ singularis monacho, chorum instauravit; cui claudendo, quum alte humus egereretur, repertum est anno 1165. S. Gilduini sarcophagum, quod aliam in partem translatum tot miraculis effulsit, ut oblata ad sancti Confessoris corpus donaria promovendæ navi abunde suffecerint. Anno 1543. Christophorus de Calceata, juvante Francisco de Brilhac abbate, odeum & altare majus additis iconibus elegantibus con- D struxit; postea a Patribus reformatis congregationis sancti Mauri, & basilica & monasterium vel magna ex parte refecta sunt, vel aucta & locupletata campanis omnibus fusis anno 1653. horologio, vasis sacris, lampadibus, baculo cantoris, vase aquæ benedictæ, urceolis, pelvibus, ceterisque ecclesiæ ornamentis anno 1662. organis anno 1671. anteridibus basilicæ ruinam minitantibus, ad perpendiculum adductis anno 1698. dormitorio, sacristia, capitulo, archivo, a fundamento instauratis an. 1700. optimis denique ad resarciendam bibliothecam codicibus identidem comparatis. In capitulo sepulti sunt Ledgardis comitissa Carno- E tensis anno 981. mortua, Theodericus & Theobaldus filii Odonis I. comitis Blesensis, Carnotensis ac Turonensis; in claustro, Hildegardis vicecomitissa Castriduni; in basilica, Gisslebertus, Guantelmus, Agano, Ragenfredus, Fulbertus & Theodericus episcopi Carnotenses; Robertus archiepiscopus Rotomagensis, filius Richardi I. ducis Normanniæ; denique, ut ceteros taceam, Carolus de Bourg-neuf, Nannetensis episcopus, fato functus Carnoti XVI. cal. Augusti anno 1617.

Quam reformationem aggressi fuerant Patres sancti Mauri, ea videbatur, ut erant tempora, admodum necessaria. Duodecimo seculo viguisse apud monachos sancti Petri regularem disciplinam testantur egregia Udonis abbatis constituta, maxime vero Ranulfi subprioris & Rainfeldi camerarii quæstiones ad sanctum Bernardum Claræ-vallis abbatem missæ, quæ scribendi *de præcepto & dispensatione* libri sanctissimo viro ansam præbuerunt. Hinc arctioris vitæ studio Hubertus Columbensis monachus Carnotum ad Udonem abbatem se contulit; quod alios itidem fecisse dubium non est. Sed ducentis post annis monachos illos jam invaserat amor peculii, quanquam regulis quibusdam circumscriptus; deinde frementibus Anglorum bellis, cum illa, tum aliæ sensim labes agmine facto proruperunt audacius, ut ineunte quinto decimo seculo quidam monachus Hamensem in cellam diœc. Constantiensis missus ex obedientia, proventus illius ac prioris titulum invito abbate sibi arrogare præsumserit. Sævienti malo remedium ut afferret Johannes Pinart abbas eximius, anno circiter 1470. inito generali monachorum suorum cœtu, saluberrima condidit decreta quibus labefactatæ regulæ succurreretur. Eadem, vel iis non absimilia, monachi sub annum 1490. favente commendatario pariter congregati renovarunt. Anno 1551. dissidentibus cum abbate monachis, de cœnobii reformatione vicissim actum est in Parlamento Parisiensi, resque Francisco Disque consiliario, Carnotensique archidiacono commissa. Tum jubente Ludovico Guillard antistite, vocati sancti Martini de Campis Parisiensis & Cœlestinorum Eclimontensium priores egregia decreta condiderunt: quæ quum abbatem non minus quam monachos premerent, longe aliis ille studiis addictus (quippe ejurata catholica religione nupturiebat) pactum sancte juratum temeravit. Nihilominus ad intermissa pietatis officia rediere monachi, quos anno 1584. restituendæ disciplinæ Columbenses adhibuerunt. Reddita regno pace sub christianissimo rege Henrico IV. surrexit exemtorum, maxime Dionysianorum, Benedictina congregatio, quæ cum religionis specie privilegiis præcaveret, ad illam anno 1607. Luteciæ Parisiorum in suburbana S. Lazari cella cœtum agentem missus est Carnotensium, Bonevallensium, Josaphatensium & Columbensium nomine, sancti Petri in Valle prior Ivo Gaudeau, qui se suosque illi exemtorum cœtui sociavit. Sed quum parum inde profecissent illi, Franciscus cardinalis Rupefucaldus nova ipsis decreta proposuit an. 1624. quæ tametsi ad regulæ mentem exacta rejecerunt. Itaque ad annum Christi 1650. dilata est monasterii reformatio, quum Ludovico de la Riviere abbate apud Aquitanos degente, prior & monachi Patres congregationis sancti Mauri evocarunt, a quibus disciplina regularis in integrum est restituta.

De archidiaconatu sancti Petri pauca addimus. Constat ille duodecim parochiis, in quibus abbas & monachi jura archidiaconatus sibi vindicant, firmata primum anno 1215. ab Reginaldo

episcopo Carnotensi, deinde anno 1220. ab Honorio III. summo pontifice; sed rescissâ ineunte hoc seculo, quam canonici ecclesiæ cathedralis exercebant in quasdam parochias suæ ditionis jurisdictione, antiquatus aliquatenus est simul & abbatiæ S. Petri archidiaconatus. Nimirum abbas sancti Petri immediate per se, non vero per ullum archidiaconum præsentat episcopo nominatos ad curas parochiales ecclesiarum dicti archidiaconatus, quas quidem ecclesias visitare nemini nisi soli episcopo hucusque licitum fuit.

Abbatum Series.

Annorum plus minus quadringentorum orbitatem patiuntur monachi sancti Petri in Valle, deperditis abbatum suorum per ea secula non modo gestis, sed etiam nominibus: ut ab instauratione monasterii ducenda sit abbatum series.

Ex chartul. sancti Petri in Valle.

I. Alveus, de quo in prologo, patrem habuit Geroardum vicecomitem Carnotensem, cujus obitus notatur in necrologio sexto idus Junii, fato functus ex eodem necrologio XVI. cal. Septemb. paulo post Ragenfredum antistitem. Sepultus est ante altare beatæ Mariæ virginis, & ab Aganonis scriptore Beati nomine donatus.

II. Arembertus, volente Harduino episcopo Ragenfredi successore, dictus abbas, protinus accisas monasterii res ingemuit. Itaque quum frangendis Harduini conatibus imparem se videret, mortem inglorio regimini prætulit, eodem fere tempore quo Harduinus vivere desiit mœrore consumtus octavo calendas Maii, ex necrologio. Hunc præfuisse vult Mabillonius noster an. 955. qui primus erat Lotharii regis. Sed ab Harduino Carnotensi episcopo institutus est abbas. Harduinus autem ex eodem Mabillonio regere non cœpit Carnotensem ecclesiam ante annum 960. quo Ragenfredus decessor ejus obiisse videtur.

Annal. Bened. tom. 3. pag. 524.

Ibidem pag. 548.

Vulfaldum quidam recentiores Aremberto sufficiunt usque ad illum diem quo Carnotensium antistes salutatus est. Verum ut Carnotum se contulerit, monachis suis Harduini jugo pressis opem laturus, abbatis nomen ibi sumsisse non videtur. Quod si contigisset aliquando, non dubium quin Aganon vetus illud ipsum memoriæ commendasset. Atque hinc corrigendum est Vulfaldi epitaphium a nobis superius memoratum, in quo meritissimus præsul dicitur *ex abbate Floriacensi, & postea sancti Petri in Valle, episcopus Carnotensis factus.* Nimirum epitaphii scriptorem fefellit necrologium ecclesiæ cathedralis, cujus eodem loci hæc verba transcripsimus, *abbas primum, postque pontifex sedis istius Vulfaldus.* At vocula hæc, *abbas,* Floriacense monasterium designat, non Carnotense sancti Petri.

III. Widbertus seu Guibertus, sedebat anno 965. quo tempore fundatus est prioratus sancti Georgii subtus Motellam. Hic autem *quantæ doctrinalis scientiæ vir fuerit, beati Emani passio, quam decenti stilo composuit, declarat; quantaque religionis exstiterit, plurimorum fidelium donaria, quæ chartis inferius scriptis* (sic chartularium S. Petri) *adnotata demonstrant. Multi enim ejus sanctitatem agnoscentes,* A *ejusque sapientiæ sale verborum copia conditi, terrenas divitias vilipendentes pro regni cælestis aditu commutabant.* In his effulsere Walterus Drocarum comes, & Odo Carnotensis episcopus, qui anno 968. datas renovato monasterio possessiones firmavit præsente Ottone Burgundionum duce cum ceteris principibus viris, alias ipse non paucas superaddidit. Widbertus benedictus est a Vulfaldo noviter consecrato episcopo. Hujus autem & monachorum suorum sanctitas Ledgardim comitissam pepulit, ut iis duo prædia satis ampla in pago Vulcassino præter Giliacum, qui brevi tempore factus est prioratus abbatiæ S. Petri obnoxius, dono daret B anno 978. item Rodbertum militem, ut Avrion, hoc est Ebroniense monasterium in diœcesi Cenomanensi restituturus, abbatem & monachos inde expeteret. Sed quæ ad eam rem exsequendam conducerent dum providebantur, Widbertus ingenti suorum desiderio ad cœlestem patriam migravit XV. calendas Decembris, ex necrologio. Libellus autem, quem de passione Emani sociorumque ejus martyrum edidit, habetur in codice Colbertino, sed nullum auctoris nomen præfert.

Tom. 2. Gall. Christ. instr. col. 7.

IV. Gisbertus ætate provectus Widbertum excepit. Hunc Rodbertus Ebroniensis miles expetiit, ut unum ex suis monachis benedicendo, C *in prædicto oratoriolo,* inquit chartularium sancti Petri, *abbatem substitueret,* eo pacto ut *Avrion locus pro tradendis benedictionibus, vel substituendis abbatibus, in potestate* monasterii sancti Petri *perpetualiter permaneret, quippe a quo suæ instaurationis summam haberet & principium.* Electus ilico Tedbertus monachus sancti Petri in abbatem, qui Ebronienses regularis normæ præceptis informaret, accedente regis, pontificum, & *tam ecclesiasticarum, quam secularium potestatum, una cum totius plebis consensu.* At succedente tempore abbatia illa facta est sui juris. Gisbertus anno, ut existimamus 985. ab Lothario rege, suffragantibus Odone D Carnotensi episcopo, Odone comite cum uxore Berta & Hugone duce, immunitatem ab omni seculari justitia, non tantum monasterio suo, sed locis omnibus ipsi adjacentibus, vel ubicunque essent pertinentibus, consequutus est, quam syngrapha sua proceres duodeviginti cum rege & cancellario consignarunt. Mox dignissimus abbas viros natalibus insignes monachorum suorum cœtui adjungit, domesticam rem auget, sancti Petri burgum muro cingit, servos asserit in libertatem, ac demum post annum quintum regis Rotberti, ex chartulario sancti Petri, hoc est anno 1001. senex emeritus gravem in morbum incidit; E quo tempore Magenardus ad Theobaldum comitem properat abbatiam prærepturus. Redeunti cum accepta potestate Gisbertus quinque dies superstes ad æternam quietem volavit XVIII. calend. Februarii, ex necrologio.

Chart. IX. col. 194.

V. Magenardus, cujus quam fœda, canonicisque regulis adversa fuerunt initia, tam præclarus vitæ cursus ac regiminis exitus fuit, nobili Marciliacorum genere satus, adolescentiam optimis artibus ac moribus imbuerat. Factus monachus, in principum atque optimatum notitiam venit.

Illum vero præ ceteris Theobaldus comes Odonis I. filius in deliciis habebat. Hinc natus ambitionis fomes. Quum ergo Gisbertus abbas letali morbo premeretur, Magenardus *noctu sese de claustro surripuit*, Fulberto ex Aganone veteri referente, *& ad Tedbaldum comitem, qui Blesis tunc morabatur, abbatiæ petendæ gratia properavit. Comes illum*, inquiunt, *postridie remisit ad nos, quum legati denunciarent recipiendum magnifice sicut abbatem canonicis & monachis.* (Inter monasterii alumnos censebantur tunc temporis aliquot canonici, sive ex illis qui sub Alveo degebant tempore instaurationis, sive ex aliis sex qui concessione pontificum præbendas in ecclesia cathedrali possidebant.) *At nobis fere omnibus ea res æque nova & horribilis fuit. Respondimus itaque longe aliter nobis videri: nec enim legatione fieri abbatem, nec debere recipi, qui abbatiam alterius ipso vivente per ambitionem petit, qui a fratribus non eligitur, & super illos nititur dominari; postremo qui noster neque monachus sit, neque clericus, & qui plures habeat testes curialiter agitandi, quam monastice vivendi.* Dum ille *redequitat ad comitem*, post dies quinque moritur abbas. *Conveniunt ad capitulum nostri monachi & quidam canonici, quos ratio postulabat admitti. Interrogamus an aliqui fratrum incœpto Magenardi faveant; negant singuli, negant omnes.* Mittuntur legati ad comitem vera relaturi. Sed ecce alii duo, Vivianus scilicet & Durandus præpositi, dum fingunt aliud, præter decani jussum Blesas ad Theobaldum currunt, *ipsum Magenardum a fratribus peti & eligi perfide mentientes. Horum suffragio lætus comes, statim eum baculo pastorali publice donat.* Nequicquam intercedunt monachi; *nam die proxima comes cum strepitu comminantium Magenardum obtrusit. Ad cujus violentum ingressum sancti fratres contaminari ipsius communicatione timentes, sanctuario Domini Salvatoris cum lacrymis exierunt; atque aliud refugium nescientes ad limina principalis ecclesiæ confugerunt. Recipit eos sancta Mater Domini solita pietate; recipit Rodulfus decanus dulci benignitate;* nec minori præsidio fuit illis Fulbertus, ejusdem ecclesiæ scholasticus & cancellarius, postmodum episcopus, qui supplices hac de re literas scripsit ad Abbonem Floriacensem abbatem: *Jacet victa*, inquiebat, *confusaque fratrum expulsorum humilitas; nec est præsul in Galliis, cujus viscera tangat affectio pietatis. . . . . Unde jam ad te revertens, venerande pater, ... per dulcedinem fraternæ caritatis, si quid potes, ... fratres allisos resove, nec perire sinas inopia solatii tui.* Ne Carnotensibus canonicis graves essent monachi sancti Petri, *inde transierunt ad cœnobium sancti patris Herberti, cujus dives caritas de paupere censu quæque potest illis necessaria subministrat.* Latiniacense monasterium regebat tunc temporis Herbertus abbas, quem e Carnotensium grege assumtum fuisse credunt. At Magenardus *ab Hervino quodam, ut aiunt, Britannicæ regionis episcopo IV. non. Februarii abbas simulatur absente clero, indignante populo, legato archipræsulis palam contradicente ne id fieret, reclamantibus etiam quibusdam monachis qui in loco remanserant, vero vultu, viva voce, atque regulari auctoritate.* Interea moritur comes Theobaldus, cujus

A corpus Magenardus *in capitulo sancti Petri ad pedes fratris sui Theoderici collocat.* Carnotenæ sedi mox impositus Rodulfus, Magenardum hortatu Abbonis abbatis *baculo pastorali auctoritatis manu extorto, in domo episcopi per dies aliquot commorari* jubet; quod unum resarciendæ regulari normæ remedium videbatur afferri posse. Postquam vero eum *instantem in orationibus, pernoctantem in vigiliis, luculentum in sermonibus, pollentem in literis adverterunt, postposita lite, ei pastorale baculum & abbatiæ suggestum gratanti animo reddiderunt. Qui quandiu vitalis flatus ei fuit, pio amore oves sibi commissas duplici victu affatim pavit.*

B Magenardi abbatis bonæ frugis facti præfecturam illustravit Ardfasti secessus in monasterium. Hic Normannos inter proceres illustris, detecta impiorum hominum turba, qui Aureliani tetram hæresim spargebant, Roberto regi, Constantiæ reginæ, Robertoque Normannorum duci percarus, hortante Fulberto episcopo, seculo valedixit, & ad S. Petrum receptus, eidem asceterio Hamensem Constantini pagi villam prædivitem cum servis & appendicibus contulit; quæ villa facta est postea prioratus monasterio sancti Petri obnoxius: deinde mortuo Magenardo, Arnulfo abbati comes individuus adhæsit. Obiit autem Magenardus tertio C calendas Aprilis, anno, ut videtur, 1013. omnibus ingens sui desiderium relinquens.

VI. Arnulfus *a puero monachus* (ita chartularium sancti Petri) *& ad plene monialibus studiis eruditus, pudice agens adolescentiam suam, bonisque operibus exornans*, factus est basilicæ æditiuus; dein *meruit post Magenardum abbatem a Fulberto præsule sacrari, & in regimine abbatiæ subrogari: cujus vita & innocentia ea tempestate eo rutilabat, ut ab Odone Palatino comite admodum diligeretur, atque Richardi Normanniæ comitis confessor fieret.* Multis ab eodem Richardo auctus est donis, ac præsertim ecclesia suburbana sancti Gervasii Rotomagensis, D quam *insatiabili avaritia quorumdam monachorum quos ibi posuerat, postea perdidit.* Tantus erat ejus virtutum splendor, ut Fulbertus antistes morti proximus ad sanctum Petrum deferri, atque inter ejus brachia animam Deo repræsentare voluerit. Tanti autem faciebat eo tempore monachorum sancti Petri religionem Hildegardis vicecomitissa Castriduni, ut in eorum claustro voluerit sepeliri post mortem, *ut*, inquit pia mulier, *semper transeuntes super meum tumulum, orent pro me jugiter.* Chart. x. col. 195.
Arnulfus vero, *dum vixit, nullo modo tramitem regulæ a quoquam passus est deviari; sed se ipso prævio omnes magistram sequebantur regulam; & opibus variis dia*E*tim affluebant.* Rigidum hunc regulæ tenorem ægre ferentes Walterus monasterii decanus, & fautores sui, apud Theodericum antistitem querelis suis effecerunt, ut monachos ejusdem loci, Ebrardum abbatem *Britogili castri, qui tunc aderat ibi, ac certis ex causis eo tempore abbatiam suam reliquerat*, Gundfredum, Durandum, Ardfastum & Ernaldum, quos ad consilium adhibebat Arnulfus, monasterio præsul abigeret. Necessarios & insignis meriti viros abbas se relicto exsulare non est passus; sed cum illis Gisiacum se recepit, ubi tribus continuis

mensibus qua licebat suis prodesse non destitit. Inde per Odonem comitem summo cum honore restitutus anno circiter 1030. obtinuit biennio aut triennio post a Roberto archiepiscopo Rotomagensi, ut ecclesia Fontaneti apud Velocasses, quae pendebat a Gisiacensi cella, omnino libera esset, annuentibus Herberto Lexoviensi, Roberto Constantiensi, Radbodo Sagiensi, Hugone Ebroicensi, Maingiso Abrincensi episcopis, Henrico denique abbate sancti Audoeni Rotomagensis subscribente: quae omnia in annum cadere videntur non posse, nisi 1032. aut 1033. Hinc benefico archipraesuli statutae eodem anno preces annuae. Ipse autem Arnulfus paulo post obiit VIII. idus Martii, anno, ut existimamus, 1033. post annos regiminis viginti, ex ejus epitaphio; & si chartulario S. Petri fides adhibenda est, post triduum *Ebrardo abbati jam in abbatia sua regresso in visione apparuit.*

Chart. XII. col. 297.

Ch. XIII. col. 298.

Mabill. sec. VI. Bened. part. 1. pag. 319.

VII. Landricus clarissimo genere ortus, factus est abbas, ex chartulario sancti Petri, ante obitum Odonis comitis Palatini; rexit autem ex ejus epitaphio *ter denis & ter binis annis,* hoc est annis 36. Quum vero Hubertus ejus successor electus fuerit vivente adhuc Roberto I. Carnotensi episcopo, dicendus est Landricus obiisse sub eodem Roberto I. anno 1069. aut saltem 1068. Unde necesse est & ipsum electum fuisse anno 1033. aut saltem 1032. & Arnulfum ejus decessorem eodem anno interiisse. Arnulfi mortem & Landrici electionem illigamus anno 1033. Landrici autem obitum & electionem Huberti an. 1069. aliquot mensibus antequam occideret Robertus I. Carnotensis episcopus, ut nonae Decembris anni 1070. cadere possint in annum primum ordinationis Arraldi episcopi Carnotensis. Ad Landricum quod spectat, is monasterii sui res adeo promovit, ut non tam pater & abbas, quam institutor alter audire meruerit. Ac primo quidem ab illustri Berta, filiisque ejus Waltero clerico, Herveo, Hugone, Tedbaldo, &c. capellae regiae prope Boscum-medium sitae villam & ecclesiam comparavit, annuentibus Theobaldo III. Carnotensi comite, & Theoderico episcopo. Multos dein ex ordine militari praestantes viros in contubernium admisit, a quibus auctum est opibus ac latifundiis monasterium: in quibus Guado, Bernardus, Hugo cognomento *Broute-sauge*, milites, Gunthardus Garenciarum dominus, Robertus Aneti toparcha, & alii plures, seculo valedixerunt, Landrici monachorumque ejus virtutum odore pellecti. Cellis plurimis monasterio subjectis dedit originem. Distracta bona ut recuperaret non minus adlaboravit. Villulam quippe in Wastinensi pago cesserat monasterio Tedwinus, Adelardi vicedomini Carnot. filius, hanc Gaufridus Wastinensis comes invaserat: Gaufridum itaque Martellum Andium comitem, Gaufridi patruum, adit Landricus; qui comes procerum indicta synodo, cui Bartholomaeus Turonum antistes, Johannes Castricainonis dominus, Bartholomaei frater, Ivo Male-coronatus, Rainaldus Castri-Gonterii, Richardus Castri-Landonis domini, cum aliis interfuerunt, locum monasterio

Ibid. tom. 4. pag. 668.

Chart. XIX. col. 302.

A reddendum curavit. Sancti quoque Leobini abbatiolam a Nivelone vicedomino, uti etiam burgi sancti Petri absolutam immunitatem a Gilduino vicecomite est consequutus. Post haec abbatiam muro validisque cinxit propugnaculis, & ecclesias ac praedia plurima comparavit. Rogatus an. 1034. ab Ivone Belisimensi comite, ut monachorum examen in S. Gausburgis coenobiolum induceret, sex misit, qui tribus annis hoc in loco regulae praeceptis addicti vixerunt, dum Adeodatus a ceterorum moribus desciscens, in gravissima incidit delicta; quod alii abhorrentes Carnotum redicre, facinoroso homine criminum impunitatem in B Britanniae finibus quaeritante. Ante annum 1060. cellam in Pertico excitavit, Alberto Riboldi, Fontis-Riboldi toparchae filio, non solum sancti Germani Bruerolensis ecclesiam, praedia & jura concedente, sed etiam donationis suae literas cum ab Henrico rege, tum ab Agoberto Carnotensi episcopo confirmari satagente. Anno ipso 1060. aliam sancti Petri de Ledonis-curte* apud Velocasses cellam erexit, largiente Waltero Velocassium comite, eique Gislemarum praefecit sanctioris vitae monachum, qui Guasonem & Wathonem milites ibidem monasticis regulis addixit. Landricus vero post recuperatam anno 1066. Gene-C tensem villam, quam Adela matrona usurpaverat, fato functus est anno, ut diximus, 1069. pridie idus Martii.

Annal. Bened. tom. 4. pag. 396.

Ch. XVII. col. 301.

*Liancourt.

Ch. XVIII. col. 302.

VIII. Hubertus Majoris monasterii monachus, Berengarii discipulus fuisse traditur. Hunc Robertus I. Carnotensis episcopus quum in locum Landrici substituere vellet, obsistentes monachos anathemate perculit, quod post tres menses a summo pontifice solutum est. Hubertus decessoris sui vestigia strenue pressit, ab optimatibus plurimi factus, quorum non paucos ad monasticam professionem admisit, multis praediis ab ipsis donatus. Eum Arraldus Roberti episcopi successor, ita exa-D gitavit, ut monasterio cedere, ac Drocas se recipere coëgerit, Eustachio Corbeiae monacho in ejus locum subrogato. Post mortem Arraldi redux Hubertus anno 1075. Gelduinum Dolensem levitam & electum episcopum, ex urbe Roma reversum peramanter excepit, infirmum refovit diligenter, mortuum VI. calendas Februarii anno 1077. honorificentissime sepelivit; quo quidem anno incendio consumtum est sancti Petri coenobium IX. calendas Septembris, & prioratus beatae Mariae de Plancis acquisitus. At Gaufridus episcopus Arraldi vestigiis inhaerens, Eustachium, cui summopere favebat, in integrum restituit anno E circiter 1078. ut Hubertus profugere denuo coactus, Nogentum Rotroci perrexerit ad capessendum hujus loci monasterium. Nogentum Rotroci ita vocitatum est ab Rotroco ejusdem castri comite. Illic Gaufridus Rotroci pater, ac Mauritaniae comes, anno 1031. vel 1032. monasterium aedificaverat sancto Dionysio sacrum. quod Rotrocus, licet a Landrico abbate sancti Petri saepe efflagitatus ut illud conferret eidem S. Petri coenobio, conferre distulerat. Contulit tamen post obitum Landrici, sedente Eustachio, in gratiam Huberti secundo

Labb. Biblioth. t. 1. pag. 288.

Bibl. Clun. append. pag. 75.

exauctorati, qui primus Carnotensium monachorum, Eustachio abbate simul & comite Rotroco concedentibus, Nongentensem præfecturam adeptus est. Sed mortuo Rotroco, qui quidquid in auro & argento, quidquid in vino & tritico habebat, monachis Carnotensibus Nogenti commorantibus legaverat, filii ejus omnem annonam mutuati sunt, & Beatrix uxor Gaufridi comitis, Rotroci filii majoris, quod auri & argenti in arce repertum est præter unum calicem aureum usurpavit. Compellentibus vero monachis ut ablata redderet, illa in tantam iram exarsit, ut eos inde expulerit, Cluniacensibus eorum loco substitutis, qui hactenus eamdem cellam retinent. Hæc omnia jam narraverat Mabillonius noster, sed paulo intricatius. Hubertus abbas tertio profugus, ad Bruerolensem cellam secessit, ubi creditur vitæ molestioris finem implevisse.

Annal. Bened. tom. 4. pag. 353. & tom. 5. pag. 121. & 157.

IX. Eustachius Corbeiæ monachus, de quo nonnulla modo prælibavimus, fratrem habuisse dicitur Gauscelinum cardinalem. Gaufridum Carnotensem episcopum, cui addictissimus erat, Romam comitatus est annis 1077. & 1078. præsulem suum, si quo modo posset, simoniæ crimine purgaturus; qua in re satis prospere egit. Hunc Gaufridus accepti beneficii memor in sedem S. Petri abbatialem restituit, pulso iterum Huberto anno vel exeunte 1078. vel ineunte 1079. Rotroco Nogenti comite mortuo, quum Gaufridus filius ejus & Beatrix Gaufridi uxor cellam Nongentensem, quam Cluniacensibus monachis dare decreverant, a Carnotensibus auferre vellent, restitit frustra Eustachius: charta donationis factæ Cluniacensibus confirmata est anno 1080. in concilio Meldensi, cui præerant Hugo Diensis, & Amatus Oleronensis episcopi, vicarii Gregorii VII. papæ. Quindecim post annis recruduit querela Cluniacenses inter & Carnotenses. Ventilata quæstione in concilio Æduensi anni 1094. ostendit legatus Gaufridi comitis, *eamdem causam coram Gaufrido Carnotum episcopo, ejusque avunculo Parisiorum episcopo, jam pridem discussam fuisse, & abbatem convictum a lite destitisse: verum quidem esse, Rotrocum sub finem vitæ suæ facta cellæ dedicatione, a Carnotensi abbate petiisse quemdam e suis monachum, quem in illo sancti Dionysii monasterio abbatem constitueret; sed ea lege ut nihil subjectionis in illo loco exigeret. Et re quidem vera illi monasterio præfuisse Hubertum, qui antea sancti Petri abbas fuerat, sed synodali auctoritate exauctoratus. Porro mortuo Rotroco, rebus illic in deteriora labentibus, Gaufridum ejus filium Huberto auctorem fuisse, ut si abbas fieri non posset, loco cederet. Post ejus vero discessum, eumdem Gaufridum misso Cluniacum Ascelino monacho, hanc cellam Deo & sancto Petro Cluniacensi tradidisse in manus domni abbatis Cluniacensis, scilicet Hugonis; duosque illuc ab eo missos monachos, Robertum & Hubertum qui prior ejusdem loci factus sit, confirmatusque in concilio Meldensi ante quindecim annos, quam Æduense istud concilium celebraretur.* His auditis Hugo cardinalis, qui synodo præsidebat, idemque Meldensi concilio præfuerat, rem sibi bene compertam dixit, & prædictam cellam

Bibl. Clun. pag. 546.

A Cluniacensibus confirmavit; cujus judicio demum abbas Carnotensis melius consultus acquievit coram Hugone Cluniacensi, Lamberto Atrebatensi episcopo, Bernardo abbate sancti Launomari Blesensis, & Roberto abbate S. Florentini Bonævallis, qui concilio præsentes aderant. Neque tamen conticuere omnino Carnotenses, ut controversia hæc nonnisi anno 1124. tolli potuerit, qua de re mox agemus in Guillelmo I. abbate. Ad Eustachium quod attinet, is quum & regulæ tenorem servasset illæsum, & domesticæ rei studiosissime cavisset, morbis & senio tabescens anno 1101. abbatiam sequenti consignavit, ac post menses circiter decem B & octo, sexto nonas Maii defunctus est anno 1102. in Corbeiensi & Carnotensi necrologiis celebratus.

X. Guillelmus I. toparcharum de Braiaco * affinis, & Majoris monasterii Turonensis monachus, viventi ac probanti Eustachio successor datur an. 1101. cujus pietatem, vigilantiam, ac ceteras virtutes imitari semper visus est; hinc tanti factus a militaribus viris, ut certatim illi prædia vel se ipsos deferrent. Inprimis Guillelmus Goët Braiaci dominus, audita filii sui Hugonis cruce signati captione, quidquid in Braiacensem cellam obtendebat, libere dimisit. Uxor vero illius Eustachia C Guillelmum abbatem consanguineum suum ad loci illius ornatum, amplitudinemque promovendam, incitavit, datis assentiente marito prædiis hac lege, ut quidquid in Braiacensi tractu monasterium possidebat, id etiam in ejusdem cellæ pios usus cederet. Moysen itaque Gisiaci degentem cum cœtu monachorum illo direxit, qui divinis officiis & observantiæ regulari sedulo vacarent. Anno 1104. præbendam in ecclesia S. Martini obtinuit ab Adela comitissa Carnot. a qua etiam immunitatem burgi S. Petri, necnon judiciariam potestatem confirmatam habuit. Anno 1106. Romam perrexit, ubi a Paschale II. pontifice D bonorum & ecclesiarum abbatiæ suæ confirmationem obtinuit: quæ omnia quibusdam pactis conditionibus Ivo Carnotensis episcopus, & ecclesiæ cathedralis canonici, rata habuere. Anno 1109. *quamdam terram desertam Niz*, cum appendicibus a Ludovico VI. Francorum rege accepit; mox de loci decimis & ecclesia pactum cum Aurelianensibus canonicis firmatum est; ac denique Radulfus de Balgentiaco juribus quæ in eumdem locum sibi vindicabat nuncium remisit. Anno 1111. Tornesiacum, Sorentium, & alia diœcesis Aurelianensis loca coëmit, coluit & exstruxit, faventibus Petro & Drocone militibus, & Widone E regis camerario, qui licet uxoratus, ecclesiam sancti Petri puellaris apud Aurelianos abbatis nomine possidebat. His omnibus assensum præbuit Johannes Aurelianensis episcopus, ad quem hæc loca supremo jure spectabant. Longum esset res omnes in monasterii commodum ab eo gestas prosequi; nonnullas referre sat erit. Anno 1115. Ludovicus VI. Francorum rex ecclesiam sancti Paterni juxta muros Aurelianenses cum appendicibus ipsi indulsit. Anno 1117. Paschalis II. summus pontifex datam ab eodem rege cum episcopio tum

* Broz.

Ch. xxx. col. 311.

Chart. xix. col. 499.

Amplis. collect. Marten. t. 1. p. 633.

monasterio immunitatem adversus Puteolensis toparchæ vim & infestationes roboravit. Multos Guillelmus milites ad religionis sectandum institutum permovit : in his Giroldum cognomento Burgundum, Mali stabuli dynastam, qui Revillonis ecclesiam, villam, aliaque multa concessit. Tradita prius hæc fuerat Gualterio de Revillone, qui eremiticam ibidem vitam cum sociis aliquot sectabatur. Giroldi conversione permotus Gualterius locum monasterio subdidit, ac se suosque quum juvaret in illo recipiendos pepigit. Jam diu
Ch. XLV. col. 323. versabatur monachos inter sancti Petri Carnotensis & Cluniacenses quæstio de Nogenti Rotroci monasterio, quæ tandem mediante Gaufrido II. Carnotensi præsule anno 1124. hoc pacto finem accepit, ut penes Cluniacenses permaneret locus, & ipsi Braiacensem cellam Carnotensibus cederent. Guillelmo pro meritis efferendo totum se Gaufridus episcopus impendebat, sua suorumque religione provocatus. Notus ille & acceptus Honorio II. summo pontifici, bonorum abbatiæ suæ
Ch. XLVII. col. 325. descriptionem & confirmationem ab eo impetravit anno 1127. Denique quum annis novem & viginti suis omni virtutum exemplo præluxisset, & beneficiis annuas preces solenni decreto constituisset, summo omnium mœrore consumitur XI. calendas Januarii anno 1129.

XI. Udo vel Odo, ex illustri Levesvilliorum in Carnotibus genere, mox electus a Matthæo sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali, & Honorii II. papæ legato benedicitur, præsente Gaufrido II. Carnotensi episcopo. Deinde consanguineorum liberalitate domesticam rem tuetur & auget, servos manumittit, nobilesque ac militares viros Christi jugo submittit. Anno 1131. mense Februario, id est anno 1132. in commutationem præbendæ datæ anno 1104. in ecclesia sancti Martini ab Adela comitissa accepit Udo ab eodem Gaufrido episcopo, cum assensu Innocentii II. papæ ac Theobaldi comitis, summam quamdam argenti, frumenti, avenæ & vini, percipiendam super prioratu sancti Nicolai de Curvilla. Prioratum enim illum abbas Majoris monasterii cesserat Gaufrido præsuli Benedictinos instituenti apud sanctum Martinum in Valle, Majori monasterio obnoxios : unde quidquid debebat ecclesia sancti Martini, tam abbatiis sancti Petri & S. Johannis in Valle, quam Leprosis Carnotensibus, id omne solvendum esse deinceps a prioratu Curvillæ constitutum est. Anno 1145. Udo coactis in unum
Annal. Bened. tom. 6. pag. 164. & 651. fratribus ac cellarum præpositis, post edita disciplinæ regulari tuendæ utilissima decreta, augendæ monasterii sui bibliothecæ proventus deputavit. Primus inter abbates annuas sibi preces ex constituto partisque bonis annuente conventu decrevit; ac denique re sapienter gesta conspicuus excessit XVI. calendas Octobris anno 1150.

XII. Fulcherius ex nobili Mongervilleorum dynastarum stirpe, Braiacensi cellæ præpositus erat, quando Udoni successit ante cal. Octobris anni 1151. Mox Valerannum Mellenti comitem,
Ch. LXI. col. 335. & an. 1153. Ludovicum VII. Francorum regem, beneficos expertus, Gisiaci & Leonis-curtis cellarum immunitati providit. Anno 1157. Rotrodus Ebroicensis episcopus natam de decimis Illiadæ monasterio prius concessis a Gulferio Drocarum toparcha contentionem ita sedavit, ut hujus ecclesiæ media pars penes ecclesiam Carnotensem esset, alia penes abbatem & monachos sancti Petri; quod pactum Henricus II. Anglorum rex firmavit præsentibus Joscio Turonensi, Philippo Bajocensi, Arnulfo Lexoviensi, Guillelmo Cenomanensi, & Johanne Sarisberiensi episcopis. Pactum aliud cum Roberto III. episcopo Carnotensi de Ermenonisvillæ decimis Fulcherius inivit; & Britello de Mongervilla fratri suo domum vendidit, quæ post illius ac Guiburgis uxoris mortem monachorum usibus denuo cederet. Anno 1163. Alexandrum III. apud Bituriges convenit, plebanos sacerdotes, qui monachos in cellis degentes ne statis horis sacra facerent, inhibere tentabant, repressurus: postulatis annuit summus pontifex, datis literis quibus sacerdotes illi continerentur in officio, monasteriique bonis, decimis & ecclesiis consuleretur. Redux ad suos Fulcherius instaurandæ basilicæ animum intendit, Hilduardi monachi usus opera, qui architectonicam egregie callebat. Is basilicæ chorum, qualis hodieque cernitur, exstruxit; quem muro claudere dum parat, effossa humo, sancti Gilduini tumulum ac corpus detegit. Condito mox ornatiore loculo sacrum pignus abbas & monachi VII. idus Maii anni 1165. in sancti Nicolai sacellum deferunt; ubi coruscantibus in dies miraculis, ingenti fidelium concursu celebratum est. Miraculorum indicem late texuit rerum testis oculatus quidam monachus Carnotensis, ex quibus illa quæ Bernardum Nealphæ abbatem, Euphemiam Altarum brogariarum priorissam, & Fulcherium ipsum loci abbatem afficiunt, maxime spectanda sunt. Non enim podagra solum Gilduini meritis sanatus est Fulcherius, verum etiam ante annum de morte certior factus, afferendæ saluti remedia quæsivit. Interea vero basilicæ navim promovebat Hilduardus, oblatis ad Gilduini sepulcrum donariis adjutus. Tandem condicta & animo desiderata die Fulcherius, instante nulla vi morbi, XVI. calendas Junii anno 1171. protinus exstinguitur. Itineris Jerosolymitani historiam dicitur texuisse ab anno 1095. ad annum 1124. quod etiam manuscripti codices confirmant.

XIII. Stephanus I. sedebat anno 1172. Ecclesiam vitreis fenestris ornavit, eique supremam manum imposuit. Ab Henrico II. Anglorum rege obtinuit ut omnia cœnobii prædia, quæ intra ditionum ejus fines continebantur, confirmata essent, & a vectigalibus libera. Gisiacum quoque cellam Ludovicus VII. Francorum rex, a variis oneribus exemit anno 1174. Post annos quatuor Stephanus Ernaldum Firmitatis dominum ob illatas monasterio clades communione summotum ad pœnitentiam adegit. Is itaque capitulum ingressus admissorum veniam impetravit, moxque ductus ad Johannem Sarisberiensem Carnotensem episcopum, ab eo diris ac vinculis absolvitur. Tunc Johannes Stephanum sancti Thomæ

Cantuarienſis archiepiſcopi caſula donavit, quæ adhuc in ſacrario religioſe ſervatur. Anno 1190. Stephanus ſervos aliquot aſſeruit in libertatem, quos anno ſequenti Ludovicus Bleſarum comes, annuentibus Adelicia matre & uxore Catharina, fratre Philippo, ſororibuſque Margareta, Iſabelli & Adelicia, pari jure donavit. Denique VI. cal. Maii anni 1193. pius abbas vivere deſiit.

Stephanum inter & Guidonem locum dedere Sammarthani Deſiderio cuidam, veteribus, ſeu catalogis, ſeu quibuſvis aliis monaſterii monumentis prorſus incognito. Neque illud unum in hac doctorum fratrum nomenclatura reprehendendum erat. Nempe partheniam Sebaſtiani Rouillard B quaſi verbum de verbo reddidere, indigeſtam ſane operam, & mendis omnimode ſcatentem. Quod ſemel hic monuiſſe ſatis eſt.

XIV. Ernaldus Stephanum excepit, & anno 1194. cum Henrico Aurelianenſi epiſcopo de procurationibus in cella Niz debitis pepigit; pepigit & cum Philippo Auguſto Francorum rege de Aneti molendinis; eique anno 1197. Herveus Alogiæ dominus multa conceſſit. Obiit octavo calendas Auguſti anno 1198.

XV. Guido I. regularis diſciplinæ tenax, nec minus de tutanda re familiari ſollicitus, ſedebat an. 1200. Reginaldum Carnotenſem epiſcopum C ſibi demeruit, a quo remiſſa anno 1201. tam in monaſterium quam in plures, ſeu cellas, ſeu eccleſias procurationis jura. Anno 1204. pactum iniit cum decano & cathedralis eccleſiæ canonicis de monaſterii ſervis & ancillis Carnoti degentibus. Anno 1206. monaſterium ejuſque cellas Innocentius III. in apoſtolicæ ſedis tuitionem recipit. Servos autem a Guidone manumiſſos Philippus Auguſtus anno 1208. liberos declarat. Militibus Silveſtro de Aſpero monte & Alinando de Bruella, Giſiacenſis cellæ prædia Guido tradidit ad cenſum, & ejuſdem cellæ libertati adverſus Meduntenſem communiam Philippus rex cautum voluit. Anno D 1216. Honorius III. monaſterii jura privilegiaque firmavit, quibus poſtmodum addidit ampliora. Interim Guido Hugonem de Freſſonis-villari militem diris multatum rogante Gulferio Trimlidi domino vinculis abſolvi curavit. Anno 1220. debitæ apud Leonis-curtem procurationis ſumtus cum Theobaldo Rotomagenſi archiepiſcopo definivit. Anno 1225. Romam profectus non una devotionis ſuæ pignora detulit. Mox diuturnæ lites cum Carnotenſibus canonicis ſopitæ de præbendarum ſex monaſterio pridem conceſſarum reditibus, & de canonicorum bis quolibet anno ſacra facientium in eccleſia ſancti Petri ſtipendiis. E Inſtitutæ apud Ver anno 1226. Ciſtercienſis ordinis moniales in territorio partim ab abbate & monachis ſancti Petri conceſſo, nihil in monaſterii jura moturas ſe ſpondent, fidejuſſore Galtero Carnotenſi epiſcopo: tum anno 1227. Guaddo de Drocis cum Willelmo filio prætenſum in eccleſiam de Illidiis dominium abdicant. Obiit Guido ſexto idus Auguſti anno 1231. & ante majus altare tumulatus eſt. Funus ejus inſigni pompa celebrarunt monachi, & quater centum fere ec-

Chart. LXXVII. col. 348.

Chart. LXXXV. col. 353.

A cleſiis rotulum flagitandis ipſi precibus deſtinarunt.

XVI. Gilo monaſterii proprior, ſedebat abbas anno 1232. Hic Guidonis preſſit veſtigia, multis nobilium & epiſcoporum auctus donariis. Anno 1233. quum ad monaſterii baſilicam in ſancti Petri vigiliis acceſſiſſent beatæ Mariæ canonici, nec ad votum parata reperiſſent omnia, mox edito clamore receſſerunt; ſed natos inde motus Galterus antiſtes ſapienter compreſſit. Fulconem de Memilone militem decimas perſolvere renuentem ad jus & æquum adduxit Gilo; tum decanum & canonicos Carnotenſes in monaſterium, & conjunctam ipſi beati Hilarii parochiam, archidiaconatus jura obtendentes, Gregorii IX. auctoritate repreſſit. Ipſemet pontifex anno 1241. vetuit ne citra ſuum aut legati ſui conſenſum quidquam oneris ab abbate ſeu monachis penderetur. Johannis monachi ſui, prioris Giſiaci, necem Gilo tulit acerbiſſime; ſed homicidas tandem in gratiam recepit anno 1246. fidejuſſoribus viris militari dignitate illuſtribus. Exſtinctus eſt ætate gravis XV. cal. Junii anno 1254. & in choro ſepultus.

XVII. Guido II. dictus *Collum-rubrum*, vir gerendæ rei gnarus, Margaritam Aquæ abbatiſſam & conventum ejus ob comparata Veri prædia cenſuales effecit anno 1255. Sequenti anno demandata eſt ipſi cum aliis cura ſynodi Pariſienſis decretum exſequendi, quam anno præcedente Henricus Senonum archiepiſcopus Luteciæ Pariſiorum habuerat, ut Reginaldi de Spina Carnotenſis eccleſiæ cantoris mortis auctores Hugo & Nicolaus de Chaverniaco plecterentur. Anno 1258. multa cum Boſcivillæ, Morivillæ & Cavennarum incolis libertatem ſpirantibus pacta firmavit; quibus deinceps acceſſerunt alii probante ſancto Ludovico Francorum rege. Anno 1264. Goherium toparcham de Chénebrun ad mitiora conſilia reduxit. Anno 1269. Senonenſi concilio affuit; Herveo de Lionna militi, qui monaſterii ſervos trucidarat, veniam impertivit; cenſum a Gaufrido Gornaci domino perceptum in eccleſiam S. Chriſtophori redemit. Mox anno 1271. Gregorii X. privilegiis augetur, & combuſtarum in urbe domorum vacua ſpatia tradit ad cenſum. Deinde quum Hamenſem Conſtantienſis diœceſis priorem ob contumaciam communione privaſſet, mortem oppetiit anno 1272. Jacet in choro.

XVIII. Bartholomæus Fileſac, quamvis ægro corpore, ſuorum commodis haud ſegniter adlaboravit. Anno 1279. literas a Nicolao III. papa conſequutus eſt, quibus monachi ſui in parentum hereditatem, exceptis feudis, venire poſſent. Anno 1282. Carnotenſis curiæ officialis latam ſententiam in Matthæi vicedomini Carnotenſis favorem reſcidit, quod inconſulto monaſterii officiali, cauſam quæ ad ejus ſpectabat archidiaconatum præoccupaſſet. Sequenti anno cum Ymerio Beccenſium abbate cenſus aliquot permutavit, qui ad Giſiacenſem & Mellentinam cellas viciſſim pertinebant. His geſtis, quum oneri prorſus imparem ſe videret, abdicato munere anno 1293. privatus ac quietus malis ſuis incubuit. Data illi pari omnium conſenſu in vitæ ſubſidium villæ

& prædia non pauca. Superstes vixit ad III. non. A Septembris anni 1309.

XIX. Michael in ejus locum subrogatus, paulo post exstinctus est.

XX. Vincentius Gastelier Gisiaci prior, anno 1296. creatus abbas, obiit anno 1299. in choro sepultus.

XXI. Herveus cum Dionysianis monachis eodem anno pepigit. Anno 1304. Guillelmum vicedominum Carnotensem meliora pollicentem anathemate liberavit. Fato functus est XII. calend. Aprilis anno 1306. id est 1307.

XXII. Johannes I. de Mante eodem anno quum ex concessa regi per Benedictum X. in mo- B nasterium summa prægravari se sentiret, ad Clementem V. provocavit. Majorem campanam conflavit anno 1308. post biennium defunctus.

XXIII. Philippus I. de Cereis monasterii cellerarius, anno 1311. dicitur abbas. Anno 1320. cathedralis ecclesiæ canonicis diem Romæ dixit, quod feria tertia post Pascha non venissent ad sanctum Petrum sacra de more facturi. Iidem canonici quum præbendas sex in ecclesia cathedrali possessas a monachis invasissent, ferendis litium oneribus quas cum Roberto IV. episcopo suo agebant impendendas, ad Johannem XXII. summum pontificem provocavit Philippus; qui pon- C tifex datis ad Parisiensem sancti Germani abbatem & Parisiensis ecclesiæ decanum literis, præbendarum fructus monasterio reddendos curavit. Anno 1332. Philippus officiali suo facultatem dedit provocandi Romam a quodam decreto Rogerii Aurelianensis episcopi. Tum anno 1335. Gaucelinus cardinalis Gisiacensem cellam nitens occupare, repressus est. Mox in monachorum omnium coetu monasterii commodis ita cautum est, ut peculio tamen pateret aditus. Martyris Solinæ corpus cum aliis sanctorum exuviis in novam thecam intulit. Vixit ad annum circiter 1329.

XXIV. Nicolaus de Brou cellæ Bruerolensis D prior, renunciatur abbas anno 1330. Sub ejus præfectura canonici ecclesiæ Carnotensis frustra tentarunt ne officialis monasterii obiret munus suum. An. 1340. comitia generalia egit Nicolaus, in eisque regularem disciplinam sartam tectamque voluit. Mortuus est XVI. calendas Augusti anno 1341. & in choro tumulatus.

XXV. Petrus I. A la Plommée monasterii præpositus, abbatiam capessivit, ejusque sarciendis ædibus exundante fluvio, vel collapsis, vel attritis anno 1342. indefesso studio laboravit. Tum III. calendas Februarii anno 1348. clientelam professus est ecclesiæ Carnotensi. Sed acerbissima per- E tulit Anglicanas inter ejus ævi tempestates; quibus ut mederetur, anno 1349. Arrotensis ecclesiæ bona, concedente pontifice, suis monachorumque suorum usibus aptavit. Eodem anno defunctus tertio idus Novembris, in choro ecclesiæ suæ sepultus est.

XXVI. Guillelmus II. Desjardins beatæ Mariæ Arcissarum reliquit abbatiam, ut ad Carnotensem sancti Petri se conferret anno 1350. Post novennium cum Johanne de Maheudino Curtis Omeri vel de Curia Omeri, vulgo *Courtomer*, domino pepigit de Brogili amari seu Brolii martis* ecclesiæ patronatu. Litem ab regio procuratore motam anno 1361. diuque & acriter tum in foro Carnotensi, tum in curia Parisiensi agitatam ratione vallorum urbis circa monasterium & burgum sancti Petri urbi nuper adjuncta peractorum ultimo tandem adegit judicio, quo jura quælibet in dictis vallis, servatis regio jure ac urbis *fortalicio*, monasterio sancti Petri confirmata sunt die 30. Octobris anno 1392. Anno 1365. tritici modios tredecim ab ecclesiæ cathedralis canonicis ob sex monasterii præbendas recepit, & generalem suorum conventum coëgit. Anno 1381. cum monachis Meduntensibus Coelestinis de juribus & dominii censibus pactum iniit. Tractatus scripsit *de consideratione finis, & de solutione decimarum*, qui asservantur manuscripti in bibliotheca sancti Petri Carnotensis. Anno denique 1394. fato functus nono calendas Septemb. in medio choro sepultus est.

* Bruillemar.

XXVII. Stephanus II. le Baillif Fiscannensis monachus, juris canonici doctor, & in Parisiensi facultate regens, Anglorum favore dignitatem consequitur, vir tuendis monasterii bonis ac juribus semper intentus. Ac primo quidem nata cum monachis dissidia pacavit; mox sacram supellectilem describi, & in tabulas jussit referri; sacrumque Philippi apostoli caput argentea persona decorari. Anno 1406. Johannem le Fevre episcopum archidiaconatus sancti Petri jura refragantem ab inceptis discedere suasit. Sequentibus annis campanile minus, claustrum, dormitorium, fontes & aquæ ductus instauravit. Interim vero an. 1408. parochorum archidiaconatui S. Petri subjectorum in sacello beatæ Mariæ synodum publicam habuit; tum quarto nonas Februarii anno 1412. vestium pontificalium usum, ac solennis impertiendæ benedictionis facultatem ab Johanne XXIII. obtinuit. Anno denique 1416. diem supremum obiit.

XXVIII. Petrus II. Chuart juris canonici doctor ac monasterii cellerarius, bellicos inter Anglorum tumultus religiosi strenuique abbatis gessit officium. Sibi parcus, in monachos liberalis fuit, villas meliorem in statum restituit; monachum quemdam, Hamensem Constantiensis dioecesis cellam sibi præter obedientiæ leges asserere conantem, pro virili repressit. Sedato dissidio cum ecclesiæ cathedralis canonicis, qui anno 1428. oblatas in ecclesia sancti Petri pecunias abstulerant, in hospitalis S. Juliani coecorum favorem, tertio nonas Julii anno 1429. morte sublatus est.

XXIX. Johannes II. Jourdain competitorem habuit Guillelmum Goulet, a Martino V. summo pontifice repressum. Mox aliud a Reginaldo Duchesne successit incommodum. Quum enim rei gerendæ causa Luteciam se contulisset Johannes, captus ab Anglis domo pedem efferre prohibitus est. Hinc Carolo VII. Francorum regi venit in suspicionem ejuratæ fidei; moxque regio nomine substitutus ei Reginaldus abbatiam invasisset, ni violentam esse abbatis detentionem monachi, ceterique nobiles ostendissent. Crediti nihilominus abbatiæ

Ch. cxxii. col. 391. abbatiæ proventus anno 1432. Andreæ abbati Pelliciæ in menses aliquot; sed tandem dignitati suæ Johannes suisque restitutus est. Inde ad Basileense concilium anno 1434. profectus, literas accepit a patribus ibi congregatis, statuentes multandum anathemate si quis, eo absente, monasterii jura aut bona vel violaret, vel surriperet. Anno 1463. obviam ivit Carolæ Sabaudæ Francorum reginæ, Carnotum ingredienti. Anno autem 1464. quum, ingravescente ætate, defectum virium persentisceret, dignitati nuncium remisit; tum privatus secessit Luteciam Parisiorum, ubi pridie idus Maii anno 1465. naturæ concessit. Carnotum relatus, in sancti Nicolai sacello tumulatus est.

XXX. Johannes III. Pinart cedenti libere Johanni Jourdain fratrum calculis sufficitur, invito ac repugnante Milone d'Illiers episcopo Carnot. qui abbatiam involare cupiebat. Repulsam passo præsuli, cui abbas juravit obedientiam pridie cal. Augusti anno 1464. vindictæ subit consilium. Hinc anno 1465. ad parochialem sancti Hilarii tendit ecclesiam, vesperas solenni pompa celebraturus. Absolutis iis, abbati mandat monasterii se visitationem protinus aggressurum. Tardiorem horam causatur abbas, postridie rem facilius agendam, officio suo se nunquam defuturum. Ilico monasterii portam effringit episcopus, tum abbatis conclave ingreditur, ab eoque cœnam exigit. Reverenter salutato infit abbas, nihil hac hora usquam exspectato paratum, cetera minime debitam procurationem; at ita si luberet, ex amore & benevolentia cœnam præstiturum. Iratus abscessit episcopus, & per interiorem monasterii januam templum ingressus, quum exteriorem reperisset occlusam, tentum se & captum a monachis exclamavit. Dum ad effringendas valvas comparant se episcopi satellites, mox illæ aperiuntur. Tum ex episcopi ministris duo templi fornices scandunt; Eustachium Chouart Castri-bruni priorem, septuagenarium emeritæ virtutis monachum offendentes, ense percussum enecant. Cædis certior factus antistes, rem nihili pendit. Deinde Maturinum Citeaux, alterum loci monachum, tumultus ignarum, ex urbe redeuntem, intra sancti Andreæ cœmeterium comprehendunt episcopi ministri, & in carcerem trudunt. Querelis ad Parlamentum Parisiense delatis, gravi multa cum episcopus, tum ejus ministri damnantur, misso Carnotum Johanne Damoiseau consiliario, qui coram urbis judicibus & viris primariis decretum executioni mandavit, quo præ ceteris cautum erat, ne Parlamenti injussu Milo deinceps monasterii visitationem aggrederetur. Gratior paulo post fuit archiepiscopi Mediolanensis, apostolici legati accessus in monasterium, ubi quindecim diebus mansit; quibus exactis, stipante monachorum cœtu solenni pompa cathedralem ecclesiam ingressus est. Solatii quoque loco visum est, quod an. 1467. Ludovicus XI. Francorum rex, 300. librarum cereos duos obtulit basilicæ, ut a contracto in Leodiensi obsidione morbo recrearetur. Sopitis anno 1470. Anglos inter & Francos bellis, de restituenda disciplinæ

A norma sollicitus abbas, generalem edixit conventum, in quo plurima resovendæ cum in cellis, tum in asceterio principe sanctiori observationi utilia constituit. Rebus itaque meliori loco positis, ætate confectus Johannes, summo proborum omnium desiderio extinguitur idibus Januarii anno 1480. & in choro tumulatur.

Post obitum Johannis Pinart, quum monachi sancti Petri licentiam eligendi alterum abbatem non petiissent ab episcopo Carnotensi, hic abbatem instituit Johannem Taverni XVIII. calendas Maii anno 1480. jure, ut aiebat, sibi pro hac vice devoluto; deinde XVIII. cal. Octob. anno 1481.
B Johannem Prunelle: sed neuter abbatiam obtinuit.

XXXI. Philippus II. de la Chapelle Carnotensis canonicus & protonotarius apostolicus, favente Sixto IV. papa, primus commendæ viam aperuit mense Februario anni 1481. homo minime malus, iis contentus stipendiis quæ decessores obtinebant. Dignitatem cum cellæ Bruerolensis commenda mutavit anno 1491.

XXXII. Christophorus de Brilhac decanus ecclesiæ Aurelian. bullas obtinuit VII. idus Nov. 1491. Eo sedente monachi S. Petri generalem cœtum inierunt, & saluberrima fulciendæ disciplinæ decreta condiderunt. Anno 1494. campa-
C nile juxta muros sancti Petri dum extruunt æditui parochiales S. Hilarii, obsistunt monachi, litemque deferunt curiæ Parisiensi; verum abbate inepte consentiente, campanile perficitur, ea lege tamen ut annuus inde census solveretur monachis, atque idem campanile a parte monasterii fieret undequaque occlusum, adeo ut ab ipso ne conspectibus quidem aditus pateret. Christophorus sibi non suis consulens, cathedralis ecclesiæ præbendas sex a monasterio possessas cum Giroldeti prædio commutavit VI. idus Julii anno 1508. iniquissimo sane pacto, quum ne duarum quidem valorem exæquaret hoc prædium; at receptis inde sexcentis
D & amplius aureis multum se profecisse gavisus est. Anno 1514. Turonensem cathedram adepturus, Aurelianensem dimisit, & abbatiam.

XXXIII. Germanus de Ganai, qui & Aurelianensis episcopus fuit, eodem anno rerum potitur in annum 1521.

XXXIV. Franciscus de Brilhac sancti Petri monachus & camerarius, Christophorum commendatarium habuit patruum. Hic monachorum votis abbas eligitur anno 1522. mense Aprili, & majoris consilii decreto firmatur. Mox disciplinæ regulari totus incubans, divinum officium magnificentius celebrari jussit, comparatis hanc in rem
E libris exquisite minio depictis. Sacram quoque supellectilem auxit, ac villas & collapsa passim ædificia renovavit. Ipso juvante Johannes Haland prior claustralis chori subsellia instauravit. Parisiensis sanctæ Genovefæ monasterii privilegiorum tutor a pontifice designatus, moritur tandem in cella Gisiacensi anno 1540.

XXXV. Claudius I. de Brilhac Turonensis archidiaconus, cedente patruo Francisco monasterium obtinet, quod ante summi pontificis assensum sequenti consignat.

XXXVI. Carolus Hemard de Denonville cardinalis, Matisconensis tum Ambianensis episcop. factus abbas S. Petri, eodem anno 1540. moritur.

XXXVII. Petrus III. de Brisai clericus & Matisconensis archidiaconus, Carolum Hemard cardinalem avunculum suum excepit; cum monachis de bellorum stipendiis, & aliis oneribus, & sartis tectis pactum iniit. Eo sedente altare majus a fundamentis exstructum, & elegantissimis ex onyche statuis ac prostypis decoratum. Eodem instigante habita fuit per vicarium suum generalem synodus parochorum archidiaconatus sancti Petri, in qua multa reformationis ergo statuta sunt annis 1561. 1562. & 1563. Anno 1568. mense Julio, Fratres Minores, quorum habitatio suburbana civilibus bellis frementibus destructa fuerat, aliò translati sunt. Fundum novæ sedis dederunt monachi sancti Petri, ea lege ut fratres illi defunctorum monachorum corpora deferrent ad locum sepulturæ; & quotannis in die festo S. Petri inter missarum solennia cereum duarum librarum pondo offerrent. Sacris igitur honorem addere visus est Petrus; sed postmodum in hæresim lapsus, uxorem duxit.

Diximus tomo secundo pag. 736. Martinum de Beaune fratrem Reginaldi archiepiscopi Bituricensis, abbatem fuisse sancti Petri Carnotensis; quod in hæc circiter tempora cadere debet. Sed de eo ne verbum quidem in catalogis, scriniis, actis capitularibus, ceterisque abbatiæ hujus monumentis.

XXXVIII. Johannes IV. Heluys, probante Gregorio XIII. papa, locum Petri subiit anno 1575. sed anno 1582. dignitatem sequenti transcripsit, factus ejusdem vicarius generalis.

XXXIX. Claudius II. de Lorraine cæsus ad sanctum Dionysium anno 1591. Mox jubente Henrico IV. Franciæ & Navarræ rege necdum catholicam ad fidem adducto, monasterii proventus in gratiam baronum quorumdam cesserunt.

XL. Philippus III. Hurault anno 1595. dicitur abbas, & paulo post Carnotensis episcopus, ad annum usque 1620.

Anno 1620. sede abbatiali vacante, prior & monachi synodum habuerunt parochorum archidiaconatus.

XLI. Henricus Hurault patruo suo suffectus est anno 1624. & post annos quatuor Philippo fratri nomen abbatis reliquit.

Chart. CXXXVII. col. 410.

XLII. Philippus IV. Hurault abbas fuit ad annum usque 1635. Hujus, aut forte tam hujus, quam decessoris sui tempore, annis 1624. mense Junio, & 1625. mense Septembri, abbas & monachi sancti Petri fundum Capucinorum Meduntensium e dominio Jusiaci pendentem, amortizaverunt, & de suo alium liberaliter dederunt.

XLIII. Ludovicus I. Barbier de la Riviere, pacta sex millium francorum Philippo pensione, dignitatem assequitur, factus postea Lingonensis episcopus. Sub ejus præfectura anno 1650. patres congregationis S. Mauri in monasterium admissi. Vixit Ludovicus ad annum 1670.

XLIV. Raimundus Berengarius de Lorraine A de Harcourt eodem anno factus abbas, possessionem iniit anno 1674.

XLV. Philippus V. de Lorraine fratrem sponte cedentem excepit anno 1680. oppressus repentina morte Luteciæ Parisiorum sexto idus Decembris anno 1702.

XLVI. Ludovicus II. de Thesut abbatiam obtinuit eodem anno pridie calendas Januarii, fato functus anno 1730. mense Octobri.

XLVII. Ludovicus Franciscus Lopis de la Fare renunciatus est abbas ineunte anno 1731. antea vicarius generalis, officialisque Remensis.

Hac in nomenclatura neque de Filiberto, quem B Saussaius abbatem fuisse sancti Petri, neque de Christiano, quem Mabillonius ibidem pariter sedisse arbitrati sunt, verbum ullum fecimus. Quod enim ad Filibertum attinet, Saussaium errasse, & Carnotum pro Tornodoro legisse jam animadverterunt Bollandiani. Christiano autem nullum omnino inter Carnotenses sancti Petri abbates locum reperimus. Exstant tamen, inquit Mabillonius, in veteri codice Casæ Dei sermones Dominicales *editi*, ut præ se fert codex ille, *a piæ memoriæ Christiano quondam abbate ecclesiæ sancti Petri Carnotensis.* At necesse est scriptorem codicis illius in indagando Christiani monasterio offendisse. C Præfuit-ne Christianus ille monasterio Bonevallensi, de quo mox agendum? Præterea in necrologiis duobus S. Petri Carnotensis memoria fit ad IV. nonas Novembris Theoderici abbatis ejusdem monasterii; qui quo loco sit collocandus, non videmus.

Sauss. martyrol. supplem. ad 29. Jan. Mabill. annal. tom. III. pag. 451.

Bolland. Januar. t. 2. pag. 955. Annal. Bened tom. 2. pag. 661.

BONAVALLIS.

BONNEVAL.

AB opimo, naturæque donis exuberante solo dictam *Bonamvallem* vel ipsum nomen eloquitur. Posita est ad Ledum amnem in Dunensi pago, Isleras inter & Castrodunum. Hoc autem loco conditum est nobile cœnobium, cujus natales D & progressus breve chronicon ante annum 980. conscriptum in hunc fere modum exhibet. Anno Domini 841. vel 842. quidam miles, Fulco nomine, *videns locum habilem ad ædificationem monachorum*, dedit *de suo fisco per licentiam regis, & de suis hereditariis, ad cœnobium monachile instruendum*, non solum *Bonamvallem*, sed & *ecclesiam sancti Mauricii*, aliasque & villas, & ecclesias numero plus quam viginti. *Misit* quoque *monachos; martyrumque Marcellini & Petri, quos Einardus a partibus Romaniæ in Gallias transtulerat* anno 828. miraculis excitus, eorum nomine locum insignivit. Fulconis pia vota gratanter accepit Carolus Calvus, E ac locum regiam in tutelam receptum privilegiis auxit. Hinc auctoris instar habitus, & regiæ conditionis monasteriis Bonavallis adnumerata est. Ecclesiam novi cœnobii dedicatam volunt vel eodem tempore ab episcopo Carnotensi Gillerico, de quo hæsitavimus in hac nostra Carnotensium episcoporum historia, vel certe anno circiter 860. ab episcopo Gilleberto, quod nomen pro Gillerico præ se ferre dicitur ejusdem chronici manuscriptus codex Aurelianensis.

Act. SS. Bened. secul. 4. part. 2. pag. 504. 505.

Ibidem.

Divulgata fama religionis longe lateque monasterii *Ibidem.*

hujus, quum quidam archidiaconus Augustodunensis ecclesiæ, Aurelianus nomine, circumiret ecclesias illius provinciæ, ut sanctorum corpora non bene adornata ipse bene adornaret, contigit ut sanctorum corpora martyrum Florentini & Hilarii reperisset, & inde (anno circiter 855.) *secum transtulit Lugduno in ecclesia sancti Martini, quæ vocatur Athanao, valde diruta, sed antiquitus dedicata, in qua & ipse abbas factus est,* postea episcopus Lugdunensis. *Quumque animus ejus deflueret perquirendi monachos regulari ordine instructos, & non inveniret, audivit famam celeberrimam, quod Bonævallis degerent monachi regulari ordine approbati. Qui concite dirigens missos ad præfatum monasterium, obnixe deprecans ut venerabilis Ingelarius* hujus *monasterii abbas, numerum monachorum ei mittere non denegaret. Itaque vir Domini . . . . . elegit ex suo grege monachos duodecim, quos illic misit bene instructos, regulari ordine approbatos, monens & exhortens ut de die in diem melius proficiant. Abhinc Athanacenses normam auctoritatis* monachorum Bonevallensium, & *exordium sumserunt, & mores. Quum autem* ad Bonamvallem *redire proposuissent fratres, postulaverunt sibi a patre jam dicti loci, ut aliquod munus eis concederetur quod utile patri, loco eorum, & fratribus esset. Dedit itaque eis venerabilis abbas Aurelianus partem corporum præcipuam electorum Christi martyrum Florentini & Hilarii, quæ nunc usque servatur* in monasterio Bonævallis; unde etiam processu temporis factum est ut ecclesia illa, quæ sancti Marcellini primum dicebatur, sancti Florentini nomen sumserit, & ad nostra usque tempora retinuerit.

Act. SS. Bened. secul. 4. part. 2. pag. 506. A Normannis devastato cœnobio, Odo I. comes Carnotensis, *loci hujus aptissimus reparator, abbatem Waldricum ad instruendum & reformandum* in eodem loco *posuit, & dedit* quædam prædia *in* *Ibidem.* *augmentationem hujus loci.* Porro restitutum est cœnobium anno circiter 965. nam anno XIII. Lotharii regis, indictione x. hoc est anno Christi 967. Odo comes ab rege petiit, ut sub regia defensione Bonævallis monasterium susciperet, *in quo candidatus grex monachorum degebat;* quod significare videtur candidam vestem hoc ævo monachos illic gestasse: annuit autem Lotharius, atque instrumento quod super ea re confectum est, subscripsere post eum *Gero notarius ejus, ad vicem Odolrici archiepiscopi* Remensis, *& summi cancellarii, Goffredus vicecomes, Herbertus comes, Harduinus, Rotrocus, Odo comes, Odo filius ejus.* Anno autem sequenti Mathildis mater Guillelmi Goët Perticensium comitis, in hujus monasterii basilica sepulta est.

Quæ præstitit Odo comes in monasterii restitutionem, Floriacensium ope videntur confecta, quorum e grege non modo Waldricus abbas *instructor* & *reformator* futurus, verum etiam Tedfridus unus e Waldrici successoribus arcessitus est. Sub hoc Tedfrido, & sub quibusdam aliis qui post eum rexerunt abbatibus ad seculum usque duodecimum, excitatæ sunt in hoc monasterio ingentes turbæ, quas suo loco prosequemur. Ibi tamen eo usque viguit regularis disciplina, dum Anglorum bellis præter modum sævientibus, Bo-

A navallis & monachis & colonis vacua cæco militum furori subjaceret anno 1425. Ignibus traditæ majorem partem ædes, quas Aurelianensis obsidionis tempore rex Anglorum occupabat. Easdem Anglo jubente consumtas, restituta pace abbates, monachis symbolam conferentibus, restituerunt. At labefactata semel religio, nuspiam integra, commendatariis alio studia convertentibus, nostram ad ætatem revocari potuit.

Iis adde quod Carnotenum agrum infestantes an. 1568. Calvinistæ perduelles, Bonevallensem abbatiam rebus spoliarunt omnibus, ædesque injectis flammis pessumdederunt, monachis cum
B lipsanorum reliquiis, chartisque perpaucis fuga saluti suæ consulentibus. Violatos lares repetentibus, regulæ ad amussim restituendæ defuit non tam animus quam facultas, dum tandem anno 1644. sub Caroli le Prevôt abbatis felicibus auspiciis credita congregationi sancti Mauri Bonavallis, pristinum splendorem recuperare cœpit: ipsa prostratorum fere veterum ædificiorum moles, quam numerosa fuerat olim Bonevallensium caterva, & quam rebus abundans, vel ipsis ex parietinis facile oculis repræsentabat. Reformati patres distractas temporum inclementia villas redimere fategerunt: at collapsas ædes resarcire needum
C omnes licuit, solvendo æri alieno, renovandis altaribus, instruendæ sacræ supellectili, sustentandæ basilicæ plus quam occupatis. Anno enim 1690. quum desæviente mense Octobri gravissima tempestate superior pars turris, quæ ad januam basilicæ adstat, disjecta fuisset in subjectam navim tanti ponderis casu oppressam, huic reparandæ monachi studia sumtusque non modicos impenderunt, ceteris ædium refectionibus pacatiori ævo reservatis.

Tabula Abbatum.

I. **G**AUSMARUS, incertum quonam ex loco
D prodierit. Carolo Calvo Francorum regi notissimus, fortunam ejus ac partes difficillimis temporibus, quantum religio ferebat, sequutus est semper; ipsi post adeptum etiam imperium *familiaris.* Basilicæ consecrationem curavit, proventus auxit & latifundia: locum intra Castrodunum *ad refugium* Lamberti comitis dono consequutus, nonnisi post mortem Caroli Calvi, si chronico jam laudato fides adhibenda est, vivere desiit, pietatis ac religionis fama clarissimus. At secum ipse pugnare videtur chronici illius scriptor. Ait enim monachos Bonevallenses duodecim sub Ingelario Gausmari successore, Athanacum accitos *Act. SS. Bened. secul 4. part. 2. pag. 505.*
E fuisse ab abbate Aureliano. Aurelianus autem antequam Carolus Calvus e vivis excederet, jam factus erat episcopus Lugdunensis. Unde vel abbati Gausmaro tribuenda videtur Bonevallensium monachorum ad urbem Lugdunensem missio; quam sententiam sequuti sumus in indice abbatum Athanacensium: vel si cadit in Ingelarium, nullius momenti censenda videntur & Gausmari familiaris cum Carolo Calvo imperatore consuetudo, & Lamberti comitis donum Ludovico Balbo regnante ipsi concessum. Sed ut omnia secum *Gall. Christ. tom. 4. col. 234.*

consentiant, quid vetat Aurelianum, etsi episcopum Lugdunensem factum, sub solo abbatis Athanacensis nomine, siquidem Athanacum ad mortem usque retinuit, designari ab auctore chronici? Aliam conciliationis viam aperit manuscriptus codex Aurelianensis, cui si credimus, *abbati Gausmaro adhuc luce hac fruenti venerabilis Ingelrannus subrogatur in regimine*. At edita penitus adversantur: *Ablato*, inquiunt, *Gausmaro ab hac luce, venerabilis Ingelarius subrogatur ejus regimini.*

Act. SS. Bened. sup. pag. 505.

II. Ingelarius de quo egimus & in proloquio, & in Gausmaro ejus decessore, videtur cum seculo nono vitam clausisse. Qui successor illi affingitur Vigelarius, nuspiam gentium exstitit, sumtus a legendi imperitis pro Ingelario.

III. Ingelrannus pari jure vapularet, ni assertorem haberet chronici jam laudati descriptorem, qui appellato semel & iterum Ingelario, compendioque relatis donationum tabulis, Menelai cujusdam donum tempore Ingelranni abbatis concessum adjecit. Itaque seculo decimo ineunte Bonevallensium res sustentabat Ingelrannus, bellicis quidem, intestinisque nobilium actus tempestatibus, & Theobaldi comitis Carnotensis multiplici munere patrocinioque recreatus. Quandiu vitam egerit, quemve nactus sit dignitatis heredem, silent tabulæ.

Act. SS. Bened. secul. 4. part 2. pag. 506.

IV. Waldricus sive Gaudricus, de quo egimus in prologo, Floriacensis, ut existimamus, monachus, Bonævallis monasterium restituit anno circiter 965. fato functus tertio nonas Junii, ex necrologio sancti Petri Carnotensis.

V. Godo sedere cœpisse videtur ante finem seculi decimi, ex codice manuscripto ejusdem monasterii, qui modo in bibliotheca Colbertina asservatur. Codex autem ille, in quo vetus collectio canonum continetur, oblatus dicitur fuisse SS. Petro & Marcellino a Godone abbate Bonævallis; quod versus sequentes ad ejus marginem literis uncialibus exarati indicant:

Annal. Bened. tom V. pag. 297.

Godo Bonævallis humilisque monasticus abbas
Codicis hujus opus sanctorum canone factum
Donat habere Petro Marcellinoque beatis.
Ejus & ablator pœna plectatur acerba
Cum reprobis pariter barathri retrusus in imo,
Ni prius ablatum digna emendatio reddat.

VI. Tedfridus Floriacensis monachus fuisse videtur, ob secessum apud Floriacenses post abdicatam abbatis dignitatem. A Floriacensibus suis exceptus perhumaniter, multa in Bonevallenses convicia, multa suam in defensionem effutiit apud Gauslinum abbatem, qui & Bituricensis erat archiepiscopus, quæ ne prodirent in publicum, neve synodi vel placiti censuræ subjicerentur, Fulbertus antistes Carnotensis triplici ad Gauslinum epistola nitebatur. Sic autem ille, epistolarum ordine permisso: *Legatum vestrum diu retinui, quia Salomon abbas* (Bonævallis) *cum quibusdam monachis aberat . . . . . Quos ubi redierunt, commonui, ut sese ad audientiam præsentarent contra domnum Tedfridum; ipsi vero responderunt se messivo tempore occupatos* A *lites ad præsens agitare non posse: sed idibus Octob. in Aurelianensi concilio quod futurum esse destinavimus, constituent vobis proximum audientiæ & diem, & locum.* Monachos interim Bonevallenses anathemate perculerat Gauslinus; miratur vero Fulbertus qua id auctoritate tentatum a Gauslino: *Oblatæ sunt*, inquit, *quædam literæ sub vestro nomine conscriptæ ad domnum Arnulfum abbatem sancti Petri* (Carnotensis) *significantes vos excommunicasse monachos nostros. Sed auctoritatem qua vobis id liceat me vidisse non memini. At si apud vos habetur, nobis eam debetis ostendere; ne forte, si non ostendatur, aut temere, aut minime excommunicati esse dicantur.* Quum autem B judicium accelerari posceret Tedfridus, eidem Gauslino Fulbertus hæc rescripsit: *Facile impetras de audientia domni T. venerabilis sacerdotis, ne queratur se defraudari opportunitate judicii, quod ego sibi hactenus, Deum testor, non insidiando distuli, sed providendo dissuasi, sciens quia causa ejus in fine turpitudinis est, & sentinæ modo, quo amplius agitatur, eo durius fetet. Nec vero turpis tantum, sed & periculosa est, adeo ut si venerit ad judicium, aut ipse, aut accusator ejus cum magna sit contumelia degradandus. Hoc itaque providens . . . . . hærebam timorate suspensus & exspectans ut Dominus tantum dedecus ecclesiæ suæ publica discussione vel insulta*- C *tione piaret. Nunc autem impatientia domni T. non permittit hoc fieri; sed pertinaciter instat, ac pie dissimulantes ad judicium vehementer urget. Tantum ergo quamvis invitus & coactus cedo, diemque & locum, ut rogasti, constituo, jam non audens relinquere indiscussum, quod Deum puto nolle præterire inultum.* Præcesserat, opinor, alia Fulberti ad Gauslinum epistola dicentis: *Noverit prudentia vestra, sancte pater, quod domnus T. abbas discedens tristitiam nobis reliquit & lacrymas; non quod innocentiam ejus, si esset, nequiremus facere tutam; sed quia culpam nec purgare, nec tegere poteramus. Unde si vestro ducatu quasi ad examinationem venire affectat cum periculo sui* D *gradus, & communi dedecore sacerdotum, conatus ejus inefficaces sagaci ratione compescere vos oportet.* Quid inde sequutum nulla docent monumenta; nec quidquam aliud de Tedfrido ferunt tabulæ. Præsens adfuisse dicitur anno 1029. mense Junio translationi reliquiarum sancti Eusicii. Sed tunc temporis jam e vivis excesserat Fulbertus Carnotensis, qui Salomonem Tedfrido suffectum consecravit. Unde necesse est Tedfridum huic solennitati non interfuisse, nisi sub nomine veterani abbatis.

Fulbert. Carnot. ep. 39.

Epist. 40.

Epist. 44.

VII. Salomon recedenti Tedfrido suffectus a monachis, a Fulberto Carnotensi episcopo benedictus est; qua de re quum culparetur Fulbertus a E Gauslino Bituricensi archiepiscopo, crimen omne a se amolitus est dignissimus præsul in hunc modum: *In literis*, inquit, *quas mihi nuperrime direxistis, confictam inveni reprehensionem meam de ordinatione Salomonis abbatis hoc modo:* Miramur qua auctoritate fieri potuit, ut sine audientia subditus prælato præpositus sit. *Quod, ut puto, mirari non debetis, quia non est; sed illud potius attendere quod est. Non enim hoc sine audientia factum est; neque subditus Salomon Tedfrido adhuc prælato præpositus est. Domnus T. a suis monachis criminatus, ut scis,*

Epist. 39.

apud me de infamia sua querimoniam fecit, eorumque malitiam se ferre non posse dicens, sub audientia mea & eorum qui mecum erant prælationi suæ perpetualiter renunciavit, astruens abbatem monachorum Bonævallis ulterius se non esse futurum. Sicque petita a nobis licentia transivit ad vos. Monachi vero qui in Bonavalle remanserant, hoc scientes, alium quemdam ex fratribus suis electum, eo quod ille irreprehensibilis esse videbatur, obtulerunt Odoni comiti abbatia illa donandum, ut mos erat, mihique deinde consecrandum, &c. Hæc circiter annum 1015. aut 1018. contingere potuere. Nec plura de Salomone, nisi quod anno 1040. affuit dedicationi ecclesiæ Vindocinensis.

VIII. Hugo I. præerat anno 1060. ex tabulario monasterii.

IX. Gualterius I. Difficile est abbatum Bonevallensium indices, qui Gualterii unius duntaxat, Robertique itidem unius meminere, cum commentariis hujus monasterii, chartarumve apographis (neque enim autographa vidimus) conciliare. Aiunt enim Gualterium subscripsisse anno 1079. donationi cuidam comitis Perticensium. Aiunt rursus Robertum interfuisse concilio Senonensi anno XXIII. Philippi I. Francorum regis; ejusdemque Roberti nomen consignari variis instrumentis annorum 1084. 1092. 1094. & 1100. Præterea certum est Gualterium abdicasse tempore Ivonis Carnotensis episcopi. Robertum tamen volunt Gualterio post abdicatam præfecturam suffectum fuisse. Quæ omnia si ita se habeant, duplex distinguendus est Gualterius, duplex pariter Robertus: *Gualterius I.* qui sederit anno 1079. *Robertus I.* qui sederit anno XXIII. Philippi I. regis, & anno Christi 1084. forte etiam annis 1092. & 1094. *Gualterius II.* qui abdicavit vel ante finem anni 1092. vel eo temporis spatio quod intercessit inter annum 1094. & annum 1100. denique *Robertus II.* qui sederit annis 1092. 1094. & 1100. si Gualterius II. abdicavit ante finem anni 1092. vel certe an. 1100. si Gualterius II. non abdicavit nisi post annum 1094.

X. Robertus I. de quo consule quæ modo diximus in Gualterio I.

XI. Gualterius II. Majoris monasterii Turonensis asceta. Et ille, quemadmodum Tedfridus, cessit ultro ad suos Turonenses reversus. Qua de re compellat Ivo Carnotensis præsul Bernardum Majoris monasterii abbatem, quod *contra instituta majorum quosdam fratres semel* a se *ad custodiam animarum demissos detineret, in quibus* suam *& illorum famam lædi permitteret, & morbis ovium illis commissarum nullam medicinæ curam præpararet. Unde ut interim de cæteris sileam*, inquit, *rogando moneo, monendo rogo, ut omni occasione remota, usque ad præsens caput jejunii transmittatis mihi domnum Gauterium, quondam monasterii Bonævallis abbatem, quatinus audita ab eo discessionis suæ causa, solatio ejus si probanda est, a nobis probetur, vel si approbanda non est, consilio & auxilio cooperatorum nostrorum in officio & loco suo plenissime reformetur.* Discessionis ejus causam idem pontifex datis ad Burgidolenses monachos literis nonnihil explicat, ita scribens: *Eo tempore quo* Bernerius Bonævallis monachus, e Bonavalle *discessit, magna in eo monasterio perturbatio fuit, quam etiam abbas ejusdem loci ferre non valens, ad Majus monasterium in quo ad conversionem venerat, necessitate compulsus rediit. Causam autem propter quam abbas discessit, propter reverentiam monastici ordinis melius est silere quam revelare.* Et de his altum domesticis in schedis silentium. Quidquid autem sub Ivonis verbis lateat, Gualterius Bonamvallem non repetiit. Videsis quæ de eo diximus in Gualterio I.

XII. Robertus II. volenti subrogatur. Sedebat saltem anno 1100. Consule quæ diximus in Gualterio I.

XIII. Bernerius, aliis Bernardus, non Carnotensis, ut quidam volunt, ad sanctum Petrum, sed Bonævallis monachus, ne intestinis quæ Bonevallenses cum abbate Gualterio committebant, dissidiis implicaretur, *sine licentia fratrum* discessit, &, ut par est existimare, in Majus monasterium cum abbate suo se recepit. Compositis rebus ad Bonevallenses suos reversus, non solum omni caruit *infamia vel in clericali ordine, vel in monastico; sed bonum ei testimonium* Ivo pontifex *in omni ætate & ordine comperit.* Ne autem ipsi vitio verteretur, quod inconsultis sodalibus tempestati sese clam subduxisset, *eum* Paschalis II. papa *ab eo vinculo absolvit, missas etiam ab eo audivit, & in omnibus sacramentis coram religiosis personis sæpe communicavit.* Ad Paschalem missus fuerat Bernerius ab Ivone, uti *boni testimonii vir, & Romanæ ecclesiæ bene notus, qui & necessaria* Ivonis *insinuaret, & ea quæ ei commiserat a sanctitate sua reportaret.* Burgidolensis electus est abbas anno circiter 1097. Dissidentes vero hac de re monachos ad concordiam & Bernerii susceptionem Ivo datis literis invitavit, quas effectu notum est caruisse. Post obitum Roberti Bonevallensi præfectus gregi, doctrina, pietate, disciplinæ studio, probatis moribus, pontificum optimatumque laudem & gratiam sibi conciliavit. Hunc anno 1107. tutandis rebus domesticis intentum probant tabulæ superstites. Tunc autem ab Adelæ Blesensis comitissæ ministris & satellitibus ob Hugonis nigri cædem, cujus non erat conscius, dire vexatus, Ivonis ac piorum omnium lacrymas elicuit: *Abbas Bonævallensis monasterii*, inquit Ivo Adelam ipsam compellans, *& congregatio sibi commissa lacrymosis & miserabilibus clamoribus aures Dei & hominum pulsant, conquerentes quod propter interfectionem Hugonis nigri injuste eos & homines sui juris vexatis, & angarias contra privilegia & instituta prædecessorum vestrorum super eos faciatis, in tantum ut nec misericordiæ, nec judicio apud vos eis locum relinquatis.* Mitiora suadet, *ne grex Dominicus insolitæ tribulationis tempestate dispergatur, & religio, quæ istis temporibus refloruerat, aut minuatur, aut omnino ad nihilum redigatur. . . . . Timendum est enim vobis ne gemitus servorum Dei ad aures ejus perveniant, & qui apud vos misericordiam non inveniunt, misericordiæ vobis januam claudant; sicut enim ipsi dicunt qui a vobis opprimuntur, continuo gemitu aures Dei*

Ivo Carnot. epist. 4. — *Epist. 78.* — *Ibidem.* — *Epist. 147.* — *Epist. 187.*

implebunt, & quotidiana quæstione aures populi Dei tam in vicinis, quam in remotis locis. Acquievit tandem Adela anno 1109. precibus Ivonis ac Bernerii. Idem nihilominus abbas apud pontificem male audiit ob litem adversus Blesenses monachos natam ex concessione cujusdam ecclesiæ. Quippe Blesensibus favebat Ivo; quod sequentia luculenter evincunt: *Frequenter pulsat aures vestræ sollicitudinis Bonævallensis abbas,* ait præsul ad Albanensem episcopum, *negotiorum suorum rationibus, quæ obsunt vitans, quæ prosunt oratoria declamatione exaggerans; tanquam ego aliquid de concessione sibi a me facta minuam, & abbati Blesensi concedam... Præterea satis injuste conquestus est, circa monasterium suum judicium non esse servatum, quod in Floriacensi cœnobio promulgatum fuit de cœmeterio, unde controversia erat inter abbatem monasterii Carnotensis, & abbatem monasterii Bonævallensis, ... cui præcipue sua voluntas ratio est & auctoritas.* Et iterum: *Abbas Bonævallensis nec meo consilio voluit acquiescere, nec judicio. In hoc vero negotio nullam potest idoneam causam prætendere, nisi forte illam poëticam, quia omnis potestas regni impatiens consortis erit,* &c. Eo autem proruperunt Ivonem inter & Bernerium discordiæ, ut pacandis illis Bernardus Tironiensis abbas, & Robertus de Arbrisellis, studia, vires, animosque conjunxerint. Rei seriem docet Arbrisellensis vitæ scriptor Andreas his verbis: *Eo tempore Ivo Carnotensium episcopatum gerebat, qui adeo pro quibusdam causis cum Bernerio Bonævallis abbate discordatus fuerat, ut propemodum irreconciliabilis esset eorum discordia. Nam multæ religiosorum personæ eos multoties pacificare tentaverunt, nec tamen inter ipsos pacem reformare convalebant. Postquam vero pius magister* (Robertus) *tantam discordiam invitus audivit, discordantibus illis valde condoluit, atque qualiter eos pacificare posset apud se cogitare cœpit . . . . Ipse vero consociato sibi Bernardo abbate religioso, propter prædictæ discordiæ reconciliationem festinus accurrit Carnotum. Dolebat enim vir pacificus magistros ecclesiæ detestandæ dissensionis libertati infideliter subjacere. Et ut verum fatear, postquam prudens concionator caritate conductus Carnotum advenit, licet multum laboraverit, non solum tamen illam dæmoniacam discordiam funditus dissipavit; verum etiam quod a multis incredibile suspicabatur, in antiquam amicitiam illos restituit.* Redintegratæ pacis indicia proferunt non solum donationes ecclesiæ S. Petri in Castro Dunensi, ædiculæ sancti Vincentii Carnotensis juxta portam cinerosam, & casamenti Carnotensis ecclesiæ, in gratiam Bernerii & Bonevallensium; verum etiam ejusdem Ivonis ad Bernerium epistolæ duæ, in quarum prima profugum monachum dominicam ad caulam reverti cupientem misericordi animo suscipi rogat, in altera commendat alium, qui *eundo de virtute in virtutem arduas vias patrum studebat sequi, & post longam cœnobiticæ conversationis experientiam, solitariæ quietis dulcedine desiderabat perfrui . . . . Monet ergo ut in hoc boni fratris proposito nulla mentes* Bonevallensium *titillet invidia, neque ejus tanta promotio fraternæ famæ videatur esse diminutio . . . . . Unde etsi non est datum omnibus imitari, nolint tamen adversari, neque extinguant in eo spiritum ardentem & lucentem, & talia desideria suggerentem.* Florebat ergo, vel ut Ivonis verbis utar, Bernerii temporibus *refloruerat* Bonevallensium religio, quam ferre non potuerat disciplinæ sanctioris refuga, dum alius monasticis laboribus excoctus anachoresim anhelabat. Quantus vir, quam spectatus ob religionem esset Bernerius, testantur insuper literæ quædam Goffridi Vindocinensis. Impunitum cujusdam abbatis crimen Girardo Engolismensi objiciens Goffridus, *hoc,* inquit, *Bernerius Bonævallensis abbas testatur, qui hoc facinus pene ubique prædicans detestatur.* Eumdem Bernerium in alia epistola *virum æterna memoria dignum, Spiritus sancti igne succensum* appellat, qui *ab increpatione simoniacæ impietatis spiritum quo agitatur, reprimere non valens, multos in se adversarios incitavit. Tu vero,* pergit, *desiderio repletus prophetico, tibi suaderi nullatenus potest quin semper inquiras qui tecum assurgat contra regnantem in sancta ecclesia abominationem . . . . . Clama itaque, tu organum Dei, tuba Spiritus sancti. Ne sileas, egregie præco veritatis . . . . . . Noli, vir sancte, noli credere illis, qui te loqui asserunt sine utilitate,* &c. Omnium tamen animos regulæ tenacior devincire non potuit Bernerius quin perduellium quorumdam filiorum insidiis exagitatus Cluniacum secedere cogitaret, *si licentiam recedendi a domno papa impetrare posset, nostis enim,* inquit Petrus venerabilis ad Albanensem episcopum, *causas quibus irritatus a suis retineri non possit.* Causæ autem illæ in abbatis *insidiatoribus* erant positæ, *quos filios esse credebat* Goffridus Vindocinensis. Sed quid inde factum sit, ignoramus. Obtinuit Bernerius a Ludovico VI. Francorum rege anno 1110. bonorum ac libertatum monasterii sui confirmationem, & a Gaufrido de Leugis episcopo Carnotensi anno 1118. ecclesiam Galardonis, quam injuste occupabant quidam clerici. Denique Hugonem du Puiset vicecomitem bona monasterii infestantem ad saniora consilia adduxit an. 1122. Ex tabulario autem Bonevallensi præerat adhuc anno 1135.

XIV. Ernaldus, sive Arnaldus aut Arnoldus, maximi quoque nominis abbas, Arnulfo Lexoviensi, Bernardo Clarevallensi, Lucio II. & Adriano IV. summis pontificibus, toti denique Romanæ curiæ, ob morum præstantiam, doctrinamque singularem probatissimus, anno primum 1144. in residuis chartis memoratur. Bonevallensium segnitiem atque socordiam, qui tanti viri gesta literis mandare neglexerint, nemo posset satis increpare, ni tabulas eorum Calvinistæ flammis consumsissent. Ab exteris itaque petenda clarissimi viri laus & gesta. Tres ad illum epistolas dedit Arnulfus Lexoviensis episcopus, quas hoc loco delibare ceterarum rerum cogit inopia. In prima dolorem ex ejus ægritudine conceptum ut expressit Arnulfus, hæc subdit: *Occurrebat mihi siquidem caritatis vestræ sanctum illud dulceque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum erudire solertia . . . . Recordabar quantum vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua*

Ch. XXXII. col. 314. — Epist. 216. — Epist. 217. — Bolland. Febr. tom. 2. pag. 610. — Ivo Carnot. epist. 226. Epist. 269. — Goffrid. Vindocin. lib. 1. epist. 21. — Idem lib. 4. epist. 16. — Petr. Vener. lib. 1. ep. 2. — Goffrid. Vindocin. lib. 4. epist. 18. — Chart. XXXIII. col. 313. — Chart. XXXVII. col. 315. — Ch. XLIV. col. 322. — Biblioth. Patr. t. 22. pag. 1306.

nescio an magis quis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari . . . . Denique dolor in miserationem conversus est, dum incommoda vestra laboresque contemplor, quibus innocentiam vestram sollicitudo domestica & persequutoris immanitas incessanter affligunt. An adversos quoque monachos tulit Ernaldus? Anno 1144. vel 1145. scripta est secunda Arnulfi epistola, quæ recuperatam Ernaldi sanitatem, Romanumque iter docet, & gaudium singulare, quod *ejus prudentiam & honestatem honore debito Romana recognovit ecclesia.* Lucio II. pontifice confectum illud iter ab Ernaldo, qui anno 1144. bonorum monasterii sui confirmationem a summo pontifice impetravit. In postremis literis Arnulfus Ernaldum peregre profectum sacrificiis oblatis Deo commendat. Quamplures ab eodem Ernaldo scriptas epistolas testatur Arnulfus, quas interiisse dolent viri docti. Bernardo non minus familiaris adhæsit Ernaldus, ad quem xeniolo recreatus vir sanctus, ultimam epistolam in extremis positus misit. Explicatis fuse doloribus, *hæc*, inquit, *ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum.* Mutui amoris vices Bernardo rependit Ernaldus, edito vitæ illius libro secundo, quem ubi desierat Guillelmus sancti Theoderici quondam abbas, exorsus, morte præventus absolvere non potuit. Scripsit etiam præter alia quædam opuscula tractatum de cardinalibus Christi operibus Adriano IV. papæ nuncupatum, quem nonnulli sancto Cypriano perperam affinxerunt: alium de septem donis Spiritus sancti: item alium de corpore & sanguine Domini, quem interiisse summopere dolendum: alium denique de septem verbis Domini, editum in bibliotheca patrum; uti & tractatum de operibus sex dierum. Creditur abdicasse, & ad Majus monasterium unde assumtus fuerat, se recepisse. Præerat adhuc Bonævalli xv. cal. Novemb. 1156. ex tabulario monasterii. De hoc abbate nonnulla minus accurate scripsit nuperus auctor libri, cui titulus, *Singularitez historiques*, &c. tomo primo pag. 414. & seq.

Biblioth. Patr. t. 22. pag. 1311.

Ibidem pag. 1322.

S. Bernard. epist. 310.

XV. H.... vel G.... alii Hubertum aut Herbertum; alii Hugonem, cui novicio sanctus Bernardus parænecticam scripsit epistolam, postea Bonevallensem abbatem; alii denique Ingonem vel Hingonem, quem affuisse aiunt anno 1163. concordiæ initæ inter monachos Majoris monasterii & presbyterum Orchosæ, hic inferendum putant. At nihil ad Carnotenses pertinere videtur Hugo ille Cisterciensis, alterius cujusdam Bonævallis abbas. Ad alios quod spectat, nihil definire audemus. H.... Bonævallis Carnotensis abbas sedebat ex schedis ejusdem monasterii annis 1169. & 1178. Sed ex commentariis quibusdam, Gualterus proxime successit Ernaldo. Male-ne an recte legit commentariorum illorum scriptor? an forte Gualterus litera solitaria G.... designatus est in instrumentis, quam postea librarii imprudentes in literam H. converterunt?

XVI. Christianus noscitur ex charta Theobaldi comitis Blesensis, talliam *mediæ Quadragesimæ* dictam, quam per manus abbatis a Bonævallis burgensibus accipiebat, dimittentis anno 1188. De eo nonnihil conjecimus ad calcem abbatum sancti Petri Carnotensis.

XVII. Girardus I. anno 1202. Ludovicum Blesarum & Clarimontis comitem beneficum sensit, acceptis ab eo quibusdam donariis. Anno 1222. Jupellum villam accepit a Richerio milite, ejusque consanguineis. Præerat adhuc anno 1232.

XVIII. R.... vendidit regi Navarræ, aut Johanni decano S. Quiriaci Pruvinensis, furnum dictum *de Bordis*, quem habebat apud Pruvinum, mense Januario anni 1243. id est 1244. ex chartulario Campaniæ; si tamen charta illa Bonamvallem Carnutum spectat.

XIX. Herveus Blondellus genere nobilis, Roberti de Villette militis Meduntensis frater, in Carnotensi sancti Petri cœnobio monachum professus, anno 1246. legitur in tabulis. Sequenti lites componit cum Egidio de Bonavalle. Anno 1256. literas a sancto Ludovico rege Argentolii scriptas impetrat, quibus cœnobii sui custodia fractis comitis Carnotensis conatibus, uni Francorum regi, qualis annuente Carolo Calvo exstiterat a principio, deinceps asseritur. Eidem abbati simul cum Petro Carnotensi episcopo, ac Guillelmo decano Parisiensi, commisit rex christianissimus negotia Judæorum anno 1260. mense Novembri. Obiit anno sequenti VI. calendas Octob.

XX. Girardus II. anno 1261. paciscitur cum Johanne Castillioneo, Blesensi & Carnotensi comite; superstes in annum saltem 1279.

XXI. Johannes I. præerat annis 1284. & 1296. Quotannis in festo sanctorum Marcellini & Petri generale capitulum celebrare consuerat; ex quibus anni 1292. decreta leguntur hactenus.

XXII. Nicolaus comparet in instrumento quodam anni 1308.

XXIII. Gaufredus nomen suum consignavit actis annorum 1317. 1322. & 1342.

XXIV. Petrus I. Broissot anno 1367. prædia redemit ab Henrico de Lovanio milite, ducis Aurelianensis camerario. Sedebat adhuc anno 1387. quem videtur superasse.

XXV. Florentinus reperitur in chartis annorum 1402. 1414. & 1415.

XXVI. Leonardus de Villebrême, ab anno saltem 1437. abbas, vixit ad annum circiter 1452.

XXVII. Petrus II. de Pratis, paucis ab electione diebus repentino morbo defecit an. 1452.

XXVIII. Ludovicus I. de Tiersac, alias de Ligonne, in jure canonico licentiatus, Petro V. Carnotensi episcopo obedientiam promisit anno 1452. cal. Octob. Vitam egit ad annum 1464. sequenti tamen munus anno circiter 1458. videtur consignasse.

XXIX. Ludovicus II. d'Illiers anno 1458. legitur abbas. Anno 1465. pridie nonas Junii Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi obedientiam promisit. Anno 1479. prædia alia locavit, alia distraxit; nullius deinceps nominis ob phrenesim & amentiam, qua sæviente ligabatur. Ad annum 1504. miseram duxit vitam, anno 1486. privatus abbatia.

XXX. Renatus d'Illiers Carnotensis archidiaconus, accedente, vellet nollet, Ludovici consensu, monasterii possessionem adeptus est XV. calendas Aprilis anno 1446. cujus opimos reditus, ubi factus est Carnotensis episcopus, nemine repugnante largiter emunxit in annum 1507.

XXXI. Guillelmus de la Vouë, canonica fratrum electione substitutus, obiit anno 1520.

XXXII. Odoardus de la Vouë in theologia licentiatus, regularium ultimus, anno 1526 vivere desiit.

XXXIII. Carolus I. de la Chambre, Mondoviensis, seu Montis-regalis apud Sub-alpinos episcopus, ab anno 1527. quo Ludovico Guillard episcopo Carnotensi clientelam professus est pridie nonas Februarii, ad annum 1550. & forsan amplius, commendam tenuit.

XXXIV. Johannes II. de la Lande obiit anno 1567.

XXXV. Johannes III. de Lolin reperitur anno 1577.

XXXVI. Martinus de Beaune abbatia fruebatur anno 1586.

XXXVII. Philippus Hurault eamdem obtinebat anno 1588. & 1590. postea decanus sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios; tum Carnotensis episcopus.

XXXVIII. Reginaldus de Beaune Bituricensis, deinde Senonensis archiepiscopus, qui obiit anno 1606.

XXXIX. N..... de Seve aut de Servient anno 1607. rerum dominus in triennium.

XL. Franciscus Augustus de Thou.

XLI. Jacobus Augustus de Thou sedebat anno 1615. & mense Julio anni 1640.

XLII. Carolus II. le Prevôt decanus consiliariorum in Parlamento Parisiensi, de quo egimus in prologo, sedebat anno 1644. simul abbas S. Vulmari. Obiit anno 1661.

XLIII. Cæsar de Choiseul du Plessis Prâlin, eques Melitensis, abbatia fruebatur anno 1665.

XLIV. Ludovicus III. de la Vergne de Tressan episcopus Cenomanensis, obiit VI. cal. Februarii anno 1712.

XLV. Ludovicus IV. de la Vergne de Tressan canonicus ecclesiæ Lugdunensis, patruum excepit anno 1712. mense Apr. factus postea episcopus Nannetensis, tum archiepiscopus Rotomagensis, abbas item Longi-pontis & Spallensis. Obiit XIV. calendas Maii anno 1733.

XLVI. Johannes Josephus de Saint Jean de Jumillac vicarius generalis episcopi Carnotensis, renunciatus abbas a rege christianissimo anno 1733. mense Decembri, factus est postea episcopus Venetensis.

Neaufle le Vieux, ou Neaufle l'Aiveux.

NEALFA VETUS, *seu* NEALFA AQUOSA.

Asceterium illud Benedictini ordinis fundatum fuisse ferunt ante exitum decimi seculi, quanquam abbatum ejus neminem noverunt Sammarthani antiquiorem anno 1185. neque ullum de ipso monasterio verbum factum est in Annal.
A Benedictinis, quos in præsenti productos habemus usque ad annum 1157. Superiores agnoscit ab anno circiter 1100. sin minus fundatores, ipsos ecclesiæ Carnotensis canonicos, quibus paret ac subjecta est; quod colligimus 1.° ex necrologio ecclesiæ Carnotensis, quod sic habet ad VII. cal. Septembris: *Hugo filius Haganonis* (quisquis ille fuerit, sive episcopus Carnotensis, sive alius ejusdem circiter ætatis Hagano) *qui* Carnotensis *ecclesiæ canonicis abbatiam de Nielsa omnibus eamdem requirentibus præpositis tribuit, & ibidem ex milite monachus factus fuit.* 2.° ex instrumento quodam dato pridie idus Octobris anno 1399. in quo
B Johannes abbas, *totusque ejusdem loci conventus, confitentur decanum & capitulum ecclesiæ Carnotensis habere visitationem & procurationem in victualibus in dicto monasterio; itemque omnimodam jurisdictionem ecclesiasticam solos & in solidum in personam abbatis in quibuscumque civilibus aut criminalibus causis; itemque omnimodam jurisdictionem ecclesiasticam criminalem solos & in solidum, necnon & civilem infra dictum monasterium, ac etiam in parochiali ecclesia, & per dictam parochiam ipsius ecclesiæ de Nealpha veteri; salvo tamen conventui jure præventionis: quia in casu præventionis jurisdictionem hujusmodi ecclesiasticam civilem duntaxat infra dictum monasterium & eccle-*
C *siam & parochiam prædictas exercere conventus potest per se & officialem suum seu officiarios, sub subjectione tamen & obedientia dictorum decani & capituli: salva etiam regulari in monachos disciplina, quæ ad abbatem primo loco competit; & salva restitutione hominum & hospitum monasterii ad instantiam quorumcunque citatorum coram dictis dominis decano & capitulo, canonicis & clericis ecclesiæ Carnotensis duntaxat exceptis.* Positum est monasterium illud in villa Nealfa super Maldram * fluvium; unde *Aquosæ* nomen sortita esse videtur, vernacule vero *l'Aiveux* quod sensim mutatum est in *le Vieux*.

* la Maudre.

CATALOGUS ABBATUM.

D I. Bernardus monachus S. Petri in Valle. Quo anno sederit incertum. Obiit ex necrologio sancti Petri VII. idus Novembris.

II. Gualterius memoratur in rotulo Mathildis abbatissæ Cadomensis defunctæ anno 1112. sed rotulus ille peccare videtur in multis. Gualterium abbatem eum esse credimus, quem Sammarthani aiunt sedisse anno 1185. nisi duo fuerint hujus nominis abbates.

III. Robertus I. sedisse dicitur anno 1136.

IV. Robertus II. sedebat anno 1204. mense Augusto. Obiit alteruter Robertus ex necrologio
E sancti Petri in Valle, VI. idus Octobris.

V. Guillelmus I. Hujus obitus nunciatur Hugoni decano ecclesiæ Carnotensis. Fuerunt autem tres Hugones decani, quorum ultimus ad cathedram Carnotensem assumtus est anno 1234.

VI. Guillelmus II. sedebat anno 1290. mense Junio. Guillelmum abbatem (an secundum hujus nominis, an forte alium) legimus obiisse XIII. calendas Februarii anno 1326. id est 1327.

VII. Simon de Changeio electus eodem anno tertio calendas Januarii, licentia eligendi prius petita,

petita, ut moris erat, a capitulo ecclesiæ Carnotensis, benedictus est mense sequenti in ecclesia S. Maglorii Parisiensis. Præerat adhuc anno 1329.

VIII. Thomas occurrit in schedis ab anno 1333. mense Novembri, ad mensem Januarium anni 1341. id est 1342. quo mortuus est.

IX. Johannes I. de Ponceaux electus est anno 1342. licentia eligendi prius impetrata III. nonas Februarii a capitulo ecclesiæ Carnotensis. Legimus præfuisse Johannem ab anno 1368. ad finem usque decimi quarti seculi. Hic anno 1399. quum gravatus annis negotia omnia sustinere non posset solus, constituit mense Maio tres ministros; unum priorem, qui regeret in spiritualibus; alterum præpositum, qui temporalibus invigilaret; tertium cellerarium, qui unicuique fratri quæ necessaria forent, subministraret.

X. Johannes II. Bleteton occurrit in schedis anno 1405. mense Junio. Transiit ad abbatiam Josaphatensem anno 1421.

XI. Robertus III. Bon-ami prior monasterii beatæ Mariæ Super-aquam ab abbatia Lonlaii pendentis, electus cum licentia capituli Carnotensis quarto nonas Augusti anno 1421. confirmatus est eodem mense ab eodem capitulo. Sedebat adhuc anno 1451.

XII. Martinus præerat ex schedis anno 1471. mense Aprili.

XIII. Petrus I. Nicolas sedebat anno 1498. mense Novembri, ex tabulario monasterii sancti Germani a Pratis Parisiensis, cujus erat præpositus.

XIV. Johannes III. L'homme testamentum condidit v. idus Junii anno 1509. Obiit anno 1522. mense Julio.

XV. Gilbertus I. le Filleul abbatiam quam tenebat in commendam resignavit XIV. calendas Maii anno 1526. Petro le Filleul Aquensi archiepiscopo.

XVI. Petrus II. le Filleul Aquensis archiepiscopus, resignavit & ipse anno 1531.

XVII. Gilbertus II. le Filleul canonicus Aquensis. Huic decimum tertium ætatis annum agenti abbatiam resignavit Petrus, tertia fructuum omnium parte sibi, quoad viveret, reservata, pridie idus Februarii anno 1530. octavo pontificatus Clementis VII. papæ, hoc est anno 1531. Duos hujus nominis abbates distinguimus; neque enim verisimile est quam abbatiam Petrus a Gilberto acceperat, hanc eidem Gilberto Petrum postea reddidisse.

XVIII. N.... Brulart de Leon abbatiam obtinebat anno 1621. mense Septembri, ex tabulario capituli Carnotensis. Hiccine est Eduardus Brulart, quem Sammarthani aiunt præfuisse anno 1656? Obiit Eduardus anno 1676.

XIX. N.... de Villacerf abbatia donatus est anno 1679. Præerat adhuc anno 1728.

XX. Jacobus Savalette Majoris consilii consiliarius, abdicata Frenadæ quam possidebat ab anno 1717. abbatia, designatus est a rege christianissimo sexto calendas Januarii anno 1731. Lege quæ de eo diximus in decanis S. Germani Autissiodorensis apud Parisios. *Gall. Christ. tom. 7. col. 279.*

Tomus VIII. L

Præter hos abbates meminit necrologium sancti Petri Carnotensis abbatis Garnerii, cujus obitum consignat ad IV. idus Martii.

COLUMBÆ.

Columbæ

ABbatia *Columbarum*, seu *B. Mariæ Columbensis*, aut *de Columbis*, aliquando *Columbaria* dicta, sita est intra fines Dorcassini comitatus; proxima Novigento Eremberti, seu Novigento Regis, in valle non solum amœnissima; verum etiam ob circumfluentem Auturam diversis naturæ opibus abundanti. Conditorem & primigenium statum silent tabulæ. Prima loci notitia occurrit anno circiter 930. Quum enim præcedente seculo gravissimas a Normannis Carnotense solum infestantibus tulisset injurias; resarcitæ utcunque Columbæ clericis, monachorum aut cæsorum aut abactorum vices obituris, traditæ sunt sub *Hugone venerabili comite & abbate;* qui *per largitionem Hugonis Francorum ducis* rerum potiebatur, & si conjectare licet, ad archiepiscopatum Bituricensem postea evectus est. Ejus rei testis est ipsemet Hugo, Brocantellum abbatiæ villam Hilduardo fratrique ejus Roberto tradens ad censum. Diplomati, quod, *jubente domno Hugone,* scriptum est, Heremburgis comitissa cum aliis subscribit. Sed paulo post ipsimet clerici, seu pellentibus duce Richardo Normannis, seu fame compulsi, locum deseruere, qui multis annis incendio deformatus, & maximam partem eversus, absque cultore jacuit.

Inde ad Rogerium, Carnotensis ac Blesensis comitis filium, Bellovacensemque antistitem, transiit pessundati monasterii ditio, quod prius, docente Roberto Francorum rege, *antecessores ejus* a Roberti majoribus *jure beneficiario tenuerant;* ut nulli dubium esse possit, quin Hugo comes & abbas jam dictus Rogerium affinitate contigerit. Itaque Rogerius *videns abbatiam, tam sua quam suorum negligentia priorum miserabiliter direptam; ædificio deturpatam, officio miserabilius profanatam; Deo tangente ad hoc se viriliter accinxit, ut & locum reædificaret, & rebus sibi jure contiguis redintegraret, ac officio servientium clericorum, prout res pateretur, ad tempus exornaret.* Hinc *ecclesiam a fundamentis speciose perfecit; rebus ditavit, clericis & ornatu non modico decoravit; in hac tamen adhuc animi intentione suspensus, ut si Deus annueret, eam quandoque monastico ordine insigniret.* Sed morte præoccupatus est anno 1024. Ejus autem *nepos Odolricus præsul* Aurelianensis; *qui ei jure hereditario succedebat; abbatiam sæpius nominatam abbate proprio, nomine Berengerio, & monachis sublimavit, & de suo proprio gratanter augmentavit,* atque ea *quæ dedit seu restituit avunculus, studuit augere devotus.* Singula proferimus infra in appendice, datis anno 1028. literis a Roberto rege firmata, multorumque procerum subscriptione munita. *Chart. XL. col. 295.*

Basilica hujus monasterii Virgini Deiparæ nuncupata erat, cui sanctum Michaelem Archangelum secundario cultu subjunctum ferunt chartæ, tum sanctum Caraunum martyrem. Hanc a Normannis eversam restituerat Rogerius: sed vetustate aut

bellicis cladibus fatiscentem abbates ante hos ter centum annos instaurare cœperunt; quod appensa fornicibus illorum arma gentilitia commonstrant. Operi tamen suprema manus necdum est imposita; prostat enim tantummodo chorus cum abside, & circumpositis tredecim sacellis; & hæc quidem cum ceteris altaris & chori sedilium ornatibus splendida, elegans, nobilissimisque basilicis comparanda. Hic in medio choro jacet Jacobus de Brezé, & Carola ejus uxor, filia Caroli VII. Francorum regis ex Agnete Sorella, cum hoc recenti epitaphio: *Cy gist haut & puissant seigneur messire Jacques de Brezé conte de Maulevrier, baron du Bec-crepin & de Magni, seigneur de Haut-rocher, Planes & Anet, Breval, Mont-chauvet & Nogent-le-Roy, où il mourut le 10. jour d'Aoust 1494. Et madame Charlote de France sa femme, qui mourut le 3. jour de Juin 1476.* &c. In sacrario autem inter sanctorum reliquias Pueri Jesu *Circumcisio* (sic dicunt tabulæ veteres) aut Præputium, de quo mox agemus, singulari veneratione habetur.

Paucis ab instauratione monasterii lustris, centum in asceterio Columbensi monachos, exceptis iis qui cellas & ecclesias regebant, degisse vetera produnt monumenta. Fovendis illis pares sumtus ministrarant inprimis nobiles, quorum plurimi seculo valedicentes se suaque ibi Domino mancipaverant. Tanta vero fuit a primordiis eorum religio, ut etiam matronas nobiles ad secessum invitaret: quarum dux & antesignana fuit Helvisa. Hæc conjugata primum Hugoni cuidam, cui *Caput-Ursæ* cognomen erat, deinde Alexandro Azzolino, ecclesias & terras quas ab Hugone in dotem acceperat, S. Mariæ Columbensi in usus fratrum contulit. Quam donationem Berengerii tunc Columbensium abbatis rogatu Waleranmus Mellenti comes, assentientibus filio suo Hugone & uxore Adelaïde, confirmavit an. 1033. Helvisa autem amisso posteriore marito vixit reclusa usque ad mortem in illo monasterio, ubi ut Beata colitur. Columbensium pietatem ac felicem progressum inter alios celebrarunt Drocenses canonici, *videntes* medio seculo XI. *quemadmodum omnipotens Deus non immemor loci suæ genitricis interius exteriusque eum sublimabat, & de die in diem ad alta extollebat.*

Act. SS. Bened. secul. 6. part. 1. pag. 565.

Ad seculum XIV. durasse videtur hæc felicitas. Sed ortis Anglos inter & Francos bellis atrocibus, ædes majorem partem æquatæ solo, distracta prædia, villæ flammis consumtæ, contractum æs alienum, loco cedere coacti non semel cum abbatum monachi, denique regularibus officiis ac disciplinæ labes ingens & interitui proxima clades illata est, ut vix duodecim, & ii quidem religione minus integri, superessent monachi. Lugubrem monasterii statum declarat ipse Henricus VI. Anglorum rex, datis anno 1447. literis Dominici Præputii causa, cujus historiam proferre juvat.

Francos inter proceres qui seculo undecimo vel insequenti voti causa solverunt in Palæstinam, germani duo milites parente nati Villariorum domina (locus est a Columbis non integro diei unius itinere dissitus) sacrum hoc munus a Græcis (piis ne an veteratoribus judicet lector) magno comparatum domum retulere. Tum matris suæ, quæ Deiparæ Virginis amore Columbenses variis muneribus affecerat, ducti exemplo, tanti pretii pignus, aliaque donaria, quin & seipsos eidem loco obtulerunt. Eburneæ Christi in cruce pendentis iconi insertum Præputium crystallus argenteis laminis vestita protegit, & sanandis morbis, prægnantium maxime doloribus, adhibetur. Ejus rei percrebrescente fama, qui Gallicum sceptrum occupabat Henricus V. Anglorum rex, Columbenses profugos adegit, ut *suum jocale* (sic aiebat) in Angliam prægnanti reginæ profuturum deferrent, seu destinarent. Nec sua eum fefellit opinio. Nam & puerum, cui nomen Henrico, regina peperit, & ipsa discriminis expers brevi convaluit. Tum Francis reddita lipsanotheca, Parisiensisque Palatii Sacræ capellæ clericorum fidei credita est. Post annos plus minus quinque, rebus propemodum omnibus spoliati Columbenses, Bedfordensem ducem supplices petunt ut suum sibi *jocale* redderetur in ipsorum levamen & subsidium, aut sane Maglorianis ordinis sui monachis committeretur. Missus hanc in rem cum sacro munere Bellovacensis episcopus anno 1427. ab abbate Magloriano schedulam accepit, qua *promisit ac juravit in manibus* ejus *illa quæ tenetur promittere & jurare super facto custodiæ cujusdam jocalis argentei, in quo* (ut pie creditur) *Præputium D. N. J. C. fore reconditum dignoscitur*, &c. Rem, uti prius gesta fuerat, publicas in tabulas referri curavit Villariorum dominus, & Parisiensis præpositurae custos, testatus anno 1423. vidisse se literas *thesaurarii & canonicorum Sacrosanctæ capellæ regalis Palatii Parisiensis*, quibus notum faciebant se ab *Henrico rege Angliæ, herede atque regente Franciæ quoddam jocale argenteum in custodia recepisse, Præputium circumcisionis Domini* continens: quod ubi rex jusserit, *abbatiæ de Columbis* reddituros se pollicentur. Annum 1422. præferunt ejusmodi literæ. Subdit anno 1447. Johannes le Moine vicecomes Rotomagensis, se Henrici regis alias vidisse literas asserentes Columbensem abbatiam, in qua centum monachi prius degebant, eo paupertatis ac miseriæ devenisse, *que piteuse chose est de la voir & considerer; tellement qu'à present n'y a qu'environ douze religieux, qui en grand' povreté & patience y font & continuent le divin service, combien que très-petitement ils aient leurs vies & sustentations, & seroit faillie de cheoir en extreme ruine, si prochainement n'y etoit remedié.* Addit rex, nuper defunctum Eugenium IV. pontificem, collatis indulgentiis fideles ad monasterii restitutionem incitasse. Tum subdit: *Nous aussi aians bien singulier amour & devotion parfaite audit lieu & monastere de Coulombs, principalement pour honneur & reverence de nostre benoist Sauveur J. C. du quel* le Circoncis *est gardé & reservé en ladite abbaïe. Et tandis que nostre très-chere dame & mere la royne, que Dieu absolve, etoit de nous enceinte, fut apporté devers elle en nostre naissance par deça en nostre royaume d'Angleterre, à la devotion, priere, pourchas, & instante requeste de feu nostre très-cher seigneur & pere le roy, à qui Dieu fasse merci. Voulans & desirans, en tant qu'en*

Ch. CXXI. col. 389.

Ch. CXXV. col. 398.

nous est, relever les indigences & souffretez des dits A supplians & de leur eglise, &c. Sacras reliquias ubi per pacis inducias tutum erit, ad conrogandas fidelium eleemosynas deferri concedit. Sequenti seculo Paulus III. summus pontifex plenariam indulgentiam iis concessit, qui anno 1536. ecclesiam Columbensem visitarent die *Circumcisionis* Domini.

Chart. CXXXVI. vol. 409.

Anno 1567. quum Ludovicus princeps Condæus ad obsidendum Carnotum copias educeret, partium ejus duces Calvinistæ monasterium interceperunt, quidquid obvium fuit, diripuerunt, expilarunt basilicæ sacella, sacras vestes, sanctorum imagines, sepultorum tumulos, ossa, cineres, & B quid non (si beatissimæ Virginis iconem eorum furori subductam excipias) asportaverunt, conspurcaverunt, aut profano dissiparunt incendio. Quum vero lapideam sancti Benedicti figuram disjicere ac comminuere conarentur, caput ex humeris prosiliens nefarium ex illis militem oppressit: quo territi facto ceteri quantocius aufugerunt. Ipsa autem Deiparæ Virginis effigies in illius ædicula pone majus altare collocata a fidelibus Sabbato concurrentibus honore præcipuo habetur.

Ruebant interim ædes, Sulliacensi duce Calvinistarum partibus addicto monasterii gazas obti- C nente; campanæ comminuebantur; pari impetu loca, mores, ac religio prosternebantur, quum tandem Leonardus Goulas, cui commenda felici sorte obtigerat, congregationis S. Mauri Patres decimo calendas Decembris anni 1648. in cœnobium induxit, qui nihil prius habuerunt quam ut a secularium promiscuo congressu regulares ædes secernerentur. Tum sarciendis illis haud segnem navarunt operam. Mox sacræ vestes coemtæ, sacrarii vasa passim argentea, capsa sancti Gratiani ex argento conflata, fenestræ templi apertæ, magnis impensis erectum altare majus, condita vel ornata refectorium, culina, scalæ, D hospitum cellæ, sacra supellex, organum, chori sedilia, majoris altaris clathra, pulpitum æneum, fornices & basilicæ pavimentum, sacristia, capitulum, dormitorium, candelabra vel argentea vel cuprea, &c.

Sed quum omnia sperabantur nitori perfectionique mox reddenda, ecce anno 1685. dum æstivo tempore laboribus immensis agitantur agri Mestenonem versus, Audurensis canalis Versallias perducendi causa, omnes monasterii non solum ædes, sed etiam horti, areæ, locaque omnia in ægrotantium operarum nosocomium conversa sunt, frustra repugnantibus cum abbate monachis, E qui etiam domo pulsi, & in remotis burgi Columbensis ædibus an casis diu noctuque degere coacti, nihilominus in basilicam ad statas operis divini horas & sacra convenere: dum tandem acerrimo si quod fuit unquam exorto bello, tunc primum dilata sunt anno 1689. perducendi canalis amplissimi consilia, factaque denuo monachis proprios, at violatos multiplicique fœtore conspurcatos repetendi lares potestas.

Abbatum Series.

EAM ab instauratione ducimus.

I. Berengerius, de quo in prologo, præerat annis 1028. & 1033.

II. Gaufridus ex Aremberti militis, a quo Novigentum-Regis cognomen vetus desumserat, liberis vir *prudens & pietate plenus*, ab eo prædium secus castrum, & ab ejus uxore pretiosam auri libram accepit, quam ornando sanctorum Innocentium loculo totam impendit. Quum vero gravi morbo conflictaretur Arembertus, hunc omnis Columbensium concio vacans orationibus adivit, defunctique corpus detulit in monasterium, & terræ consignavit. Sæviebant eo tempore Francos inter & Normannos bella, quæ monasterii res haud parum attrivere. Anno 1039. ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani Mellentensem, tum anno 1048. ecclesiam Hildulfi-villæ a Theoderico Carnotensi episcopo, dein ecclesiam Villæmundæ a Bardulfo Novigenti toparcha consequitur. Ibi constructa paulo post cella, quam quum moniales occupassent, juvante Simone Montis-fortis domino, postea Theobaldus I. abbas recuperavit. Elisabeth Bardulfo marito superstes seculo valedicens domum Columbensi ecclesiæ vicinam construxit in monasterii censum post mortem ejus revocandam. Anno 1053. Gaufridus adfuit apud sanctum Dionysium in Francia detectioni corporum sancti Dionysii & sociorum. Ei Agobertus Carnotensis episcopus concessit anno 1058. Boconis-villæ, sancti Aniani, Senantiarumque parochiales ecclesias onerum expertes. Videtur annum 1060. superasse.

III. Robertus I. aliis Humbertus, nobilissimo genere satus, filius Herluini, amitam habebat Helvisam reclusam, de qua egimus in prologo; sedebat autem ex tabulario monasterii anno 1064. Frater ejus Richardus multa cœnobio contulit. Simonem de Monte-forti conversum ad meliora, solenni ritu domi excepit, ab eoque decima quadam est muneratus.

IV. Theobaldus I. post Robertum *tertius successisse* fertur in literis chronico charactere destitutis. Præerat anno 1082. quum favente Amalrico Simonis de Monte-forti filio sanctimonialem feminam, Amalrici consanguineam, quæ conversionis oblita vivebat impudice, Villemundensem cellam deserere coëgit. Quin etiam huic anno superior fuit. Nam Simon de Monte-forti Amalrici pater, eamdem cellam, quæ post Elisabethæ Bardulfi conjugis mortem alteri minus pudicæ sanctimoniali cesserat, Theobaldo restituendam decrevit. Quidquid vero decimarum ibidem obtinebat Herveus de Monte-forti, totum id abbatiæ cessit, eo quod Theobaldus uxori ejus graviter ægrotanti salutis subsidia contulisset, mortuamque nobili donasset sepultura. Rem familiarem Theobaldus auxit vehementer, permultos nobiles monastico cultu induit, alios sepulturæ mandavit, sancti Stephani Drocenses canonicos in precum & suffragiorum communionem admisit: vir vere magnus, ad quem instrumenta quæ Theobaldi

nomen præferunt, referri debent. Forte ille est cujus obitum consignat necrologium Josaphatense sexto calendas Martii.

V. Theobaldus II. In literis quæ Cravanti parochiæ donationem spectant, feruntur monachi post Theobaldi abbatis mortem *abbatem accepisse Theobaldum* hujus nominis secundum, qui res monasterii, uti decebat, procuravit.

VI. Ingulfus in literis pro cella beati Hilarii de Blaru non semel occurrit.

VII. Bartholomeus occurrit in tabulis anno 1090.

Letardum quemdam hîc inducunt nonnulli; sed videtur ille aliud monasterium rexisse. Sic enim habent literæ Petri militis Vernonensis, Odardi filii de Hilariana cella: *Hujus loci donum prædictis fratribus feci, tempore scilicet abbatis Theobaldi prioris; sed* abbas Letardus *tunc concedere noluit . . . Postea vero Dei gratia compunctus adiit Columbas; & in generali capitulo quod sibi hujus loci, scilicet* Blaru, *pertinebat, sanctæ Columbensi congregationi concessit. . . . . Insuper precatus est illos, ut illuc aliquos fratres dirigerent, qui secum morantes ordinem docerent, ipseque monachos suos gratia discendi ordinem Columbas transmitteret. Cujus precibus fratres obedientes tres ex suis, sicut petierat, direxerunt*, &c.

VIII. Turoldus, aliis Bertoldus, occurrit in instrumentis ab anno 1103. Guillelmum Rotomagensem antistitem beneficum expertus Helvisæ reclusæ donationes ab eo firmari impetravit. Remigianam ecclesiam & decimas accepit a Gualtero milite, postquam filium ejus Gastonem sepulturæ tradidit: *Hoc ergo donum*, ferunt tabulæ, *supradictus miles super altare sanctæ Mariæ posuit per quemdam cultellum, qui videbatur esse Richardi Novigenti præpositi, quem fregit in conspectu omnium Turoldus abbas in monumentum præsentibus & futuris.* Anno 1105. Hodenci parochialem ecclesiam ab Amalrico de Monte-forti cellæ mox inservituram accepit; paternum munus Simon de Monte-forti comes Ebroicensis postea firmavit. Reliqua Turoldi gesta domesticam rem spectant; in quibus notandum venit, beneficorum uxores & liberos munuscula nonnunquam in compensationem accepisse. Sic cujusdam militis sorori *datus est pannus ad caput cooperiendum, qui vulgo* Guimpla *vocatur, duobus constans solidis.* (Guimpla tunc temporis secu.....um puellarum ornatus.) Virtutes ejus sic exhibet recens epitaphium: *Theoroldus, vir magnæ honestatis & mansuetudinis, vultu & aspectu angelicis: qui quum Columbensem ecclesiam rexisset XIX. annis, paulo post obiit apud sanctum Germanum in Leia, ante altare & in Columbensi capitulo tumulatus est XIII. Novembris.* Obiit ex necrologio sancti Petri Carnotensis XII. calendas Novembris. Erat eo tempore apud sanctum Germanum prioratus Columbensibus obnoxius, de quo pauca diximus in Imberto & Gaufrido Parisiensibus episcopis, sub Ludovico Magno titulo parochi ejusdem loci unitus.

Ch. XLVI. col. 324. Gall. Christ. tom. 7. pag. 49. & 50.

IX. Rogerius Guinimari militis filius, Hugonis frater, decessoris sui in tuenda re domestica

A sedulitatem expressit, aut etiam superavit; tanti factus, ut quum aliquando Drocas peteret, infinita populi ad videndum eum fieret concursio. Frequens quoque legitur literarum suarum ejusmodi clausula: *Rogerio abbatis nomen tenente, & officio fungente.* Gaufridi Carnotensis episcopi, Romanorumque pontificum, ac Francorum regum sæpe donis est recreatus. Multos ob inediam seu famis calamitatem prædia divendere coactos facultatibus juvit suis; & si quando illorum bona coëmit, reliqua vita singulis victum ac vestitum uti familiaribus providit. Monasterii jura tuitus est acerrime, nec quempiam servilis conditionis se B inconsulto ditionis alterius uxorem ducere permisit. Pacis amans ac studiosus, sæpe cum nobilibus, canonicis, abbatibus, aliisque fœdera sancivit. Militem nomine Adamum, *qui nec cibum, nec potum capiebat, sed continuis clamoribus* animi corporisque dolorem prodebat, adiens, illum mitigavit, & ad christianæ patientiæ sensum inflexit, dum exhausto spiritu Columbas delatum honorifice sepelivit. Plures alios monastica veste induit. Occurrit in instrumentis ab anno 1115. Huic anno 1119. canonici Magdunenses diœcesis Aurelianensis medietatem cujusdam villæ cesserunt super Auturam fluvium sitæ. Anno vero 1123. C Raimbertus de Novigento & Petrus de Monte-Piusonis dederunt *totum herbergamentum villæ Crusellia cum sanguine & forisfactis.* Dedit etiam Galterus de Bardulsi-valle terram *in eadem villa, & apud Scheri-pontem, ea lege ut quando monachus esse vellet, ipsa die sine contradictione esset. Similiter & filius ejus cum sua portione. Uxor vero illius & filia, data monachis sua portione, subesse si vellent, sanctimoniales essent; eorum corpora in cœmeterio monachorum collocarentur, nomina scriberentur in martyrologio, & annuatim sicut pro monacho, sic pro eis facerent.* Anno 1133. Sanson tunc præpositus Carnotensis, postea archiepiscopus Remensis, fun- Chart. LX. col. 328.
D davit in urbe Meduanta prioratum beatæ Mariæ Magdalenæ, Columbis obnoxium. Anno 1159. præsentibus Sansone Remorum archiepiscopo, Robertoque Carnotensi præsule, pacem cum Rogerio Beccensium abbate redintegravit violatam ob oratorium quod Beccenses in insula sanctorum Cosmæ & Damiani struxerant invitis Columbensibus; statutumque *quod oratorium illud nunquam augmentabitur, nec in capellam aut matricem ecclesiam convertetur, nec tintinnabulum ibi ponetur, nec ostium exterius fiet aut aperietur.* Anno 1163. Alexander III. papa finivit Luteciæ controversiam quæ agitabatur inter Mauricium episcopum Pari-
E siensem & Rogerium abbatem Columbensem, de monasterio S. Germani in Laia & de parochia adjacente, ea lege ut in signum subjectionis & Ch. LXIV. col. 338.
reverentiæ quisquis episcoporum Parisiensium infra annum creationis suæ byzantium unum ab abbate Columbensi reciperet. Longum esset singula prosequi quæ in monasterii sui commodum gessit Rogerius. Senio tandem laboribusque confectus, vitæ hujus finem, alterius præmium & requiem anno circiter 1166. assequutus est. De eo præclare recens epitaphium: *Abbas Rogerius*

religionis amator & ordinis, quum Columbensem ecclesiam sexaginta annis ut bonus dispensator rexisset, anno ætatis suæ centesimo plenus dierum migravit ad Dominum, & ibi appositus est ad patres suos VII. idus Januarii anno Domini M. CLXVII. regiminis statam hîc epocham nil moramur.

X. Stephanus I. obiisse creditur anno 1176.

XI. Humbertus I. aliis Guimbertus, Herbertus & Hucbertus, sedebat ex tabulario monasterii anno 1178. Transegit anno 1180. cum Arnulfo abbate Marchasii-Radulfi. Obiit anno circiter 1183.

XII. Al . . . . quem alii Alexandrum, alii Alermum dicunt, sedebat ex tabulario sancti Liphardi Magdunensis anno 1185.

XIII. Theobaldus III. cognomento *Calvus*, comparet in actis ab anno 1194. ad annum 1218. vixisse creditur usque ad annum 1219.

XIV. Henricus legitur in chartis anni 1220. Post annos quatuor pactum egit de pratorum dominatu cum Mestenonis priore.

XV. Robertus II. comparet in actis ab anno 1230. Volenti regi ut e Columbensibus monachis unus in Novigenti castro sacra faceret, lubens obtemperavit anno 1232.

XVI. Otrannus legitur obedientiam promisisse Hugoni episcopo Carnotensi; unde necesse est sedisse illum anno 1235. vel 1236.

XVII. Simon præerat annis 1239. & 1251.

XVIII. Johannes I. de S. Vincentio de Boscis, de quo nihil præter nomen reperimus.

XIX. Petrus I. sedebat mense Maio anni 1257. ex archivo Chantilliaci, & anno 1258. ex tabulario Beccensi.

XX. Jacobus Petro de Minci episcopo Carnotensi obedientiam promisit; tum anno 1260. duodecim libras a Novigenti præposito recipiendas obtinuit a S. Ludovico Francorum rege, quo Columbensis monachus in Novigentino castro sacra faciens ampliori stipendio muneraretur.

XXI. Petrus II. cum eodem rege de molendino quodam paciscitur anno 1268. Creditur sedisse in annum circiter 1280.

XXII. Humbertus II. vel Hebertus, dicitur præfuisse ad annum 1284.

XXIII. Manasserus sedebat anno 1288. mense Junio, ex tabulario S. Petri Carnotensis.

XXIV. Petrus III. clientelam professus est ecclesiæ Carnotensi mense Januario anni 1306. id est 1307.

XXV. Robertus III. de Ivriaco prædia quædam tradidit in censum anno 1322.

XXVI. Johannes II. Petri comitis Drocensis familiaris, sedebat anno 1331. Pacem conciliavit anno 1337. comitem inter & Guillelmum de Credonio vicecomitem Castridunensem. Missus est in Hispanias a Philippo VI. Francorum rege mense Februario anni 1344. id est 1345.

XXVII. Gualterius ex priore sancti Thomæ Sparnonensis, præerat anno 1350.

XXVIII. Johannes III. Fulleux sedebat anno 1367. mense Junio; clientelam professus est ecclesiæ Carnotensi anno 1368.

XXIX. Theobaldus IV. obiisse dicitur anno 1370.

XXX. Hubertus præfuisse dicitur an. 1380.

XXXI. Johannes IV. de Lacu reperitur in actis VIII. calendas Junii anno 1380. & XVII. calendas Januarii anno 1381. Vixisse dicitur ad annum 1401. Idemne ille est ac Johannes du Marchez, quem reperimus in instrumentis annorum 1390. & 1397?

XXXII. Martinus I. de Roveriaco sedebat annis 1405. & 1414. Obiit anno 1438.

XXXIII. Ferrandus de Monstrolio defunctus anno 1442.

XXXIV. Johannes V. l'Amirault Guillelmum Eudelinum passus adversarium, tandem anno 1445. quod voce sancti Spiritus ferretur electus, evicit. Anno 1451. Petrum Carnotensem episcopum, Robertum Nealfæ veteris, Johannem Ivriaci, Guillelmum Grandis-campi abbates comitatus, apertioni thecæ sancti Marculfi cum illis interfuit. Anno 1464. Ludovicum XI. Francorum regem excepit domi, ab eoque bonorum monasterii sui omnium confirmationem obtinuit. Sepultus est pridie nonas Januarii anno 1465. id est 1466.

XXXV. Stephanus II. Berthier interpositis duodecim diebus, voce, ut aiunt, sancti Spiritus eligitur, & a Milone Carnotensium episcopo benedicitur. Huic anno 1472. Sixtus IV. summus pontifex pontificalium usum indulsit. Anno vero 1475. ipse abbas ut monasterii sui jura tueretur, inter studentes in alma Universitate Parisiensi conscribi voluit. Vixit in annum saltem 1490. quo locatas ab eo domos, aliaque rei familiaris ergo gesta legimus.

XXXVI. Gatianus de Curcellis benedictus a Milone d'Illiers episcopo Carnotensi VIII. idus Februarii anno 1490. id est 1491. fusæ minori campanæ jussit hanc epigraphen apponi: *Gatianus* de Courceuil *abbas hujus monasterii anno Domini 1491. primo sui ingressus, fabricari me fecit.* Vocatur hæc sanctæ Mariæ campana, compescendis, aut sane nunciandis incendiis adhibita. Obiit Gatianus anno 1500.

XXXVII. Johannes VI. de Pierrepont episcopus Meldensis, Columbas obtinuit in commendam, quas paulo post resignavit.

XXXVIII. Guillelmus de Hargevilla (Antonium vocant Sammarthani) sedebat VI. calendas Octobris anno 1504. Post obedientiam Renato d'Illiers episcopo Carnotensi promissam Burgensibus suis adjunxit se anno 1507. ne Ludovici de Brezé Normanniæ dapiferi violentiæ succumberent. Mox generalia comitia cum monachis suis habuit, in annum 1517. sæpe laudatus in tabulis.

XXXIX. Ludovicus Borbonius cardinalis & episcopus Laudunensis, postea archiepiscopus Senonensis, abbatia fruebatur mense Junio anni 1527.

XL. Rudolfus Pius Sabaudus, cardinalis a *Carpo* dictus, abbatia fruebatur annis 1529. & 1535. quam tenuisse dicitur in annum 1540.

XLI. Nicolaus cardinalis sanctæ Pudentianæ,

L iij

sedit in annum 1547. Sponte cessisse dicitur.

XLII. Milo d'Illiers Carnotensis decanus & episcopus Lucionensis, eamdem assequutus est dignitatem illius dimissione anno circiter 1547.

XLIII. Stephanus III. de Brezé magister requestarum, ortus ex comitibus de Maulevrier, receptus est anno 1549. mense Februario. Obedientiam vovit episcopo Carnotensi VIII. idus Septembris anno 1550. Obiit mense Augusto anno 1561. in æde abbatiali cum hoc epitaphio sepultus:

CHRISTO SERVATORI.

Stephano Brezæo viro clarissimo, supplicum libellorum, dum vixit, in regia magistro consultissimo, & Henrico II. Gallorum regi cum imprimis charo, monasterii cœnobiarchæ piissimo, probissimo, honoratissimo, orthodoxæ religionis cultori constantissimo, & in pauperes largitori liberalissimo. Ægidius Landormy & Medardus de Betz Parisiensis ecclesiæ canonicus patrono charissimo ex demortui testamento & pecunia hocce sacellum exornari, anniversarium fundari, monumentum istud apponi officiose & mœrenter curavere. Vixit annis LXXVIII. menses VII. dies VIII.

XLIV. Martinus II. de Beaune Catharinæ Mediceæ cancellarius, & Aniciensem dictus ad cathedram, sedebat anno 1572. Abbas fuit in annum 1577.

XLV. Johannes Baptista Tiercelin presbyter Pictaviensis, resignante Martino dictus abbas ab Henrico III. Francorum rege IV. idus Augusti anno 1577. sedisse dicitur ad annum 1583.

XLVI. Reginaldus de Beaune archiepiscopus Senonensis, sedisse dicitur in annum 1604.

Post Reginaldum intrusi 1.° Petrus Cottard infimi nominis presbyter, a Maximiliano Bethunio duce Sulliacensi Calvini sectatore, cui cesserat hæc abbatia plus minus annos decem; 2.° alii personati abbates, quorum nomine Henricus princeps Condæus abbatia fruitus est ab anno 1614. in aliquot annos.

XLVII. Petrus IV. Habert de Montmor episcopus Cadurcensis, vivere desiit anno 1636.

XLVIII. Leonardus Goulas clericus Parisiensis anno 1648. Patres congregationis S. Mauri in monasterium induxit, morte consumtus anno 1661.

XLIX. Carolus I. d'Harcourt de Beuvron eques Melitensis, nullis munitus ab apostolica sede literis, rerum potitur in annum 1678.

L. Carolus II. de Seigliere de Bois-franc abbatiam obtinuit mense Novembri anno 1679. Obiit III. calendas Martii anno 1742.

LI. Ludovicus Carolus Vincentius de Salaberi consiliarius in Parlamento Parisiensi, nominationem regiam adeptus est IV. nonas Aprilis anno 1742.

TIRON.

TIRO, *seu* TIRONIUM.

A *Tirone* Perticensis saltus rivulo Ledum subeunte, nomen traxit celeberrimum Tironense monasterium caput ordinis, quatuor a Nogento-Rotroci milliaribus dissitum. Loci con-

A ditor fuit Bernardus, sanctissimæ vitæ monachus, tum eremita, dein abbas S. Cypriani Pictaviensis, cui referente Gaufrido Grosso post cœleste visum Rotrocus comes Perticensis *quoddam territorium quod Arcissiæ nuncupatur a Novigento castro suo uno milliario sepositum . . . . perpetualiter possidendum concessit , . . . sed quorumdam deceptus consilio, atque maternis jussis obtemperans, donum quod fecerat, retraxit: prædictum tamen Dei famulum ad aliud suscipiendum territorium diligenter invitavit. Beatrix namque mater ipsius sanctum virum illis in diebus a vicinia Novigenti removere magnopere satagebat, quoniam ex affinitate illius Cluniacensibus monachis ali-*

B *qua suboriri incommoda formidabat, quorum quamplures in prædicto oppido adunaverat.* (Qua de re videsis quæ diximus in Huberto, Eustachio & Guillelmo I. abbatibus sancti Petri Carnotensis.) *Porro Bernardus . . . . quod consul offerebat non respuit, sed ad illud explorandum duos in crastino discipulos transmisit, qui ductore prævio ad locum veniunt qui* Tironus *dicitur . . . . cui fere cuncta usibus humanis necessaria deerant.*

(Vit. B. Bernardi Tiron. cap. 33.)

Nil movit Bernardum loci asperitas; at lampadis ibi noctu rutilantis splendore animatus, venit *ad silvam quæ* Tiro *dicitur*, & studiosius peragratam sibi suisque fixam sedem delegit, tametsi

C *locus hic tunc temporis cubile ferarum, latibulumque latronum erat; ibi rapinæ, ibi cædes, ibi homicidia exercebantur. Innixus* itaque *baculo in terram defixo admiratus est satis gratam loci solitudinem, & eremiticæ quieti bene competentem.* Tum exonerato qui sarcinas deferebat asino, cui *Pictavino* dederat nomen, cum suis *construxit cellulam non nimis sumtuosam vel artificiosam.* Mox a rusticis commanentibus ob rudem oris ac vestium cultum pro Sarracenis habentur Bernardus sociique. Sed missi exploratores propius *considerant homines imbelles atque inermes, nihil mali machinantes, cellas modicas texentes,* eosque rusticanis dapibus recreant.

(Ib. cap. 34.) (Ib. cap. 63.) (Ib. cap. 36.)

D *Anno igitur Incarnati Verbi 1109. aggregatis discipulis, acceptaque benedictione ab Ivone Carnotensis ecclesiæ tunc temporis pontifice,* qui etiam cœmeterium monachorum consecravit, Bernardus *primam missam celebravit in die sancto Paschæ in monasterio ligneo jam ædificato in possessione quam sibi jam memoratus princeps Rotrocus donaverat.* Verum ne diutius starent ibi, fecere denuo Cluniacenses apud Nogentum constituti, *ipsius terræ decimas & corpora mortuorum sui juris esse* contendentes. *Qua compulsus calumnia* Bernardus, *quæ discipuli summo cum labore fecerant ædificia deseruit, aliudque terræ solum in quo sibi habitare liceret, quærere intendit.* Car-

(Ib. cap. 35.) (Ivo Carnot. epist. 283.) (Vit. B. Bernardi Tiron. cap. 35.) (Ib. cap. 41.)

E notensem igitur episcopum *Ivonem, atque canonicos tunc temporis adiit, & ut sibi aliquam portiunculam prædii illius, quod suæ possessiunculæ contiguum habebant, ad monasterium suum fundandum darent, petiit.* Garzeia, seu Gardeia dicebatur hæc *villula canonicorum, terrulæ quam consul viro Dei dederat conjuncta.* Missus hanc in rem Gaufridus, tunc temporis canonicus ac loci præpositus, aliique *ex decreto capituli, juxta rivulum qui* Tironus *dicitur, terram carrucatæ unius infra Gardiensem parochiam ad ædificandum monasterium & claustrum, quietam &*

immunem a synodo & circada, ab omni consuetudine parochiali; & ab omni exactione concedunt mense
Ch.xxxiv. col. 313. Februario anni M. CXIII. ex literis infra inter instrumenta referendis, id est forte anno 1114.
Vit. B. Bernardi Tiron. cap. 41. Porro *latiores terræ amplitudines ad monasterium suum construendum* Bernardo offerebat Adela Blesensis comitissa: *quæ tamen refutabat ille, malens cænobii sui sedem locare sub protectione beatæ Mariæ virginis, quam sub advocatione qualiscunque secularis personæ.* Et hæc quidem asceterii primordia.

Ib. cap. 36. *Sanctitatis vero fervore succensi* Bernardo præeunte *monachi, quodlibet paupertatis onus ferre parati, habitatoribus terræ illius patriæ penitus ignoti, habitum quidem monachi habentes, sed vilem, incultum, villosum, ceterorum habitu monachorum valde dissimilem, ovibus ipsis a quibus sumtus fuerat valde consimilem* (griseum fuisse docet inprimis Jacobus a Vitriaco) sancti Benedicti regulam rigide servabant, additis auctore Bernardo *traditionibus*, quas tamen ille præ modestia singulari non magni faciebat.

Ib. cap. 42. Ad ædificia monasterii quod spectat, *Beatrix* Rotroci mater, *cognita* tandem Bernardi *sanctitate, castrorum suorum habitationem deserens, Tironii ædificatis ædibus, quoad vixit, deinceps habitavit, ibique ingentem basilicam* sub nomine SS. Trinitatis, seu sancti Salvatoris *multis expensis pecuniis fabricavit.* Huic autem *ab hac vita decedenti Juliana ejus filia maternæ probitatis heres successit, quæ pluribus distractis sumtibus, officinarum partem non modicam*
Ib. cap. 52. *diligentissime postea consummavit,* dum Henricus I. Anglorum rex dormitorium ingentibus expensis construebat, Theobaldus vero Campaniæ comes, valetudinarium. Verum anno 1562. mense Februario desinente, Tironenses extrema passi sunt omnia cum a Germanis militibus Lutheranis, quos *Reistros* vocabant, tum a Calvinistis, qui monasterium omni supellectile spoliarunt, monachos tres, ceteris fuga lapsis, Guillelmum le Tourneux, Milonem du Gal & Franciscum Jouvin, dire mactarunt in odium catholicæ religionis: hoc uno ceteris meliores, quod ædibus faces non supposuerint. Violatis altaribus, spoliato pessundatoque sacrario, saltem per annum sacris vacuus mystis patuit locus; quem ut instaurarent monachi, supplices ad Carolum IX. Francorum regem literas detulerunt. Sed nonnisi sub Borboniis regibus pristino suo splendori cœpit restitui.

Necdum absoluta erat asceterii hujus fabrica,
Ib. cap. 36. quum late diffuso Bernardi virtutum odore *multi compuncti seculo renunciabant, monachicumque habitum assumentes, magisterio illius sese submittebant.*
Ib. cap. 37. *Multi etiam viri sancti ac religiosi ex diversis monasteriis fama sanctitatis illius permoti ad eum concurrere festinabant. Plerique etiam nobiles undique conveniebant, ac omnipotentis Dei tirocinio seipsos, ... nonnulli etiam filios atque propinquos suos Domino per ipsius magisterium instituendos offerebant: quorum plures ad magnæ perfectionis culmen servi Dei exemplo & institutionibus pervenerunt, qui postea ad regendas ecclesias assumti, diversorum cænobiorum abbates exi-*
Ib. cap. 46. *sterent.* Ex his, referente similiter Gaufrido, *trecentos secum retinuit, ducentos vero alios per diversas mundi*

A *partes in cellis duodenos vivere statuit.* Maxima erat illorum abstinentia, quibus panis aliquando non suppetebat; *sed herbis tantum & leguminibus vitam suam sustentabant; vinum habere minime tunc temporis appetebant; in ipsa asperrima hyeme multi sine pelliciis, & etiam plures sine cucullis erant ...., major eis inerat in cibo vel in potu, atque in vestibus abstinentia, quam sancti Benedicti ducis ac institutoris monachorum præcipiat regula, vel alicujus alterius scripturæ jubeant instituta..... Erant inter eos plures* Vit. B. Bernardi Tiron.
artifices, qui singulas artes cum silentio exercebant; cap. 49.
quibus semper custodes ordinis præerant. Succinit Ordericus Vitalis: *Illuc*, inquit, *multitudo fidelium* Orderic. Vital. lib. 8.
B *utriusque ordinis abunde confluxit, & prædictus pater* pag. 715.
omnes ad conversionem properantes caritativo amplexu suscepit, & singulis artes quas noverant legitimas in monasterio exercere præcepit; unde libenter convenerunt ad eum, tam fabri lignarii quam ferrarii, sculptores & aurifabri, pictores & cæmentarii, vinitores & agricolæ, multorumque officiorum artifices peritissimi, &c.

Increbrescente magis ac magis sancti viri fama, *non solum Gallicanæ regionis, verum etiam Burgundorum,* Vit. B. Bernardi Tiron. cap. 52.
Alanorum, Aquitanorum, Britannorum, Normannorum, Anglorum, atque Scotorum proceres illum vel discipulos ejus ambiebant: *quorum quidam monasterio illius multa beneficia impendere curabant;*
C *aliqui vero de monachis ejus duodenos assumentes, in territoriis suis eis monasteria construebant. Quorum unus Henricus,* ejus nominis primus, *rex Anglorum exstitit,* qui viso Bernardo præter alia *quindecim marchas argenti* singulis annis percipiendas contulit, additis sexagenis aut quinquagenis aliis, *ut religio institutionis illius non declinaret. Sed & rex Francorum* Ludovicus Philippi I. filius, *eodem accensus desiderio, postquam cum eo colloquium habuit, Cintriacum territorium pro munere contulit.* Regem præcipue movit restituta sibi Bernardi precibus vitæ membrorumque integritas, & abacta lues quæ Franciam late devastabat. Unde *successoribus etiam suis,*
D abbatibus Hugoni & Willelmo, *post ejus obitum maximam reverentiam exhibuit, ita ut ab eis liberos suos, Philippum videlicet ac Ludovicum, postea reges, sacro de fonte suscipi vellet. Theobaldus etiam* comes, *exceptis duabus cellis, quas eo vivente construxit, tot & tanta ecclesiæ post ipsius excessum ornamenta aliaque donaria contulit, ut præ multitudine numerare fastidiosum sit.*

Paria fuere Guillelmi ducis Aquitanorum, Fulconis comitis Andegavensis, Henrici Glocestrensis, aliorumque studia, *quorum aliqui prius quas* Ibidem.
construxerant, cellas post excessum viri Dei ob ipsius reverentiam amplioribus fiscis atque redditibus, necnon
E *territoriorum possessionibus eo usque dilatarunt, ut eorum petitione devictis* Tironensibus *abbates ibidem imponerentur, tali tamen conditione, ut tam ipsi quam illorum successores* Tironensium *jussionibus per omnia obtemperarent,* a Tironii *consuetudinibus in aliquo non declinarent, sed eodem tenore quo priores antea cellas rexerant,* Tironensium *ditionum legibus & institutionibus ex toto subjacerent.* Sic *Robertus quidam genere nobilissimus in litore maris Hibernici juxta Teui fluvium prius quidem cellam, postea vero* abbatiam construxit. *David* quoque, dux Northumbrorum,

postea rex Scotorum, cœnobium Rocaburgense *juxta* A *Tuidam fluvium* erexit. Et ut paucis multa complectar, antequam Gaufridus Bernardi discipulus, & rerum oculatus testis, vitam ejus componeret, *centum cellas* asceterio parentes suo Tironenses obtinebant.

Ex his monasteriis restant modo in Francia prioratus circiter quadraginta, omnes destituti monachis & ad solius prioris titulum redacti; abbatiæ vero septem:

Asinariæ, *Anieres*, diœcesis Andegavensis.
Boscum-Alberici, *Bois-Aubri*, diœc. Turonen.
Ferrariæ, *Ferrieres*, diœcesis Pictaviensis.
Jugum-Dei, *le Joug-Dieu*, diœc. Lugdunensis. B
Pellicia, *la Pelice*, diœcesis Cenomanensis.
Tronchetum, *le Tronchet*, diœcesis Dolensis.
Vadum-Alneti, *le Gué de l'Aunai*, diœcesis Cenomanensis.

Quæ omnia monasteria in abbatias erecta erant ante annum 1180. nisi forte excipias Pelliciam & Vadum-Alneti, quæ serius hoc titulo videntur fuisse donatæ. Ad Ferrarias quod attinet, omiseramus in altero tomo nostræ hujus Galliæ Christianæ animadvertere pendere illas a Tironio; indiligentia autem nostra irrepsit quod in quarto tomo diximus, Jugum-Dei paruisse olim Brolio-Benedicti. Arcissiæ alia est abbatia diœcesis Carnotensis, quæ quandiu virorum fuit, pendebat similiter a Tironio; sed postquam transiit ad moniales, sui juris facta est.

Gall. Christ. tom. 2. pag. 1296.

Ibid. tom. 4. pag. 281.

Hinc *Tironiensis ordo* aliquando dictus est; quemadmodum *Cluniacensis*, vel *Cisterciensis ordo*. Nimirum & abbatiarum & cellarum sibi subjectarum præpositos quotannis congregabat supremus abbas ordinis in Tironiensi capitulo, ubi singulorum abbatum sedes uti ceterorum adhuc visuntur hoc ordine: ad dextram abbatis Tironii 1.° abbas Asineriarum, 2.° abbas Jugi-Dei, 3.° abbas Bosci-Alberici, 4.° abbas Arcissiarum; ad lævam autem 1.° abbas Ferrariarum, 2.° abbas Tronchéti, 3.° abbas Vadi-Alneti, 4.° abbas Pelliciæ. Ibi autem Tironiensis abbas, cujus erat inferiores abbates & priores creare, eosdem corrigebat, & si facto esset opus, destituebat. Quin etiam Tironenses ab ea quam Carnotense capitulum diu obtinuit jurisdictione liberos fuisse, non tantum asseruerunt episcopi Carnotenses, Senonenses archiepiscopi, aut legati sedis apostolicæ, sed ubi synodorum ac circadarum immunes voluere tam Ivo pontifex, quam reliqui cathedralis ecclesiæ ministri, publicam ad synodum nusquam invitati, multo minus coacti venerunt abbates, nisi quum regni calamitatibus ut occurreretur, regi pendendæ fuerunt decimæ, vel subsidia conferenda, quorum pars Tironienses multis in locis constitutos afficiebat. Ne quid vero noceret hujusmodi præsentia synodalis, episcopi Reginaldus anno 1204. Galterus anno 1229. Albericus anno 1243. Simon I. anno 1293. Milo d'Illiers anno 1480. datis literis testatum voluerunt, nullum sibi jus inesse memoratos abbates ad synodum vocandi, nisi *quum totius diœcesis ecclesiasticus status id exigeret.* Repressi pariter annis 1262, 1297, 1370. &c. archidiaconorum conatus, in monasterii cellas & appendices visitationis ac procurationis jus obtendentium.

Nihil tamen ex tanto splendore succrevit boni; quin potius antiquæ morum simplicitati modestiæque successit abbatum fastus & ambitio, qualem in Johanne de Carnoto, qui famulis quasi fecialibus cingebatur, advertebant cathedralis ecclesiæ canonici. Nec dispar monachorum in privata studia vitæque laxioris commoda propensio; quibus malis non satis occurrebant annua, quæ celebrari mos erat, comitia generalia: tametsi enim in eis leges saluberrimæ conderentur, sensim B viscera premebat atrum peculii virus, quo præsertim abbates, & qui rerum satagebant officiales enecabantur. Remissioni quoque laxarunt habenas coorta Francos inter & Anglos bella, quæ degentes in cellis monachos abegere primum, ac deinde reversos communibus bonis tanquam propriis uti coëgerunt. Quum vero nulla ruri sedentibus esset securitas, ipsimet Tironiani solum vertere, & tutiores alibi quærere sedes coacti sunt; quibus tandem motibus est effectum, ut religionis amor, sacrarumque studia literarum ab eorum animis procul abessent. Ad hæc quum anno 1450. Thomas Montacutius Sarisberiensis comes, mo- C nasterii ædes igne consumsisset, antequam possent resarciri dici vix potest quos animorum æstus hæc flamma pepererit.

Qui bellicas inter hasce tempestates præerant abbates rebus utique suis quam communi bono melius consulebant, quanquam elogio digna nonnullorum sedulitas, qui obnoxia Tironio monasteria cellasque sæpius visitabant, delinquentes arcebant severius, & communi utilitati sapienter providebant. Rebus tamen progressu temporis in deteriora lapsis, reformandum tandem an. 1629. monasterium suscepit felicibus serenissimi principis Henrici Borbonii auspiciis congregatio sancti D Mauri, quæ pristinas ad leges vitam exigere parata sanandis vulneribus curam omnem impendit. Ut vero sacris est redditus honos integer, redemtæ villæ, & ædes meliorem in statum compositæ, publicam in utilitatem patres animum adjecerunt: mox itaque favente Henrico abbate gymnasium magnis sumtibus institutum est, in quo ducenti plus minus generosi adolescentes, præter extraneos vicinis e locis eo commigrantes, studiis humanioribus, rhetoricæ arti, philosophiæque navant operam, sub delectis ex eadem congregatione magistris: unde non minimus in ecclesiam & religionem fructus promanat. E

Elenchus Abbatum.

I. **B**Eatus Bernardus patria Pontivensis, natus est apud Abbatis-villam parentibus hospitalitatis & egenorum maxime studiosis. Liberaliter ab illis educatus adolescentiam in pietatis cultu, sacrarumque literarum lectionibus exegit. Abdicato mature seculo Pictavi consedit ad sanctum Cyprianum, ibique monachum professus, humilitate, continentia, vigiliis supra ceteros enituit. Deinde sancti Savini præpositus monasterio graves

graves in tuenda disciplinæ norma tulit injurias; at cælesti viso recreatus, ne abbatis sumeret nomen, in vastas Britanniæ Armoricæ solitudines fugit, & Vitali de Moritonio, ceterisque silvarum illarum eremicolis conjungitur. A Savinianis tandem agnitus reducitur ad monasterium; non tamen ibi diu stetit, sed ad priores reversus latebras, Causeum, Britannici maris insulam, petiit. (*Causeus* vero ille potius quam sanctus Cyprianus Pictaviensis, quod olim conjecimus, videtur locum dedisse errori Roberti de Monte & Orderici Vitalis, qui crediderunt Bernardum sedisse abbatem Quinciaci.) Postquam aliquandiu illic commoratus esset, suadente Petro de Stellis, resedit apud Fontem Goihardi: mox iterum ab abbate suo Pictavum reducitur, & vel invitus in decedentis locum subrogatur. Pauperum cultor eximius, sexagenos, aliquando centenos ad mensam adhibebat. Guillelmi ducis Aquitanorum conatibus in Pictaviensi concilio fortiter obviavit; tum acerbam litem pertulit a Cluniacensibus: quam ob rem præfecturam abjecit, eremumque repetens, multas regni provincias verbum Dei nunciando nudis pedibus peragravit. Tertio revocatus a Cyprianicis, Romam semel & iterum proficiscitur, ubi coram pontifice causam adversus Cluniacenses dixit, & ad tuendam monasterii sui libertatem Paschalem II. vel invitum adduxit. Recusata cardinalitia dignitate, rursus ad Causeum & ad silvas remeavit. Tum jubente Numine assumtis aliquot discipulis, venit ad Rotrocum Pertici comitem, ab eoque primùm Arcissias, deinde Tironiæ silvæ loculum impetravit. Ibi tertio demum exagitatus a Cluniacensibus, qui Nogenti considebant, monachis, tantisper declinavit ad Tironis amniculi caput, ubi, cedentibus Ivone pontifice, Carnotensibusque canonicis, Tironense monasterium ædificavit, & quingentos aut eo amplius monachos Christo mancipavit. Regibus & seculi principibus maxima cultus veneratione, quum cellas quamplures erexisset, disciplinam optimo loco constituisset, domesticam rem auxisset vehementer, ingenti populorum desiderio senex ac meritis cumulatus obiit mense Aprili anno 1116. vel 1117. De eo vetus necrologium Carnotense sic habet: *Obiit Bernardus abbas de Tiro, qui ejusdem loci ecclesiam a fundamentis construxit, & multos ibidem monachos sub sanctitatis & religionis norma consecravit.* Hujus autem obitum consignant VII. calendas Maii idem necrologium & necrologium sancti Petri Carnotensis. De eo lege Martennium nostrum collect. ampliss. tomo VI. præfat. pag. XXIII. & seqq.

Gall. Christ. tom. 2. col. 1290.

Bolland. April. t. 2. pag. 221.

II. Hugo Bernardi disciplinis excultus, tanti patris sequutus vestigia, Tironensium res impigre gessit. Eorum coloniam misit ad Davidem Northumbrorum comitem, apud quos illi, faventibus Alexandro Scotorum rege, necnon Johanne Glascoviensi episcopo, abbatiam condiderunt.

III. Willelmus I. Hugonem excepit anno saltem 1119. docentibus Callixti II. literis, quibus universa monasterii bona juraque confirmantur. Anno 1120. Ludovicum VI. Francorum regem A domi excepit ob acceptam valetudinem Bernardo, Tironensibusque suis gratias acturum, quos multis beneficiis & amplissimo diplomate muneravit. Mox cellam beatæ Mariæ de Cameis, annuente S. Davidis episcopo, Willelmus abbatiam effecit. Condita subinde cella de Cultura Tironensi prope Stampas: aliarum erectionem proferre nil juvat. Sed ne quid turbaretur a militibus aut ecclesiarum præfectis, anno 1132. res suas omnes Innocentii II. papæ privilegio firmari curavit. Eadem in omni ditione sua præstitit Rotrocus comes anno 1136. Inter nobiles conversionis ergo Tironium secedentes, Willelmus Adjutorem Vernonis ad B Sequanam dominum, sanctitate celebrem, monastica veste contexit, cujus dies festus colitur in diœcesi Rotomagensi pridie calendas Maii. Denique anno 1147. bullam impetravit ab Eugenio III. papa.

Ch. XLIII. col. 320.

Chart. LII. col. 328.

IV. Stephanus I. anno 1164. regis Ludovici VII. diplomate muneratus, & ab Alexandro III. papa sub idem tempus nova privilegiorum accessione recreatus est. Eidem Theobaldus cognomento *Bonus*, Campaniæ comes impense favebat.

V. Johannes I. legitur in quibusdam adversariis præfuisse anno 1173.

VI. Gualterius anno 1178. nonnulla cum C Theobaldo Campaniæ comite prædia commutavit; cellarum & ecclesiarum recensionem novam ab Alexandro III. papa consequutus est anno 1179.

VII. Lambertus fertur annis 1187. & 1200. sedisse. Præerat ex instrumentis anno 1190.

VIII. Robertus I. si a Lamberto distinguatur, Henrico Carnotensi archidiacono domunculam concessit anno 1201. Obiit ex necrologio Uticensi pridie idus Julii.

IX. Herveus comparet in actis annorum 1203. & 1205.

X. Gaufridus I. nomen suum consignavit quam-D plurimis instrumentis ab anno 1209. ad annum 1218. Societatem precum iniit anno 1214. cum abbatia sanctæ Genovefæ Parisiensis. Obiit calend. Februarii ex necrologio Josaphatensi.

XI. Droco sedebat annis 1219. & 1220. Obiit IX. calendas Januarii ex eodem necrologio.

XII. Theobaldus reperitur in schedis ab anno 1224. ad annum 1229.

XIII. Gervasius anno 1233. salutaria monachis Jugi-Dei statuta præscripsit. Asnerianis etiam prospexit anno 1243. Post annos quatuor literas accepit ab Innocentio IV. papa, prohibentes ne cuivis extraneo cellas aut monasterii beneficia E committeret. Præerat adhuc mense Decembri anni 1252.

XIV. Stephanus II. anno 1255. ab Alexandro IV. papa literas assequitur, quibus pontifex *abbatias quæ ad Tironium velut ad caput suum respiciunt, videlicet monasterium de Calcho, monasterium de Chameis, monasterium de Vado-Alneti, monasterium de Troncheto, monasterium de Lucheio, monasterium de Asneriis, monasterium de Jugo-Dei, &c.* uti & abbates in illis eligendi facultatem confirmat. Post tres annos apostolicas item literas dirigit ad

Culturæ Cenomanensis abbatem, circumpositos ut milites cœnobii prædiis infestos diris intentatis reprimeret. Anno 1262. Henricum Carnotensem archidiaconum, quod in monasterii cellas procurationem exigeret, tam Matthei Carnotensis episcopi, quam officialis auctoritate coercuit. Denique novalium atque decimarum auctionem a Gregorio X. papa anno 1273. obtinuit.

XV. Johannes II. de Carnoto genere nobilis, reperitur in instrumentis anni 1277. Hic non parum a Bernardi institutis, moribus & insigni modestia visus est defecisse, quum ei anno 1291. pendente lite quam cum Carnotensis ecclesiæ canonicis habebat, crimini verteretur, quod clientium erectas virgas albas gerentium fretus agmine chorum ingredi affectaret. Obiit pridie calendas Octobris anno 1297. jacetque in capitulo, lapidi semper madido suppositus cum hac inscriptione: *Hic jacet bonæ memoriæ venerabilis in Christo pater Johannes de Carnoto abbas XV. hujus ecclesiæ, qui fecit construi hoc capitulum ac claustrum, ac multa alia alibi ædificavit. Orate pro eo, qui migravit ab hoc seculo anno Domini* M. CCXCVII. *ultimo die Septembris.*

XVI. Simon paulo post electus, monachos Troncheti, Pelliciæ, Jugi-Dei, Arcissiarum & Vadi-Alneti, in officio continuit ab anno 1297. ad annum 1310. Anno 1311. post ingentes litium anfractus constitutus coram auditore causarum, quosdam e suis monachos in gratiam recepturum se pollicitus est. Superstes vixit in annum saltem 1313.

XVII. Robertus II. Coupel ex abbate Ferrariarum apud Pictavos, creatur abbas Tironii anno 1314. mense Novembri in comitiis generalibus. Sedebat adhuc anno 1315. mense Junio.

XVIII. Nicolaus obedientiæ regularis fidem Carnotensi ecclesiæ juravit anno 1320. Datis anno 1338. ad Tironiani ordinis abbates singulos literis, eos Tironium invitavit, quid rei esset agendum consulturos, quando sancti Germani Autissiodorensis & sanctæ Columbæ Senonensis abbates apostolica freti auctoritate monasterium visitaturi accederent.

XIX. Henricus I. de Ortis, forte de Hortis, præerat ex tabulario monasterii anno 1344. Sepultus est in basilica inter altaria sancti Thomæ & sanctæ Mariæ, cum hac inscriptione: *Hic jacet bonæ memoriæ venerabilis in Christo pater Henricus de Ortis abbas XIX. hujus ecclesiæ, qui eam tempore suo bene rexit, sobrie, juste ac religiose vivendo. Orate pro eo. Amen. Migravit ab hoc seculo anno Domini* MCCCLIII. (id est 1354.) *die 13. mensis Februarii. Requiescat in pace. Amen.*

XX. Johannes III. ex abbate sancti Florentii Salmuriensis ante mensem Julium anni 1354. Tironienses regendos suscepit in annum 1383.

XXI. Stephanus III. anno 1384. creatus abbas, obsequium juravit eodem anno ecclesiæ Carnotensi. Vixit in ann. 1387. aut sequentem.

XXII. Petrus Tersal anno 1393. sibi ac futuris abbatibus mitræ pontificaliumque vestium ornatus obtinuit. Anno 1409. affuit concilio

A Pisano. Sepultus est in sacello sanctæ Magdalenæ cum hoc epitaphio: *En ceste chapelle de Marie Magdelene gist R. P. en Dieu Pierre Tersal du diocese de Clermont, abbé de céans, qui trespassa le 12. Avril 1414. Priez Dieu pour lui.* Insculptum autem in sepulcri tabula gentilitium stemma, quod est anatum trium expansis alis volitantium.

XXIII. Robertus III. Daufin ex illustri Arvernorum Delfinorum stemmate clarissimus, eodem anno 1414. renunciatur abbas, memoratus in instrumentis usque ad annum 1421. De eo jam egimus in abbatibus Issiodorensibus, & in episcopis, tam Albiensibus quam Carnotensibus, B supra col. 1182.

Gall. Christ. tom. 2. pag. 359. *Ibid. tom. 1, pag. 32.*

XXIV. Ivo de Kerbout decretorum doctor, anno 1423. Messeraii villam Ludovico d'Avaugour Bosci-Rufini domino vendidit, ut Romano pontifici necnon cardinalibus penderet ingentem pecuniæ vim, quam illi ob vacantem Roberti secessione abbatiam exigebant. Obiit anno 1426.

XXV. Guillelmus Grimault quum inconsulto Carnotensi episcopo electus fuisset XVI. calendas Julii anno 1426. veniam impetrarunt electorum omnium nomine subprior monasterii, & Buccæ-Ugriæ prior. Sed Guillelmus competitorem nactus Michaelem Boussard, qui ex apostolica reservaC tione abbatiam sibi vindicabat, diu litigavit, dum illo morte prævento, monachi Guillelmum novis calculis electum abbatem rursus renunciavere: quod anno 1438. Basileensis synodus datis literis approbavit. In omni porro vita Guillelmus tuendorum ergo privilegiorum in academia Parisiensi audientem se semper exhibuit, tametsi licentiatus in decretis. Obiit nono calendas Januarii anno 1453.

XXVI. Leonetus Grimault prior Buccæ-Ugriæ, studens etiam in academia Parisiensi, paulo post Guillelmi patrui sui excessum, id est IV. calend. Januarii ejusdem anni, majorem assequutus suffraD giorum partem, abbas salutatur, repugnante quamplurimum & motus innumeros ciente Harduino Botterel Ferrariarum in Pictonibus abbate, cui unicum suffragium faverat. Inter contentionum æstus undecimo calendas Augusti anno 1455. Harduinus Petro Carnotensi episcopo spopondit obedientiam; at triennio post aut circiter consumtus Leoneto palæstram reliquit. Porro Leonetus, qui in suffragantium literis audierat *priorum decanus, vir providus, solers & discretus, moribus & virtuosis actibus merito commendandus*, anno 1456. literas accepit a Senonensi metropolitano vetantes ne dissidium electionis Romam deferreE tur, quod erat pragmaticæ sanctionis legibus interdictum. Itaque Carnotensis episcopi benedictione percepta eodem anno tertio idus Novembr. jam diu navatam in suos, dum cellerarium procuratoremque agebat, operam impendit ut ad meliorem concentum omnia revocarentur. Subjecta Tironio cœnobia, cellasque sæpius invisit, criminosos adduxit ad meliorem vitæ rationem, quæ flammis devorata restabant ædificia propriis amicorumque sumtibus restituit. Quum vero sub annum 1492. virium defectum præsentisceret,

in Jacobum le Bord monachum & sororis suæ A filium onus transtulit, *reservata tamen sibi omnimoda potestate sub nomine administratoris seu coadjutoris, vita durante, non secus ac si non cessisset, & etiam cum potestate regressus si nepos ante obiret, nulla alia provisione seu solennitate, casu quo hoc eveniret, necessaria.* Atque hinc in ejus anni sequentiumque literis *nuper abbas*, & *dominus antiquus* laudatur. At sive Jacobus non acceptis a Romano pontifice literis extinctus fuit, sive remotus ab officio, Leonetus ei Ludovicum de Crevant substituit abbatem anno 1494. quanquam ipse confectus senio generalibus anni 1496. comitiis, non proprio quidem, sed Ludovici nomine præsedit. Diem B clausit extremum XVI. cal. Januarii anno 1498. In demortui locum involare nisus est Robertus nescio quis : at prævaluit Leoneti cessio.

XXVII. Ludovicus I. de Crevant natus pridie nonas Junii anno 1458. in Parisiensi facultate doctor theologus, administratoris perpetui nomine Tironensem abbatiam Vindocinensi & S. Fidei Conchensis commendæ conjunxit, dum fratris sui filius ad dignitatum successionem adolesceret. Quam primum ergo licuit per ætatem, in ejus gratiam munus abdicavit, reservata sibi beneficiorum a Tirone pendentium nominatione.

Gall. Christ. tom. 1. pag. 349.

De eo jam dictum est in abbatibus Conchen- C sibus, ubi addendum abbatiam Conchensem adeptum esse mense Maio anni 1482.

XXVIII. Ludovicus II. de Crevant natus III. nonas Octobris anno 1484. in patrui locum suffectus, obedientiam professus est episcopo Carnotensi anno 1501. bullas tamen non obtinuit nisi VII. calendas Martii anno 1503. Ordinis Tironensis abbatias sæpius adiit ut lapsantem disciplinam fulciret. Anno 1548. dimiserat abbatiam Johanni cardinali du Bellai; sed intercedentibus litibus eamdem retinuit in annum 1549. vitæ suæ postremum. Idem fuit abbas Massiaci Bituricensis diœcesis, & Jugi-Dei diœcesis Lug- D dunensis. Fratres habuit abbates Ferrariarum apud Pictones, & Bosci-Alberici, ejusdem cognominis.

XXIX. Gaufridus II. Laubier abbatiam non integro biennio possedit.

XXX. Johannes IV. du Bellai cardinalis, archiepiscopus Burdegalensis & episcopus Cenomanensis, abbatia fruebatur an. 1551. Obiit Romæ XV. calendas Martii anno 1560.

XXXI. Hippolytus Estensis cardinalis *de Ferraria* dictus, eodem anno possedit abbatiam, & post illatas a Calvinistis injurias decreta restituendis rebus idonea præscripsit annis 1562. & 1563. Cessit anno 1563. ante idus Julias in E gratiam sequentis, procuratoris sui.

XXXII. Carolus I. de Ronsard celebris poëtæ frater & decanus ecclesiæ Cenomanensis, abbatiam Tironensem obtinebat anno 1564. Abdicavit anno 1575. in gratiam sequentis.

XXXIII. Renatus I. de Laubier, cedente decessore suo, prioratum Aquariæ juxta Andegavum, quem obtinebat in commendam, cum abbatia Tironensi commutavit. Obiit VII. calend. Martii anno 1578.

XXXIV. Renatus II. de Birague cardinalis & summus Franciæ cancellarius, abbatiam adeptus anno 1578. huic nuncium remisit anno 1582. Obiit Lutetiæ Parisiorum VIII. calend. Decemb. anno 1583. sepultus in basilica sanctæ Catharinæ.

XXXV. Philippus I. Desportes poëta regius, filius nothus Philippi Desportes clerici Carnotensis, & Mariæ de l'Aitre Rotomagensis, abbas item Josaphatensis, Vallis Sernaii & Boni-portus, ac canonicus Bellovacensis, Carnotensis & Sacræ capellæ Parisiensis, obiit in Bono-portu anno 1606. recusato archiepiscopatu Burdegalensi.

XXXVI. Henricus II. Borbonius Henrici Magni Francorum regis ex Henrica de Balsac filius, dux Vernoliensis dictus, episcopus Metensis, abbas Tironii, Vallis Sernaii, Boni-portus, Fiscanni, sancti Germani a Pratis, &c. Tironium obtinuit anno 1607. quod anno 1629. congregationis S. Mauri patribus reformandum addixit. Sponte cessit anno 1670.

XXXVII. Johannes V. Casimirus, abdicato Poloniæ regno, bullas obtinuit V. nonas Martii 1669. hoc est 1670. Obiit V. idus Decembris anno 1672.

XXXVIII. Philippus II. de Lorraine d'Harcourt possessionem adeptus est calendis Octobr. an. 1673. majoris consilii consulto fretus, deinde X. calendas Augusti anno 1674. bullis tandem impetratis. Obiit V. idus Decembris anno 1702.

XXXIX. Carolus II. Castel de Saint Pierre primus eleemosynarius Carolæ Elisabethæ de Baviere ducissæ Aurelianensis, designatus an. 1702. pridie cal. Januar. possessionem iniit anno 1703.

APPENDIX
DE FERRARIIS ET JUGO-DEI,
Abbatiis e Tironio pendentibus.

QUanquam superiore tomo decrevimus animadversiones & emendationes, quæ deinceps occurrent, omnes ad calcem totius operis reservare, plurima tamen quæ de Ferrariis & Jugo-Dei nuperrime in nostras devenere manus non infimi pretii documenta, effecere ne in longinquius tempus rem extraheremus, quæ quum Tironium propius attingat, longe convenientius hoc in loco quam uspiam alibi tractanda erat. Sermonem igitur quem de utraque hac abbatia habuimus tomo II. col. 1296. & tomo IV. col. 281. ut minus accuratum dele, & accuratiorem recude in hunc modum :

FERRARIÆ S. LEONARDI.

Saint Leonard de Ferrieres

FErrariense sancti Leonardi monasterium in agro Lodunensi prope Thoarcium, quinque circiter leucis a Salmurio, conditum est incertis auctoribus. Chartam fundationis habes apud Johannem de la Haie, origin. Pictav. ad calcem annal. Pictav. Bucheti pag. 16. quæ si sincera esset, Ferrariæ sub magisterio Tironii conditæ fuissent ætate Ludovici Pii, ter centum annis antequam Tironium ipsum conderetur. Hujus ergo monasterii ignoramus & fundatores & fundationis

tempus, quanquam fundatorum numero accensendus est Gaufridus Docii dominus, qui vel Ferrarias ipsas, vel quod habebat in Ferrariis, dono dedit. Charta Gaufridi notis chronologicis destituta est; sed praeire debuit annum 1132. quo recensentur Ferrariae in bulla Innocentii II. papae inter cellas Tironio obnoxias. Sed ante annum 1184. abbatiae titulo decoratus est prioratus ille ea lege, ut quae prius abbati & conventui Tironensi in Ferrarienses monachos jura competebant, integra remanerent: *Electio scilicet abbatis, ut prius prioris; monachorum transmutatio; omnimoda jurisdictio; visitatio, correctio monachorum cujuscunque gradus, tam intra quam extra manentium.* At hujuscemodi subjectio saepe saepius, labente regulari disciplina, impugnata est; atque in his fere discordiis tota versatur abbatiae Ferrariensis historia.

Ch. XLVIII. col. 326.

SERIES ABBATUM.

I. GUILLELMUS I. praeerat anno 1184. ex historia S. Florentii Salmuriensis.

II. Petrus adfuit anno 1191. cuidam compositioni Itherii de Insula. Vide in Daniele abbate Gratiae-Dei dioecesis Malleacensis, seu Rupellensis.

III. J . . . occurrit tertio idus Maii anno 1197.

IV. Reginaldus I. reperitur VIII. idus Novembris anno 1212.

V. Guillelmus II. institutus anno 1249. clientelam professus est abbatiae Tironensi VIII. idus Novembris.

VI. Radulfus. Quum anno 1284. Johannes de Carnoto abbas Tironensis ad Ferrarias visitandas accessisset, ingressus capitulum increpitato Radulfo, quod licet multoties monitus, ut & summum pontificem adiret ab irregularitate quadam quam incurrerat absolvendus, & episcopum Pictaviensem de abbatia, cui inter cetera propter defectum virium regendae impar erat, sermonem habiturus, nihil tamen monita curasset, ipsum tandem ab officio suspendit. Sed restitere Ferrarienses: quamobrem Johannes sententiam excommunicationis in eos tulit, quam a summo pontifice Honorio IV. roborari petiit. Annuit pontifex; quo factum est ut Ferrarienses resipiscerent: Radulfus enim, universusque conventus sacramentum fidei & obedientiae, qua Tironensibus obnoxii erant, renovarunt anno 1286. mense Sept. At Ferrariensium obedientiam simulata fide praestitam fuisse ex eo patet, quod mense Januario anni 1289. id est 1290. prior Nogenti-Rotrodi, cui Honorius IV. mandaverat ut sententiam abbatis Tironensis confirmaret, scripsit ad eos obtemperasse se summo pontifici, abbatiamque Ferrariensem vacantem declarasse, edicens ut quamprimum ab abbate Tiron. alium abbatem peterent.

VII. Gervasius paulo post electus ab abbate & conventu Tironensi, confirmatus est eodem anno 1290. ab episcopo Pictaviensi. Obiit anno 1300.

VIII. Robertus I. Coupel electus anno 1300. transiit anno 1314. ad abbatiam Tironii.

IX. Reginaldus II. statim electus, nondum A anno 1315. in festis Paschalibus confirmatus erat ab episcopo Pictaviensi.

X. Hugo sedebat anno 1321. in festis Pentecostes.

XI. Guido occurrit anno 1343. mense Nov.

XII. Simon Huguier extinctus X. calendas Decembris anno 1379.

XIII. Johannes I. sedebat anno 1384. Fato functus est anno 1408. ante idus Augusti.

XIV. S . . . Troulebois seu Troncebois, sedebat tempore Petri Tersal abbatis Tironensis.

XV. Stephanus I. sedebat anno 1412. obiit anno 1426. Nescio an non idem sit cum praecedenti. B

XVI. Harduinus Botterel praefuit ab anno saltem 1431. Electus anno 1453. in capitulo generali ab unico abbate Asineriarum in abbatem Tironensem, & ab episcopo Carnotensi confirmatus, causam tamen obtinere non potuit adversus Leonetum Grimault, cui faverat maxima pars suffragiorum. Obiit anno 1461. sed Tironium spectans, Ferrarias transcripserat sequenti.

XVII. Johannes II. du Chatel episcopus Carcassonensis, quem diximus tomo II. Ferrariis praefuisse commendatarium ab anno 1454. abbatiam hanc non obtinuit nisi bulla pontificia data VIII. C idus Aprilis anno 1457. uti observavimus tomo VI. in episcopis Carcassonensibus. Nihil tamen vetat quominus abdicata fuerit in ejus favorem abbatia triennio antequam bullas impetraret. Litigabat anno 1461. cum Tironensi abbate. Huic enim Ferrarias visitare volenti mense Aprili, significavit Johannes, qui tunc forte aderat, *se nolle impedire Leonetum quominus abbatia Tironensi pacifice frueretur; nolle tamen eum ad visitationem monasterii Ferrariensis admittere, ubi ipse erat immediatus superior, donec a Parlamento aliter decerneretur.* Et ipsi monachi se reverentiam tantum abbati Tironensi debere conclamarunt. Cessit tamen commendatarius D mense Maio, promisitque *se obtemperaturum ratione abbatiae Ferrariensis abbati & conventui Tironensi in omnibus, sicut praedecessores sui.* Certe enim in capitulo generali ejusdem anni procurator ejus praestitit juramentum abbati Tironensi, modo & forma ab abbatibus Ferrariensibus praestari solita. Obiit Johannes anno 1475.

XVIII. Carolus I. de Saint Gelais episcopus Tolonensis. Ineunte anno 1476. monachi Ferrarienses elegerunt in abbatem Stephanum Taveau; cui electioni adversati Tironenses, contra elegerunt Johannem de Beaufort monachum & camerarium Casae-Dei, Johanne autem recusante, Ludovicum E de la Pause unum e suis, nobilem genere, baccalaureum in decretis, & priorem Basquevillae apud Caletes. Hic, quum electionem suam confirmare abnueret episcopus Pictaviensis, Parlamentum appellavit mense Januario; sed Ludovicus XI. rex, causa ad sanctius consilium tralata mense Aprili, episcopum Tolonensem aliquot mensibus elapsis praesentavit papae. Lis inter tres competitores agitata, diu acriterque efferbuit, donec exeunte anno 1480. humillimis obsequiis repentem episcopum & majora adhuc pollicentem abbas

Tironensis abbatem tandem Ferrariarum agnovit. At ille promissorum immemor litigabat anno sequenti cum abbate Tironensi, cujus visitationem detrectare adnitebatur. Illa tamen controversia post infinita præsulis diverticula iisdem conditionibus sopita est an. 1486. quibus anno 1461. inter eumdem Leonetum & episcopum Carcassonensem pax reformata fuerat. Abdicavit Carolus paulo post in gratiam sequentis.

XIX. Johannes III. le Bigre episcopus Tolonensis, commendam abbatiæ tenebat annis 1487. & 1490. Competitorem habuit Guillelmum Tostain seu Toustain, qui tandem sponte vel ingratiis cessit. Abdicavit Johannes in gratiam sequentis.

XX. Robertus II. d'Epinai ex episcopo Lascurrensi episcopus Nannetensis, extinctus anno 1493.

XXI. Andreas d'Epinai cardinalis & archiepiscopus Lugdunensis, electus statim a morte Roberti fratris sui a monachis Ferrariensibus eo consilio, aiunt, ut potentissimi viri auctoritate Tironensium imperium detrectarent. Sed frustrari se minime passus veteranus Tironii abbas Leonetus, qui rerum administrationem non dimiserat, convocatis fratribus, elegit in capitulo Jacobum de la Font. Hinc jurgia, & lites multo quam antea acriores. Inter hæc mediis sese armis immiscere Tolonensis episcopus; abbatiam esse rem suam proclamare; ea se olim abdicasse *cum reservatione regressus cedente vel decedente Roberto; ipso mortuo apud curiam Romanam, locum esse regressui.* Regressum igitur illum cessit Andreæ cardinali, quem tandem, quum montes & maria promitteret, receperunt Tironenses in administratorem perpetuum Ferrariensis monasterii. Hunc diximus tomo II. sedisse anno 1492. sed vel erravimus in abbatis nomine, vel exeunte anno 1492. quem nunc dicimus ineuntem annum 1493. dicendi sunt & Robertus obiisse, & Andreas electus fuisse. Diem hic supremum obiit anno 1500. sed resignaverat anno circiter 1497.

XXII. Antonius I. de Feurs seu de Fours, (non de Seurs, uti diximus tomo II.) consiliarius in Parlamento Parisiensi & archidiaconus Matisconensis, competitorem habuit & summovit Jacobum de la Font, quem modo nominavimus. Præerat adhuc anno 1502.

XXIII. Antonius II. de Crevant (non de Cravant, multo minus de Coenault, uti diximus tomo II.) decretorum doctor, frater Ludovici de Crevant II. abbatis Tironensis, & . . . . . de Crevant abbatis Bosci-Alberici, præerat anno 1513. deinde sancti Carilefi electus VIII. idus Octobris anno 1515.

XXIV. Ludovicus de Bourbon episcopus Laudunensis, postulatus est mense Maio anni 1517. in capitulo Tironensi ad abbatiam Ferrariensem; sed eam mense Augusto ejusdem anni commutavit cum abbatia S. Faronis Meldensis.

XXV. Carolus II. de Billi abbas Faronianus, transiit anno 1517. ad abbatiam Ferrariensem, extinctus anno 1525. Transcripserat anno 1522. Johanni qui sequitur. De eo vide abbates Faronianos.

XXVI. Johannes IV. de Billi, de quo vide quæ dicimus inter abbates S. Faronis Meldensis in Carolo de Billi ejus patruo. Reperitur in actis ab anno 1522. ad annum 1529.

XXVII. Carolus III. de Billi & ipse monachus, occurrit in instrumentis ab anno 1532. ad annum 1544.

XXVIII. Claudius de Montdor in quo, quemadmodum & in sequentibus usque ad annum 1714. nihil hactenus immutamus. Qui præerat abbas anno 1728. huic cognomen erat de la Boissiere. Qui nunc præest ab anno 1734. cognomen habet de Montaigu.

JUGUM-DEI.

Cœnobium beatæ Mariæ de Jugo-Dei, non longe a Villa-franca in tractu Bellijocensi conditur a Guichardo de Bellojoco & Luciana ejus conjuge, sub magisterio Tironii, circiter annum 1115. vivo adhuc beato Bernardo abbate Tironensi primo, qui non obiit nisi anno 1116. aut 1117. Chartam fundationis cudi curavimus inter instrumenta hujus voluminis; unde cognoscas quamobrem *Jugum-Dei* appellatum sit. Illa quidem annum 1118. præfert; sed nil vetat quominus biennio vel triennio post ipsam fundationem confecta sit. Prioribus aliquandiu paruit: sed post mortem fundatoris, qui obiit monachus Cluniaci anno 1137. prioratus ille ad abbatias evectus est anno circiter 1138. a Willelmo I. abbate Tironensi, rogantibus Petro I. archiepiscopo Lugdunensi, & Imberto de Bellojoco filio Guichardi, iisdem conditionibus quibus modo diximus Ferrarias eodem similiter dignitatis titulo fuisse insignitas. Unde quemadmodum apud Ferrarias, ita & in Jugo-Dei, gravissimæ identidem de imperio abbatis Tironensis rixæ exortæ sunt. Abbatiæ hujus monachi sedem mutandi ob aëris intemperiem licentiam postularunt anno 1681. ex commentariis diœcetarum; qua tandem obtenta anno 1688. mense Martio, in unum corpus cum Villæ-francæ canonicis coaluerunt rege permittente, unionemque confirmante Morangio Lugdunensis archiepiscopi vicario generali. Abbates tamen adhuc perseverarunt ad annum 1737. quo mensa abbatialis unita est capitulo Villæ-francæ.

Chart. XXXVIII. col. 316.

INDEX ABBATUM.

I. Gaucerius vel Gauceramnus, quem tradunt primum abbatem aut superiorem a sancto Bernardo Tironensi institutum fuisse, ac postea Cistercii mortuum, potuit quidem ab ipso prior constitui; sed abbatis titulo gaudere non potuit, nisi anno circiter 1138. Ejus obitus notatur tertio idus Decembris.

II. Engelbertus itidem, ut aiunt, S. Bernardi discipulus, Gaucerio successit, mortuus IV. nonas Aprilis.

III. Guido I. IV. Rainaldus. V. Aimo I. in quibus nihil immutandum occurrit, nisi forte addas in bulla Lucii III. papæ data XVIII. calend.

Februarii anno 1182. ad abbatem Jugi-Dei, pro Guidone abbate, alios legere Hugonem. Penes archetypum, quod non vidimus, sit fides.

VI. Garinus sponte cessit anno 1249.

Ægre ferebant monachi Jugi-Dei electionem abbatis sui fieri non in capitulo suo, nec a seipsis, sed in capitulo Tironensi. Quapropter nulla juris Tironensium habita ratione elegerunt priorem sancti Martini Athanacensis; illo autem recusante, unum e suis nomine Martinum. At abbas Tironii tam electum quam electores excommunicavit mense Julio ejusdem anni 1249. Re ad sedem apostolicam delata, summus pontifex anno 1252. mense Maio, absolvit Martinum & monachos Jugi-Dei *ab impetitione abbatis & conventus de Tironio, quia,* inquit, *nobis ad plenum liquere non potuit de spoliatione seu dejectione.* Litem tamen definiendam commisit Hugoni S. Sabinæ cardinali, & Henrico electo Senonensi, qui anno sequenti Martinum exauctoraverunt. Ita juribus Tironensium integris ut prius & illibatis permanentibus, ea tandem monachi Jugi-Dei agnoverunt in instrumento hac de re confecto idibus Maii anno 1257.

VII. Johannes I. quo sedente anno 1274. abbas Tironensis Jugum-Dei visitavit, statutis pluribus in capitulo promulgatis. Idem tamen Johannes anno 1286. imperium Tironii detrectare voluit, sed ab officiali Carnotensi damnatus, subjicere se coactus est.

VIII. Willelmus I. abdicavit anno 1300.

IX. Johannes II. Obsequio a monachis Jugi-Dei præstito, ipsisque abbatem a Tironensi abbate petentibus, datus est eis Johannes camerarius Tironensis, confirmatus paulo post a vicario generali archiepiscopi Lugdunensis, & benedictus ab archiepiscopo Viennensi. Hic videtur esse Johannes ille cujus epitaphium protulerunt Sammarthani in hunc modum: *Hic jacet Johannes de Cariloco abbas de Jugo-Dei, qui obiit millesimo trecentesimo trigesimo, die Veneris post . . . . .*

X. Hugo forte hujus nominis secundus, excusavit se anno 1338. apud abbatem Tironii, quod capitulo generali interesse non posset.

XI. In Lancelotto nihil immutamus.

XII. In Petro I. addimus ipsum occurrere in charta anni 1359.

XIII. XIV. In Guidone II. & Francisco animadvertimus ipsos appellatos fuisse non Tremblais aut de Tremblais, sed du Tremblai. Addimus autem Guidonem reperiri in instrumentis ab anno 1362. mense Maio.

XV. Petrus de Tentammer occurrit annis 1396. & 1400.

XVI. Andreas Chuirot annis 1401. & 1408.

XVII. Johannes III. de Betis occurrit pridie nonas Martii anno 1408. id est 1409.

XVIII. XIX. XX. In Hugone de Busseriis, Antonio I. & Petro II. nihil mutamus.

XXI. Cujus anonymi diximus electionem confirmatam fuisse VIII. calendas Aprilis anno 1447. id est 1448. a capitulo Lugdunensi, is erat forte Johannes de Betis II. qui obiit XIII. A calendas Februarii anno 1452. id est 1453.

Octavo die post mortem Johannis scripserunt Tironensibus monachi Jugi-Dei, postulantes in abbatem Simonem le Couvreur priorem Cœlestinorum Lugdunensium: *A pluribus,* inquiebant, *nobilibus & aliis fuimus requisiti quatenus eligeremus alterum religiosorum per ipsos nobis nominatorum. Nos vero eligere noluimus, sed electionem & provisionem vobis vestroque conventui remittimus. Verum quia nostra nobis plus ceteris nota est necessitas, hanc cum omni humilitate vobis curamus intimare. Sunt enim monasterium nostrum, mansiones, grangiæ & alia pertinentia in tanta ruina, quod nisi in brevi subveniatur,* B *omnia minantur subversionem. Reditus quotidie depereunt, adeo quod vix quatuor possumus habere alimenta, & quibus tegamur; sicque divinus cultus decenti modo fieri non potest. Eapropter humiliter postulamus nobis provideri de religioso viro fratre Simone* Coopertoris *priore conventus Cælestinorum Lugdunensium, cujus conversatio, mores, scientia, prudentia & administratio sic famosa sunt, quod a minimo usque ad maximum cognoscantur. Nam & conventum suum, qui nuper pauperrimus & desolatus erat, sic reparavit, quod non est illo melior nec melius ordinatus in toto ordine suo. Est insuper a multis dilectus & notus principibus, præsertim a domino duce Bourbonii fundatore* C *nostro, & suis officiariis,* &c. Ipse dux in gratiam Simonis scripsit abbati Tironensi in hunc modum:

R. Pere en Dieu, tres-cher & special amy, il est venu a nostre cognoissance que l'abbé du monastere de Jo en nostre pais de Beaujeulois, dont nous sommes fondateur, est allé de vie a trespassement, aprez le decès duquel les religieux de ladite abbaye ont esleu pour leur abbé d'un commun accord, notre tres-cher & amé chapelain le prieur des Celestius de Lion, lequel est tres-notable personne, de bonne & saincte conversation, bien sachant, de grand prudence, & de tres-grand gouvernement, & bien renommé de chacun, ainsi que de ce sommes bien informez, & appert par D *experience audit prieuré des Celestins. Pourquoy ladite election nous est tres-agreable, car ladite abbaye a bien besoin d'un tel administrateur, attendu que desja par le petit gouvernement qui y a esté, & est encore, le service divin y est presque du tout cessé, toutes les maisons, manoirs, granges & autres choses, vont tout en ruine, qui nous est a tres-grand desplaisir, & plusieurs fois y avons tachez a y remedier selon nostre pouvoir. Pourquoy, R. Pere en Dieu, tres-cher & special amy, nous envoyons expressement au devers vous nostre amé & feal procureur general de nostre dit pays de Beaujeulois Sotizon porteur de cestes, en vous priant tres a certes, & sur tout le plaisir que* E *nous voudriez faire, que au dit esleu vueilliez confirmer & expedier son fait le plus brief que vous pourrez, & luy donner tellement provision, que sans empeschement il puisse reparer ce que les autres ont mal traicté & gouverné par cy devant. En ce faisant vous ferez chose qui plaira a Dieu, nous sera tres-agreable & aussy a tout le pays, car mieux ne pourriez choisir en tout le pays, pour le prouffit & utilité de ladite abbaye, tant en spirituel que temporel. Et quant ne voudriez a ce entendre, que ne cuidons, nous efforcerons d'y faire pourveoir par nostre tres-cher & tres-amé fils*

l'archevesque de Lion, ainsi qu'il a accoustumé de faire par cy devant & autrement; par maniere que a la parfin il en demeurera paisible sans vous en savoir gré, & y ferons donner telle provision que icelle abbaye, a l'ayde de Dieu, sera mieux gouvernée qu'elle n'a esté par cy devant, comme a nous est de le faire faire en tant que sommes fondateur, & que la chose nous touche plus que a nul autre: ainsi que de ces choses & autres avons chargé nostre dit procureur vous dire & remonstrer de par nous, auquel sur ce veuilliez croyre comme a nous mesme, & par iceluy nous signifiez se chose voulez que vous faire puissons, & nous le ferons de tres-bon cuer. Reverend Pere en Dieu, tres-cher & special amy, nous prions nostre Seigneur qu'il vous donne ce que desirez. Escript en nostre chastel de Moulins le premier jour de Febvrier. Le Duc de Bourbonnois & d'Auvergne Charles.

Sed neque monachorum Jugi, neque ducis literæ quidquam promoverunt. Quod probant literæ sequentes abbatis Tironensis ad ducem Borbonium:

Tres-hault & excellent prince & mon tres-docte seigneur, je me recommande si tres-humblement a vous que faire je puis. Tres-hault & excellent prince & mon tres-docte seigneur, plaise vous savoir que j'ay receu unes lettres de par vous, contenant plusieurs choses pour le faict du trespas & mort de nostre religieux & frere feu frere Jean de la Bessi dernier abbé de vostre monastere de Jou-Dieu situé en vostre pays de Beaujeulois, & afin de provision dudit mort, tant en temporalité que spiritualité, & de la bonne amour que avez audit vostre monastere, je vous mercie tant que je puis pour moy & pour mon convent & mes religieux dudit Jou-Dieu, en vous certifiant, tres-hault & excellent prince & mon tres-docte seigneur, que c'est nostre gré & volonté de moy & vos religieux du convent de Tiron, mettre audit monastere de Jou-Dieu un administrateur, abbé & gouverneur qui sache administrer, regir & gouverner ladite abbaye, faire faire les reparations, & y tenir bon nombre de religieux selon la faculté des revenus dudit lieu, pour faire & continuer le divin service comme on doit faire selon la fondation d'iceluy lieu, justement, sainctement & canoniquement, & non autrement, & tout comme a esté dit par arrest du Parlement & par la cour de Chastelet, & mesmement par la cour de l'evesque de Paris puis trois ans en ça, qui ne sont pas choses esquelles l'on doive vaciller, varier ne attenter, ou faire au contraire quelque chose que l'on vous ayt donné a entendre au contraire; & tout selon lesdites choses est l'intention de moy & de mon dit convent, de nous y gouverner a vostre bon plaisir & prouffit de vostre dit monastere de Jou-Dieu. Et quant a la personne d'iceluy religieux qui est Celestin, duquel vous a pleu moy escrire, tres-haut & excellent prince & mon tres-docte seigneur, je vous certifie que je ne le vis oncques, ne ne sçay quel il est, nonobstant je suis tout informé qu'il est bonne personne, mais il n'est point de l'habit, ne moyne de vostre monastere de Tyron, ne aussi dudit Jou-Dieu, & faudroit avant qu'il fust créé abbé, qu'il fust receu moyne & vestu des draps & vestemens desdits monasteres, car autrement seroit faire contre la volonté & ordonnances

A *des fondateurs; & ce faict, faudroit le faire profez, & savoir se iceluy Celestin est personne scientifique en sciences & autrement, de bon & loyal mariage, avec autres choses dessus dites, necessaires en une personne pour estre mis en estat de prelature. Et encore y a plus, car contre lesdits arrests & choses dessus dites, qui par le temps passé & de la fondation des dits monasteres, pour bien de paix ont esté faictes, en attentant aussy contre les privileges de vostre dite abbaye de Tyron & fondation dudit Jou-Dieu, ay entendu que par le moyen & pourchas de vostre procureur de Ville-franche & autres, sans tenir termes de raison, ont tant faict que iceux vos religieux ont eslеu de fait*

B *en tant que leur est possible, & non de droit, ledit Celestin en leur abbé; laquelle chose ne pouvoient, ne devoient faire, ne aussy leur compete, ne appartient; & en ce faisant ont encouru sentences d'excommuniment, & autres peines contenues en nos dits privileges, selon l'ancienne coustume de vos dits monasteres, & mesmement ont accepté, contre & au prejudice de la volonté de messieurs nos fondateurs vos predecesseurs, seigneurs de Beaujeulois: laquelle chose vous ne voudriez souffrir ne tolerer, car vous estes protecteur & defenseur de ladite fondation. Et pouvez, tres-hault & excellent prince & mon tres-docte seigneur, que de present je y puisse pourveoir a la chose, je n'y ay puissance de ce*

C *faire que ne fust a mon tres-grand deshonneur & dommage, & de vostre dite abbaye & convent de Tyron. Consideré que la chose compete & appartient a mon dit convent comme a moy,* simul, semel & conjunctim. *Mais au plaisir, nostre seigneur tres-hault & excellent prince, je envoiray sans delay devers vos religieux & convent de Tyron, & sur ce sera l'on telle & si bonne provision que Dieu nostre pere createur, & vous & tous autres en devrez estre contens. Et sur ce, tres-hault & excellent prince, vous en fera l'on a savoir toutes nouvelles, au plaisir, nostre Seigneur lequel vous donne par sa grace bonne vie & longue, & bonne santé de vostre maladie, & ainsy en bonne*

D *loyaulté comme mon cueur le desire. Escript a Paris le dixiesme jour de Febvrier. Vostre humble chapelain Guillaume abbé du monastere de Tiron, pere abbé du Jou-Dieu, & conseiller du roy.*

XXII. Mattheus de Petrosa, recusato Cœlestinorum Lugdunensium priore, electus est ab abbate & monachis Tironensibus circiter festa Paschalia anni 1453. & anno sequenti mense Januario adfuit capitulo generali. Sed quod annis sequentibus ejusmodi capitulis non interfuisset, excommunicatus est anno 1462. mense Junio ab abbate Tironensi, cui tandem anno sequenti fidem juravit. Obiit Mattheus IX. calendas Maii

E anno 1465.

XXIII. Antonius II. des Haies monachus Jugi-Dei, electus in capitulo Tironensi pridie nonas Maii anno 1465. Obiit anno 1477. De Guillelmo des Ayeux, quem tomo IV. intruseramus, ne verbum quidem ullum in authenticis chartis.

XXIV. Claudius I. du Bosc. Mortuo Antonio monachi Jugi elegerunt VIII. calendas Julii anno 1477. Johannem de Bellecombe, qui licet commendatus favore regis, assensum Tironensium non potuit obtinere. Ab iis igitur electus est

eodem anno Claudius, quem confirmavit archiepiscopus Lugdunensis. Ille, quod capitulo generali anni 1499. non interfuisset, suspensus est ab abbate Tironensi, intra mensem ni resipisceret excommunicandus. Resipuisse credendus est, nam in ministerio suo obiit anno 1508.

XXV. Philippus de There electus a Tironensibus exeunte anno 1508. competitorem habuit Johannem Sine-muro electum a monachis Jugi-Dei, qui post multas altercationes cessit tandem anno 1510. Eodem anno pridie nonas Novembris electio Philippi confirmata est ab archiepiscopo Lugdunensi: sed ille, mense Martio sequenti, abbatiam resignavit ipsi abbati Tiron.

XXVI. Ludovicus de Crevant abbas Tironensis, abbatiam simul Jugi-Dei tenuit ab anno 1511. in aliquot annos. Præerat adhuc anno 1516.

XXVII. Johannes IV. Florete præerat XII. calendas Maii 1519. id est 1520. Permutavit cum sequenti pridie nonas Augusti anno 1522.

XXVIII. Antonius III. Geoffroi antea prior sancti Theobaldi de Buxeto Eduensis diœcesis, permutatione facta cum præcedenti, non diu sedit. Accusatus est anno 1523. mense Martio, quod bona Jugi-Dei miserabilem in modum dilapidaret.

XXIX. Ogerius de Chambrai (non de Chembrai) filius Jacobi domini de Thaverai ballivi Ebroicensis, ex Johanna d'Anfreville, frater vero Nicolai baronis de Chambrai & Johannæ abbatissæ monasterii Villaris, protonotarius apostolicus, abbas item Corneliarum in diœcesi Lexoviensi, ac prior de Charolles, commendam Jugi-Dei obtinuit bullis datis sexto calend. Decembris an. 1523. eodemque anno, licet secularis, affuit capitulo generali. Præerat adhuc anno 1540.

XXX. Johannes V. de Peyrac (non du Perac) filius Johannis proregis agri Lugdunensis, ex Claudia Laurencin, occurrit anno 1544.

XXXI. Laurentius de Peyrac frater præcedentis. Utrumque fratrem extra ordinem posueramus tomo quarto.

XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. In Simone, Aimone II. Petro III. & Claudio II. nihil immutamus. Addimus duntaxat Claudium obiisse XI. calendas Novembris 1610. & filio fratris sui Claudio Ponceton resignasse; quæ tamen resignatio, ut videtur, locum non habuit.

XXXVI. Antonius IV. Carrige (non Larrige) præerat annis 1610. & 1617. ex Sammarthanis.

XXXVII. XXXVIII. In Rogerio & in Alexandro nihil mutamus.

XXXIX. Bernardus Angelicus de Cremeaux d'Entragues præerat anno 1698. Obiit VI. cal. Martii anno 1733. sed longe ante abdicaverat.

XL. .... Trollieur abbatiam tenebat anno 1713.

JOSAPHAT.

JOSAPHAT.

IN Jerosolymitana valle, quæ *Josaphat* nuncupatur, locus erat seculo duodecimo sacer, cujus instar erectum fuit in valle Carnotensi versus Aquilonarem plagam secus Auturam amnem sanctæ Mariæ cœnobium, sexcentis passibus ab urbe distans, cui *Josaphat* inditum est nomen; ut urbi illi, quam Jerosolyma situ referre aiunt, nihil ad sacrorum locorum similitudinem deesse videretur.

Monasterii conditores fuere Gaufridus Carnotensis episcopus, atque Goslenus ejus frater Leugarum toparcha, qui locum hunc ditioni castroque suo conjunctum struxerunt, & prædiis nonnullis ecclesiarumque proventibus dotarunt anno Christi 1117. Pium ad opus invitatum ferunt antistitem adhortante Paschali II. summo pontifice, quem quum electus ab universo clero Romam adiisset Gaufridus, priusquam in episcopum ordinaretur, de suo Jerosolymam petendi voto præmonuit, ab eoque voti solutionem impetravit hac lege, ut quamprimum liceret per facultates, monasterium ubi continuæ funderentur preces in subsidium Terræ sanctæ excitaret. Paruit adstipulante fratre Gaufridus; tum accepta pontificis manu dignitate reversus ad Carnotenses suos, nihil prius habuit quam ut paterni fundi portionem huic operi destinaret. Charta XXXVI. col. 315.

Commodum accidisse ferunt, ut Normannicis vexati armis & repetitis cladibus, qui Formetotum vicum prope Pontem-Aldemari incolebant monachi, Carnotum ad Gaufridum confugium facerent. Hos itaque domi vel in sancti Petri monasterio receptos destinatum in locum transmisit, ubi præeunte Fulcherio, vitæ sanctioris asceta, regularibus officiis, erectionique cœnobii vacarent. Ut promotæ ædes, & ad disciplinæ cultum comparatæ, Gaufridus virum plane strenuum gerendisque rebus idoneum, cui Girardo nomen, eis abbatem imposuit, in curarum partem adjuncto Gilleberto, cujus inprimis studio surgentis cœnobii religio floruerat. Divinis illi rebus potissimum intenti, domesticam rem augere nihil satagebant; indeque *pauperes monachi* solebant appellari. Verum ubi plures undique discipulos accivit religionis eorum fama, fovendis illis cum proceres tum maxime Gaufridus antistes adeo largam opem contulerunt, ut vivente adhuc rerumque satagente Girardo, cellæ quamplures Josaphatensium struerentur in usus, iisque decimæ passim, ecclesiæ, villæ concederentur. Hinc multi nobiles, abjecto seculo, Benedictinæ regulæ nomen dabant hoc loco, ubi sinceram pietatem quam plerique eorum in Palæstina jam animo conceperant, jugi Dominicæ Passionis ac cœlestium rerum meditatione comparabant, in resurrectionis Sanctorum spem erecti.

Nempe hæc erat populorum traditio, in valle Josaphatensi generalem hominum resurrectionem expectandam esse. Sive autem e Palæstina reversi quamdam in hac Carnotum valle sacrorum locorum ideam ad vivum expressam cernerent, sive qui terræ illius sanctæ peregrinationem meditati erant, longioris itineris hocce præferrent compendium, ii omnes se suaque ibi Domino mancipabant, Girardum abbatem rebus gestis clarissimum enixe rogantes, ut eorum pia vota benigne susciperet. Tanti factus est ab illis posterisque Girardus,

Girardus, tantaque præstitit in suorum gratiam, A ut annuas illi preces ritu solenniori persolvendas curaverint, & cellarum præpositos ad illas convenire, paresque celebritati præbere sumtus annuos adegerint. Majorum vero pietas coætanea in monasterio singulis feriis sextis adhuc perseverat, quibus mos est Carnotensium animis insitus a puero, ut monasterium adeant his diebus, Passionis Dominicæ mysteria religiosa mente contemplaturi.

Haud certo constat bellicis-ne tumultibus, an communi rerum humanarum sorte, vel abundantia, severioribus ab institutis deflectere cœperint Josaphatenses. At desinente seculo decimo tertio B eos primigenii fervoris plurimum remisisse probant edita tunc temporis decreta capitulorum generalium, quæ quamvis quotannis celebrarentur, minus tamen invectam peculii, vitæ lautioris, aliorumque vitiorum pestem abigebant. Subsequuta deinde bella villis exitium, nec minorem religioni moribusque perniciem attulerunt. Quum enim monasterio pedem efferre, Carnotique sæpius & paternis in ædibus commorari cogerentur monachi, desertas sedes si quando repeterent, seculi curis aut illecebris assueti, disciplinæ jugum ferre amplius non poterant, id maxime causantes quod vitæ necessariis destituti victum alio quæ- C ritare tenerentur. Sic anno 1432. Henricum VI. Anglorum regem, qui Franciam invaserat, ut liberum sibi ad Fornetotum præberet commeatum anxie sollicitarunt: mox emunctis hujus loci proventibus Carnotum rediere. Obsessa dein anno 1466. Carnotensi urbe, combusta est majorem partem cœnobii basilica, reliquæ ædes pariter incendio consummatæ.

Dum piorum adjutus ope resarciendis illis operam locat Michael abbas, monachorum numerum imminuit, residuosque dispergit in cellas, ubi fere regularum expertes venationi, aliisque secularibus studiis indulgebant. Nec felicior fuit D Andreas de Montain pariter abbas ineunte seculo decimo sexto. Quum enim provectis ædibus supremam imponere manum satageret, collapsos suorum mores non potuit emendare. Subsequutos vero commendatarios studia longe alia transversos egerunt, ut nullus disciplinæ relictus videretur locus; quum post annum 1564. Calvinistæ furentes locum ipsum invaserunt, & regulares ædes maximis cladibus affecerunt.

Pulsis illis, reversi Josaphat monachi ruderibus atque casis sejunctis ab invicem, velut attegiis, se suaque recluserunt; alter vetus & amplum refectorium, sed tecto fornicibusque nudatum, in E hortum redegit; ceteri qua quisque lege poterant, bona distrahebant, vel iisdem quasi ultimi hominum nati essent, utebantur. Reddita demum regno pace, de restituenda quoque disciplina sæpius egerunt monachi cum abbatibus. Sed effectu res caruit ad annum 1640. quo congregationis sancti Mauri patres Josaphatum prædiis, ædibus, ac supellectile tantum non vacuum subierunt; ubi multa passi rebus in melius adducendis invigilant.

In ecclesia quæ dedicata est v. idus Junii anno 1169. a Guillelmo I. episcopo Carnotensi sub nomine beatæ Virginis Assumtæ & S. Johannis Evangelistæ, sepulti sunt inprimis Gaufridus episcopus Carnotensis, monasterii conditor, in choro, ad latus Evangelii, Gosfenus Leugarum dominus, Gaufridi frater, una cum uxore Lucia in medio choro, ubi eorum videntur imagines impressæ lapidi, qui partim pulpito sive aquila tegitur. Illis adjuncti feruntur Gaufridus & Milo, filii, cum filiabus totidem; Philippus de Leugis Dunensis archidiaconus, & Philippa de Leugis. Aliorum ex eadem illustri gente revulsa sunt, & nunc ignota monumenta. Jacent præterea ibidem Gosfenus Carnotensis episcopus, Gaufridi episcopi sororis filius, Robertus III. Johannes Sarisberiensis, Petrus Cellensis, ac demum Reginaldus, ii omnes episcopi Carnotenses.

Tabula Abbatum.

I. Girardus. Incertum quo ex loco prodierit futurus Josaphatensium primus abbas. Certe Fornetotensium e grege profugo videtur non fuisse, quandoquidem in illis Fulcherus & Gislebertus velut primi disciplinæ satores, cultoresque loci laudantur in tabulis, quæ hanc quoque Girardo laudem minime invidissent. Dictus abbas a Gaufrido Carnotensi episcopo sub annum 1117. a Callixto II. papa literas accepit anno 1119. quibus novelli cœnobii bona firmarentur. Chart. xxxix. col. 317. Erant illa perexigua quidem, quum, ut aiunt schedæ veteres, *vix adhuc parum quid & extremum terreni possiderent agricolatu.* At indefesso Gaufridi pontificis nobiliumque monasticas in leges concedentium studio Girardus domesticam rem auxit quamplurimum. Et primum quidem Nivardus de Pissiaco, seu de Pissaio, & uxor ejus, *humillimis supplicationibus ac precibus lacrymosis instanter postularunt, non negari sibi cohabitationem aliquorum fratrum circa se religiosæ paupertatis, per quos vel circa quos,* in Averonensi degentes ecclesia, *bonorum operum vitæ melioris incrementum caperent.* Atque hæc prima monasterii cella, quæ promovente Girardo Josaphatenses excepit monachos, aliisque multis idem ut præstarent exemplo fuit. Anno 1131. Innocentio II. papæ Mauriniacensem basilicam sacranti præsens adfuit Girardus, ab eoque monasterium juribus ac bonis auctum, in sedis apostolicæ tutelam recipi procuravit. Elisabetham Carnotensem vicecomitissam, quod Josaphatensium firmasset bona, in monasterii sororem excepit, eique solennes post obitum preces constituit. Superstes in annum saltem 1151. vitam egisse dicitur. Sedebat adhuc anno 1149. quum terram Ulmeti accepit a Guillelmo de Meherolt, Chart. LV. col. 331. ejusque conjuge Itta. Demum cal. Junii extinctus, hoc a posteris tulit elogium necrologio insertum: *Depositio domni Girardi, carissimi patris nostri, viri religiosissimi, &, ut ejus facta testantur, sanctissimi; qui primus hujus loci abbas in sanctitate & justitia laudabiliter conversatus, Benedictinos fratres hoc in monasterio sibi commissos instar D. Benedicti verbo pariter & exemplo ita vigili cura informare fategit, quod ipsius disciplina tantopere vitæ sanctimoniam amare*

didicerint monachi, ut illo tempore nullum cœnobium sit inventum magis religiosum isto. Unde ad perpetuam rei memoriam inter nos conventu generali habito statutum est, ut hac die solemne anniversarium in hac ecclesia annuatim celebraretur, &c.

II. Gislebertus aut Willebertus, ex illis Formetotensibus erat monachis qui Josaphatense cœnobium erexerunt. Prior a Girardo creatus, paulo post Averonensem in cellam monachorum examen induxit hac lege, *ut quoniam tumultus & frequentia popularis monasticæ religioni non congruit, foris castello locus competens huic ordini primitus daretur fratribus, in quo & ecclesia transferri, & habitatio monachorum deberet ædificari*. Factus abbas, decessoris sui vestigia pressit eximie, regularemque disciplinam fovit. Huic anno 1173. Guillelmus I. Carnotensis episcopus, sancti Mauricii præbendam seu canonicatum concessit; quæ donatio postea firmata est ab Alexandro III. papa. Mortem obiit calendis Septembris, ita docente necrologio domestico ad illum diem : *Depositio piæ recordationis patris nostri domni Gilleberti, viri timoratæ conscientiæ, qui primus hujus loci monachus & abbas secundus, sobrie, juste & caste in utroque gradu conversatus, tandem plenus dierum cal. Sept. ultimum claudens diem requievit in pace.*

III. Sanctio reperitur in actis annorum 1187. & 1199. Ita laudatus in necrologio ad XVII. calendas Augusti : *Depositio domni Sanctionis carissimi patris nostri, viri religiosissimi, tertii abbatis hujus loci, qui per omnem vitam suam singulari caritate pauperes nutrire curavit, sinceram quoque inter religiosos sibi subditos caritatem servari vigili studio elaboravit.*

IV. Vernerius seu Bernerius, in necrologio VII. idus Septembris ita celebratur : *Obiit domnus Vernerius, vir inprimis sanctæ religioni & divinæ contemplationi addictus, qui hujusce monasterii quartus fuit abbas.* Nec plura de illo.

V. Gualterius, cum suo, tum universi conventus nomine literas ad Philippum Augustum Francorum regem direxit anno 1201. quibus quinquaginta secum in monasterio degere monachos sacerdotio decoratos asserit, exceptis inferiorum graduum fratribus; eorumque stipendiis consuli rogat. Anno 1205. prædia nonnulla cum Hugone de Galardone commutavit. Obitum ejus signat necrologium idibus Junii.

VI. Guarinus anno 1210. primum innotescit in schedis domesticis; deinde reperitur in variis instrumentis usque ad annum 1227. Æquitatis & pacis amans multas lites compescuit, arbiter sæpius ab utrisque partibus delectus. Ob insignem pietatem cum pari sapientia conjunctam Majoris monasterii creatus abbas, ibidem vitæ finem sortitus est quinto calendas Decembris.

VII. Garnerius præerat ex tabulario monasterii annis 1232. & 1240. Obiit ex necrologio nono calendas Augusti.

VIII. Gosenus. Eum esse autumamus, qui sub sola litera G..... innotescit in quibusdam actis anni 1261. scriptus in necrologio pridie nonas Octobris.

IX. Radulfus creditur sedisse anno 1270. Nomen suum consignavit instrumentis annorum 1271. & 1272. Devixit ex necrologio octavo calendas Novembris.

X. Herveus sedebat ex schedis monasterii annis 1281. & 1283. Ejus meminit necrologium VI. calendas Januarii his verbis : *Depositio carissimi patris nostri Hervei quondam abbatis hujus monasterii, cujus corpus & ossa apud prioratum nostrum de Brucia sepulturæ commendata sunt.*

XI. Gilbertus præfuisse creditur anno 1286. Nos eum esse suspicamur, qui sub nomine Roberti inscribitur in necrologio idibus Octobris.

Inter Sanctionem & Thomam qui sequitur, octo recensuimus abbates, quibus addendi sunt quatuor ex eorum numero, quos ad calcem abbatum regularium rejecimus, quod eorum ætatem certo definire non potuimus; ut Thomas decimo sexto loco sedere possit.

XVI. Thomas virtutum splendore notissimus, anno 1333. quemdam e suis direxit ad archiepiscopum Rotomagensem, jussitque ut lites quas cum Formetoti parocho habebant Josaphatenses componeret. Anno 1361. omnem movit lapidem, ut rogatum antea ab Aimerico Carnotensi præsule cathedralis ecclesiæ canonicatum obtineret; frustra, tametsi regi proceribusque gratiosus non minimam adipiscendæ rei spem conceperat. Res ab eo gestas necrologium exhibet ad VI. idus Novemb. his verbis : *Obiit domnus Thomas abbas hujus loci decimus sextus, cujus favore & amore rex Philippus Valesii ejus compater, cujus filium e sacro fonte alias levavit, ecclesiam de* Fourmetot *cum suis pertinentiis, necnon imaginem Virginis Mariæ argenteam, exterius deauratam, in modum tabernaculi confectam, & multa alia bona ipse nobis acquisivit prudentia sua.* Tum ad VI. idus Maii gratus exhibetur animus Petro Trusiau militi, quod *multa bona largitus sit & potissimum coronam Christi spineam favore regis Philippi, abbate nostro Thoma hoc procurante.*

Chart. CXL. col. 377.

XVII. Martinus, cujus nomen reperitur in schedis XVIII. calendas Septembris anno 1380.

XVIII. Guillelmus I. sedebat ex tabulario monasterii anno 1390. *Domum abbatialem*, ait necrologium, *a fundamentis usque ad summitatem extruendam curavit.* Obiit anno 1407. pridie cal. Augusti.

XIX. Jacobus I. anno 1409. Martino Carnotensium sedem adeunti cum reliquis abbatibus obviam processit. Vivere desiit octavo idus Maii ex necrologio, qui eum *virum singulari doctrina & virtute præstantissimum appellat.*

XX. Petrus I. memoratur in necrologio ad XIV. cal. Maii. Ibi autem additur, fato functum Luteciæ Parisiorum sepultum fuisse *apud sanctum Hilarium*, anno Domini 1417. die Lunæ post *Quasimodo.*

XXI. Guillelmus II. obiit ex necrologio XVI. calendas Januarii anno 1417.

XXII. Petrus II. obiit ex necrologio tertio calendas Martii anno 1418. die Lunæ post *Quinquagesimam*, id est anno 1419.

XXIII. Egidius an. 1420. alnetum quoddam

apud Galardonem acquisivit; memoratur in ne- A crologio tertio calendas Junii.

XXIV. Johannes I. Bleteron, ex abbate Nealfæ-veteris, factus abbas Josaphati anno 1420. vel 1421. paucis mensibus administravit. Unus esse debet ex iis quos ad calcem abbatum regularium rejecimus.

XXV. Petrus III. anno 1422. pactum pepigit pro quadam domo Meduntæ sita.

XXVI. Johannes II. de Mala-domo difficillimis præfuit temporibus. Pessundato quippe monasterio monachos Formetotum misit an. 1432. ex ejus loci proventibus sustentandos. Ipse Carnoti degens quum senio gravaretur, anno 1437. B dignitatem uni e suis consignavit; literas autem hac de re confectas vicarii generales episcopi Carnotensis admiserunt. De eo necrologium sic habet ad XV. calendas Julii: *Obiit Johannes de Mala-domo quondam abbas noster, qui missale magni altaris nostri, & multos alios libros propria manu descripsit; pro cujus anniversario habemus annuatim a coquinario nostro amplam pitanciam.*

XXVII. N . . . Hic locus dandus est uni ex iis abbatibus quos ad calcem abbatum regularium recensuimus.

XXVIII. Michael de Bonnevent præfecturam iniit anno 1439. nam ex ejus epitaphio abbatiam C rexit *triginta duobus annis*, & obiit *annis ducentis bis, milleque septuaginta uno, sub quinta vicesima Maii*, id est VIII. calendas Junii anno 1471.

XXIX. Johannes III. Neveu ordinis sancti Augustini alumnus, Victoriæ ad Silvanectum abbas, Josaphatense quoque monasterium in commendam adeptus est anno 1472. juvenis admodum, & in academia Parisiensi vacans studiis. Anno 1496. Silvanectensis episcopus dicitur in quibusdam literis. Obiit anno 1498. De eo necrologium sic habet ad nonas Martii: *Obiit D. Johannes Neveu abbas hujus monasterii, & sacer auricularius christianissimi regis Francorum, quod* D *munus* confessorem *regium trito vocabulo appellare solemus; cui jura monasterii nostri conservare, terras ac reditus nostros alienatos reducere & augere, necnon omnia regularia beneficia fratribus nostris religiosis conferre semper cura fuit.*

XXX. Johannes IV. Pinart. In recentiori necrologio sancti Petri Carnotensis, ubi annotatur obitus Johannis Pinart ejusdem cœnobii abbatis, hæc adduntur: *Ob perennem cujus memoriam Johannes Pinart ejus nepos, ejusdem cœnobii omnium fratrum somnolentissimus, postea tamen divino sufflante favore Josaphatensis abbas effectus . . . . anniversarium*, &c. Præfuit in annos quatuor, teste E necrologio Josaphatensi ad IV. idus Martii: *Depositio Johannis Pinart quondam abbatis hujus loci, viri probatæ vitæ, qui a die electionis suæ quadriennio revoluto, eo die, & eadem ferme hora mortem obiit, quo ipse ad culmen dignitatis hujusce monasterii electus est.* Obiit anno 1502.

XXXI. Andreas de Montain, dictus etiam David, patria Carnotensis, factus est abbas anno 1502. Benedictus est calend. Junii anno 1506. ab episcopo Carnotensi in ecclesia sancti Jacobi Fratrum Prædicatorum. De eo sic habet necrologium: *Depositio piæ recordationis carissimi patris nostri abbatis Andreæ de Montain, alias David, sanctæ religioni & divinis rebus addicti, qui hoc cœnobium totum ferme dissolutum, quoad potuit, instaurari curavit. Cujus monumentum apud nos in medio templi choro ante lampadam, ubi decantatur epistola, sibi exstrui, dum viveret, impetrando obtinuit. Ejus namque cadaver ibi sepulturæ mandatum est Septemb. mense, die 23. anno salutis 1521. sextum & quadragesimum vix degens annum.*

XXXII. Jacobus II. du Terrail Petri du Terrail, equitis Bayardi, germanus frater, regularium postremus, anno 1534. Glandatensis episcopus post patruum suum ordinatus, obiit anno 1535. idibus Maii.

Jam observavimus desiderari in hac nomenclatura quatuor abbates Sanctionem inter & Thomam; itemque unum inter Johannem de Maladomo & Michaelem de Bonnevent. Sed ii quorum ordo incertus, numero septem recensentur in necrologio; videlicet

Non. Januarii *Stephanus.*
V. idus Januarii *Odo.*
XI. calendas Junii *Anselmus.*
VII. idus Octobris *Stephanus.*
IV. non. Novembris *Johannes.*
Pridie non. Decembris *Martinus.*
VI. idus Decembris *Johannes.*

Quum autem *Johannes* alteruter debeat esse Johannes Bleteron, quem vigesimo quarto loco posuimus, unus restat ex his septem ante commendatarios collocandus, ut Ludovicus de Charni commendatariorum primus, trigesimum quartum locum obtineat. Quod vero attinet ad Eustachium, quem Sammarthani fingunt sedisse anno 1094. longe antequam conderetur monasterium Josaphatense, is neque in scriniis apparet, neque in necrologiis, neque in indicibus quibuslibet aliis, ut omnino verisimile sit, nomen ejus nescio quo casu ex indice abbatum sancti Petri in Valle in indicem abbatum Josaphatensium irrepsisse.

XXXIV. Ludovicus de Charni, quem omnes Josaphatensium abbatum catalogi mss. quos præ manibus habuimus, asserunt Glandatensem episcopum fuisse, commendam Josaphati tenuit ab anno 1535. ad annum 1540. Hunc prætermisimus in indice episcoporum Glandatensium.

XXXV. Gervasius Wain natione Germanus, professor regius, tum in Germaniam legatus, adversarium patitur Ludovicum Millet Meldensem archidiaconum, qui annis 1541. & 1546. pro abbate sese ferebat. Inde lites, e quibus superior evasit Gervasius, qui diem extremum clausit anno 1554. hoc donatus epitaphio: *Gervasius Wain Germanus, doctor theologus, regius in superiori Germania legatus, abbas commendatarius hujus cœnobii, natus annos 63. obiit 14. Decembris anno 1554.* In necrologio tamen assignatur obitus Gervasii abbatis ad XVI. calendas Decembris.

XXXVI. Franciscus de Bolliers seu de Boulieres, clericus diœcesis Taurinensis, sedebat anno

1556. & ad annum saltem 1569. calamitosissimis temporibus rerum potitus est.

XXXVII. Edmundus Franciscus de Saint Julien sedebat annis 1572. & 1577.

XXXVIII. Renatus de Birague Franciæ cancellarius, abbatia potiebatur annis 1578. & 1579.

XXXIX. Philippus Desportes, de quo jam egimus in abbatia Tironensi, Josaphatensem commendam obtinuit anno 1582. tum anno 1594. bona ejusdem monasterii inter se & monachos divisit. Fato functus anno 1606.

XL. Henricus seu Antonius de Lomenie regi a consiliis & secretis, anno 1610. designatus, commendam tenuit in annos duos, eamque filii sui pædagogo consignavit.

XLI. N.... Gaudrion factus abbas resignatione præcedentis anno 1612. monachis suis infestus, eos ad vitæ finem, qui anno 1621. contigit, vexare non destitit. Nempe partitionem bonorum factam a Philippo Desportes rescindere totis viribus adnisus est; sed ea confirmata est consulto Parlamenti Parisiensis anno 1615. Sepultus est Josaphati.

XLII. Franciscus de Lomenie Dominicanus, mutata veste, factusque Benedictini ordinis monachus, abbatiam consequitur anno 1622. tum anno sequenti Massiliensis episcopus designatur. De accersendis in monasterium congregationis sancti Mauri patribus paciscitur anno 1638. & sequenti, priusquam illi locum subirent, dum Massiliam repetebat, Lemovici morbo interceptus, occubuit. Initum cum illo pactum Leonorius d'Estampes Carnotensis episcopus, suffragantibus loci monachis, executioni mandat; & Josaphatum inducti reformati in abbatis ædibus collocantur anno 1640.

XLIII. Henricus d'Orleans de Rothelin filius Henrici marchionis de Rothelin præfecti urbis Remensis, & Catharinæ Henricæ de Lomenie, abbatiam obtinebat anno 1642. quam anno 1651. fratri consignavit.

XLIV. Gabriel d'Orleans de Rothelin decanatum etiam obtinuit ecclesiæ collegiatæ Gornacensis apud Caletes. Obiit pridie cal. Augusti anno 1714.

XLV. N . . . Taillefer de Barriere, antea camerarius papæ, designatur abbas XVIII. calend. Septembris anno 1714.

XLVI. N . . . Feydeau de Brou designatus a rege anno 1730. mense Januario.

XLVII. Johannes Josephus de Fogasses d'Entrechaux de la Bastie canonicus & archidiaconus Pinciacensis in ecclesia Carnotensi, & vicarius generalis episcopi Carnotensis, sedebat anno 1737. Factus est episcopus Macloviensis literis regiis tertio idus Novembris anno 1739.

Prioratus Sancti Nicasii Mellentensis.

Mellentum, clarissimi nominis castrum ad Sequanam in Velocassibus, insigni comitatu, Walerannis, Hugonibus, Robertis comitibus, amœnissimo situ, ponte, arce, copia civium, A solique fertilis ubertate vix ulli cedit. Bifariam ibi scissus insulam efficit Sequana, totus ad Carnotenam diœcesim pertinens. Latior est qui a sinistra ripa castrum pertingit alveus. In orientali castri fronte prostat Nicasii martyris basilica cellaque, quam hoc loco describendam aggredimur. Sequanæ dextrum alveum excipit urbs ab ipsa ripa sensim assurgens ad excelsi montis supercilium, quem instar amphiteatri demittentem sese fere totum occupat, simul ad munimen, simul ad oculorum delicias: ut ad ortum, ad meridiem, ad occasum prospectus ad multa millia distendatur. Rotomagensi parochia continetur urbs Mel- B lentina, cujus originem, varios casus, ecclesiarum & castri novi conditiones aliis describendas permittimus.

Vetus fuit, omnique hominum memoria superior castri Mellentensis ecclesia, Virgini Deiparæ nuncupata. Plebanam exstitisse volunt. Illuc delata metu Normannorum seculo nono martyrum Nicasii, Quirini, Scuviculi, Pientiæque matronæ lipsana, loco celebritatem addidere. Res altius repetenda. Missus a Romano pontifice cum sociis Nicasius Rotomagum (cujus urbis episcopum fuisse ostendemus alias) quum Isara flumine superato circumpositis plebibus Dei verbum renunciaret, C insignibusque clareret miraculis, a Sisinnio judice interceptus est in loco qui *Scamnis* dicebatur, & cum suis capite plexus. Avibus ferisque projectas martyrum exuvias Pientia nobilis matrona collegit, & in Wadiniacam (hodie Ganiacum) sui juris insulam, transvadato qui Sequanam deinde subit Epta flumine, recondidit. Hanc parochiæ suæ villam quum lustraret Audoënus Rotomagensis episcopus, detectas ibi sanctorum reliquias elatiorem in locum transtulit, nonnullis secum delatis in metropolim, quibus ditata sancti Petri, nunc S. Audoëni, monasterialis basilica. Post invasum a Normannis Rotomagum, pignoribus timens suis D Ganiaci sacerdos, illa concitus in validissimum Mellenti castrum detulit. Quo delituerint loco, quandiu Mellento potitus est Rollo necdum christianam ad fidem adductus, silent tabulæ. Mitigatis Normannis, & reddita regno pace, credita pignora Ganiacenses repetiere. Non ante præbuerunt assensum Mellentini, quam Nicasii crines officulaque minora duodecim, integrum Pientiæ corpus, Quirini caput, & demto capite reliqua Scuviculi ossa retinerent. His conditionibus restituta Ganiaci cimelia. Procedente seculo decimo Hugonem Mellenti comitem adiit Ganiacensis clericus Nicasii martyris pollicitus reliquias, si E parem tanto muneri vellet rependere gratiam. Spopondit Hugo; corpus excepit; & ne vana luderetur suppositiții corporis imagine, cœtum accivit, subjectoque igni reliquias linteo decenter involutas admovit. Diffluere protinus flammis reverentibus intacta martyris ossa. His comes, procerum concio, promiscuaque plebes inspectis, in sacras Nicasii reliquias incredibili pietatis ardore sunt affecti.

Qui post Robertum parentem Hugoni successit anno saltem 1017. Walerannus seu Gualerannus

comes, hujus nominis primus, singulari veneratione colebat Nicasium; nihil ut arduum moliretur, nullius clientis exciperet sacramentum, quin sanctissimi patroni thecæ advolutus consilium ab eo, felicemque rei exitum precaretur. Auxit comitis pium in martyres animum Ganiacensis cujusdam monachi facinus. Erat ibi non ita pridem erecta cella monachorum sancti Audoëni Rotomagensium. Ex illis unus, sive divino nutu seu fratrum consilio, vel avaritiæ stimulis agitatus, prædicti sacerdotis exemplo Nicasii caput pacta mercede Waleranno tradidit. Susceptum pignus comes ab episcopo Carnotensi frequentique nobilium cœtu voluit recognosci. Mox indicta supplicatione jussit pontifex martyris corpus in altaris extremo cornu, tum allatum caput in contraposito septemque pedes disparato deponi. Flexis omnes poplitibus opperiebantur exitum rei, quum ecce motu Numinis actum caput beato corpori sociatur. Tunc Walerannus nullis parcens sumtibus insulanam Dei genitricis basilicam ex quadris lapidibus ampliorem ornatissimamque anno circiter 1050. a fundamentis erexit. At illa sensim sancti martyris nomen assumsit.

Posteaquam anno 1075. Becci monachum induit Hugo II. Mellenti comes, Waleranni filius, qui Mellentinum comitatum ab eo suscepit Robertus de Bellomonte Rogerii filius, Hugonis ex Adelaïde sorore nepos, idemque comes Leycestrensis in Anglia, Guillelmum de Bellomonte Beccensium abbatem ac consanguineum multis precibus adduxit, ut monachos sibi permitteret, in locum canonicorum quibus aliam paraverat sedem subrogandos. Annuit circiter ann. 1101. Guillelmus; Beccensisque gregis selectam copiam, accedente Ivonis Carnotensis episcopi consensu, Mellentum direxit. Walerannus autem, quam a Waleranno I. inchoatam, provectam ab Hugone & Roberto basilicam, ipse absolvit, dedicari fategit v. calend. Novembris anno 1120. a Gaufrido Carnotensi episcopo.

Inductos Nicasianam in cellam Beccenses monachos regebant ad nutum abbatis & conventus eo directi priores, in asceterium princeps, ubi videbatur, revocati: quo fit ut in tabulis anno 1160. superioribus nulla præpositorum, seu loci priorum habeatur mentio. Aliquandiu tranquilla pace fruiti sunt ascetæ illi. At enatis Francos inter & Normannos sive Anglos diffidiis, comitum sortem & belli ferre incommoda, sacras exuvias & documenta tutiorem in locum deportare sunt coacti. Reddita tamen Gallico sceptro Normannia, Mellenti pulso comite possessor Philippus Augustus pacem revexit, sacrasque reliquias anno 1196. insigni pompa debitam in sedem restituit.

Seculo XIII. nihil felicius accedere poterat Nicasianis. Quippe solerti priorum illius ævi cura, piorumque ac nobilium pietate, domestica sic accrevit res, ut simplici cellæ tot conferri bona mirum videretur. At recrudescentibus insequenti seculo bellis, illa circiter annum 1350. majorem partem distracta fuere, monachis etiam ære alieno præter modum oppressis, & Navarro cedere coactis. Ab Anglo victore sævitum atrocius anno 1422. quum expugnato Mellento Montacutius Sarisberiensis comes, a Bedfordiæ duce præfectus arci, cellarium, coquinam & hospitum cellas evertit, ut ibi vallum & propugnacula subrigerentur cum fossis horti partem occupantibus. Ceteras ædes monasticas ut sarciret prior edixit Montacutius, gravem minatus iram, ni meliorem in statum post quindecim dies restituerentur. Abhinc solutus disciplinæ nervus nostram ad ætatem restringi minime potuit. Sed & accidebantur undique villarum census; miseram ut vitam ægre cum paucis admodum sociis traheret prior, cui piscationem quoque interdicere tentarunt Anglorum ministri. Et quoniam ille Montacutio ceterisque præsidiariis suspectus videbatur, alteri locum facere coactus est in annum 1435. quo Mellentum post acerrimam expugnationem Carolus VII. rex Anglis eripuit.

Olivarius le Daim, cui credita fuerat a Ludovico XI. Mellentinæ arcis custodia, novum monachis parabat anno 1477. dispendium, ni truculentissimi viri conatibus cameræ computorum præpositi magistratus obstitissent. Is quippe Mellentinæ urbis & arcis augendæ studio incensus, monasterio conjacentem insulam (vernacule *l'Isle du chevet S. Nicaise* dictam) ad arcis justam altitudinem subvehere, domibusque & colonis implere animo destinarat; tum eam regium ad fiscum pertinere commentus, regias inde literas obtinuerat. Verum ubi Nicasiani juris hanc esse docentibus tabulis intellexerunt optimi magistratus, Olivarium alio cogitata vertere compulerunt.

Ædibus etiam infesta ventorum vis obeliscum seu campanile disjecit in transversum basilicæ latus aquilonare, cujus tigna, fornices & pilas vehementer afflixit. His anno 1496. remedium attulit Guillelmus Beccensis abbas, antea Mellenti prior; sed campanile transtulit in anteriorem ecclesiæ partem, ibique campanas denuo fusas appendit.

Quum abesset a cella Johannes de Morainville prior, anni 1535. mense Maio venerandum Nicasii caput argenteum magni ponderis loculo contentum scelestissimi fures abstulere, navique multo fœno onustæ compositum, Abrincas, ut ferunt, detulere. Quum primum ad cives pervenit ablati cimelii rumor, obstrepere, fures quocunque persequi, tanti criminis suspectos in carcerem trudere. Duos in his cujusdam civis famulos patibulo damnarunt; sed intercedente Parisiensi curia criminis expertes evasere. Crescentibus in dies odiis quatuor hanc ob rem cives, in quibus sacerdos fuit Nicolaus Pepin, necati sunt; neque aliter coerceri potuit concitatæ plebis furor, quam habita generali supplicatione concionator egregius nihilominus adfuturam sanctorum opem, modo pie colerentur, asseruisset.

Quandiu Mellento potiti sunt Calvinistæ, nullus sacris honos, nulla martyribus reverentia, ne minimum quidem in prostratis ædibus vel in loci cultoribus disciplinæ vestigium remansit. Et anno quidem 1561. claustrum plane dirutum & reliqua domus operariis circulos, palos, doliorumque

asseres findentibus, implebatur: unicus degebat cum clerico capellanisque monachus, & ipse moribus adeo incompositis, ut in asceterium Beccense cogendus in ordinem ablegatus sit.

Fœderatorum caput, Meduanæ dux, Mellentinam cepit urbem; arcem post duorum fere mensium obsidionem expugnare non valuit; sed ignitis tormentorum bellicorum globis arietata basilica multis in locis debilitata est. Quum vero parieti connixum Waleranni conditoris tumulum ferrea glans perforasset, retecta comitis ferro amicti membra, nominisque vetus inscriptio, coram apparuere.

Subsequuti deinde priores ad annum 1620. vel uxorati vel personati, præpositorum induebant larvam modicis contenti stipendiis, dum interim nobiles omni sacrorum abjecto cultu gazis incubarent. Longe alios sensus induit vir omni laude superior Nicolaus Davanne Mellentinus, genere nobilis, eodem anno 1620. prioratum adeptus. Is nihil non egit ut monasterium ab interitu vindicaret. Anno 1625. distracta terræ jugera sex apud Juserium redemit. Anno 1639. sanctorum Quirini, Scuviculi, Pientiæque sacras exuvias in decentiores loculos extulit. Anno 1641. vineas, agros, prata murellis sita redemit. Anno 1643. argenteam sancto Nicasio thecam paravit. Anno 1648. renovatis, & ad regulæ normam instructis ædibus, congregationis sancti Mauri patres in cœnobium admisit, erga quos paternum semper animum gessit. Invictus a beneficiis, quum disciplinam optimo loco constitutam cerneret, meritis quam annis gravior, abdicatis patrum in gratiam ambobus quos possidebat, sancti Nicasii Mellentensi & Boni-nuncii Rotomagensis prioratibus, monasticæ religioni nomen dare voluit. Solennibus itaque votis Deo nuncupatis, annos natus 73. tertio idus Junii anni 1660. animam exhalavit. Tanti viri funus, ac si communis patriæ parentis, clerus, nobiles, ac vulgus non sine lacrymis prosequuti sunt. Destinato pridem loculo cadaver inclusum fuit; cor ad Rotomagensem Boni nuncii cellam, uti testamento caverat, delatum.

S. AVIT. SANCTUS AVITUS Castrodunensis.

Bolland. Jun. tom. 3. pag 351. & seqq.

INfra Castrumduni, super Ledum flumen, eo loci qui *Piciacum* antiquitus vocabatur, positum est sancti Aviti monasterium, ab Avito primum monacho Menatensi, deinde abbate Miciacensi, conditum, & monachis frequentatum ad seculum usque nonum, quo destructum a Normannis cessit monialibus, quæ in eo jam sedem fixerant seculo undecimo. Illud quippe restauravit anno 1045. Wanelo sancti Martini Turonensis thesaurarius, ea potissimum conditione, ut posthac recens parthenon uni subesset ecclesiæ sanctæ Mariæ Carnotensis. Colligunt quidam ex variis schedis, monachos illic degisse cum monialibus usque ad annum saltem 1391. quod si verum est, nil vetat quominus Wanelo duplicem eo loci congregationem fundaverit, primariam feminarum, secundariam virorum, quemadmodum in Jotro, Faræ

Chart. XV. col. 299.

A monasterio, & plurimis aliis monasteriis accidisse constat. Quinque olim aut forte sex cellas non ignobiles recensebat parthenon sancti Aviti sibi obnoxias, nunc pene ad nihilum redactas: *Romiliacum* in pago Perticensi, datum sanctimonialibus anno 1128. ab Arraudo abbate & monachis Fontis-Gombaudi; prioratus *sanctæ Gemmæ*, fundatus anno 1148. postea abbatia facta, de qua egimus in abbatiis hujus diœcesis extinctis; prioratus duo *sancti Agili* in Belsia, & *sancti Martini* juxta Magdunense castrum, quos tenebant sanctimoniales anno 1170. hic succedente tempore Franciscanis attributus; *Fontanetum* super Coniam,

B fundatum anno 1186. a Martha de Lanerio, nunc destructum, & mensæ communi adjunctum. Iis autem quinque cellis forte adnumerandum est monasterium *Rosatense*, cujus occurrit mentio in quibusdam schedis, & abbatissa Agnes an. 1219. mense Augusto; cetera nobis incognitum.

ABBATES.

I. SANCTUS AVITUS. Duos hujus nominis abbates distinxit post Baronium Mabillonius noster, alterum Miciacensem, Perticensem alterum, levibus sane conjecturis fultus, quas mirum est doctum & intelligentem virum ipsorum sanctissimi abbatis actorum, quæ habebat præ manibus, auctoritati præposuisse. Atenim, inquit ille, Ado utriusque abbatis meminit, Miciacensis nimirum ad XV. calend. Julii, Perticensis ad XIV. calend. Januarii. Præterea Gregorius Turonensis duos pariter Avitos agnovit, alterum sub nomine abbatis Miciacensis, alterum sub nomine abbatis Pertensis. Denique ex Aviti actis natus est sanctus abbas in Arvernia, ex Surio autem natus est Aureliani ad Ligerim. Quæ omnia conciliari non possunt, nisi duplicem distinxeris Avitum. Ita Mabillonius.

Act. SS. Bened. tom. 1. p. 614. & Annal. Bened. tom. 1. lib. 3. p. 77.

C

Greg. Turon. hist. Fr. lib. 3. cap. 6. Idem de Glor. confess. cap. 99. Surius 17. Junii.

Opponunt Henschenius, Cointius, Liro noster, aliique eruditi viri, in hoc consentire Lætaldum Miciacensem monachum, qui decimo seculo scripsit de miraculis sancti Maximini abbatis Miciacensis, cum scriptore illo qui sexto circiter seculo acta sancti Aviti commentatus est, ut diserte affirment uterque, Avitum illum qui post sanctum Maximinum sedit Miciacensis abbas, eumdem prorsus esse atque illum, qui monasterium condidit ac rexit in saltu Perticensi. Ad argumentum autem hujusmodi, ex testimonio scriptoris fere coævi petitum videntur evanescere debere omnes conjecturæ.

D

Bolland. Jun tom. 3. pag. 350. Coint annal. t. 1. passim. Liro, Amænit. crit pag. 8. & seqq.

Quod igitur duplicem Avitum admisisse fertur Ado Viennensis, id vel oscitanter scripsit, vel unius tantum dicendus est meminisse, semel in die obitus, iterum aut in ejus translatione, aut in alio quovis festo die. Ad Surium quod spectat, tanti non est sarcinator ille, qui sanctorum acta non primigenio, sed suo ipsius stylo plerumque exposuit, ut scriptiones ejus naturalibus ac sinceris veterum scriptionibus anteponantur. Conjectat tamen sagaciter Henschenius, ipsum in *Aureliacæ* urbis Arvernorum, ac *Viriduni* urbis Aquitanorum nominibus allucinatum esse, pro quibus

E

Bolland. sup. pag. 353.

Aurelianum ad Ligerim & *Virdunum* ad Mosam positum nobis obtrudit. Gregorium Turonensem nil moror, qui Avitum *Miciacensem* abbatem dicere potuit eo tempore fuisse, quo revera vel Miciacensem abbatiam gubernabat, vel nondum ad alterius abbatiæ regimen erat assumtus; *Pertitensem* vero, quando post ejuratum Miciacum mortuus est Perticensis abbas: quanquam dubitandi locus est an unquam verbum ullum fecerit Gregorius de *Miciacensi* abbate.

Illud igitur quasi compertum habeamus, unicum fuisse Avitum, primo Miciacensem, deinde Perticensem, hoc est Piciacensem in Pertico abbatem. Is in Aquitaniæ finibus natus, forte Aureliaci in Arvernia superiore, matrem habuisse creditur ex Viriduno oppido Aquitaniæ occidentalis ad Savam posito oriundam. Adolescens factus monasticen amplexus est in Menatensi apud Arvernos monasterio, unde solitudinis reconditioris petendæ causa egressus comite Carilefo sodali suo, Aurelianum venit ad sanctum Maximinum abbatem Miciacensem, qui utrumque advenam peramanter ascivit sibi socios, & utroque post longam in monasterio suo regularis disciplinæ experientiam ad sacrum presbyteratus ordinem evecto, Avitum insuper cellario præfecit. Pertæsus ille rei familiaris gerendæ, & novo eremiticæ vitæ desiderio accensus, arrepta fuga secessit in Secaloniam cum individuo comite suo Carilefo ad Macerias, quatuor fere a Miciaco millibus dissitas, ubi cellula sibi constructa, quæ decimo seculo in oratorium sui nominis conversa erat, delituit ceteris hominum ignotus ad mortem usque Maximini abbatis sui. Macerias illas in Pertico nescio an accurate fixit Henschenius. Defuncto Maximino conquiruntur sancti perfugæ, reperti Miciacum reducuntur; Avitus demum reluctans licet renunciatur abbas omnium calculis. Quo anno? illud porro investigandum.

Bolland. sup. pag. 352. & seqq.

Lætald. in Act. SS. Bened. tom. 1. pag. 600.

Bolland. sup. ibidem pag. 356.

Certum est primo sanctum abbatem parumper admodum præsedisse Miciacensibus. Rexit enim *aliquanto dierum spatio* ex ejus actis, *pauco tempore* ex Lætaldo. Sedebat-ne quum Chlodomerem Francorum regem contra Burgundiones arma parantem deprecatus est ne Sigismundum interficeret, ipsius, & conjugis, & liberorum mortem minitatus, si nefarium illud facinus quod jam animo conceperat, re adimpleret? Ita visum est & Lætaldo, & iis omnibus qui Gregorii Turonensis opera typis mandaverunt. Sed liquido negat Ruinars noster, Miciacensis voculam apparere in ullo ejusdem Gregorii codice manuscripto. Quod si misso Gregorio Lætaldi unius testimonio fidem adhibemus, dicendus est Avitus sedisse Miciaci anno 524. quo nimirum rex Chlodomer de enecando Sigismundo consilium cepit, & ipse interemtus est. Quum autem idem abbas aliquanto duntaxat dierum spatio rexerit, necesse est & ipsum abdicasse sub finem ejusdem anni, & beatum Maximinum decessorem suum, cujus obitus consignatur XVIII. calendas Januarii, ad superos evolasse mense Decembri anno 523. sed vereor ne Lætaldum lactaverit monasterii sui

Ibidem. Act. SS. Bened. sup. ibidem.

Ibidem.

Ruin. ad Greg. Turon. pag. 109.

Ibid. Annal. Franc. ad ann. 524.

Act. SS. Bened. sup. ibid. pag. 589.

A vana quædam ac præstigiatrix gloriola.

Rursus enim certum esse videtur, S. Avitum valedixisse Miciacensibus ante annum 524. quod sic evinci posse arbitror. Leobinus quum ad eum primo perrexit, jam audierat sanctum virum *eremitam morari in Pertico.* Iter autem illud aggredi debuit vel anno 523. vel ineunte saltem anno 524. nam anno 525. in Insula-Barbara ubi degebat, multa perpessus est a Francis Burgundiam vastantibus. Eo igitur jam se contulerat anno 524. exeunte, imo fortassis ineunte. Sed antequam monasterium illud peteret, aliquandiu commoratus erat in urbe Gabalitana, quam non invisit B nisi post salutatum in Pertico Avitum. Ergo sanctum eremitam adire non potuit nisi anno 523. vel ineunte 524. Unde colligere est sanctum Avitum abdicasse se Miciacensi abbatia ante annum 524. Atque hinc contra Lætaldum merito arguitur, sanctum Avitum quando Chlodomeris exitium ac stragem ultimam vaticinatus est, jam tum abbatem Miciacensem non fuisse, sed eremitam Perticensem. Quod si ita est, nil vetat quominus Maximinus abbas Miciacensis obierit anno vel 520. ut conjectant eruditi, vel etiam 521. Avitus vero ei successerit mense Januario anni 521. aut 522. & post aliquot menses abdi- C cata præfectura receperit se eodem anno in saltum Perticensem.

Act. SS. Bened. sup. ibid. pag. 125.

Mabill. ibid. pag. 389. Bolland. sup. ibid. p. 356.

Erat in illo tractu super Ledum flumen desertus locus, *Piciacum* antiquis dictus, quo loco succedente ætate constructum est oppidum *Castrumduni* appellatum. Hanc in solitudinem tertio sequutus est Avitum Carilefus. At ibi anachoresim toto cordis æstu uterque anhelantes de monasterio novo condendo ne cogitabant quidem. Avitus, inquit actorum ejus scriptor, *nequaquam diutius aliis præesse passus est; videbatur enim ei quod ita abbatis premeretur nomine, ac si magni ponderis gravaretur mole.* Childebertus tamen post Chlodo- D merem fratrem rerum potitus audita tanti viri religione, & basilicam & monasterium cui denuo præesset, ædificavit regiis sumtibus; atque ea est abbatia quam nunc *Castrodunensem* appellamus. Huic præpositus est Avitus anno circiter 525. Hanc repudiare iterum meditantem retinere coëgit venerabilis Ætherius Carnotensis episcopus. Ibi demum animam Deo reddidit prophetiæ ac miraculorum dono illustris, non anno 527. ut quidam opinati sunt, nam anno 529. Leobinum ad se reducem excepit post quinquennium in Insula-Barbara exactum, sed potius anno 530. ex computatione Lironis; & quod vivens decre- E verat, sepultus est, Perticensibus suis ægre ferentibus, ad mœnia urbis Aureliani, non longe a basilica sancti Evurtii, ubi rex Childebertus Wisigotthis anno 531. superatis ecclesiam super tumulum ejus ædificavit ex voto anno circiter 532. Colitur in ecclesia sanctissimus abbas XV. calendas Julii.

Ibidem pag. 355.

Ibidem pag. 357.

Bolland. sup. ibid. p. 359. Act. SS. Bened. sup. ibid. pag. 124. Liro sup. ibid. p. 27. Bolland. sup. ibid p. 358.

Qui post eum rexerunt Piciaci, eorum nomina penitus ignoramus.

ABBATISSÆ.

I. ADELICIA sive Adelais I. nomen suum consignavit anno 1045. instrumento restaurationis hujus monasterii, assumto *monachæ* nomine, non *abbatissæ*. Sed nondum, ut credere est, benedictionis munus acceperat. De ea sic habet necrologium domesticum: *XV. cal. Octobr. obiit Adelais abbatissa, quæ prima mater fuit hujus ecclesiæ.*

II. Adelais II. reperitur in instrumento anni 1118. Gaufrido episcopo Carnotensi promisit *debitam subjectionem atque obedientiam secundum institutiones Patrum.*

III. Isabellis I. occurrit in instrumento anni 1138.

IV. Ermengardis I. de Planceio memoratur in instrumentis anni 1150.

V. Hildeardis transegit anno 1168. cum Hugone abbate sancti Carilefi; bullam impetravit ab Alexandro III. papa XVI. cal. Octobris anno 1170. bonorum abbatiæ suæ vindicem; sorores habebat Claram & Eustachiam. Præerat adhuc anno 1178. ex charta quadam Stephani de Valle sancti Martini, in qua appellatur *illustrissima femina.* Ea videtur esse cujus meminit necrologium ad idus Decembr. his verbis: *Obiit Ghildardis abbatissa hujus loci.*

Aliarum octo hujus parthenonis abbatissarum ætatis incertæ, quarum nomina ex eodem necrologio excerpsimus, hic interserere visum est.

VI. Agnes I. XIV. calendas Februarii.

VII. Agnes II. la Chariere XII. calend. April.

VIII. Agnes III. XIII. calendas Maii.

IX. Bertranna V. calendas Maii.

X. Petronilla de Noviomo idibus Julii.

XI. Avelina IV. calendas Octobris.

XII. Odelina VI. nonas Octobris.

XIII. Agnes IV. de Monrolen XI. cal. Nov.

Earum una, cujus nomen incipit a litera A. sedebat anno 1180. ex instrumentis.

XIV. Ermengardis II. sedebat ex tabulario monasterii annis 1186. & 1189. Dicitur Hermeniardis in instrumento Boni-nuncii Aurelianensis, quo testatur anno 1190. accepisse in eleemosynam ab Arnulfo de Rupibus sex solidos, & ejusdem Arnulfi filiam in sanctimonialem admisisse.

XV. Eustachia I. præerat anno 1203.

XVI. Ada occurrit in schedis anno 1206.

XVII. Clara de Vitreio sedebat eodem anno.

XVIII. Bertha præerat anno 1207.

XIX. Alais seu Aales, memoratur in variis chartis ab anno 1214. ad annum 1218.

XX. H . . . sedebat anno 1219. Meminit necrologus Helvidis abbatissæ pridie nonas Novembris.

XXI. Ermengardis III. præerat anno 1221.

XXII. Hersendis seu Helvisis, occurrit in schedis anno 1225.

XXIII. Elisabeth seu Isabella, præerat ex tabulario monasterii annis 1226. & 1228. Extincta est ex necrologio XVII. calendas Maii.

XXIV. Agnes V. reperitur in variis instrumentis ab anno 1238. ad annum 1248.

XXV. Eustachia II. sedebat annis 1250. & 1269. Obiit ex necrologio XI. cal. Februarii.

XXVI. Ermessendis seu Helisendis, præerat ex tabulario monasterii anno 1279.

XXVII. Johanna I. de la Forteresse sedebat anno 1333.

XXVIII. Alpais d'Anguerrant soror Johannis IV. episcopi Carnotensis, sedebat medio circiter decimo quarto seculo. Obiit ex necrologio sexto calendas Maii, legatis monasterio suo *decem libris, & una cuppa argenti pro suo anniversario.*

XXIX. Alisendis seu Helisendis, sedebat anno 1368.

XXX. Johanna II. de S. Avito occurrit annis 1391. & 1404. Obiit ex necrol. VI. idus Oct.

XXXI. Johanna III. de Frouville occurrit annis 1411. & 1442. Obiit ex necrologio IV. idus Julii, post legatum parthenoni suo *vas argenteum pro suo anniversario.*

XXXII. Isabellis II. de Montbourchai Petro Carnotensi episcopo obedientiam promisit X. cal. Julii anno 1446. Sedebat adhuc anno 1448.

XXXIII. Johanna IV. d'Aignay Petro Carnotensi episcopo obedientiam promisit X. calend. Aprilis anno 1449. id est 1450.

XXXIV. Maria I. de Harville obedientiam promisit Petro Carnotensi episcopo anno 1453. mense Septembri. De ea necrologium his verbis: *XV. cal. Januarii obiit Maria de Harville abbatissa hujus loci anno 1470. quæ multa bona fecit nobis, & fecit restitui huic monasterio sacras reliquias suas, quæ detinebantur a canonicis S. Martini Turonensis, pro quadam summa pecuniæ quam nobis olim commodaverant.*

XXXV. Johanna V. la Jeune obedientiam promisit Miloni episcopo Carnotensi anno 1470. & elapsis aliquot annis abdicavit. De ea necrologium sic habet: *XV. calendas Februarii obiit venerabilis domina Johanna la Jeune abbatissa hujus monasterii, anno M. DI. quæ fecit construi claustra, dormitorium & refectorium, & alia ædificia, & multa bona fecit huic monasterio.* Sepulta est in veteri sacello abbatissarum.

XXXVI. Johanna VI. de Varenne hic reponenda videtur; ita enim necrologium ad VI. idus Aprilis: *Obiit Johannes de Varenna miles, & obiit nobilis domicella marquisia de Varenne mater dominæ Johannæ humilis abbatissæ hujus loci, anno M. CDLXXIX.*

XXXVII. Johanna VII. de Honville benedicta est a Milone episcopo Carnotensi III. idus Nov. anno 1491. Sedebat adhuc anno 1535. Necrologus ad IV. nonas Novembris hæc habet: *Obiit vir nobilis Petrus de Honville pater dominæ Johannæ abbatissæ nostræ, qui dedit nobis L. solidos in terra sua de Chavigny, & iterum XX. solidos pro lampade dormitorii.*

XXXVIII. Margarita de Honville sedebat annis 1535. & 1546.

XXXIX. Magdalena I. de Warli sedebat annis 1549. & 1569.

XL.

XL. Maria II. de Thiville sedebat annis 1569. & 1573.

XLI. Maria III. de Serviat rexit ab anno 1573. ad annum 1595. Obiit XIV. cal. Julii.

XLII. Magdalena II. de Masquerel Mariæ suffecta anno 1595. extincta est ex necrologio decimo calendas Maii anno 1610.

XLIII. Jacoba d'Illiers, ex qua antequam vitæ monasticæ nomen daret, Henricus II. dux Longæ-villæ suscepit Catharinam Angelicam, abbatissam 1.° S. Petri Remensis, 2.° Mali-dumi; transiit postea ad abbatiam Boni-loci apud Cenomanos, adhuc in vivis anno 1650. Sedebat apud sanctum Avitum annis 1610. & 1613.

XLIV. Catharina I. d'Illiers d'Entragues filia Florentii d'Illiers, sedit ab anno 1613. ad annum 1663. Habuit ante annum 1660. adjutricem sequentem.

XLV. Catharina II. d'Illiers d'Entragues filia Leonis d'Illiers, jam coadjutrix, amitæ suffecta est anno 1663. Rexit ad annum 1718.

XLVI. Ludovica Maria de Simiane e sacro fonte suscepta pridie idus Decemb. anno 1666. abbatiam obtinuit VI. nonas Octob. anno 1718. Benedicta est XI. calend. Julii anno 1719. Rexit ad annum 1726.

XLVII. Bonna Binet de Montifroi designata a rege christianissimo anno 1726. mense Dec.

S. Cyr.

SANCTUS CYRICUS.

Parthenonem sancti Cyrici in valle Galiensi, quem nunc vivarium Versalliense complectitur, fundavisse aiunt Sammarthani Robertum III. Carnotensem episcopum. A majoribus tamen transmissum sibi prædicant moniales hujus asceterii, æquales esse se virginum Calensium. Id vero ut assequantur, apographum quoddam ostentant regii diplomatis dati anno 1156. in quo enunciatur abbatiam illam fundatam fuisse a Bartholomæo Pelus. Præterea narrant, non solum prioratum Rosniacensem abbatiæ suæ addictum fuisse anno 1124. verum etiam ex eadem abbatia eductas esse anno 800. primas monasterii Argentoliensis incolas. Quæ omnia si concedantur, hoc equidem evincunt, fundationem suam Roberto episcopo non esse deferendam; illud vero minime probant, parthenonem suum seculo sexto fuisse conditum. Sed ad Argentolium quod spectat, unde accersitæ sint moniales quæ locum hunc occuparunt sub Carolo Magno, silent omnino & historiæ & tabulæ: prioratus vero Rosniacensis fundatus-ne fuerit anno 1124. sub ditione sancti Cyrici, parum interest. Acceptam referunt moniales fundationem suam Bartholomæo cuidam, cognomine Pelus, quem vixisse sub prima regum nostrorum dynastia, longe antequam usus cognomina mancipasset, absurdum est fingere. Vixit igitur Bartholomæus ille, si placet erudito lectori, duodecimo circiter ineunte seculo, ut paulo ante annum 1156. parthenonem S. Cyrici fundare potuerit, si laudem tamen illam reipsa meritus est [a], A Robertus vero hujus nominis tertius, episcopus Carnotensis, novellæ fundationi paulo post calculum suum adjicere. Atque hæc de fundatione monasterii, cujus sanctimoniales regulæ sancti Benedicti addictæ inter alios optimates beneficos expertæ sunt Ludovicum VII. Philippum Augustum & Carolum V. Francorum reges. Parebant olim huic monasterio tres alii parthenones; sancti Antonii Rosniacensis in diœcesi Ebroicensi, de quo modo agebamus, nunc in prioratum quem vocant simplicem, redacti; S. Magdalenæ Villarcellorum, non ignobilis cœnobii in diœcesi Rotomagensi, & multarum adhuc virginum domi- B cilii; sancti Corentini denique, in hac diœcesi Carnotensi, de quo mox dicemus, ad abbatiæ dignitatem ante hos quingentos annos evecti. Multa passæ sunt sanctimoniales sancti Cyrici ab Anglis, a Calvinistis, ab ipsis Henrici IV. regis hostibus Catholicis; superstites tamen cladibus suis, quæ fecerunt detrimenta, pro viribus restaurarunt.

INDEX ABBATISSARUM.

I. Ganesina, quam sedisse aiunt anno 1182. sed veremur ne offenderint in nomine: *Sancelinam* enim, aut forte *sororem Ancelinam* legimus C sedisse anno 1190. & Mauricio Parisiensi episcopo duos pratorum arpennos vendidisse. Præterea *Odelinam* seu *Amelinam* reperimus Reginaldo episcopo Carnotensi obedientiam promisisse.

II. Heudeburgis seu Hildeburgis, præfuisse dicitur annis 1200. & 1202.

Quæ sedebat anno 1224. abbatissa, soror erat episcopi Carnotensis, ex chartul. Maurigniacensi.

III. Milesendis præfuisse dicitur anno 1307.

IV. Petronilla I. de Pelé, quam sedisse aiunt anno 1348. Fallimur, an orta est illa ex domo Bartholomæi Pelus, cujus meminimus in prologo hujus parthenonis?

D V. Isabellis I. de Varenne sedisse dicitur anno 1398. Reperitur in charta VI. idus Oct. 1373.

VI. Johanna I. de Versailles.

VII. Dionysia I. du Coudrai præfuisse dicitur perperam anno 1409. Reperitur in schedis anno 1377. mense Septembri.

VIII. Johanna II. du Coudrai occurrit in schedis ab anno 1390. mense Decembri, ad annum 1400. mense Novembri.

IX. Lætitia de Nemou seu de Nemours, sedebat ex instrumentis anno 1406. & mense Januar. anni 1408. id est 1409.

X. Johanna III. de Garentieres occurrit in E schedis XV. calendas Junii anno 1415.

XI. Cæcilia seu Egidia Turpin, quam pro more temporum illorum appellabant la Turpine, sedisse dicitur anno 1429. Egidiam reperimus in actis annorum 1441. & 1450.

XII. Guillelmina la Servante antea, ut suspicamur, abbatissa sancti Remigii de Landis, dicitur præfuisse sancto Cyrico anno 1458. Reperitur in instrumentis annorum 1451. & 1454.

XIII. Isabellis II. de Montbourcher sedisse dicitur anno 1466. Hanc reperimus in schedis

[a] Meminimus tom. VIII. col. 1158. cujusdam Odonis Pelu, qui nonnulla dedit monasterio Portus regii anno 1218.

ab anno 1459. ad annum 1467. mense Decemb.

XIV. Johanna IV. de Humieres. Hanc præfuisse aiunt anno 1460. sed falluntur. Obedientiam promisit Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi. Reperitur autem in schedis ab anno 1471. ad annum 1480.

XV. Margarita I. le Fevre, alias le Faure, quam sedisse aiunt perperam anno 1503. Benedicta est ab episcopo Carnotensi VI. idus Aprilis anno 1480.

XVI. Magdalena I. de Luxembourg comparet in instrumentis annorum 1486. & 1488. Abdicavit in gratiam sequentis.

XVII. Robina Appricard seu Appricarde, possessionem adepta est anno 1490. procurante Johanne Vallium Sernaii abbate. Sedebat adhuc ex schedis monasterii anno 1516. Eamdem esse suspicamur ac abbatissam ejusdem nominis sancti Remigii de Landis.

XVIII. Agnes Guillerme. Hanc perperam volunt sedisse anno 1547.

XIX. Petronilla II. Guillerme materteram habebat Robinam Appricard abbatissam; nomen ejus reperitur in actis ab anno 1518. mense Apr. post Pascha, ad idus Octobris anni 1553. Benedicta est a suffraganeo Carnotensi tertio calendas Septembris anno 1519. Dormitorium sororum refecit, reparandæque regulari disciplinæ invigilavit sedulo. Abdicavit in gratiam sequentis anno 1553.

XX. Margarita II. Raguier sedebat ex schedis annis 1555. & 1561. Abdicavit in gratiam sequentis.

XXI. Francisca I. Duplessis monasticen professa in parthenone Montis-Argivi, monialium ordinis sancti Dominici, comparet in instrumentis a non. Octobris anni 1563. ad IV. cal. Decemb. anni 1565. Æmulam passa est sequentem ab anno 1565. ad annum 1570.

XXII. Carola Abot monialis sancti Cyrici, de abbatia decertavit cum Francisca Duplessis; nomenque suum inscripsit variis actis annorum 1567. & 1568.

Querela inter utramque abbatissam excandescente, christianissimus rex designavit Claudiam de Montparlier ejusdem parthenonis monialem, quæ lite pendente præesset monasterio. Anno autem 1569. mensibus Novembri & Decembri, scitum est supremi consilii consultis, primo ut secederent Luteciam Francisca apud Filias-Dei, Carola apud Franciscanas suburbii sancti Marcelli; altero ut prior sancti Germani a Pratis Parisiensis monachos duos ex suis destinaret, qui delata sibi prius ab episcopo Carnotensi auctoritate, & corrigerent in parthenone sancti Cyrici quæ corrigenda essent, & novam abbatissam instituerent. Convocatis igitur anno 1570. mense Aprili omnibus monialibus (erant autem omnino undecim) ambo recuperatores, quorum alter erat Jacobus du Breuil, qui erudite scripsit de antiquitatibus Parisiacis, electam a conventu Magdalenam Hennequin monialem Montis Martyrum laudarunt; tum anno 1571. acceptis mense Februario literis regiis eamdem Magdalenam suo præposuerunt muneri; denique lata sententia mense Maio sequenti, VIII. idus Maii Franciscam ad Montem-Argivum, Carolam vero ad sanctum Cyricum dimiserunt, utramque sub abbatissa sua obedientiæque legibus victuram. Hæc omnia ex tabulario sancti Germani a Pratis desumta sunt.

XXIII. Magdalena II. Hennequin, de qua modo dicebamus, parumper videtur sedisse.

XXIV. Margarita III. Pardier sedem abbatialem obtinuisse dicitur eodem anno 1571. quo Magdalena Hennequin abbatissa fuerat instituta.

XXV. Dionysia II. de Sazille memoratur in instrumento mensis Novembris anno 1592.

XXVI. Claudia de Beaune sedisse dicitur anno 1595.

XXVII. Johanna V. Arnaud soror natu minor Jacobæ Mariæ Angelicæ, reformatricis Portus-regis, nata anno 1593. pridie calendas Januarii, fuit abbatissa sancti Cyrici favore D. Marion advocati generalis in Parlamento Parisiensi, sex annorum puella; sed ob ætatis defectum vicaria designatur Margarita Desportes. Huic tradita junior abbatissa anno 1599. quæ anno sequenti VIII. calendas Julii sumsit habitum religionis. Abbatiam dimisit anno circiter 1607. ut se reciperet in Portum-regis, ubi mater Agnes appellata est.

XXVIII. Margarita IV. Desportes monialis sancti Antonii Parisiensis, filia N.... Desportes auditoris computorum, rei domesticæ studiosissima, administravit ut vicaria ab anno 1599. ut abbatissa ab anno circiter 1607. Obiit anno 1625.

XXIX. Catharina Desportes amitam excepit, cui adjutrix data fuerat anno circiter 1614. Hæc amplexa prius anno 1630. in Valle-Gratiæ Parisiensi strictiorem vivendi normam, reformationi sororum suarum tota incubuit, nec spe delusa est. Exstructis duobus dormitoriis, culina, refectorio, valetudinario, aliisque ædificiis non paucis, abbatiam transcripsit sequenti an. 1651.

XXX. Elisabeth d'Aligre monialis Bellomerii ordinis Fontis-Ebraldi, filia Stephani d'Aligre summi Franciæ cancellarii, & Johannæ l'Huillier, benedicta est Luteciæ in monasterio Filiarum-Dei, annos nata quatuor & viginti. Fratrem habuit abbatem S. Jacobi Pruvinensis, cujus beneficio & sumtibus ædificationes monasterii sui vel amplificavit nobiliter, vel magnifice decoravit; duas vero sorores datas sibi adjutrices, Annam mortuam anno 1669. & Franciscam quæ ei successit. Ipsa autem abdicato regimine anno 1688. obiit Luteciæ in abbatia dicta *de Pantemont*, anno 1699.

XXXI. Francisca II. d'Aligre, de qua modo agebamus, monasticen professa in monasterio Villæ-Episcopi, facta est abbatissa anno 1688. Obiit III. nonas Februarii anno 1719.

XXXII. Francisca III. d'Aligre amitæ suæ adjutrix facta anno 1717. Abbatissa erat anno 1726.

XXXIII. N... de Chavigny.

S. Remi des Landes.

SANCTUS REMIGIUS de Landis.

NArrant parthenonis hujus moniales conditum fuisse monasterium suum a Scariberga Chlodovei I. Francorum regis nepti (filiam sororis intelligunt.) Sed nec de Scariberga audivimus quidem, nisi forte ab oscitantibus legendariis; nec familiam illam tam vetustis imaginibus gloriari posse existimamus. Stabat nihilominus asceterium in fundo quodam abbatiæ Floriacensis positum, illudque regulæ Benedictinæ obnoxium, sed angustum & tenue, *sub annuo censu unius aurei nummi, valentis duos solidos & sex denarios Carnotensis monetæ;* quum anno 1160. precibus Roberti B III. Carnotensis episcopi, qui abbatiam illic erigere decreverat, Macarius Floriacensis abbas, assentientibus monachis suis, moniales hujus loci impertivit amplioribus donis.

Ch. LXII. col. 335.

Tabula Abbatissarum.

I. HAvisa comparet prima in schedis anno 1207.

II. Eustachia de Bello-videre reperitur anno 1226.

III. Petronilla de Goudainville occurrit annis 1391. & 1406.

IV. Guillelma la Servante Petro Bechebien C episcopo Carnotensi obedientiam promisit nono calend. Augusti anno 1447. Videtur postea commigrasse ad abbatiam sancti Cyrici.

V. Johanna I. Tavernier, quam pro more temporum illorum appellabant la Taverniere, nomen suum consignavit quibusdam actis annorum 1457. & 1461. Abbatia cessit anno 1464.

VI. Johanna II. Papillon, in quibusdam schedis dicta la Papillonne, priorissa sanctæ Annæ, prioratu cessit in gratiam Johannæ Tavernier, & facta est abbatissa anno 1464. Præstito deinde III. idus Julii anno 1465. fidei sacramento episcopo Carnotensi, ab eodem benedicta est. Sed D XVI. calendas Julii anno 1478. suspensæ ab administratione coadjutrix data est ab episcopo Carnotensi Johanna de la Chaussée monialis Claretorum. Eadem tamen adjutrice consentiente transcripsit abbatiam sequenti quarto idus Maii anno 1488.

VII. Robina Appricard Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi obedientiam promisit. Hanc suspicamur ex hac abbatia convolasse anno 1490. ad abbatiam sancti Cyrici.

VIII. Philippa de Chassaing reperitur in instrumentis annorum 1498. & 1501. Forte ea est quæ sub nomine Philippæ de la Hebergerie E clientelam professa est ecclesiæ Carnotensi anno indenunciato.

IX. Pontia de Coulonges sedebat annis 1500. & 1501.

X. Anna I. de Coulonges sedebat annis 1526. & 1527.

XI. Agnes de Marafin monialis Fontebraldensis, reformato Altæ-Brueriæ parthenone transiit ad abbatiam sancti Remigii, quam rexit annos quatuor & triginta. Obiit decimo tertio calendas A Januarii anno 1568. fere nonagenaria.

XII. Ludovica de Prunelai ex domo vicedominorum d'Eneval.

XIII. Susanna de Chambrai occurrit in schedis anno 1580.

XIV. Anna II. Vivien sedebat anno 1604.

XV. Amata de Bridiers præerat anno 1618.

XVI. Margarita Briçonnet monialis Malænoæ, occurrit annis 1619. & 1639.

XVII. Maria Tambonneau filia Michaelis Tambonneau præsidis in camera computorum Parisiensi, & Mariæ l'Huillier, obiit ex aliis XV. calendas Julii anno 1683. ex aliis vero anno 1691. mense Julio post abdicatam præfecturam.

XVIII. Genovefa Angelica de Mesieres d'Espernanches obiit pridie idus Martii anno 1686.

XIX. Elisabeth Chantereau le Fevre monialis beatæ Mariæ Suessionensis.

XX. Blancha Maria de Clermont Galerande designata est abbatissa XVI. calendas Septembris anno 1691.

XXI. Maria Anna de Tubieres de Caylus designata anno 1719. mense Martio, defuncta VIII. idus Septembris anno 1726.

XXII. N . . . de Saint Fargeux designata anno 1726. mense Novembri.

XXIII. Maria Catharina de Mezieres monialis Confluentium supra Luteciam, possessionem iniit V. idus Januarii anno 1739.

Extra ordinem recensemus Alipdim, quæ obedientiam vovit ecclesiæ Carnotensi, ex tabulario ejusdem ecclesiæ: quo enim tempore vixerit, nos latet.

SANCTUS CORENTINUS.

Saint Corentin.

ANno 1201. inquit Guillelmus Aremoricus, *Octaviano domini papæ legato adhuc in Francia existente, obiit superinducta regina Maria,* quam Philippus Augustus repudiata Ingelburge duxerat, *& sepulta est honorifice in quodam cœnobio monialium, in ecclesia beati Corentini, distante a Medunta castro per sex millia passuum, ubi Philippus rex ædificavit abbatiam centum viginti virginum, quæ ibidem sub præcepto abbatissæ Domino jugiter famulentur.* Succinit Albericus Trium-fontium monachus iisdem fere verbis: *Anno 1201.* inquit, *Philippus puer & Maria soror ejus, quos rex de superinducta genuerat, a papa Innocentio legitimantur. Eodem anno mater eorum, eadem superinducta, moritur, & juxta Meduntum in ecclesia sancti Corentini sepelitur, ubi rex fecit abbatiam centum & viginti monialium.* Ex quibus colligere est abbatiam sancti Corentini fundatam fuisse a Philippo Augusto rege circiter annum 1201. Stetisse nihilominus monasterium illud ante hunc annum innuere videntur & Guillelmus & Albericus, ut nisi post mortem superinductæ reginæ ad abbatiæ dignitatem evectum sit. Et certe contendunt sancti Cyrici moniales paruisse sibi aliquando parthenonem S. Corentini. Fuit igitur duodecimo seculo parthenon ille prioratus sancto Cyrico obnoxius; deinde anno circiter 1201. abbatia sui juris facta est. Præter Mariam reginam quæ ibi sepulta est cum hoc

Duchesne hist. Franc. t. 5. p. 81.

epitaphio ad januam basilicæ apposito: *En cette eglise est inhumée la reine Marie de Moravie ou Meranie, epouse de Philippe II. dit Auguste, roi de France, lequel fonda cette abbaïe pour cent vingt religieuses sous une abbesse. Philippe comte de Boulogne fils des susdits roi & reine, a donné à cette maison dix milliers de harangs sors. Priez pour leur repos;* ibidem condita sunt sub saxo silice cor & viscera Blanchæ matris sancti Ludovici cum hac epigraphe: *Cette tombe est de la reine Blanche de Castille epouse de Louis huitieme du nom roi de France, & mere de saint Louis aussi roi de France, dont le cœur & les entrailles sont dans ce monument. Elle a donné à cette abbaïe 50. livres Parisis de rente, les vitres de cette eglise, & quantité d'autres bienfaits; pour l'ame de laquelle reine l'on dit tous les mois un obit en ce monastere.*

Elenchus Abbatissarum.

I. MABILIA.

II. Agnes I.

III. Idonea.

IV. Avicia fatis functa ex necrologio Uticensi nonis Martii.

V. Heudeburgis seu Hodeardis.

VI. Mathildis obiit ex necrologio Uticensi tertio nonas Julii.

VII. Odelina.

VIII. Ales seu Alix.

IX. Elisabeth I.

X. Alicia de Nantilli.

Hæ omnes quibus annis & quo ordine sederint, ignoratur.

XI. Agnes II. de Meherout. Hanc legimus renunciasse mense Januario anni 1280. id est 1281. electioni suæ coram episcopo Carnotensi.

XII. Petronilla I. de Vilaines. Huic Johannes de Garlanda episcopus Carnotensis testamento condito in vigilia sancti Carauni anno 1315. legavit decem libras ad anniversarium celebrandum. Obiit ex necrologio Uticensi XIII. calendas Martii.

XIII. Robina seu Roberga de Nantilli, sedisse dicitur ab anno 1372. ad annum 1394. Occurrit mense Februario 1369. Augusto 1386. & xv. calend. Maii 1395. in chartis authenticis.

XIV. Catharina de Fosses sedisse dicitur anno 1402. Occurrit in schedis VI. calendas Aprilis ab anno 1396. id est 1397. ad annum 1423. Obtinuit ab Henrico rege Angliæ v. idus Aprilis 1423. confirmationem salariorum quæ monasterio suo debebantur, a regibus Franciæ olim concessorum super pontagium aquæ Meduntensis.

XV. Ida la Seraine reperitur in instrumentis a XV. calendas Martii anni 1423. id est 1424. ad XVI. calendas Martii anni 1430. id est 1431.

XVI. Petronilla II. de Garencieres occurrit mense Februario anni 1445. id est 1446. Benedicta est a Petro Bechebien episcopo Carnotensi; huic obedientiam vovit XVII. calend. Decembris anno 1452. Obiisse dicitur pridie idus Julii anno 1469.

XVII. Johanna I. de Hugueville benedicta a A Milone d'Illiers episcopo Carnotensi x. calendas Maii anno 1471. eidem obedientiam vovit. Fato functa est XIV. calendas Junii anno 1504.

XVIII. Margarita de Pillois clientelam professa est Renato d'Illiers episcopo Carnotensi anno 1504. die Dominica post synodum Carnotensem. Obiit x. calendas Octobris anno 1522.

XIX. Johanna II. de Limoges reperitur in instrumento anni 1525. Obiit anno 1531. post cujus obitum datur licentia eligendi abbatissam v. idus Julii ejusdem anni.

XX. Antonia du Busc electa est IX. calendas Augusti anno 1531. Extincta est IX. calendas B Januarii anno 1544.

XXI. Isabellis I. de Venois fato functa XVIII. calendas Maii anno 1554.

XXII. Magdalena I. de l'Estandart occurrit mense Novemb. anno 1555. & mense Februario anni 1576.

XXIII. Johanna III. de Limoges præerat anno 1582.

XXIV. Isabellis II. de Viole.

XXV. Francisca de Saint Simon de Sandricourt contenderat anno circiter 1577. de abbatia Vallis-profundæ seu Vallis-Gratiæ in diœcesi Parisiensi; sed causa ceciderat anno 1582. Obiit C XVII. calendas Septembris anno 1597.

XXVI. Gabrielis d'Amilli obiit v. non. Maii anno 1633.

XXVII. Maria de Vienne filia gubernatoris Abbatis-villæ, sedebat anno 1634. Rexit annis triginta; disciplinam regularem pene extinctam in suo monasterio suscitavit.

XXVIII. Anna Bertha de Bethune filia Hypoliti de Bethune comitis de Selles, equitis torquati, & Annæ Mariæ de Beauvilliers de Saint Agnan, permutatione facta cum sequenti transiit ad abbatiam Belli-montis in diœcesi Turonensi.

XXIX. Maria Anna de Cochefilet de Vau- D celas, prius sancti Lupi Aurelianensis, deinde continuis 22. annis Belli-montis Turonensis abbatissa, permutatione facta cum præcedenti, sedit mensem unum, fatis functa v. calendas Decembris anno 1669.

XXX. Julia Gabrielis de Beauvais abdicavit anno 1675.

XXXI. Magdalena II. Ceberet seu Cebret monialis Jotri, vacantem reliquit abbatiam anno 1678. ut ad Jotrum rediret, ubi obiit octogenaria pridie nonas Septembris anno 1718.

XXXII. Maria Angelica de Bullion filia Francisci marchionis de Mont-louet, & Ludovicæ E Mariæ Rouaut, præfuit uno & triginta annis, extincta IV. calendas Februarii anno 1712.

XXXIII. N . . . de Menestrel designata VII. calendas Aprilis anno 1712.

ARCISSÆ, seu ARCISSIÆ.

ARCISSÆ.

LOcum hunc primo datum venerabili Bernardo a Rotroco comite Perticensi antequam Tironense asceterium conderet, deinde ab eodem ablatum instigante matre sua Beatrice jam diximus in proloquio abbatiæ Tironiensis. At ubi

Bernardus Tironium fundavit, Beatrix omni acerbitate deposita Arcissias sancto viro restituit in prioratum suæ ditionis instituendas. Prioratus ille ad abbatiæ titulum evectus est VI. idus Septemb. anno 1225. sub patrocinio B. Mariæ virginis, & sub ejusdem Tironii dominatu, a Guillelmo de Bellême episcopo Catalaunensi ac comite Perticensi. Verum anno 1630. monachis alio secedentibus (erant illi duo duntaxat) transiit ad moniales.

Vita beati Bern. Tiron. cap. 42.

Chart. LXXXVI. col. 358.

ABBATES.

I. JOHANNES I. præerat anno 1249. mense Octobri.

II. Egidius præerat mense Junio anni 1298. & mense Januario sequenti, ex instrumentis quibus abbatem Tironii ut superiorem suum agnoscit.

III. Simon sedebat anno 1336. ex tabulario sancti Lisardi Magdunensis.

IV. Guillelmus Desjardins forte nepos ex fratre Henrici de Hortis abbatis Tironii, transiit anno 1350. ad abbatiam S. Petri Carnotensis.

V. Johannes II. le Roier episcopo Carnotensi promittit obedientiam octavo calendas Februarii anno 1361. id est 1362. Obiit anno 1363. forte 1364.

VI. Petrus I. Ferlart seu Foillard camerarius Tironiensis, electus est VI. nonas Martii anno 1363. id est 1364.

VII. Johannes III. la Soze episcopo Carnotensi promittit obedientiam x. calend. Decembris anno 1369.

VIII. Stephanus præerat mense Novembri anno 1394.

IX. Andreas regis consiliarius sedebat anno 1432.

X. Petrus II. Fouasse, cujus nomen reperitur in variis instrumentis ab anno 1436. ad calend. Junii anni 1461. Obiit anno 1464.

XI. Baptista Morin Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi promisit obedientiam anno 1466. Præerat adhuc anno 1490.

XII. Johannes IV. Preverant sedebat anno 1495. mense Junio. Obiit sexto idus Aprilis anno 1499.

XIII. Matthæus Gouffier subprior Tironii, electus de more ab abbate & monachis Tironensibus v. nonas Maii anno 1499. confirmatus est a Renato d'Illiers episcopo Carnotensi idibus Novembris ejusdem anni.

XIV. Renatus I. seu Johannes Chapuys, adstitit benedictioni Margaritæ de Chemens abbatissæ Claretorum x. calendas Junii anno 1501.

XV. Filibertus Charpin præerat mense Novembri anno 1508. & mense Nov. anno 1509.

XVI. Ludovicus de Laige sedebat an. 1515. mense Julio. Transegit anno 1525. mense Oct. cum Maria Luxemburgica ducissa Vindocini, & domina Nogenti-Rotroci.

XVII. Renatus II. de Laubier abbatiam tenuisse dicitur ab idibus Februarii anni 1529. id est 1530. ad v. idus Decembris anni 1539.

XVIII. Petrus III. Disque præerat an. 1540. mense Augusto, & anno 1544. mense Junio.

XIX. Gerardus de Laubier commendatarius, clericus Andegavensis, Ludovico Guillard episcopo Carnotensi obedientiam promisit pridie nonas Junii anno 1547. Sedebat adhuc ineunte anno 1585.

XX. Gilbertus de Tournebulle, abbas item Exoldunensis, præerat anno 1586. mense Nov. Obiit anno 1595.

XXI. Michael Molin præerat anno 1602. mense Novembri.

XXII. Philippus de Blavette commendatariorum ultimus, sedebat anno 1617. Sponte abdicavit anno 1627. ut monasterium cederet in jus monialium.

Præter hos abbates, Hugonem reperimus in necrologio ecclesiæ Carnotensis, qui eidem ecclesiæ clientelam professus est anno incerto.

ABBATISSÆ.

I. FRANCISCA de Riant filia Dionysii de Riant domini de Villerai & Ludovicæ de Blavette, regulam sancti Francisci professa in monasterio Mauritaniæ diœcesis Sagiensis, priorissa erat S. Michaelis de Firmitate Milonis, quando facta est prima Arcissiarum abbatissa bullis pontificiis XI. calendas Junii anno 1630. Regulam sancti Benedicti vovit tertio calendas Novembris anno 1632. & postridie benedicta est a Leonorio d'Estampes episcopo Carnotensi, qui eodem anno jus omne rescidit quod in Arcissias hactenus Tironium habuerat. Tironenses qui huic novæ rerum conversioni intercesserant, assensum tandem præbuere anno 1638. ea lege, ut quotannis die festo SS. Trinitatis Arcissiarum moniales cereum album trium librarum offerrent abbatiæ Tironensi; quod etiamnum in usu habetur. Abdicavit Francisca anno 1649. in gratiam sequentis, ac diem extremum clausit Andeliaci in prioratu S. Johannis, pridie nonas Novembris anno 1661.

II. Johanna I. de Chaumont filia Johannis de Chaumont regi a sanctioribus consiliis, & Mariæ de Bailleul, monasticen professa in cœnobio Vallis-Gratiæ Parisiensi, bullas impetravit III. calendas Julii anno 1650. Benedicta est VI. idus Sept. ejusdem anni in abbatia Vallis-Gratiæ Parisiensi ab archiepiscopo Johanne Francisco Gondio; obiitque x. calendas Februarii anno 1697.

III. Anna Pesseau filia N . . . Pesseau in Parlamento Parisiensi advocati, & Annæ Guerrier, monialis erat Arcissiarum, quum ad ejusdem abbatiæ regimen designata a rege christianissimo v. nonas Maii anno 1697. bullis impetratis III. idus Maii anno 1698. benedicta est eodem anno idibus Augusti a Paulo Godet des Marais episcopo Carnotensi. Abdicavit anno 1726. adhuc in vivis anno ineunte 1742.

IV. Johanna Francisca Rossignol monialis Tertii-ordinis sancti Francisci in conventu Conceptionis Parisiensi, nominata est a rege IV. idus Martii an. 1727. Bullas impetravit eodem anno pridie calendas Aprilis; translata est anno 1739. ad Malam-noam.

V. Johanna II. Oneill filia Constantini Oneill & Claræ Staffort, nata anno 1686. apud Stratam diœcesis Tuamensis in Hibernia, monasticen agebat in parthenone Sanctonensi, quando ad Arcissas nominata est brevi regio v. nonas Martii anno 1739. Possessionem adepta est illustrissimi generis abbatissa eodem anno xi. calendas Augusti.

SANCTUS CARAUNUS.

SAINT CHERON.

EXtra suburbia urbis Carnotensis situm est hoc monasterium, sancti Carauni martyris nomine insignitum, qui eodem in loco tumulatus, aliis quampluribus basilicis in diœcesibus Carnotensi, Cenomanensi, Ebroicensi & Autissiodorensi nomen suum dedit. In vetusto quodam lapide ad parietem chori affixo, dotatum dicitur a Clotario rege; quod ut confidentius asseverari possit, argumentis certioribus indigere existimamus. Aiunt tamen, quod admitti nil vetat, ecclesiam sancti Carauni a sancto Pappolo episcopo Carnotensi, qui florebat exeunte sexto seculo, ædificatam fuisse. Certum est autem ecclesiam illam nono saltem seculo abbatiæ titulo decoratam fuisse, quum ibi Haimericus anno 885. sederet abbas. Ineunte seculo undecimo abrogata *abbatum* dignitate, transiit monasterium ad canonicos seculares, quorum qui primas tenebat, *præpositi* nomine appellabatur. Verum anno circiter 1149. Goslenus de Leugis episcopus Carnotensis, canonicis secularibus amandatis, regularibusque in eorum locum substitutis, antiquæ *abbatiæ* suam reddidit dignitatem, quæ ab instauratione sua præbendam obtinet in ecclesia cathedrali, nunc vero obnoxia est congregationi canonicorum regularium Gallicanæ. Fuit igitur monasterii hujus conditio triplex; prima sub abbatibus monachis, altera sub præpositis canonicis secularibus, tertia sub abbatibus canonicis regularibus. Sammarthani fratres, qui canonicos seculares ad sanctum Caraunum regularibus subrogatos esse volunt anno circiter millesimo, videant num tribus aut quatuor ante Ivonem Carnotensem seculis exstiterint abbatiæ quædam canonicorum regularium. Quod si abbatia sancti Carauni decimo saltem seculo canonicis regularibus non paruit, necesse est monachos agnoscat suos antiquiores dominos.

Rouillard, Parth. chap. 10. & 13.

ABBATES MONACHI.

PRioris hujus tabulæ abbates, inquiunt Sammarthani, accurate collecti sunt ex codicibus mss. & necrologio sancti Carauni. Penes eos sit fides.

I. Aper primus reperitur in diptychis titulo abbatis insignitus; & de eo plura referuntur in legenda sancti Carauni, quam lege apud Bolland. Maii tom. vi. pag. 749. & seqq.

II. Dionysius I. abbas renunciatur anno 668. Rexit octo annis.

III. Balduinus ab anno 676. præfuit undecim annis.

IV. Simon I. sedere cœpit anno 687.

V. Dionysius II. sedebat anno 701.

VI. Simon II. sedebat anno 717. *Ejus tempore*, inquiunt Sammarthani, *canonici S. Carauni fruebantur præbenda in ecclesia sanctæ Mariæ Carnotensis, necnon præpositura, cujus Major dominio temporali ac jurisdictione utebatur.* Nil moror *canonicos*, de quibus mentem nostram aperuimus in proloquio hujus monasterii. Ad *præbendam* ecclesiæ cathedralis quod spectat, mirabitur sane eruditus lector, cleri Carnotensis opes & fortunas ineunte octavo seculo in præbendas jam fuisse dissectas. Ad extremum quid nomine *præpositura* hîc intelligendum sit, non videmus.

VII. Herveus I. sedebat anno 730. Præfuit annis viginti.

VIII. Dodo gubernavit annis duobus & viginti.

IX. Odo factus est abbas anno 772.

X. Mattheus sedebat anno 788.

XI. Dionysius III. sedebat anno 799. Præfuit annis tribus & quadraginta.

XII. Herveus II. sedebat anno 842. *In obituario Carnotensi*, inquiunt Sammarthani, *dicitur canonicus beatæ Mariæ.* Nunquid abbatiam sancti Carauni tenebat in commendam? an forte ideo canonicus appellatus est, quod abbatia illa possidebat unam ex præbendis ecclesiæ cathedralis? Sub ejus præsulatu, addunt eruditi fratres, circiter annum 850. monasterium S. Carauni eversum est a Normannis.

XIII. Haimericus, cujus non meminere Sammarthani, monachos Fontanellenses cum reliquiis sanctorum Wandregisili & Ansberti metu gentilium fugientes in suo monasterio excepit per tres menses, annis 885. & 886.

Bolland. Jul. tom. 5. pag. 289. col. 1.

XIV. Gilbertus sedebat ex Sammarthanis anno 898.

XV. Graulfus factus est abbas ex iisdem anno 941. sedit autem annis duodequadraginta; ita ut successorem non habuerit, nisi anno 979. aut 978. qua in re allucinati sunt. Certe sedebat Graulfus ex instrumentis nostris an. 949. Obierat autem, aut abdicarat anno 968.

Chart. III. col. 189.

XVI. Herveus III. si tamen tres hujus nominis abbates distinguendi sunt, fugit Sammarthanos. Concessit ille ad censum perpetuum quarto idus Maii anno decimo quarto regni Lotharii, hoc est anno 968. Ardeado canonico ecclesiæ Carnotensis, sedem quamdam duorum molendinorum super fluvium Auturam.

XVII. Garnerius sedebat ex Sammarthanis anno 978. præfuit autem annos duodetriginta. *Post ejus fatum*, inquiunt, *ingens discordia oritur pro electione abbatis; pro qua dirimenda administratio cœnobii titulo* præposituræ *collata est Harduino canonico Carnotensi, qui abbatiæ regimen adeptus, amotis regularibus canonicis seculares substituit.*

PRÆPOSITI SECULARES.

I. HARDUINUS abrogato abbatis nomine præfuit, inquiunt Sammarthani, annis triginta, hoc est ab anno 1016. aut circiter, ad annum 1046. Verumtamen Herveum administrare cœpisse volunt anno 1036.

II. Herveus sedere cœpit ex Sammarthanis

anno 1036. Rexit autem triginta tribus annis. A

III. Henricus sedere cœpit ex iisdem anno 1069. Nominatur anno 1108. in actis fundationis sancti Andreæ Carnotensis; quæ acta non vidimus.

IV. Guerinus ex iisdem sedebat annis 1111. & 1115.

V. Clemens factus est præpositus anno 1130. Sub ejus præpositura anno 1137. recruduit querela inter præpositum, majorem & canonicos, quam temporibus Guerini jam sopierat Ivo Carnotensis episcopus. Goslenus autem de Lengis, expulsis canonicis secularibus, canonicos regulares accersivit, quibus inter cetera beneficia contulit B ecclesiam sancti Germani de Dourdan, ac præposituram & præbendas canonicorum secularium; ita ut abrogatis præpositis restituti sint denuo abbates.

Abbates Canonici Regulares.

I. THEOBALDUS I. quum a Gosleno episcopo institutus sit abbas, sedere non cœpit ante annum 1149. sedebat autem anno 1150. quo anno bullam obtinuit ab Eugenio III. summo pontifice. Rexit ex Sammarthanis annis duodetriginta; ita ut successorem non habuerit ante annum 1178. Huic tamen Leobardum sufficiunt C anno 1166. At Leobardus ille Rolliardo incognitus, non videtur distinguendus esse a Theobaldo.

Chart. LIX. col. 334.

II. Aucherius bullas obtinuit anno 1179. ab Alexandro III. & anno 1182. a Lucio III. summis pontificibus. Sedebat adhuc anno 1190.

III. Robertus I. de Ver reperitur in actis ab anno 1198. ad mensem Novembr. anni 1206.

IV. Gosselinus aut Josselinus sedebat annis 1212. & 1216.

V. Petrus I. ex canonico S. Johannis in Valle assumtus ad hanc abbatiam, sedebat annis 1219. 1224. & 1235. mense Maio; præfuit ex Sammarthanis annos duos & viginti. Memoratur in D necrologio sancti Johannis his verbis: *XIV. calendas Februarii obiit Petrus des Choux nostræ congregationis canonicus, quondam abbas sancti Carauni.*

VI. Dionysius reperitur in instrumentis a mense Martio anni 1238. id est 1239. ad mensem Aprilem anni 1241. Sedebat adhuc ex Sammarthanis anno 1242.

VII. Matthæus præerat annis 1247. & 1248. Præfuit ex Sammarthanis annis novem.

VIII. Egidius nomen suum consignavit instrumento cuidam anni 1248. mense Januario, id est 1249. Forte ille est qui sub nomine Gilonis Bolardi obedientiam vovit ecclesiæ Carno- E tensi anno minime designato, ex tabulario ejusdem ecclesiæ.

IX. Philippus vivebat anno 1254. Forte ille est qui affuit anno 1256. concilio Senonensi, quanquam Martenius noster litera B. illum designat, librariorum ni fallimur incuria.

Amplis. collect. tom. 7. col. 146.

X. Simon reperitur in charta anni 1272. mense Januario, hoc est 1273.

XI. Petrus II. memoratur in chartis anni 1278.

XII. Johannes I. d'Espernon sedebat annis 1296. & 1314.

XIII. Johannes II. de Villiers sedebat anno 1316. Rexit ex Sammarthanis annos 39.

XIV. Petrus III. de Villiers sedebat anno 1354. & mense Januario 1385. id est 1386.

XV. Robertus II. Jourdain præerat anno 1386. Robertum sine cognomine reperimus in chartis annorum 1394. & 1399. Delegatus est ab episcopis anno 1415. mense Septembri, ut intimaret causam confirmationis vel infirmationis Philippi de Bosco-Giloudi episcopi Carnotensis.

XVI. Johannes III. Carreau sedebat anno 1417.

XVII. Petrus IV. Hermet præerat anno 1419.

XVIII. Guillelmus Riccordeau electus anno 1421. sedit ex Sammarthanis annos undeviginti.

XIX. Theobaldus II. sedebat anno 1440.

XX. Johannes IV. Mahault Petro Bechebien episcopo Carnotensi obedientiam promisit XV. calendas Aprilis anno 1453. id est 1454.

XXI. Petrus V. præerat annis 1483. & 1490.

XXII. Petrus VI. le Texier præerat an. 1493.

XXIII. Nicolaus Brebier inauguratus anno 1499. idibus Octobris, decessit mense Maio anni 1500.

XXIV. Jacobus Ricoul eligitur anno 1500. Aiunt Sammarthani, in æde Augustinianorum Luteciæ nonas Maii 1508. consecratum esse suffraganeum Carnotensem a Philippo Meldensi episcopo, assistentibus Antonio & Jacobo aliarum ecclesiarum præsulibus. At nullus eo tempore Philippus Meldensem ecclesiam rexit. Nihilominus ex schedis Tironensibus Jacobus erat abbas sancti Carauni simul & episcopus Thermopilensis III. calendas Septembris anno 1510.

XXV. Maturinus Boucheron præerat annis 1516. & 1524. Sub ejus præfectura visitatum est monasterium a Lamberto Hotomanno & Johanne Montholone canonicis regularibus sancti Victoris Parisiensis, qui plura statuta condidere.

XXVI. Bartholomæus Simon episcopus Sebastensis & suffraganeus Carnotensis, abbatiam tenebat annis 1525. & 1534. præfuit annis sexdecim. Sub eo claruit Claudius de Saintes canonicus sancti Carauni, clarissimus theologus, postea Ebroicensis episcopus.

XXVII. Hugo Salel clericus Cadurcensis & cubicularius Francisci I. Francorum regis, primus abbatiam sancti Carauni tenuit in commendam. Ludovico Guillard episcopo Carnotensi obedientiam promisit VII. calend. Octobris anno 1543. Homerum vernacule reddidit, præfuitque abbatiæ per annos duodecim.

XXVIII. Guillelmus I. de Myrbrich presbyter Coloniensis, factus est abbas bullis pontificiis III. idus Novembris anno 1553. Obedientiam professus est Carolo Guillard episcopo Carnotensi VII. idus Maii anno 1554. præfuit annis duodeviginti. Sub eo ab hæreticis in obsidione Carnotensi combusta est basilica, & cœnobium exspoliatum anno 1568.

XXIX. Guillelmus II. d'Aubermont, Belga, canonicus & camerarius Carnotensis, factus est abbas anno 1571. Sedit annos novem.

Laurentius Gabois monachus Majoris monasterii Turonensis, abbatiam S. Carauni obtinuit in commendam anno 1580. sed bullas non impetravit. Obiit mense Novembri anno 1583.

Guillelmus Baigneaulx I. monachus Josaphatensis, quum abbatia tribus annis vacasset, nominatur a rege; & biennio post, anno 1589. trucidatur a famulis marchionis de Saveuse, bullis non impetratis.

Post cædem Guillelmi temporalia monasterii œconomis commissa sunt. Interim defuncto christianissimo rege Henrico III. quum Josiam Picard, quem Henricus IV. nominaverat, admittere detrectarent, canonici Caraunenses abbatem elegerunt Claudium de Saintes episcopum Ebroicensem, cujus meminimus in abbate Bartholomæo Simon. Claudius episcopo Carnotensi præsentatur VIII. calendas Novembris anno 1589. licet non confirmatus, & per procuratorem abbatiam acceptavit v. idus Novembris ejusdem anni. Uterque tamen paulopost obierunt, Josias Romæ, anno 1590. dum expeditioni bullarum suarum vacabat, Claudius anno 1591. Tunc quasi per obitum Guillelmi Baigneaulx vacaret abbatia, rex nominavit œconomum in spiritualibus & temporalibus Michaelem Gautier presbyterum, pridie nonas Februarii anno 1592. quam nominationem probavit majus consilium pridie nonas Septembris ejusdem anni.

Guillelmus Baigneaulx II. superioris ex fratre nepos, abbatiam deinde tenuit ab anno exeunte 1592. ad annum 1595. sine bullis.

Petrus le Craieux Burgundus, canonicus Carnotensis, sedebat anno 1599. sine bullis.

Post hunc Nicolaus Jouber dominus de Rivette, canonicus Carnotensis, impetravit abbatiam brevi regio sub nomine Petri Regnault canonici Carnotensis, & annua 200. librarum pensitatione. Sed majoris consilii consulto a possessione ambo exciderunt anno 1605. litem agente Ludovico Benoît.

XXX. Ludovicus Benoît doctor theologus & regi ab eleemosynis, ex dispensatione papæ fit canonicus regularis & abbas sancti Carauni anno 1605. idque per obitum Guillelmi d'Aubermont, quum decessores sui absque literis apostolicis provisi fuissent. Obiit VIII. calend. Octobr. anno 1613.

XXXI. Petrus VII. Regnault canonicus Carnotensis, ab anno 1613. triginta circiter annis possessor tranquillus. Sub ejus præfectura canonici sancti Carauni strictiorem congregationis Gallicanæ regulam induxerunt apud se, seminario instituendæ juventuti, basilica etiam, locisque regularibus ad meliorem statum revocatis.

XXXII. Guillelmus III. de Longueil filius Renati marchionis de Maisons summi ærario præfecti & præsidis infulati in Parlamento Parisiensi, ac Magdalenæ de Creveœur, abbas item Concharum in Normannia, apoplexia suffocatus interiit quarto calendas Februarii anno 1669.

XXXIII. Laurentius Reverend Philippo duci Aurelianensi ab eleemosynis, obiit anno 1680. mense Octobri.

XXXIV. Johannes V. Testu de Mauroi ducissæ Aurelianensi a consiliis & eleemosynis, abbas sancti Carauni factus est calend. Novembris anno 1680. Abbatiam item Fontis-Johannis tenuit, & prioratum Domni-Martini apud Meldos. Obiit in hoc prioratu pridie calend. Aprilis anno 1706. ætatis suæ octogesimo.

XXXV. Johannes Henricus Cochois baccalaureus in theologia, canonicus sancti Benedicti Parisiensis, tum ecclesiæ Suessionensis, renunciatus abbas XI. calendas Junii anno 1706. abdicato munere obiit Parisiis IV. idus Julii anno 1742.

XXXVI. Isaac Courcaut parochus S. Jacobi de Alto-passu apud Parisios, designatus est abbas mense Septembri anno 1734.

Prætermisimus Caraunum, qui clientelam professus est ecclesiæ Carnotensi, ex tabulario ejusdem ecclesiæ: quo enim tempore vixerit, non liquet.

SANCTUS JOHANNES in Valle. S. Jean en Vallée.

In suburbio urbis Carnotensis, aquilonem versus, positum est sancti Johannis monasterium, barbare *in Valleia* aliquando dictum, cujus ecclesia ex necrologio ejusdem monasterii fundata est a Tealdo quodam Sacerdote, qui eam *dignis muneribus decoravit & clericis.* Id autem contigisse aiunt anno 1038. Tealdus vero extinctus IV. nonas Septembris in eadem ecclesia requiescit. Ecclesiam illam Ivo Carnotensis episcopus ad abbatiæ dignitatem evexit anno 1099. canonicis regularibus illuc ex suo Bellovacensi monasterio accitis; sic enim necrologus: Ch. XXV. col. 305.

Centum mille minus uno currentibus annis
Floruit hic primum domus ordine canonicalis.

Erat in vicinia sancti Johannis ecclesia alia, sancti Stephani dicta, quam undecimo exeunte seculo canonicorum collegio auxisse Adelardum postea Carnotensem decanum, jam observavimus. Hanc cum canonicorum præbendis attribuit Ivo nascenti suæ sancti Johannis abbatiæ ex eodem necrologio, quod sic habet: *X. calendas Januarii anno ab Incarnatione Domini M. CXV. obiit bonæ memoriæ Yvo Carnotensis episcopus, qui canonicorum regularium ordinem in hac ecclesia constituit, & eamdem rebus suis ampliavit, dans fratrum usibus ecclesiam sanctæ Fidis, ecclesiam sancti Stephani cum rebus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Luciaco, ecclesiam de Ponte-Godano, & terram ultra stagnum, triginta quoque volumina librorum suorum, & multa alia beneficia contulit nobis.* Quibus beneficiis annumeranda sunt præbenda una in ecclesia cathedrali, & ceterarum ejusdem cathedralis præbendarum anniversaria, quæ antea dederat Arraldus Carnotensis episcopus canonicis sancti Stephani. Hæc autem omnia rata habuit anno 1119. Gaufridus de Leugis Carnotensis episcopus. Incendio deflagrata est sancti Johannis basilica anno 1215. ex necrologio

Sup. col. 1198. Ch. XXVII. col. 307. Chart. XLI. col. 318.

necrologio, cujus in calce legitur hoc distichon:

Mille & ducentis ter quinque fluentibus annis
Sancti in Septembri periit domus igne Johannis.

Postea anno 1432. exundantibus mense Maio mirum in modum imbribus, pene submersa est. Iterum a Calvinistis anno 1568. vastata, annis 1569. & 1580. reparata, ad extremum anno 1591. inter obsidionem urbis expilata ac fere dejecta est; neque adhuc damna omnia in integrum resarcita. Prolabentes ædes disciplinam regularem abducere secum visæ sunt. Hanc restituere adlaboraverunt anno 1262. Petrus de Minciaco, & anno 1396. Johannes le Fevre, episcopi Carnotenses. Eamdem postea vel debilitatam sustentare, vel extinctam suscitare nisi sunt decimo sexto seculo ineunte Ludovicus Guillard, & centum circiter post annis Leonorius d'Estampes, eorum successores; donec traderetur monasterium reformatis patribus congregationis Gallicanæ, qui canonicam vivendi normam ad pristinum splendorem revocare student in dies.

Ch. cxiv. col. 383.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. ALBERTUS filius Roscelini, ecclesiæ cathedralis canonicus. Hunc cum abbatis dignitate surgenti monasterio præfecit an. 1099. Ivo pontifex, ejusque præbendam eidem monasterio perenne attribuit. Bullam impetravit Albertus quarto nonas Decemb. anno 1103. a Paschali II. summo pontifice, in tutamen & præsidium monasterii sui. Sedebat adhuc anno 1108. Memoratur in necrologio his verbis: *VIII. idus Januarii obiit Albertus abbas, qui primus in hac ecclesia instituit ordinem canonicorum regularium.* Sed quo anno obierit, incompertum.

Ch. xxv. col. 305.
Ch. xxvii. col. 307.

II. Stephanus I. filius Guerrici vicedomini & Helissendis, frater autem Hugonis vicedomini, & alterius Helissendis; *in cujus adventu ad ecclesiam nostram*, ait necrologus, *habuimus vallis hujus majorem partem ad vicedominum pertinentem, villam etiam quam Moncellos vocamus ejus consilio & auxilio; præterea pro anima fratris Hugonis vicedomini, majorem villam quam vocant Ermensarvillam. Præter hæc ecclesiam nostram decoravit XX. cappis, XXX. palliis, calice aureo, aliisque vasis argenteis servitio altaris necessariis, & aliis pluribus beneficiis.* Helissendis vero hujus soror dedit *auream tabulam, argentea monilia, thuribulum argenteum, casulam purpuream, cappas duas, candelabra argentea.* Stephanus memoratur in instrumentis annorum 1113. 1119. 1122. & 1126. anno duodecimo episcopatus Gaufridi de Leugis; unde necesse est mendum irrepsisse in apographis quibusdam quæ R . . . abbatem fingunt fuisse sancti Johannis in Valle anno 1125. In Bosone abbate Floriacensi meminimus pactionis cujusdam factæ anno 1120. inter Bosonem illum, & Johannem ac Stephanum *abbates* sancti Johannis in Valle, ubi suspicamur abbatiæ illius nomen cui præerat Johannes, ab imprudente librario prætermissum fuisse. Neque enim uspiam audivimus Johannem quemquam sedisse ad sanctum Johannem in Valle ante seculum decimum tertium jam adultum. Stephanus quum iter Jerosolymitanum meditaretur, literas accepit anno circiter 1128. a sancto Bernardo abbate, qui consilium illud improbabat. Perrexit nihilominus Stephanus, & ad dignitatem evectus est patriarchæ Jerosolymitani. Obiit vero pridie idus Junii, quo anno, incertum.

S. Bernardus epist. 62.

III. Hugo dicitur in necrologio *avunculus* Stephani; forte autem patruus erat. Bullam obtinuit ab Innocentio II. papa quinto idus Octobris anno 1131. Obitum ejus varie consignant vel sexto calend. Maii, vel octavo idus Septemb. De anno siletur. Sedebat adhuc anno 1132. mense Jan. quo tempore Curvam-villam accepit a monachis Majoris monasterii, quibus data fuerat ecclesia sancti Martini in Valle, eo pacto ut annales præbendarum S. Martini, quibus fruebantur canonici sancti Johannis, verterentur in rem Majoris monasterii, & ut iidem canonici certos quosdam reditus attribuerent quotannis tam monachis sancti Petri in Valle, quam Leprosis Carnotensibus, in commutationem duarum præbendarum, quas illi in ecclesia sancti Martini in Valle habere solebant.

Chart. 4. col. 327.

IV. Guarinus I. reperitur in instrumento anni 1136. Bullam exoravit ab Eugenio III. papa anno 1150.

Ch. LVIII. col. 332.

V. Fulco seu Fulcaudus, reperitur in actis ab anno 1151. mense Septembri, ad annum 1172. Matrem habuit Hersendim, cujus meminit necrologus his verbis: *Pridie nonas Novembris obiit Hersendis, pro cujus anima filius ejus abbas hujus ecclesiæ Fulcaudus fecit tabulam argenteam ante altare.* Fulcaudus ipse obiit ex eodem necrologio VII. cal. Decembris.

VI. Robertus I. sedebat ex schedis domesticis anno 1180. & anno 1184. Forte ille est, de quo necrologus in hæc verba: *XIV. calendas Martii obiit Robertus, qui quum per plures annos hujus ecclesiæ abbas exstitisset, ante obitum suum onus deposuit curæ pastoralis.*

VII. Radulfus comparet in actis annorum 1186. & 1196. Necesse est autem electus fuerit anno 1186. sic enim de eo necrologus: *VI. idus Decembris obiit Radulfus sacerdos, qui quum per novem annos hujus ecclesiæ abbas exstitisset, ante obitum suum deposuit onus curæ pastoralis.*

VIII. Nicolaus præerat annis 1197. & 1212. ex tabulario monasterii. De eo sic habetur in necrologio: *XII. calendas Junii obiit Nicolaus, qui quum per plures annos hujus ecclesiæ abbas exstitisset, ante obitum suum onus deposuit curæ pastoralis.*

IX. Garnerius seu Guarinus II. ex canonico sancti Quintini Bellovacensis factus abbas sancti Johannis in Valle, sedebat annis 1215. & 1231. ex schedis domesticis; anniversarium singulare constituit pro singulis abbatibus decessoribus suis. Societatem precum iniit an. 1228. cum abbatia sancti Quintini Bellovacensis. Eum esse putamus, de quo necrologium his verbis: *XIV. calendas Septembris obiit Guarinus quondam abbas hujus ecclesiæ, & ad ultimum frater ordinis Prædicatorum.*

X. Guillelmus I. filius Floræ, sedebat annis 1237. & 1239. De eo sic necrologus: *VIII.*

idus Februarii obiit Guillelmus quondam abbas hujus ecclesiæ, & ad ultimum frater de ordine Minorum.

XI. Johannes I. præerat anno 1251. Transegit anno 1253. mense Augusto cum Mathilde comitissa Carnotensi. Sedebat adhuc anno 1263. mense Aprili; atque interesse debuit anno 1256. concilio Senonensi, quanquam Martennius noster litera B. illum designat, librariorum forte incuria; nisi inter Johannem I. & Petrum I. recensendi sint duo alii abbates, nimirum B... qui sederit anno 1256. & alter Johannes, forte Johannes de Haia, de quo infra, qui sederit anno 1263. Johannes I. videtur esse ille, de cujus parentibus necrologus in hæc verba: *VIII. idus Februarii anniversarium Caraumi des Passouers patris Johannis abbatis hujus ecclesiæ, & Ligardis matris suæ.*

Amplis. collect. Marten. tom. 7. pag. 146.

XII. Petrus I. comparet in instrumentis ab anno 1269. ad annum 1283. mense Octobri. Fortasse is est P. de Rhuis, qui memoratur in necrologio his verbis: *V. nonas Maii obiit P. de Rhuis quondam abbas hujus ecclesiæ, qui quum per plures annos abbas exstitisset, onus deposuit curæ pastoralis.*

XIII. Johannes II. comparet in instrumentis ab anno 1307. ad annum 1328. Ille est fortasse *Johannes de Tremblayo*, qui *quondam abbas hujus ecclesiæ*, obiisse legitur quinto calendas Decemb. in necrologio domestico.

XIV. Arnaldus du Bocage clientelam professus est ecclesiæ Carnotensi anno 1349. Obiisse dicitur anno 1361. Forte ille est Arnulfus, qui levita & præcentor sanctæ Mariæ Carnotensis, & *abbas istius ecclesiæ* memoratur quinto idus Novembris in necrologio, deditque monasterio inter alia beneficia, *cappam unam & bibliothecam in duo volumina divisam.*

XV. Johannes III. de Curia-Dominica *, ex parocho Curvæ-villæ electus est abbas VIII. idus Julii anno 1361. Literas obtinuit anno 1375. a Guarino episcopo Carnotensi, quibus declaravit pontifex in præjudicium abbatiæ verti non debere, quod in ingressu suo pontificali abbas pedum episcopi solenniter gestasset. Sedebat adhuc anno 1376.

* Court-Dimanche.

Ch. CXII. col. 378.

XVI. Petrus II. de Fontenai capellanus Philippi Valesii Francorum regis, præerat an. 1380. Obedientiam vovit ecclesiæ Carnotensi XI. cal. Aprilis anno 1388. id est 1389. Obiit ex necrologio XVIII. calendas Septembris.

XVII. Richardus Papin doctor in jure, reperitur in schedis ab anno 1391. mense Septemb. ad idus Maii anni 1410.

XVIII. Vivianus de Astria obedientiam vovit ecclesiæ Carnotensi quarto calendas Julii anno 1412. Obiit ex necrologio X. calendas Januarii.

XIX. Johannes IV. Baudrier, dictus Badier in necrologio domestico, ubi obitus ejus consignatur quarto idus Augusti. Præerat ex Sammarthanis anno 1423.

XX. Johannes V. Barré omissus a Sammarthanis, electus est quarto idus Septembris anno 1438.

Chart. CXXIII. col. 392.

XXI. Stephanus II. le Roux filius Bertrandi, A sedebat anno 1443. Extinctus est VII. calendas Augusti anno 1479. & sepulturæ traditus ante majus altare.

XXII. Johannes VI. Digni seu d'Igni, in decretis licentiatus, licentia eligendi prius petita, electus est XIV. calendas Septembris anno 1479. Competitorem habuit Antonium de Poisieux, qui sequitur. Obiit Luteciæ Parisiorum IV. idus Februarii anno 1482. id est forte 1483.

XXIII. Antonius de Poisieux monachus Benedictinus & veteranus archiepiscopus Viennensis, necnon abbas S. Petri extra portam Viennensem, commendam obtinuerat sancti Johannis in Valle B a rege christianissimo, sed jure suo cesserat XIV. calendas Octobris anno 1481. Paulo post tamen fatis functo Johanne d'Igni, in ejus locum suffectus est nonis Martii anno 1482. id est forte 1483. Abdicasse vero ante obitum colligitur ex instrumento quodam dato calend. Octobris anno 1489. in quo seipse appellans miseratione divina & sanctæ sedis apostolicæ gratia archiepiscopum & abbatem sancti Petri foras portam Viennensem, ac priorem prioratus curati sancti Martini de Garneyo a monasterio sancti Johannis in Valle dependentis, instituit procuratores suos reverendum in Christo patrem Johannem Jacquin abba- C tem prædicti monasterii, & alios quosdam, ad nominandum presbyterum unum aut plures, qui deserviant dictum prioratum de Garneyo. De eo sic necrologus: *XVI. calendas Junii Antonius de Poissiaco monachus Benedictinus & archiepiscopus Viennensis, qui relicto episcopatu, ad hanc ecclesiam transiit.* Et iterum: *XVI. calendas Februarii anniversarium D. Antonii de Poissiaco, quondam archiepiscopi Viennensis, & abbatis hujus monasterii.*

XXIV. Johannes VII. Jacquin, dictus etiam Rouelle, ex parocho sanctæ Fidis factus abbas bullis impetratis pridie nonas Novembris anno 1485. benedictus est XI. calendas Martii anno D 1486. a Milone d'Illiers episcopo Carnotensi, in ecclesia beatæ Mariæ Pisciacensis, assistentibus Eustachio abbate Gaudii-vallis, & altero abbate Præmonstratensi, diœcesis Bellovacensis. Abdicavit anno 1514. in gratiam sequentis. Obiit vero nonis Februarii anno 1521.

XXV. Martinus Baucher parochus S. Martini Calniacensis, bullas obtinuit idibus Januarii anno 1515. sub annua pensione 600. libr. solvenda Johanni Jacquin, qui sibi reservarat inter alia eminentiorem sedem in monasterio, & præsentationem beneficiorum. Martinus præerat adhuc anno 1532. abbas item sancti Eligii-Fontis & E sancti Vincentii in Nemore.

Sunt & alii abbates, quorum ætas incerta; illos excerpsimus ex necrologio.

XXVI. Guido, VIII. idus Januarii.

XXVII. Reginaldus, calend. Aprilis.

XXVIII. Robertus II. de Curia-Dominica, quinto idus Maii.

XXIX. Guillelmus II. de Monte-Landonis, pridie nonas Augusti.

XXX. Johannes VIII. de Haia, pridie calendas Octobris.

XXXI. Jacobus Paffart, XVIII. cal. Decemb. Hic ante obitum abdicavit.

Nunc ad commendatarios.

XXXII. Franciscus I. de Pisseleu obedientiam promisit episcopo Carnotensi VIII. idus Decemb. anno 1538.

XXXIII. Michael I. Bayard idem præstitit per procuratorem pridie calendas Martii anno 1539. & per semetipsum sexto idus Novembr. anno 1540.

XXXIV. Michael II. le Meignan, Sammarthanis Petrus appellatus, sedebat adhuc an. 1565.

XXXV. Petrus III. Marian, Sammarthanis ignotus, sedebat anno 1572. De eo sic habet necrologium: *IV. nonas Maii obiit Petrus Marian abbas noster, M. DLXXXII.* Hunc quidem aiunt regularem fuisse.

XXXVI. Carolus le Roux. Anno 1594. forte post ejus obitum, rex nominavit oeconomum in spiritualibus Johannem Borrée presbyterum dioecesis Carnotensis; quod probavit majus consilium anno 1595. mense Maio.

XXXVII. Michael III. le Roux.

XXXVIII. Claudius le Roux filius Caroli domini de la Roche des Aubiers, & Mariæ Hurault.

XXXIX. Gabriel Constantin decanus item sancti Mauritii Andegavensis, abbatiam obtinebat anno 1644. & 1649.

XL. N . . . Hameau commutavit abbatiam quinto calendas Maii anno 1664. cum parochia sancti Pauli Parisiensis.

XLI. Guillelmus III. Mazure antea parochus sancti Pauli Parisiensis, abbatiam obtinuit quinto calendas Maii anno 1664.

XLII. Petrus IV. Doublet canonicus & cancellarius ecclesiæ Metensis, sedebat anno 1688. Fato functus XII. calendas Aprilis anno 1705. sepultus est in ecclesia Metensi cum epitaphio, in quo dicitur *duos pro ægris egentibus lectos, alterum apud fratres sancti Johannis de Deo, alterum apud moniales de Auxilio nuncupatas publico obsignasse testamento.*

XLIII. Franciscus II. le Masson de Rabines duci Aurelianensi ab eleemosynis, memoratur abbas mense Aprili anno 1705. Obiit calendis Januarii anno 1723.

XLIV. N . . . du Prat duci Aurelianensi ab eleemosynis, nominatur abbas ad præsentationem ejusdem ducis, eodem anno VII. idus Maii.

CLARUS-FONS.

CLAIRE-FONTAINE

CONditum fuisse dicitur hoc monasterium anno 1100. sub patrocinio B. Mariæ virginis, in silva Aquilina ad Fontem-clarum inter nemora Montis-fortis & Durdani, a Simone comite Montis-fortis; confirmatum fuisse constat XIV. calendas Octobris anno 1164. a Roberto III. episcopo Carnotensi; privilegio autem manusmortuæ donatum a Philippo Augusto rege anno 1207. Ibi fuere primo canonici regulares usque ad annum 1627. mox eremitæ discalceati sub titulo sancti Augustini; tum canonici regulares congregationis Gallicanæ postliminio restituti auctoritate regia & Parlamenti consulto V. idus Julii anno 1640. Rursus reddita domus Discalceatis, qui eam ex Sammarthanis occupabant anno 1656. atque etiamnum occupant. Perseverat tamen usque ad hodiernum diem titulus abbatis.

TABULA ABBATUM.

I. GERARDUS præerat ex chartulario abbatiæ Thenoliensis annis 1144. & 1160. nisi forte alterius cujusdam Clari-fontis præfecturam obtinuerit.

II. Radulfus I. institutus abbas a Roberto III. Carnotensi episcopo, qui ei confirmavit donationes factas ab Henrico domino Guervillæ, anno 1164.

III. Johannes I. sedisse reperitur mense Febr. anni 1237. id est 1238.

IV. G . . . de quo fit mentio in charta anni 1268. mense Decembri.

V. M . . . occurrit anno 1303. mense Julio.

VI. Leobinus sedebat ex schedis mense Febr. anno 1369. id est. 1370.

VII. Adam Guarino episcopo Carnotensi obedientiam pollicitus est XVIII. calend. Maii anno 1372.

VIII. Johannes II. reperitur in schedis ab anno 1398. mense Novemb. ad annum 1409. mense Decembri.

IX. Johannes III. Cotard Petro Bechebien episcopo Carnotensi obedientiam pollicitus est VII. idus Februarii anno 1450. id est 1451.

X. Nicolaus I. Botelin eidem episcopo obedientiam spopondit VI. idus Augusti anno 1458.

XI. Petrus Bochart monachus ordinis Fontebraldensis præerat anno 1478. Paulo post Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi obedientiam professus est. Petrum sine cognomine reperimus in charta mensis Augusti anni 1467.

XII. Carolus de Druy eidem episcopo obedientiam vovit pridie idus Junii anno 1492.

XIII. Johannes IV. de Serre doctor in utroque jure, consiliarius Parlamenti Parisiensis, obtento in commendam Claro-fonte, Ludovico Guillard episcopo Carnotensi obedientiam pollicetur IV. calendas Februarii anno 1526. id est 1527. Insuper erat canonicus Carnotensis & præpositus dictus *d'Auvers*, quo nomine alterum eidem præstitit eodem die homagium. Præerat adhuc Claro-fonti anno 1534. mense Novemb.

XIV. Franciscus le Fevre de Harville commendatarius, eidem Ludovico episcopo clientelam professus est nonis Decembris anno 1539.

XV. Maturinus de Harville abbas regularis, filius Philippi de Harville & Claudiæ de Rouville, possedit & abbatiam Troarni. Obiit XIV. calendas Augusti anno 1584. sepultus in ecclesia Clari-fontis, quam rexerat annos viginti & octo.

XVI. Antonius de Brunsay filius Andreæ de Brunsay & Nicolaæ de Harville, canonicus regularis Clari-fontis, consiliarius & eleemosynarius Henrici III. Henrici IV. & Ludovici XIII. regum Francorum, utramque abbatiam Clari-fontis & Troarni post Maturinum consanguineum adeptus est.

XVII. Radulfus II. Hurault filius Jacobi & Mariæ Hurault, frater Dionysii episcopi Aurelianensis, & Annæ abbatissæ Aquæ.

XVIII. Valentinus de Bontin regi a consiliis & eleemosynis, sedis apostolicæ protonotarius, sedebat ex Sammarthanis anno 1619. Reperitur in charta anni 1637.

XIX. Nicolaus II. le Fevre de Lezeau canonicus ecclesiæ Parisiensis & archidiaconus Briæ, necnon comes consistorianus, præerat ex Sammarthanis anno 1646. Fato functus XIX. calend. Jan. anno 1677. sepultus est in ecclesia Parisiensi.

XX. Michael de la Roche canonicus ecclesiæ Parisiensis & archidiaconus Briæ, socius Sorbonicus, abbas item sancti Melanii Redonensis, obiit decimo calendas Novembris anno 1724.

XXI. Ludovicus le Gendre factus abbas anno 1724. mense Decembri, obiit Lutetiæ Parisiorum calend. Februarii anno 1734. Canonicus item & succentor ecclesiæ Parisiensis. Scripsit historiam Franciæ, de moribus Francorum, vitam cardinalis Ambasii, & vitam Francisci Harlæi archiepiscopi Parisiensis.

XXII. N . . . . . de Clermont Tonnerre renunciatur a rege anno 1734.

Iis abbatibus annumerandus est Bartholomæus, cujus obitus assignatur VIII. calendas Martii in necrologio sancti Johannis in Valle. Sed quo tempore sederit, incompertum.

S. MADELENE de Châteaudun. *Bernier hist. de Blois, p. 212.*

S. MAGDALENA Castrodunensis.

EA est Castrodunensium traditio, cui obsequuti sunt scriptores non infimi nominis, abbatiam hanc ab imperatore Carolo Magno conditam fuisse supra cryptam beato Jacobo sacram, in qua primi hujus regionis christiani sacra facere consueverant. Ne autem natalium tam illustrium abolesceret unquam memoria, depicta est in gentilitio abbatiæ scuto aquila imperatoria. Addit Lancelotus, qui plurimi hanc aquilam facit, monasterium illud antiquitus dictum fuisse B. Mariæ virginis. Sed hujus appellationis aut nulla aut paucissima vestigia in monumentis, quæ *beatæ Magdalenæ* fere semper, *beatæ Mariæ* nomen fere nunquam exhibent. Ivo Carnotensis, antiquissimus hujus rei testis, de abbatia Castrodunensi loquitur in epistolis 121. & 282. in priori quidem sub nomine *beatæ Mariæ* contractius, sed in posteriori absque literis ambiguis aut scribendi compendio, sub nomine *beatæ Magdalenæ*.

Lancelot Academ. Inscript. t. 9. pag. 183.

Ad aquilam ut redeamus, aiunt illam repræsentari in sigillo chartæ cuidam monasterii anno circiter 1370. appenso: sed non probant sigillum illud conventus fuisse potius quam abbatis. Et certe in sigillo Johannis Voisin abbatis sancti Launomari Blesensis apparet similiter anno 1404. aquila biceps. Eadem reperitur in sigillis Johannis le Meingre, dicti Boucicault, annis 1351. 1355. 1358. & 1364. Bertrandi du Guesclin anno 1371. Guidonis de la Tremoille anno 1397. quot autem aquilæ hujuscemodi variis in abbatum, episcoporum, equitum, aut privatorum hominum sigillis? Ea nempe erant gentis suæ insignia, non ævo quidem Caroli Magni, sed longe posterioribus cruce-signatorum temporibus adinventa. Quid quod Fredericus IV. aquilam bicipitem scuto suo imposuisse primus imperatorum anno 1459. creditur ab eruditis, nisi forte præventus fuerit anno 1410. a Sigismundo? Numquid ergo ante ipsos imperatores aquilam imperatoriam gestavit abbatia Castrodunensis in documentum imperatoriæ suæ fundationis? Gerræ. Sigillum anni 1370. non scutum conventus, sed scutum abbatis repræsentat: aquilam gerebat ille; aquilam in variis monasterii locis quæ vel ornavit vel instauravit, pingi voluit; atque hinc subsequente ætate natus error fundationis ab imperatore factæ. Plurima Castridunensis abbatiæ sigilla vidimus, eaque vetustissima, unum præsertim anni 1225. In his omnibus aquila nunquam, sed imago beatæ Magdalenæ semper exhibetur.

At, inquiunt, frons basilicæ Castrodunensis ejusdem esse videtur ætatis ac frons basilicæ sancti Germani a Pratis Parisiensis. Detur vero & illud; non inde conficies basilicam illam vel duodecimo vel saltem undecimo seculo antiquiorem esse. Nuper enim ostendit Plancherius noster in historia sua Burgundiæ tomo primo pag. 470. 503. & seqq. frontem basilicæ sancti Germani positam fuisse ab abbate Morardo, qui sedebat ineunte undecimo seculo. Neque hac ætate antiquior credenda est basilica ipsa Castrodunensis. Unde vapulare debet eorum sententia, qui sibi persuaserunt B. Aventinum episcopum Carnotensem fixisse in ea sedem episcopalem.

Undenam igitur natales abbatiæ illius repetendi sunt? rem non admodum difficilem paucis exponimus. Ex literis Ivonis supra laudatis constat clericos seculares ecclesiæ illi addictos fuisse ineunte seculo duodecimo. Quis eorum fuerit institutor, non liquet. Aiebat anno 1148. Theobaldus IV. Campaniæ & Briæ comes Palatinus, *antecessores suos ab antiquo dedisse ecclesiæ beatæ Mariæ Magdalenæ Castridunensis, sicut capellæ eorum, ne alicui liceret exhibere sancta ad sacramenta juranda, in villa Castriduni, præter ministros præfatæ ecclesiæ.* Chart. LIII. col. 330.

Videntur autem *antecessores ab antiquo* designare vel Theobaldum I. vel ex ambobus Odonibus alterum, aut decimo exeunte, aut undecimo ineunte seculo. Quod autem *Capella comitum* dicitur ecclesia illa, hinc perquam verisimile est canonicos ibidem institutos fuisse a comitibus decimo circiter seculo exeunte, qui in ea adinstar sacrarum capellarum rem divinam facerent. Clericis illis secularibus Theobaldus IV. canonicos regulares substituit anno circiter 1130. quos Innocentius II. papa apostolico diplomate recreavit Ch. XLIX. col. 326.
anno 1131. nunc congregationi canonicorum regularium Gallicanæ adjunctos. Indicem abbatum proferimus auctore potissimum Bernerio historiæ Blesensis scriptore.

INDEX ABBATUM.

I. ARCHEMBALDUS bullam obtinuit anno 1131. ab Innocentio II. papa.

II. Fulcherius sedebat ex tabulario monasterii

anno 1148. Bullas impetravit anno 1152. ab A Eugenio III. anno 1153. ab Adriano IV. & anno 1162. ab Alexandro III. summis pontificibus.

III. Herbertus sedebat ex instrumentis annis 1175. & 1186.

IV. Seguinus occurrit in schedis anno 1197. Bullam obtinuit anno 1198. ab Innocentio III. papa.

V. Mauritius præerat ex tabulario monasterii annis 1202. & 1211. Sedisse adhuc dicitur anno 1212.

VI. Odo sedebat quarto calend. Augusti anno 1215. Transegit anno 1217. mense Julio cum B Laurentio abbate S. Launomari Blesensis. Præerat adhuc ex schedis anno 1226.

VII. Gervasius occurrit in schedis ab anno 1230. ad annum 1247.

VIII. Robertus sedisse dicitur annis 1259. & 1263.

IX. Girardus sedisse dicitur anno 1293.

X. Egidius sedisse dicitur anno 1329.

XI. Nicolaus I. Duval sedisse dicitur anno 1380.

XII. Johannes I. Godard sedisse dicitur anno 1396.

XIII. Nicolaus II. Bulon sedisse dicitur anno C 1401.

XIV. Johannes II. Cordier, quem Bernerius collocat Egidium inter & Nicolaum Duval, sedisse dicitur anno 1360. Eum nos reperimus in charta authentica mensis Jan. anni 1403. id est 1404.

XV. Matthæus Baillehache sedisse dicitur anno 1440.

XVI. Nicolaus III. sedisse dicitur anno 1456.

XVII. Sanctius Godereau sedebat ex tabulario monasterii annis 1466. & 1467.

XVIII. Johannes III. des Pierres antea prior, sedisse dicitur anno 1480.

XIX. Johannes IV. le Fevre Renato episcopo D Carnotensi obedientiam promisit anno 1493. Sedisse adhuc dicitur anno 1495.

XX. Johannes V. le Fevre Ludovico episcopo Carnotensi obedientiam spopondit pridie idus Junii anno 1530.

XXI. Oliverius de Hochberg primus commendatarius, patruus Johannæ de Hochberg comitissæ Dunensis, Ludovico episcopo Carnotensi obedientiam vovit pridie non. Nov. anno 1546.

XXII. Jacobus seu Matthæus de Rostaing patruelem excepisse dicitur anno 1560. & præfuisse ad annum 1573.

XXIII. Johannes VI. Lourdereaux abbatiam E obtinuit anno 1573.

XXIV. Henricus Bault canonicus regularis S. Victoris Paris. præfuisse dicitur anno 1592.

XXV. Renatus de la Ferté sedisse dicitur anno 1607. Decanus etiam S. Amabilis Ricomagensis.

XXVI. Jacobus de la Ferté sedisse dicitur anno 1624. Abbatiam hanc tenebat simul & prioratum Duorum-Amantium in diœcesi Rotomagensi anno 1639. mense Martio, ex archivis Parlamenti Rotomagensis.

XXVII. Valentinus I. du Reynier de Droué nominatus fuisse dicitur a rege Ludovico XIII. & obiisse anno 1681. Tenuit & abbatiam Angeriacensem.

XXVIII. Valentinus II. du Reynier de Boisseleau abdicanti patruo suo suffectus est a rege christianissimo quinto nonas Martii anno 1679. Abdicavit & ipse nupturiens anno 1705.

XXIX. Claudius de Riants designatus anno 1705. mense Februario, obiit vel cessit anno 1711.

XXX. Johannes Baptista de Johanne de Saumeri designatus anno 1711. obiit Luteciæ Parisiorum VII. idus Januarii anno 1728.

XXXI. N . . . d'Hericourt nominatus a rege anno 1728. mense Februario.

XXXII. Franciscus Josephus de Rochechouart-Faudoas a rege christianissimo designatus XVII. calendas Septembris anno 1731.

XXXIII. N . . . Gallet de Coulanges abbatiam obtinuit pridie calend. Martii anno 1733.

S. VINCENTIUS in Nemore.

SAINT VINCENT aux Bois.

STabat in silva Timariensi*, non longe a Castro-novo, oratorium S. Vincentio martyri nuncupatum, quod anno 1066. Gaufridus Carnotensis C episcopus dedit Guismundo & fratribus ejus, ut ibidem vitam eremiticam agerent. Eumdem locum anno circiter 1130. Hugo Castri-novi toparcha, donis amplioribus cumulatum ad abbatiæ dignitatem evehi curavit, accitis hanc in rem canonicis regularibus cum abbate; unde in necrologio dicitur monasterii *institutor & ædificator.* Postea Hugo alter filius ejus, cum uxore sua Alberede, tum Gervasius eorum filius, firmata fundatione, plurima alia contulerunt seu donaria, seu latifundia. Hugonem II. appellat necrologus *singularem ecclesiæ suæ patronum;* Gervasius vero ex Oriente redux, reliquiis insignibus quas asporD taverat secum ecclesiam illam ditavit. De eo idem necrologus in hæc verba:

* Timerais.

Anno milleno, bis centeno, duodeno,
Albini festo (illi propitius Deus esto)
Niclai digitum, dextram dedit ipse Jacobi,
Dulce crucis lignum, Christophorique caput.

Anno 1143. monasterium Cornevillæ recens fundatum in diœcesi Rotomagensi eidem ascetE erio obnoxium factum est. Ita enim Hugo III. Rotomagensis archiepiscopus: *Decernimus quoque, ut si, divina gratia suffragante, locus vester* (alloquitur canonicos Cornevillæ) *per manus fidelium amplioribus possessionibus amplificatus fuerit, ita ut ibidem possit conventus congrue institui, instituatur tali modo, ut ab abbate & capitulo sancti Vincentii vobis semper prior substituatur.* Atque hinc anno 1400. significarunt illi abbati S. Vincentii obitum abbatis sui, rogantes ut legatos mitteret qui suo nomine electioni novi abbatis interessent: anno vero 1500. quum inconsulto abbate S. Vincentii Johannem du Fay elegissent, electionem rescidit ille & procuratores instituit, abbatiæ suæ jura ubi opus esset persequuturos.

Inter ceteras quæ a sancto Vincentio pendebant ecclesias, annumeratur sacellum castri regii Britoliensis in diœcesi Ebroicensi, S. Nicolai dictum, cui administrando Philippus Augustus rex canonicos sancti Vincentii addixit mense Februario anni 1216. id est 1217. Sed exciso castro, sacerdotii illius munia in ipsam abbatiam translata sunt exeunte circiter seculo decimo quarto.

Abbatum seriem qui ad nostra usque tempora regulares perseverarunt, quantum licuit per tabularia & chartas, tam incendiorum quam bellorum cladibus superstites, digessimus in hunc modum.

Index Abbatum.

I. Gaufridus I. vivebat adhuc anno 1150.

II. Theobaldus dictus in necrologio *secundus abbas*.

III. Herveus obtinuit anno 1154. ab Adriano IV. papa, & anno 1163. a Roberto episcopo Carnotensi, bonorum monasterii sui confirmationem. Vivebat adhuc anno 1171. ex charta quadam Roberti comitis Drocensis.

IV. Johannes I. bullam obtinuit anno 1182. ab Alexandro III. papa.

V. Baldricus sedebat anno 1185. quo Robertus comes Drocensis dedit monasterio capellam seu prioratum Firmini-curtis, & anno 1197. quo capella S. Andreæ eidem monasterio donata est.

VI. Nicolaus I. accepit anno 1218. a Guarino abbate Josaphati nonnullas domos Carnoti sitas sub censu quodam annuo. Reperitur adhuc N... anno 1221.

VII. Johannes II. de Ambasia occurrit in schedis anni 1230. Nominatus est mense Maio anni 1234. curator testamenti comitis Drocarum. Accepit anno 1252. donum ecclesiæ *de Marville-les-bois*.

VIII. Jacobus dedit anno 1255. æditui sancti Petri Carnotensis spatium aliquod terræ in parochia *de Levaville* pro sex sextariis frumenti annui reditus. Obiit XVIII. calendas Decembris anno 1278.

IX. Petrus I. de Marigni obiit v. cal. Aprilis anno 1298.

X. Radulfus præerat anno 1301. mense Junio, ex tabulario abbatiæ Cornevillæ. Obiit pridie idus Januarii anno 1308. id est 1309.

XI. Nicolaus II. de Besard obiit tertio nonas Martii anno 1328. id est 1329.

XII. Stephanus de Marcauville obiit anno 1333.

XIII. Egidius Matoul monasterii conflagratione & bellorum tumultibus coactus, Carnotum secessit in abbatiam sancti Johannis, ibique diem ultimum clausit XVII. calendas Octobris anno 1359.

XIV. Martinus I. clientelam professus est ecclesiæ Carnotensi anno 1361. mense Decembri. Obiit pridie idus Decembris anno 1379.

XV. Guillelmus I. Dagobert obiit IV. calend. Octobris anno 1381.

XVI. Petrus II. des Pavillons occurrit mense A Januario anni 1389. id est 1390. Obiit decimo calendas Septembris anno 1399.

XVII. Johannes III. Trotet occurrit XIII. calendas Junii anno 1400.

XVIII. Gaufridus II. Hamelin paulo post electionem suam extinctus XVIII. calend. Septemb. anno 1400.

XIX. Johannes IV. le Marneur reperitur anno 1404. mense Novembri. Drocis, quo se receperat jactatus bellis, obiit sexto calendas Julii anno 1436.

XX. Michael Juliane obiit IV. idus Januarii anno 1450. id est 1451.

B XXI. Johannes V. Allard Petro episcopo Carnotensi obedientiam vovit v. calend. Aprilis anno 1450. id est 1451. Obiit VI. idus Septembris anno 1458.

XXII. Guillelmus II. de Saint Germain eidem episcopo obedientiam spopondit pridie idus Novembris anno 1458. desideratus XVI. calendas Julii anno 1466.

XXIII. Johannes VI. Alleaume electus nonis Septembris anno 1466. Miloni episcopo Carnotensi obedientiam professus est eodem anno IX. calendas Decembris. Obiit IV. cal. Octobris anno 1483.

C XXIV. Robertus I. Sosson ex parocho Curiæ-Dominicæ electus abbas, benedictus est a Milone episcopo Carnotensi septimo calendas Decembris anno 1483. Abdicavit ante annum 1502. obiitque tertio idus Septembris anno 1510.

XXV. Robertus II. de la Pille sedebat anno 1502. Obiit pridie calend. Augusti anno 1517.

XXVI. Johannes VII. Richard longe ante mortem abdicavit anno 1534. extinctus quarto calendas Augusti anno 1543.

XXVII. Martinus II. Baucher Carnotensis, factus abbas anno 1534. obiit mense Januario anni 1574. Sub ejus præfectura anno 1562. D monasterium rursus combustum est, canonicique bellis ingruentibus Drocas secedere coacti, exularunt annos omnino quindecim. Martinus fuit etiam abbas sancti Johannis Carnotensis & sancti Eligii-fontis.

Post ejus obitum Carolus d'Angennes de Rambouillet episcopus Cenomanensis & cardinalis, abbatiam obtinuit a rege, vicariumque tam in spiritualibus quam in temporalibus nominavit anno 1574. mense Junio, Petrum Titon canonicum loci & parochum Roberti-villaris. Sed bullis non impetratis, abdicavit in gratiam sequentis.

Leonardus le Fauconnier monachus sancti Stephani Cadomensis, occurrit in instrumento anni E 1581. Sed & ille bullas non obtinuit, & quo anno obierit, incompertum.

Philippus de Cachat monachus Lezatensis, Leonardum excepit, & ipse bullis destitutus. Occurrit in instrumento anni 1595. Cessit anno 1604.

XXVIII. Claudius des Prez filius Philippi des Prez agasonis regii, & Mariæ de la Croix, abbatiam obtinuit admodum juvenis, quam, dum adolesceret, rexerunt in temporalibus parentes ejus,

Habitum religionis assumsit apud S. Vincentium A XIII. calendas Januarii anno 1604. & vota nuncupavit VII. cal. Aprilis anno 1609. Resignavit sequenti pridie idus Februarii anno 1616.

XXIX. Franciscus de Douhault filius Leonis domini du Bois-Douhault, & Claudiæ de Graffart, abbatiam obtinuit in commendam brevi regio VII. idus Martii anno 1616. & bullis pontificiis cal. Aprilis ejusdem anni, ea lege, ut statim atque ad ætatem legitimam pervenisset (erat enim annos natus duodecim) sacris ordinibus initiaretur; & ipso moriente vel abdicante, monasterium ad abbates regulares rediret. Possessionem adeptus IV. nonas Septembris anno 1616. habitum regula- B rem suscepit anno 1624. quo rursus nominatus est a rege, ut tanquam regularis abbatiam teneret. Obiit eodem anno.

XXX. Edmundus de Douhault canonicus regularis sancti Vincentii & frater præcedentis, nominatus a rege, bullas obtinuit nono calendas Februarii anno 1625. extinctus anno sequenti.

XXXI. Bernardinus de Douhault frater Francisci & Edmundi, nominatus a Gastone Aurelianensi, ac præsentatus a rege, bullas impetravit XI. calendas Decembris anno 1626. ea lege, ut profiteretur in ordine, & quum primum ad ætatem legitimam pervenisset, ad sacerdotium promove- C retur. Vota tamen non emisit nisi anno 1640. Diaconus vero effectus anno 1661. presbyteratus ordinem suscipere non potuit propter continuum brachii & dexteræ tremorem. An. 1667. VIII. calendas Maii accivit in monasterium suum canonicos regulares reformatæ congregationis Gallicanæ. Obiit VII. cal. Decembris anno 1670.

XXXII. Leo de Loynes filius Julii de Loynes regi a commentariis, & Johannæ Regnier, votis apud sanctam Genovefam Parisiensem nuncupatis anno 1661. abbatiam adeptus est brevi regio quinto idus Januarii anno 1671. & bullis pontificiis tertio idus Junii ejusdem anni, benedictus- D que est Luteciæ in ecclesia Patrum Cœlestinorum pridie calend. Decembris anno 1673. Obiit meritissimus abbas dysuria absumtus septimo calend. Jan. anno 1707. atque hoc epitaphio donatus est:

Hic jacet
Reverendissimus admodum pater
Leo de Loynes
Hujus domus abbas
Et instaurator,
Vir nobilitate, virtute, ingenio,
Summis gratus & infimis, sed Deo longe gratior;
Hujus enim abbatiæ monasterium & templum, E
Ab hæreticis olim incensa,
Multo ampliora quam prius & augustiora restituit:
A fundamentis ad culmen, per quadraginta annos,
Perducta.
Solum etiam circumjacens & adæquavit undique,
Et hortis, nemoribus, aliisque operibus egregiis
Exornavit.
Interim antiquæ virtutis æmulator,
Tenui victu contentus, ac pæne abstemius,
Cum ultimam templo manum imponeret,
Tot laboribus tandem exhausto,
Vis dira latentis morbi, quo probaretur, obrepsit;
Quem invicta vultus, animique constantia,
Visus tolerare,
Fratrum inter lugentium, stupentiumque manus,
Viventi similior decessit,
VII. kal. Januarii, anno sal. 1707.
Ætat. 66. prof. 48.

XXXIII. Amatus Johannes Solu de Villerault canonicus regularis congregationis Gallicanæ, nominatus a rege VII. idus Aprilis anno 1708. bullas obtinuit idibus Decembris anno 1709. Hactenus præest.

CLARETI, aut CLARETUM. LES CLAIRETS.

GAUFRIDUS comes Perticensis deliberaverat monasterium quoddam ædificare; sed morte præoccupatus fidem voti solvere non potuit. Quum lecto detineretur morti proximus, Mathildem conjugem suam adjuravit, ut quod animo tam sancte proposuerat, illa religiose perficeret. Votis annuit pia mulier; *& communicato cum episcopis, abbatibus, aliisque viris prudentibus & honestis, tam clericis quam laicis, consilio, locum in nemore de* Clareto *construendæ elegit abbatiæ*, quem monialibus Cistercienfis ordinis e filiatione Claræ-vallis concessit anno 1204. mense Julio. Ratum habuerat Gaufridi propositum Stephanus frater ejus; ratam habuere Mathildis donationem Thomas utriusque filius, & Guillelmus Catalaunensis episcopus, comites Perticenses, qui annis 1213. & 1218. fundatorum donis alia adjecerunt munificentissime; XV. autem calendas ejusdem anni, vacante sede Carnotensi, Guillelmus Catalaunensis basilicam monasterii dedicavit sub nomine beatæ Mariæ virginis. Tunc autem primum stare visum est monasterium Claretorum: anno enim 1214. Reginaldus Carnotensis episcopus Eleemosynam Cisterciensem inter cetera monasteria diligere se prædicabat, quod *sola* hæc *ex eodem ordine in sua diœcesi esset constituta.* Desciverat multum a pristina sua religione parthenon ille, quum primo ab abbatissa Catharina Carola du Prat, deinde an. 1690. ab abbatissa Francisca Angelica d'Estampes de Valencé, reductus est feliciter ad severiorem Benedictini instituti disciplinam.

Chart. LXXVIII. col. 349.

Ch. LXXIX. col. 349.

TABULA ABBATISSARUM.

I. AGNES I. benedicta a Galtero Carnotensi episcopo anno 1221. mense Junio, memoratur in necrologio domestico XIV. calendas Maii.

II. Anna reperitur in actis ab anno 1332. ad annum 1337.

III. Petronilla I. sedebat annis 1238. & 1249.

IV. N . . . de Lonrei.

V. Thomasia I. obedientiam promisit Matthæo des Champs episcopo Carnot. Præerat an. 1253.

VI. N . . . de Feugerets.

VII. N . . . de la Ferté.

VIII. Alix I. seu Adelaïs de la Sece, sedebat ex tabulario S. Dionysii in Francia anno 1280.

IX. Margarita I. d'Antenaize præerat anno 1298.

X. Margarita II. de Ceton reperitur anno 1319.

XI. Alix II. de Mondoucet reperitur anno 1330.

XII. Johanna I. sedebat anno 1336. mense Octobri, ex tabulario S. Lifardi Magdunensis.

XIII. Margarita III. de Chartres sedebat anno 1355.

XIV. Agnes II. paciscitur anno 1363. mense Augusto cum abbate Josaphatensi.

XV. Johanna II. de la Prevôté obiit vel abdicavit anno 1376.

XVI. Thomasia II. de Vaux benedicta est anno 1376.

XVII. Johanna III. de la Groye reperitur in instrumento anni 1413.

XVIII. Johanna IV. des Prez obiit anno 1422.

XIX. Margarita IV. de Chemens reperitur anno 1437.

XX. Maria I. de Tilliers præerat anno 1443.

XXI. Johanna V. de Guval, alias Picarde, Petro Bechebien episcopo Carnotensi hominium præstitit mense Julio anni 1453. Obiit an. 1491.

XXII. Margarita V. de Chemens Renato d'Illiers episcopo Carnotensi obedientiam promisit, ab eodem benedicta decimo calendas Junii anno 1501. Obiit anno 1523.

XXIII. Gabrielis de Chemens, alias dicta de Sazillé, obiit anno 1557.

XXIV. Petronilla II. Barbedor electa a conventu, possessionem iniit idib. Martii anno 1558. Sed quum rex christianissimus nominavisset Mariam de la Croix anno 1557. mense Septembri, inde scandala & lites, quibus ut se extricaret Petronilla, cessit anno 1567. in gratiam Mariæ. Adhuc in vivis erat anno 1587. quum Maria de Thou facta est abbatissa.

XXV. Maria II. de la Croix, de qua modo dicebamus.

XXVI. Magdalena de Fiefs monasticen professa in monasterio dicto *Villechasson*, obiit anno 1587.

XXVII. Maria III. de Thou monialis Pisciacensis, filia Christophori de Thou protopræsidis in Parlamento Parisiensi, a rege designata est anno 1587. Tunc autem erant in Claretis moniales omnino quinque cum Petronilla Barbedor veterana abbatissa. Bullis impetratis v. idus Junii anno 1588. ædes collapsas reparavit; ac demum fatis functa XVII. calend. Augusti anno 1611. sepulta est ante majus altare.

XXVIII. Catharina Carola du Prat patrem habuit Ludovicum Antonium du Prat dominum Nantollieti & præpositum Parisiensem; matrem vero Annam de Barbançon. Emissis votis XI. cal. Februarii anno 1603. electa est postridie adjutrix Mariæ de Thou. Reformatis monialibus suis, obiit XVII. calendas Decembris anno 1640. & sepulta A est in choro cum epitaphio, in quo præter cetera laudatur quod nulli egeno non subvenerit.

XXIX. Ludovica de Thou filia Renati de Thou & Mariæ Faye, votis nuncupatis in ipso Clareto VIII. calendas Julii anno 1623. designata est abbatissa a rege christianissimo XV. calendas Decembris anno 1640. tum benedicta in monasterio a Victore le Bouthillier archiepiscopo Turonensi; demum exspiravit idibus Septembris anno 1671.

XXX. Carola Elisabeth de Fiennes filia Caroli de Fiennes & Franciscæ Faye, monialis parthenonis Parisiensis dicti *Belle-chasse*, sobrinam B excepit designata a rege IX. calendas Octobris anno 1671. Benedicta est VI. idus Maii anno 1672. ab archiepiscopo Parisiensi in ecclesia Fuliensium Parisiensium una cum abbatissa de Vicinis. Obiit pridie calendas Aprilis anno 1687.

XXXI. Francisca Angelica d'Estampes de Valencé monialis Parci-Dominarum, filia Dominici d'Estampes de Valencé & Ludovicæ Margaritæ de Montmorenci, facta est abbatissa brevi regio XVIII. calendas Septembris anno 1687. Benedicta in monasterio suo IV. nonas Julii anno 1690. ab abbate Trappensi Johanne Armando le Bouthillier de Rancé. Eodem anno carnium C abstinentiam apud suas revocavit, ac strictiorem Trappensium vivendi normam; demum transiit ad meliorem vitam XI. calendas Maii anno 1709. abdicata præfectura.

XXXII. Margarita Elisabeth de Chavigni filia Armandi Leonis le Bouthillier de Chavigni & Elisabethæ Bossuet, prioratum obtinebat sanctæ Catharinæ Andegavensis, quum renunciata est a rege christianissimo Claretorum abbatissa sexto calendas Junii anno 1708. Benedicta est eodem anno in abbatia sua pridie calendas Octobris a fratre suo Dionysio Francisco le Bouthillier episcopo Trecensi. Obiit calendis Septembris anno D 1729.

XXXIII.

AQUA. L'EAU.

INeunte anno 1226. institutæ sunt sub patrocinio beatæ Mariæ virginis intra fines parochiæ *de Ver*, annuentibus episcopo & monachis sancti Petri Carnotensis, moniales ordinis Cisterciensis, e filiatione Cistercii, a Johanne comite Carnotensi, & Isabella ejus consorte. Monasterium illud aliquando dictum *Pantoison* & *Curia monialium*, eo loci translatum est anno 1229. ubi stetit hactenus juxta fluvium Autura, unde nomen *Aquæ* E assumsit. Huic inter cetera LV. libras Carnotensis monetæ testamento legavit anno 1248. Isabella fundatrix: illud quoque Johannes Castellioneus comes Blesensis anno 1256. Petrus comes Alenconiensis ac Blesensis anno 1282. aliique nobiles viri postea locupletaverunt. Destructum ac pene redactum in cineres anno 1568. a Calvinistis restaurare sategit Ludovica Hurault abbatissa, & ecclesiam novam benedici ab Edmundo de la Croix abbate Cistercii XIII. calendas Julii anno 1603.

Chart. LXXXVII. & LXXXVIII. col. 359.

INDEX

INDEX ABBATISSARUM.

I. MARGARITA sedebat mense Novembri anno 1250. ex tabulario abbatiæ Fontis-Guerardi diœcesis Rotomagensis, & anno 1256. ex aliis schedis. Obedientiam voverat Matthæo Deschamps episcopo Carnotensi.

II. Johanna I. occurrit annis 1361. & 1372.

III. Petronilla I. de Franconville soror Johannis le Chambellan.

IV. Egidia Hardi reperitur anno 1383. & mense Februario anni 1395. id est 1396.

V. Maria I. de Bercis a cal. Octobris 1398. ad annum 1414.

VI. Johanna II. de Pressigni annis 1424. & 1432.

VII. Petronilla II. Marechal instituta abbatissa ab abbate Curiæ-Dei de mandato abbatis Cisterciensis VI. calendas Februarii anno 1433. id est 1434. sedebat adhuc anno 1459.

VIII. Johanna III. de la Prâliere Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi obedientiam vovit cal. Januarii an. 1459. id est 1460. coram Johanne Jourdain abbate sancti Petri in Valle, & Michaele abbate Josaphati. Præerat adhuc anno 1499.

IX. Maria II. de la Prâliere occurrit ab anno 1501. ad annum 1511.

X. Elisabeth I. Laurent electa VII. idus Oct. anno 1511. Hujus tempore, anno 1534. pridie calendas Junii, ecclesia abbatialis consecrata est a Ludovico episcopo Carnotensi. Obiisse dicitur anno 1539.

XI. Elisabeth II. Chapelain soror Johannis Chapelain archiatri regii, prima ex nominatione regia abbatiam obtinuit. Obiisse dicitur an. 1575.

XII. Ludovica Hurault soror Dionysii episcopi Aurelianensis, nata anno 1549. monasticen professa anno 1567. in abbatia Guichiæ, bullas obtinuit XV. calendas Septembris 1575. Obiit VI. nonas Maii anno 1616.

XIII. Maria III. Gaillard Ludovicæ Hurault materteræ suæ successit anno 1616. Sororem habuit, cujus filia Angelica Hurault de Chiverni monasticen professa in cœnobio sanctæ Ursulæ Aurelianensi, adjutrix sibi data est. Verum hac ipsa instigante, in aliud monasterium truditur pridie calend. Martii anno 1639. Restituta in sedem suam majoris consilii consulto pridie idus Sept. ejusdem anni, iterum pulsa quatriduo post supremi consilii consulto, denuo restituitur sententia lata a consilio Cisterciensi IV. calendas Julii anno 1640. Nihilominus ab eodem consilio interdicta fuit XV. calendas Aprilis anno 1642. dissociatæque ab ea moniales ac missæ Carnotum usque ad ejus obitum: quæ postrema sententia utrum executioni mandata fuerit, non videmus. Obiit Maria Gaillard VII. calend. Octobris anno 1660. quem annum affixit pictor cum ejusdem abbatissæ imagine in una basilicæ aut sanctuarii vitrea fenestra.

XIV. Angelica Hurault de Chiverni, de qua modo agebamus, obiisse dicitur anno 1670.

XV. Francisca du Plessis-Chivrai coadjutrix

A data præcedenti anno 1668. obiit anno 1678.

XVI. Maria Clara de Canouville Raffetot filia Alexandri de Raffetot & Franciscæ de Choiseul-Prâlin, monialis beatæ Mariæ Trecensis, coadjutrix data præcedenti anno 1676. mense Julio, ea defuncta possessionem iniit IV. nonas Decemb. anno 1678. Obiit pridie cal. Julii anno 1703.

XVII. Anna de Rouvroi monialis S. Antonii Parisiensis, a rege christianissimo ad præsentationem ducis Aurelianensis nominata XVI. calendas Septembris anno 1703. Obiit VI. idus Januarii anno 1720.

XVIII. Maria Anna de Brisai de Denonville B nata anno 1685. Quebeci, cujus pater suus gubernator erat, vota nuncupavit anno 1705. in abbatia Aquæ, facta coadjutrix anno 1716. dein anno 1720. abbatissa. Rubentibus pusulis afflicta interiit VI. calendas Junii anno 1732.

XIX. Dionysia Francisca des Monstiers de Merinville designata a rege christianissimo VIII. calendas Augusti anno 1732. quum præesset monasterio sanctæ Ursulæ Meduntensis.

ALBA-CURIA. ABECOURT.

ALba-curia, sive, ut ferunt quædam chartæ veteres, *Alborum-curia*, exiguum ordinis Præ- C monstratensis cœnobium, situm in loco amœno duabus leucis ab urbe Mellento, conditum fuit & dotatum anno 1180. a Gascone seu Guazone domino Pisciaci, qui cognomen assumebat *de Maisons*, & obiit ex necrologio Marchasii Radulfi XIX. calendas Septembris. Eo loci sacellum erat ab Alberico de Heubecourt exstructum in honorem sancti Simeonis illius senis, qui Dominum Jesum infantem ulnis excepisse in Evangelio legitur. Illud cum fundo Guimbertus abbas Columbensis, & Euphemia priorissa Altæ-Bruerïæ ad se pertinere uterque causantes inter se disceptabant. Arbiter appellatus Guazo precibus apud eos obti- D nuit, ut locus traderetur Arnulfo abbati Marchasii Radulfi, qui illic canonicos e suis constitueret. Basilicam in honorem sanctæ Mariæ virginis, quæ dedicata est V. calendas Novembris anno 1191. a Reginaldo de Bar episcopo Carnotensi, necnon & monasterium ædificavit Guazo, canonicisque inibi Deo servientibus plura prædia attribuit, consentientibus quinque ejus filiis. Varia hanc in rem instrumenta videsis ad calcem hujus voluminis. Visitur etiamnum in hoc cœnobio cubiculum sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, quem ferunt in hac domo aliquandiu diversatum fuisse. Visuntur etiam tumuli gentis Pisciacæ, E quos inter exstat tumulus Guazonis fundatoris, & uxoris ejus Aalidis sororis Burchardi de Montemorenciaco, cui aquila pro stemmate domus depicta, & sequentes versiculi etsi inconditi inscribuntur: Ch. LXVIII. col. 341.

. . . . *Gasco cum muliere*
Hic jacet in cinere, & vermibus ambo cibus.
Miles famosus, audax, fortis, generosus,
Laudabilis, morosus, mitis, sapiens, speciosus,
Progenie regis nobilis fuit hic oriundus.

Quem tu terra tegis, homo Christi crimine mundus,*
Justus, mansuetus, mundi carnalia sprevit,
Adversis lætus, omni virtute repletus.
Gasco de Domibus.

* forte sanguine.

Sacellum sancti Simeonis perseveravit usque ad annum 1624. quo dirutum est.

Nomenclatura Abbatum.

I. HAIMO ex priore Marchasii Radulfi primus abbas Albæ-curiæ institutus est. Eo abbate exorta controversia inter canonicos sanctæ Mariæ Pisciacensis, & canonicos Albæ-curiæ de decimis quorumdam novalium, composita est an. 1187. Quinquennio post Philippus Augustus rex Francorum possessiones omnes monasterii confirmavit, & in regiam tutelam suscepit. Haimonis obitus notatur in necrologio domestico quarto calendas Septembris.

Ch. LXXI. col. 343.
Ch. LXXIV. col. 346.

II. Josselinus præerat anno 1207. Ejus obitus assignatur in necrologio VI. calendas Septembris.

III. Radulfus I. præerat anno 1223. ex tabulario Vallis Azonis apud Caletes. Is esse videtur, quem necrologium Albæ-curiæ abbatem *piæ memoriæ* appellat XII. calendas Novembris. Hujus tempore Amalricus de Mellento sacellum apud Haiam-comitis diœcesis Ebroicensis, & quosdam reditus assignavit canonicis Albæ-curiæ an. 1225.

Chart. LXXXIV. col. 353.

IV. Droco. Sub ejus regimine Burchardus de Monte-morenciaco ratum habuit anno 1238. donum octo librarum Parisiensium, quod ejus defuncta soror Aalis, Guazonis fundatoris conjux, attulerat monasterio Albæ-curiæ, percipiendarum *in traverso cujusdam insulæ sitæ prope S. Dionysium, quæ* Castelier *dicebatur*. Obiit III. calendas Martii anno 1241. Droconem aiunt nomen suum consignasse instrumento anni 1192. quod asservatur in tabulario monialium Pisciacensium: quod si ita est, duplex distinguendus est Droco.

V. Guillelmus I. sedebat anno 1242. Obiit ex necrologio idibus Februarii.

VI. Johannes I. de Malatour obiit ex necrologio calendis Augusti.

VII. Simon I. de Crepieres obiit ex ejus epitaphio XIV. calendas Aprilis anno 1297. id est 1298.

VIII. Radulfus II.

IX. Stephanus.

Uter prior sederit, incertum. Ambo juraverunt obedientiam Matthæo episcopo Carnotensi. Radulfus obiisse dicitur IV. idus Martii; Stephanus V. nonas Octobris.

X. Johannes II. de Pontisara florebat anno 1330. Obiit ex necrologio IV. idus Aprilis.

XI. Johannes III. Guarino episcopo Carnotensi promisit obedientiam XVII. cal. Decembris anno 1371. Forte is ille est, cujus obitus notatur in necrologio Gaudii-vallis pridie idus Junii.

XII. Guillelmus II. de Mante ex monasterio Grandis-campi assumtus, obiit ex necrologiis mense Septembri.

XIII. Robertus de Luparis extinctus ex catalogis V. cal. Martii anno 1391. in abbatia Gaudii- A vallis post abdicatam Albæ-curiæ abbatiam.

XIV. Petrus I. in actis anni 1397. recensitus, videtur esse vel Petrus de Arnovilla, vel Petrus de Maulia, de quibus infra.

XV. Thomas de Neezet assumtus ex abbatia Gaudii-vallis, obiisse dicitur anno 1403.

XVI. Petrus Gilbertus Pâquier obiisse dicitur anno 1437.

XVII. Johannes IV. Brunel abbas Marchasii Radulfi, sed Anglis omnia vastantibus a suo pulsus monasterio, ad filiæ thorum aspiravit. Ita doctissimus abbas Stivagii in annalibus ordinis Præmonstratensis. Facta igitur prius tituli & paternitatis B abdicatione, supplex abbatem Præmonstrati rogavit, ut ad Albæ-curiæ regimen eligeretur, suffragantibus non canonicis ejusdem abbatiæ, qui aut bello aut fame peremti vacuum fecerant locum, sed Jacobo abbate Gaudii-vallis, & Johanne de Hamo priore collegii Parisiensis, electoribus ab ipso abbate Præmonstratensi deputandis. Favit abbas generalis; faverunt electores in domo sanctissimæ Trinitatis Parisiensis congregati; & VII. calendas Maii anno 1437. exulem & profugum patrem induxerunt electione canonica, inquit idem abbas Stivagii, in filiæ amplexus. Ibidem decessit V. idus Novembris anno 1460.

C XVIII. Johannes V. Angrand seu Enguerrand, sedebat anno 1476. mense Maio. Obiit ex necrologio VII. calendas Novembris.

XIX. Radulfus III. Pelleguier sedebat anno 1480. Abdicavit an. 1487. in gratiam sequentis. Obiit calendis Octobris anno 1495.

XX. Petrus II. Carré ex Dominicano Præmonstratensis canonicus, deinde ecclesiæ Arausicanæ episcopus, de quo egimus in episcopis Arausicanis, cessit sponte abbatia in gratiam sequentis.

Gall. Christ. tom. I. pag. 782.

XXI. Simon II. Maugiron obiit ex ejus epitaphio IV. idus Junii anno 1519.

XXII. Petrus III. le Courtillier eorum qui D electi sunt ultimus (reliqui enim Albæ-curiæ abbates, quamvis regulares, ex nominatione regia abbatiam adepti sunt) nondum abbas, monasterium Gaudii-vallis administravit pendente lite inter legitimum pastorem & intrusum. Obiit XI. calendas Februarii anno 1554.

XXIII. Petrus IV. de la Bretèche monachus ordinis sancti Benedicti, nunquam invisit abbatiam, cujus proventus fecit suos usque ad annum 1572.

XXIV. Johannes VI. de la Salle filius Johannis regii castri S. Germani in Laia gubernatoris, ad hujus abbatiæ regimen codicillis regiis postu- E latur anno 1572. cujus primo commendatarius spatio triginta fere annorum, tum Præmonstratensi militiæ adscriptus anno 1602. sacris ordinibus initiatus est anno 1604. ab Antonio Rose episcopo Silvanectensi. Præfuit integerrime, ac diem clausit extremum pridie calendas Octobris anno 1609. ex ejus epitaphio quod transcripsimus ex Sammarthanis & abbate Stivagii: *Hic jacet venerabilis discretaque persona frater Johannes de la Salle abbas hujus ecclesiæ, qui obiit VI. Octobris M. DCIX. ætatisque illius LXIII. Adsta*

viator, & specta mortalis viri, imo jam mortui humiles reliquias. F. Johannes de la Salle archimandrita hujus domus, qui ingenio elegans, sanguine clarus, moribus conspicuus, pietate ultra tempora mirabilis, in caula non in aula, cum grege non cum rege, suam vitam exercuit; solitudinis amator & sectator ingens, in qua crevit, adolevit, & sepultus est; fratrum monachorum amantissimus, cum quibus vixit & ex æquo: nam ut primus honore, ita præcipuus in labore; domus curas & orationum horas una tractans fortiter & industrie; utque par esset fratribus nec minus utilis, eremi vestem induit, albusque conscientia albam togam accepit lubens. Quid hoc facto humilius! sed viator quid vilius, & hoc seculo rarum magis! fecit quod bonum abbatem decuit; tu fac quod bonum christianum, & viro bono bonam pacem adprecare. Salve, & vale.

XXV. Ludovicus I. Sopite ordinis assumto habitu & professione facta, reformationem sui monasterii aggressus est, vocatis in auxilium patribus de la Belliere, Andrea de la Forge, & Johanne de la Mare canonicis sancti Johannis Ambianensis, quibus adjutoribus disciplinam instauravit. Exauctoratus est sententia lata XII. cal. Julii anno 1653. ab abbate Præmonstrati, & carceri damnatus in monasterio sancti Martini Laudunensis. Causa ad summum pontificem delata, judex apostolicus nominatus est Andreas du Saussai officialis Parisiensis, qui sententia exauctorationis rescissa, pronunciavit Ludovicum ad sanctum Lazarum Parisiensem se recepturum per sex hebdomadas; deinceps vero iis quæ contra ipsum in visitationibus statuta fuerant, obtemperaturum. Obiit Ludovicus octavo idus Octobris anno 1661.

XXVI. Johannes Baptista Penillon facultatis Parisiensis doctor, regi a consiliis & eleemosynis, canonicus Albæ-curiæ professus, abbas renunciatus anno 1661. fato cessit XIII. cal. Novembris anno 1702.

XXVII. Michael Carolus Brodé theologiæ licentiatus in facultate Parisiensi, factus est abbas III. idus Novembris anno 1702. defunctus XVI. calendas Martii anno 1714.

XXVIII. Johannes Franciscus Raimbert canonicus Hermeriarum, baccalaureus Sorbonicus, factus abbas anno 1714. claustralium locorum ædificationi totus incumbebat anno 1719.

XXIX. Ludovicus II. Grisard prior erat collegii Præmonstratensis apud Parisios, quando literis regiis renunciatus est abbas tertio idus Nov. anno 1739.

Qui sequuntur abbates nomine tantum noti sunt; quo tempore sederint, incompertum. Eos ex necrologio domestico excerpsimus hoc ordine:

Petrus de Arnovilla, cujus obitus notatur IV. nonas Januarii.

Johannes piæ memoriæ quondam abbas, III. idus Aprilis.

Simon XIV. calendas Octobris.

Robertus Louvel VII. idus Septembris.

Amalricus IX. calendas Octobris. Veremur ne is ille sit, cui sub *Martini* nomine abbas Stivagii locum dedit Johannem de Pontisara inter & Guillelmum de Medunta.

Petrus de Maulia III. nonas Octobris.

Gaufridus VII. calendas Novembris.

Hugo denique, qui dicitur fundasse sacellum sanctæ Radegundis apud sanctum Germanum in Laia, & cujus obitus assignatur in necrologio Gaudii-vallis XIII. calendas Novembris.

GRANDIS-CAMPUS.

GRAND-CHAMP.

SIMON comes Montis-fortis, dux Narbonæ, comes Tolosæ, post reportatam anno 1213. in Mureti campis victoriam contra Albigenses, in qua cecidit Petrus rex Arragoniæ, ut Deo & beatæ Virgini gratias referret, ac perenni monumento transmitteret victoriam posteritati, abbatiam *Grandis-campi* sub beatæ Virginis patrocinio in suæ toparchiæ finibus erexit dotavitque anno 1214. canonicis illuc ex Præmonstrato accersitis; quam fundationem Amalricus Simonis filius, probavit anno 1238. postea defunctus VII. calendas Julii, ex necrologio Marchasii Radulfi. Cœnobium illud anno 1568. furentes Calvinistæ voracibus flammis tradiderunt, canonicis omnibus interemtis, præter unum qui ejurata fide catholica, ipsis etiam hæreticis sceleratior, eorum animos incitavit in necem suorum fratrum, quorum unus quum se in latebram conjecisset, a latrante cane proditus, vivus effossa terra obrutus est; ejus autem caput disco ludentibus meta apposita. Restitutas post aliquot annos regulares ædes iterum seculo decimo septimo ineunte inter bellorum tumultus devastatas utcunque reparavit Adrianus de Gueschard abbas regularis; verum paulo post commendatariorum incuria sempiternam loco ruinam intulit. Observavit eruditus Stivagii abbas, titulum & proventus hujus domus a Michaele Colbert abbate Præmonstrati attributos fuisse collegio ejusdem ordinis Parisiensi ad studentium alimoniam; quod forte intelligendum est de mensa conventuali; perseverat enim titulus abbatis.

Hist. de Lab. guid. tom. 3. preuv. pag. 387.

ABBATUM ELENCHUS.

I. THEOBALDUS præerat ex chartulario Beccensi anno 1229.

II. Galterius occurrit in chartis annorum 1229. & 1240.

III. Johannes I. reperitur in chartis authenticis anno 1365. mense Augusto, & anno 1372. mense Octobri.

IV. Guillelmus I. Guarino episcopo Carnotensi obedientiam promisit XVI. calend. Januarii an. 1372. Sedebat adhuc ex schedis anno 1377. mense Aprili.

V. Johannes II. occurrit anno 1378. mense Octobri, & anno 1383. mense Novembri. Meminit necrologus domesticus abbatis Johannis Landri ad XI. calendas Januarii; quod vel Johannem I. vel Johannem II. forsan respicit.

VI. Petrus I. sedebat ex schedis anno 1395. mense Septembri, & anno 1404. mense Maio.

VII. Egidius occurrit anno 1406. mense Maio, & anno 1413. mense Julio.

VIII. Vincentius præerat VIII. idus Martii anno 1413. id est 1414. & anno 1416. mense Novembri.

IX. Guillelmus II. reperitur in instrumentis ab anno 1451. ad annum 1460. mense Maio. Meminit necrologus domesticus abbatis Guillelmi ad XVII. cal. Septembris; quod vel Guillelmum I. respicit, vel forte Guillelmum II.

X. Petrus II. de Verradis, aliquando dictus de Beradis de Serantes, nisi forte sub his cognominibus distinguendi sint duo abbates, occurrit in schedis ab anno 1461. mense Aprili, ad annum 1492. mense Augusto.

XI. Bertrandus Dupuis præerat mense Jan. anni 1496. id est 1497. Benedictus est ab episcopo Carnotensi tertio calend. Julii anno 1510.

XII. Johannes III. Tullii, alias le Fevre, benedictus est ab episcopo Carnotensi XV. calendas Maii anno 1513. Obiisse dicitur anno 1523.

XIII. Adrianus de Gueschard, vir e nobili familia oriundus, sacræ theologiæ facultatis Parisiensis doctor, cœnobii ruinas pro viribus refecit.

XIV. N . . . Antoine, etiam abbas Noæ diœcesis Ebroicensis, obiit XV. calendas Martii anno 1719.

XV. Michael Georgius Fournier designatus a rege christianissimo VIII. calendas Februarii ejusdem anni.

Præter hos abbates, deprehendimus quosdam alios sive in schedis, sive in necrologiis, sed absque notis chronologicis. Horum autem hæc sunt nomina:

1. Balduinus. 2. Giraudus in necrologio domestico ad XVII. cal. Decembris. 3. Matthæus. 4. Radulfus. 5. Robertus in necrologio Albæcuriæ pridie calendas Februarii.

GAUDIUM-VALLIS.

JOYENVAL.

NON longe a castro *Gaudii-montis*, in depressa *Gaudii-vallis* parte, unde abbatia illa nomen suum traxit, ædicula erat Deiparæ Virginis, *capella Essartorum* dicta. In ea valle Bartholomæus de Roia Franciæ camerarius, monasterii Norbertinæ familiæ tradendi fundamenta jecit anno 1221. cum Petronilla, cujus necrologium Marchasii Radulfi meminit IV. cal. Maii. Sacellum autem Essartorum pius fundator ab abbate Pisciacensi Petro obtinuit, ut ibi divina officia celebrare possent Præmonstratenses, dum novi asceterii basilica inchoaretur. Dedicata est illa sub patrocinio B. Mariæ & SS. martyrum Laurentii & Quintini a Galtero Carnotensi episcopo, anno 1224. quanquam monasterium patronos agnoscit B. Mariam & sanctum Bartholomæum. Abbatia hæc eadem gerit insignia gentilitia ac reges Franciæ, scutum nempe cæruleum cum tribus liliis aureis; non quod, ut nonnulli post Gaguinum fabulantur, cœlitus illuc demissa ac reperta sint lilia; sed quia fundatoris loco agnoscit Philippum Augustum regem, cujus munificentia in ipsis quasi cunis locupletata est. Hinc uno eodemque die consociati

Chart. LXXXII. col. 351.

Chart. LXXXIII. col. 352.

A sunt in necrologio domestico & Philippus rex & Bartholomæus de Roia, his verbis: *Commemoratio illustrissimi ac fortunatissimi domini Philippi Galliæ regis, hujus nominis secundi, dicti Augusti, una cum dilecto sibi domino Bartholomæo de Roya, Franciæ camerario, hujus ecclesiæ fundatoris, qui cum sua regali parentela multa nobis contulit bona & privilegia, & obiit XIV. Julii M. CCXXIII.* Hic obiter observant Sammarthani, falsum esse necrologum, quod scripserit Bartholomæum *fato cessisse anno 1224.* (ita illi) *quum in chartis reperiatur adhuc subscriptus anno 1236.* Sed doctissimi fratres non adverterunt notam illam chronologicam cadere B in Philippum Augustum, qui revera obiit pridie idus Julii anno 1223. non in Bartholomæum de Roia, cujus obitus diserte assignatur in eodem necrologio ad XIX. calend. Februarii anno 1236. id est 1237. In hoc cœnobio sepultus est Bartholomæus fundator sub tabula cuprea cum hoc epitaphio:

Hujus basilicæ fundator Bartholomæus
De Roya jacet hic, cui pius esto Deus.
Regis consilium, regis camerarius, inter
Regni majores maximus iste fuit.
Ut tantus fieret meruit discretio, sensus,
C *Mores, vita, manus larga, probata fides.*

Ibi etiam consepulti sunt Petronilla de Monteforti ipsius conjux, Simonis III. comitis filia, quinta hereditatis suæ portione ecclesiæ noviter constructæ legata; frater ejusdem Petrus de Roia; filii quatuor aut quinque Petri, atque inter eos Nicolaus episcopus Noviomensis; quorum omnium epitaphia alius alio modo legerunt Sammarthanus uterque, & eruditus Stivagii abbas. Huic monasterio concesserunt Philippus Valesius Francorum rex anno 1331. ut præbendam unam possideret in ecclesia Pisciacensi, & summi pon- D tifices, ut abbates ejus mitra, aliisque pontificalibus insignibus uti possent. Privilegium illud a Nicolao V. papa concessum anno 1447. aiunt Sammarthani; quod conciliari nequit cum sepulcrali lapide Simonis de Maulia abbatis. Ad extremum abbatia illa unita est anno 1697. episcopatui Carnotensi; quod de mensa abbatiali, non de conventuali intelligendum est.

Hugo anal. Præmonstr. tom. 1. instr. pag. 475.

TABULA ABBATUM.

I. BEatus Ausculfus monachus Vallis-secretæ, tum prior Præmonstrati, factus est primus abbas Gaudii-vallis. Eum Coloniæ-Agrippinæ E nobili genere natum dicunt, & apud Parisios theologiæ ac juris canonici lauream adeptum. Bonorum abbatiæ suæ confirmationem obtinuit a Ludovico VIII. Francorum rege, & ab Honorio III. papa. Sub ejus præfectura anno 1224. conventus sancti Maglorii Parisiensis ad petitionem Bartholomæi de Roia quittavit in perpetuum abbatiæ Gaudii-vallis totam decimam terrarum, quas Amalricus Montis-fortis dominus ei concesserat in Aquilina. Fato functus quarto idus Octobris anno 1227. sepultus est in capitulo

magnam suæ sanctitatis opinionem relinquens.

II. Thomas Pisciacensis origine, Ausculfi alumnus & successor, confirmationem bonorum ecclesiæ suæ impetravit a Blancha regina, & Gregorio IX. summo pontifice. Fato functus tertio calend. Julii anno 1231. ad latus Ausculfi terræ mandatus est.

III. Simon de Maule e nobilibus Mauliæ toparchis supra Madriam villam, ab Ausculfo religionis habitu indutus, dein abbatiali dignitate condecoratus, eam laudabiliter administravit. Extinctus idibus Januarii anno 1239. id est 1240. in capitulo sepultus est sub lapide, in quo etiamnum conspicitur ejus effigies, mitram, annulum & baculum pastoralem gestantis cum hoc epitaphio: *Anno milleno ducenteno trigeno Dominici natalis cum nono, dominus Simon per cuncta fidelis, istius ecclesiæ quondam pater, natus Mauliæ, hic inhumatur. Cum Christo pace fruatur. Amen.*

IV. Johannes I. ex canonico & provisore hujus domus in abbatem electus, & a Guillelmo abbate Præmonstrati confirmatus, sedebat anno 1241. Obiisse dicitur nonis Febr. anno 1243. id est 1244. in capitulo juxta decessorem suum tumulatus. Reperitur tamen in schedis abbatiæ sancti Vandregisili anno 1247. mense Julio.

V. Guillelmus I. de Picardia, antehac Præmonstrati prior, insignes sancti Bartholomæi reliquias a Philippo comite Montis-fortis, fratre Amalrici, deportatas ex Benevento ad arcem Montis-fortis excepit magno apparatu de manibus episcopi Carnotensis, translationem rite & solenniter peragentis. Qua de re habetur diploma Urbani IV. papæ datum Viterbii anno 1261. Diem clausit extremum anno 1268. pridie calend. Jun. ex abbate Stivagii; tertio calendas Maii, ex Sammarthanis.

VI. Fromundus ex priore abbas electus, occubuit sexto calendas Maii anno 1281. ex abbate Stivagii. Bartholomæum tamen ejus successorem reperio anno 1280. in chartis Domus Dei Pontisarensis. Forte Fromundus ante obitum abdicavit.

VII. Bartholomæus I. ex canonico hujus ecclesiæ abbas factus, vivere desiit anno 1293. XI. cal. Octobris, ex Sammarthanis; XI. calendas Decembris, ex abbate Stivagii.

VIII. Petrus I. de Vitriaco natalium splendore clarus, mortalitatem exuit tertio idus Octobris anno 1299.

IX. Guillelmus II. ex canonico seculari collegiatæ B. Mariæ Pisciacensis canonicus regularis apud Gaudium-vallis factus, pro vitæ merito ad abbatialem dignitatem promotus est. Vir erat multæ eruditionis, singularis modestiæ & prudentiæ in rebus agendis; cum apud omnes, tum maxime apud magnates in summo honore & pretio habitus. Cœnobii sui bona & privilegia a summis pontificibus Clemente V. & Johanne XXII. necnon a Philippo Valesio Francorum rege confirmari non tantum procuravit, sed & unum e canonicatibus ecclesiæ Pisciacensis sibi successoribusque suis ab eodem rege impetravit. Extinctus est nonis Novembris anno 1334.

X. Guillelmus III. ex priore factus abbas, e vivis sublatus est XII. calendas Octobris anno 1347.

XI. Johannes II. David eodem tempore & Gaudii-vallis & Hermeriarum fuit abbas; sed domicilium posuit apud Gaudium-vallis, in quo etiamnum varia ejus donaria visuntur, inter ea vero vas illud magnum ex argento inaurato, in quo pars capitis sancti Bartholomæi asservatur. Basilicam & sacrarium cancellavit vitreis fenestris perpulchris, in quarum una ejus imago perfecte impressa est; alterius vero margo refert ejus gentilitia insignia, tres nempe cytharas aureas in fundo cæruleo. Obiisse dicitur VII. idus Julii anno 1368. sed in anno assignando erratum est.

XII. Petrus II. bis reperitur in schedis abbatiæ sancti Geremari, primo mense Junio anni 1366. deinde VIII. idus Junii ejusdem anni.

XIII. Johannes III. Guarino episcopo Carnotensi obedientiam spopondit XVII. cal. Decembris anno 1371. Finem vivendi fecit decimo calend. Novembris anno 1385. *Eo abbate*, inquit necrologus domesticus, *floruit in hoc cœnobio frater Reginaldus, qui ob vitam sancte & inculpate transactam, honorificam in templo meruit sepulturam.*

XIV. Beraldus I. obiit ex Sammarthanis VII. calendas Novemb. anno 1387. ex abbate autem Stivagii VII. calendas Decembris anno 1394.

XV. Bertrandus juris utriusque doctor & professor, obiit XIII. calendas Aprilis anno 1400. id est forte 1401. Jacet in capitulo.

XVI. Johannes IV. Poulain ex provisore domus abbas factus, spiritum exhalavit XVIII. cal. Junii anno 1416. Jacet in sacello beatæ Mariæ, in cujus vitreis fenestris imago ejus depicta est.

XVII. Jacobus Elias de Louviers ex priore factus est abbas; sed direpta ab Anglis an. 1431. arce Montis-Gaudii, & canonicis Gaudii-vallis in fugam versis, ipse in exilio decessit XIV. calendas Novembris anno 1432.

XVIII. Johannes V. Touppet Noviomensis, juris utriusque doctor, Præmonstrati, dein collegii Parisiensis prior, abbas Gaudii-vallis eligitur in domo SS. Trinitatis Parisiensis, præside Adamo abbate Hermeriarum, & vicario generali. Domum ab Anglis vastatam reparavit, & a capitulis generalibus in Hungariam, Saxoniam, Bavariam cum summa potestate delegatus, reformationem morum & disciplinæ magnis laboribus, sed felici exitu invexit. Anno 1440. quarto idus Novemb. magnam sui nominis famam, magnum sui desiderium relinquens, obiit Luteciæ Parisiorum in collegio sui ordinis, ubi corpus ejus tumulatum est, cor vero ad suos relatum in sua ecclesia conditum fuit. Hæc omnia ex abbate Stivagii. Epitaphium ejus infabre sane & crassa minerva adumbratum referunt paulo diversius idem abbas & Sammarthani.

XIX. Johannes VI. de Hannonia, juris utriusque doctor & interpres, vicarius generalis a capitulo generali renunciatus pro regnis Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæ, & pro circariis Austriæ, Sueviæ, Bavariæ, Sclaviæ, Saxoniæ, iter aggressus

est ab ipso inaugurationis suæ abbatialis initio, & inter varia vitæ discrimina visitationes instituit, compressit abusus, leges prudentia conditas ad reformationem nullo personarum habito respectu edidit annis 1440. 1441. 1442. &c. Ad suos reversus, dura ab infestis Burgundionibus pertulit. Exul a suo monasterio, in alienis victum emendicare coactus est durante hostili incursu. Post sedatam tempestatem profugos canonicos revocavit ad proprias ædes, & ut solo æquatum monasterium suscitaret, sacra S. Bartholomæi pignora cum episcoporum permissione circumferri per Galliam voluit, ad excitandam fidelium largitatem. Ex collectis pecuniis templum restituit suo decori, & domum reparavit. Denique VII. cal. Januarii vir undequaque commendabilis viam universæ carnis ingressus est anno 1472. Hæc omnia ex abbate Stivagii. Sammarthani minus, ut credere est, consulti abbatem illum in duos diviserant, obitum vero Johannis de Hannonia consignarunt ad VII. calendas Januarii anni 1491.

XX. Eustachius Beguet sedebat ex tabulario sancti Johannis in Valle mense Februario anni 1485. id est 1486. Cessit ex abbate Stivagii in gratiam sequentis. Obiit ex Sammarthanis XVIII. calendas Decembris anno 1493.

XXI. Stephanus Goupillon commendatariorum primus, fuit etiam, inquit abbas Stivagii, episcopus Sagiensis. Hujus tamen neque in abbatibus Gaudii-vallis, neque in episcopis Sagiensibus meminere Sammarthani. Possessam per aliquot annos abbatiam sponte resignavit ex eodem abbate.

XXII. Jacobus du Moulin ex priore Gaudii-vallis creatus abbas, obiit in senectute bona pridie idus Julii anno 1495. ex abbate Stivagii. Eum Sammarthani postponunt Beraldo II. obitumque ejus consignant ad IV. nonas Julii anno 1499.

XXIII. Beraldus II. de la Chassaigne, clericus secularis, abbatiam assequitur in spem futuræ professionis religiosæ. Post impleta vota, obiit tertio nonas Martii anno 1498. id est 1499.

XXIV. Lancelotus du Fau episcopus Lucionensis, nominationem regiam adeptus, Bertrandum de Gugni canonicum sancti Martini Laudunensis summovit, qui a conventu electus fuerat, sub annua tamen quinquaginta aureorum pensione. Obiit idibus Februarii anno 1505.

XXV. Bernardus de la Vernade, canonicis jus electionis frustra vindicantibus, a rege designatus, obiit quinto idus Martii anno 1509.

XXVI. Robertus de l'Epée prior Gaudii-vallis, postea parochus Heberti-tostæ, recuperato electionis jure in abbatem assumitur. Ejus curis ædificatum est odeum ex ligno cum duobus in ejus facie hinc inde sacellis. Multa alia præclare gessit. Verum sub finem vitæ quum sanæ mentis non esset compos præ senio, abbatiale munus in gratiam cujusdam clerici secularis, nomine Petri Marie, abdicavit, seu potius permutavit. Sed anno 1515. morte præcipiti abbatis permutatione cadente, Petrus in sanctiori regis consilio litem intentavit canonicis permutationem impugnantibus. Causa cecidit Petrus, & sedi vacanti datus est per electionem successor, qui sequitur.

XXVII. Johannes VII. Bailleul ex nobilibus & opulentis parentibus natus Luteciæ, & parochus de Cramoisi in diœcesi Lucionensi, communibus fratrum suorum votis in abbatem electus est. At benedictionis munus non accepit, præmatura morte defunctus anno 1521. octavo idus Novembris, ex Sammarthanis, IX. cal. Januarii, ex abbate Stivagii. Eum ob admirandas ossium sive fractorum sive luxatorum curationes celebravit Scævola Sammarthanus, Elog. lib. 5.

XXVIII. Johannes VIII. Brutel S. Evodii Branensis canonicus & doctor Sorbonicus, præsidentibus electioni Petro de Courtillier Albæcuriæ, & Amato de Fonte in diœcesi Laudunensi abbatibus, electus, obiit ex Sammarthanis XIV. calendas Martii anno indenunciato; XVII. calend. Januarii anno 1528. ex abbate Stivagii. Male, nam factus est abbas Cuissiacensis anno 1530. obiitque anno 1534.

XXIX. Michael Coupson ex priore hujus domus, uno tantum anno cum aliquot mensibus regimen tenuit, ad abbatiam subinde Branensem, demum ad Præmonstratensem assumtus. Obiit Branæ IV. idus Martii anno 1540. Hic rursus erravit abbas Stivagii.

XXX. Bartholomæus II. Gaugier S. Martini Laudunensis canonicus, ex resignatione abbas Gaudii-vallis, abbatiam illam cum Petro de Foville clerico seculari permutavit pro Christiana-valle, ubi plenus dierum obiit VII. idus Martii anno 1541. id est forte 1542.

XXXI. Petrus III. de Foville nobilis Normannus, Francisco I. regi ab eleemosynis, ex Vallis-Christianæ abbate abbas Gaudii-vallis commendatarius, domum abbatialem renovavit partim a fundamentis; sacellum SS. Eutropio & Barbaræ sacrum erexit, ob largas eleemosynas pater pauperum appellatus. Transcripsit abbatiam Nicolao ex fratre nepoti, cui superstes vixit ad IV. vel ad VI. idus Octobris 1559. in sanctuario ecclesiæ tumulatus.

XXXII. Nicolaus I. de Foville ex patrui cessione abbas, in ipso juventutis flore tristem in modum interiit idibus Aprilis anno 1555. Nam e Maulia, cujus loci erat prior, Gaudium-vallis revertens, quum expeditus in equo pernicissimo obvium leporem latrantibus canibus insectaretur, ex equo in terram excussus, cervicem cum brachiis & cruribus sibi fregit.

XXXIII. Nicolaus II. Brulart magister requestarum & abbas sancti Martini Æduensis, filius Natalis Brulart domini de Crône, & Isabellæ Bourdin, abbatiam Gaudii-vallis obtinuit anno 1555. Obiit Luteciæ Parisiorum pridie idus Novembris anno 1591. in ecclesia S. Benedicti juxta patrem suum depositus.

XXXIV. Carolus I. Brulart abbas Nealfæveteris, prior Lehonii in Aremorica, filius Petri domini de Genlis, regi a secretis mandatis & epistolis, & Magdalenæ Chevalier, ad Venetos & Helvetios legatus, abbatiam Gaudii-vallis

obtinuit quum esset consiliarius in Parlamento Parisiensi. Resignavit sequenti sub pensionis onere, & mortuus est decanus comitum consistorii regii anno 1649. septimo calendas Julii ex Sammarthanis, octavo calend. Augusti ex abbate Stivagii; sepultus Luteciæ apud Augustinianos.

XXXV. Carolus II. Brulart regi ab eleemosynis, patruum excepit; dilaceratam in multis abbatiam restituit, restitutam tradidit sequenti, ut Ebredunensem archiepiscopatum ex commutatione assequeretur. Decessit Ebreduni pridie non. Novembris anno 1713. ex abbate Stivagii. Nos in archiepiscopis Ebredunensibus obitum ejus consignavimus ad IV. nonas Novemb. anni 1714.

XXXVI. Georgius d'Aubusson de la Feuillade abbatiam ex permutatione assequutus, obiit Metis quarto idus Maii anno 1697.

Hoc eodem anno 1697. summus pontifex sejungendo ab ecclesia Carnotensi ecclesiam Blesensem, univit in perpetuum abbatiam Gaudiivallis episcopatui Carnotensi.

S. Louis de Poissi.

S. LUDOVICUS PISCIACENSIS.

PArthenonem illum in ipsa urbe Pisciaco fundavit sub regula sancti Dominici Philippus rex cognomento Pulcher, non anno 1297. ut quidam volunt, sed anno 1304. traductis aliquot ex Rotomago & Monte-Argivo sanctimonialibus; neque aliud quidquam juris sibi retinuit Philippus, quam quod sequentibus verbis expressum est: *Volumus etiam, & tenore præsentium ordinamus, quod aliquæ sorores vel conversæ non recipiantur in sorores dicti monasterii, quoad vixerimus, nisi de nostra licentia petita specialiter & obtenta; & post decessum nostrum in eadem ecclesia possint priorissa & conventus hujus monasterii per se recipere personas nobiles in sorores; personas autem ignobiles minime recipere valeant, nisi successorum nostrorum regum Franciæ assensu petito pariter & obtento.* Quoad cetera omnia, voluit ipsas rebus suis frui *salva regulari prædicti ordinis disciplina, sub cujus regula ex institutionibus sunt professæ, cui in aliquo derogare non volumus; sed ei sorores prædictas obedire, & secundum regulam & institutiones prædictas subesse volumus.* Priorissis paruerant semper, quas ipsæmet juxta familiæ Dominicanæ statuta elegerant; sed ab an. 1669. priorissæ hujus nominandæ jus sibi vindicarunt, reluctantibus licet monialibus, christianissimi reges nostri.

Marten. collect. amplis. tom. 6. pag. 541. Chart. CVI. col. 373.

Tabula Priorissarum.

I. MATTHÆA de la Roche monialis Montis-Argivi, præfuit ab anno 1304. ad annum 1333. quo obiit pridie calendas Februarii. Hujus tempore, pridie idus Februarii anno 1330. id est 1331. dedicata fuit basilica monasterii, præsentibus Philippo Valesio rege, Alberto episcopo Laudunensi, & multis aliis præsulibus.

Isabellam de Valois, quæ postea fuit abbatissa Fontis-Ebraldi, priorissam Pisciacensem fuisse quidam scriptores, & nos olim minus consulti perperam asseveravimus.

Hist. geneal. magn. Franc. t. 1. p. 101. Gall. Christ. tom. 2. col. 1323.

II. Maria I. de Clermont filia Roberti comitis Claromontensis, neptis autem sancti Ludovici, monialis Montis-Argivi, præfuit ab anno 1333. ad annum 1344. quo abdicavit. Fato functa est XVI. calendas Junii anno 1372.

III. Petronilla Pelletot præfuit ab anno 1344. ad annum 1351. quo obiit pridie calendas Junii.

IV. Catharina Guignard, aliis pro more temporum illorum dicta la Guignarde, obiit quarto nonas Augusti anno 1354. Luteciæ Parisiorum, quo propter bellorum tumultus cum ceteris sororibus suis confugerat. Corpus ejus relatum est Pisciacum anno 1380.

V. Alix I. de Sauqueville abdicavit III. calendas Januarii anno 1374. Obiit calendis Junii anno 1375.

VI. Johanna I. de Sauqueville soror præcedentis, electa IV. idus Januarii anno 1375. abdicavit tertio idus Augusti anno 1380.

VII. Maria II. de Bourbon filia Petri Borbonii pronepotis sancti Ludovici, monasticen professa in eodem monasterio anno 1364. Obiit quarto calendas Januarii anno 1401.

VIII. Maria III. Marcel electa anno 1401. mense Januario, sponte cessit XIV. cal. Octobris anno 1415. extincta XV. calendas Novembris anno 1417.

IX. Alix II. Loutrel electa septimo calendas Octobris anno 1415. obiit XIV. cal. Decembris anno 1418.

X. Isabellis l'Ecrivain, sive, ut aiebant, l'Ecrivaine, electa mense Februario anni 1418. id est 1419. abdicavit anno 1423. mense Octobri. Obiit VI. calendas Decembris anno 1438.

XI. Yolandis de Norry electa mense Octob. anno 1423. obiit III. idus Aprilis anno 1453.

XII. Maria IV. d'Amboise filia Hugonis d'Amboise & Margaritæ de Joinville, electa pridie idus Aprilis anno 1453. obiit XVIII. calend. Maii anno 1462.

XIII. Maria V. Jouvenel des Ursins filia Johannis Jouvenel præpositi mercatoribus Parisiacis, & Michaelis de Vitry, electa XI. calendas Maii anno 1462. obiit XVIII. cal. Decembris anno 1479.

XIV. Carola I. d'Amboise filia Petri d'Amboise & Annæ de Beuil, electa septimo calendas Decembris anno 1479. obiit anno 1497. mense Junio.

XV. Johanna II. d'Estouteville filia Guillelmi d'Estouteville domini de Torci, electa mense Junio anni 1497. amota est XV. calendas Martii anno 1506. id est forte 1507.

XVI. Pregentis de Melun filia Caroli de Melun & Annæ Philippæ de la Rochefoucaut, præcedenti subrogata, obiit VII. calendas Maii anno 1521.

XVII. Carola II. de Chabannes filia Godefridi de Chabannes & Carolæ de Prie, electa XVII. calendas Junii anno 1521. obiit V. calendas Junii anno 1540.

XVIII. Maria VI. de Pisseleu de Heilli soror Annæ ducissæ Stampensis, electa XIX. calendas Septembris anno 1540. transiit anno 1546. aut 1547. ad abbatiam Mali-dumi.

XIX. Francisca de Vieupont electa mense Martio anni 1546. id est forte 1547. obiit IV. idus Junii anno 1559.

XX. Maria de la Rochefoucaut filia Francisci principis de Marcillac & Annæ de Polignac, electa ante idus Julii anni 1559. obiit idibus Mart. anno 1561. id est 1562.

XXI. Margarita Dupuy electa ipsis idibus Martii anno 1562. obiit sexto idus Novembris anni 1583.

XXII. Johanna III. de Gondi æmulam habuit Martham de Boufflers annos natam quatuor supra octoginta, cui major pars capituli faverat; vicit tamen, & renunciata est priorissa a præposito generali totius ordinis XIII. calend. Januarii anno 1583. Obiit VII. idus Octobris anno 1623.

XXIII. Ludovica de Gondi amitæ data adjutrix anno 1603. rogatu christianissimi regis Henrici IV. reluctantibus frustra nonnullis sororibus, confirmata est ab ipso summo pontifice anno 1625. qui eodem anno statuit ut vel decedente, vel abdicante Ludovica, ceteræ deinceps priorissæ eligerentur in triennium. Obiit Ludovica tertio calendas Decembris anno 1661.

XXIV. Elisabeth de Bermont electa est in triennium anno 1661. mense Septembri.

XXV. Helena de Grand-villiers electa est in triennium anno 1664. mense Septembri.

XXVI. Margarita Guidonis de Cossé monialis Calensis, filia Francisci Cossæi ducis Brissaci, adjutrix data fuerat Ludovicæ de Gondi; sed repugnantibus Pisciacensibus, præfecturam Pisciacensem obtinere non potuit ante annum 1668. quo demum pertæsæ litium necessitati paruerunt Pisciacenses. Transiit paulo post ad abbatiam Calensem.

XXVII. Carola III. d'Albert de Chaulnes filia Honorati ducis de Chaulnes, paris ac mareschalli Franciæ, & Claræ Carolæ d'Ailli, a rege nominata anno 1669. priorissa perpetua, eodem anno & iterum anno 1675. confirmata est bullis pontificiis. Obiit quinto idus Martii anno 1707.

XXVIII. Johanna Carola Rosa de Mailli soror archiepiscopi Remensis ejusdem cognominis, a rege nominata mense Martio anni 1707. propter indultum a Clemente XI. papa concessum nonis Junii anno 1705. possessionem iniit III. nonas Sept. ejusdem anni 1707. & confirmata est consilii sanctioris decreto VIII. idus Februarii anno 1719. Obiit XII. cal. Martii anno 1742.

XXIX. de Sainte Hermine nominata IV. idus Martii anno 1742.

ECCLESIA BLESENSIS.

E VETERIBUS, quorum nunc exstant opera, nullus ante Gregorium Turonensem episcopum Blesensium meminit. Is, libro VII. historiæ Franciæ, capitibus II. & XXI. scribit Aurelianenses cum Blesensibus junctos, mortuo Chilperico, in Dunenses irruisse; & Aurelianenses atque Blesenses vicissim ad excubias Eberulfi, qui in basilicam sancti Martini confugerat, venisse anno 584. In vitis Ludovici Pii imperatoris & Aigulfi monachi Floriacensis, cujus patria fuit, & apud Aimoinum in libro IV. cap. ultimo & XIII. castrum Blesense nuncupatur, Blisium castrum in annalibus Bertinianis anno 854. Blesum castrum aliis. In veteri nummo legitur Bleso castro. Oppidum jam celebre in Carnutibus erat temporibus Caroli Calvi, cujus in capitulis pagus Blesisus appellatur, & prope Aurelianensem ponitur. Argentum quoque ibi signabatur sub regibus alterius stirpis. Comitibus Blesensibus sedem dedit & nomen, quorum illustris est memoria.

In provincia Aurelianensi, ad ripam Ligeris, septentrionem versus, partim in planitie, partim in montis declivi, sitæ sunt Blesæ, probe cultæ, in regione fertili & amœna, cum ponte lapideo, & castro a regibus Francicis ob loci amœnitatem & aëris temperiem sæpius habitari solito; unde a quibusdam regum oppidum, seu regalis civitas a Merula nuncupatur.

Unum e quatuor oppidis claris & magnis est, quæ episcopali digna cathedra in diœcesi Carnutina Hadriano Valesio visa sunt, qui ait Carnutinam diœcesim, unam e maximis Franciæ, in quatuor novas diœceses novosque episcopatus, nimirum Blesensem, Vindocinensem, Durocassinum & Dunensem quibusdam dividi posse videri. Per Sigebertum regem non stetit, quominus seculo sexto a Carnutina detracta Dunensis constitueretur diœcesis. Episcopus jam ab Egidio Remorum episcopo, ipso ordinante Sigeberto, ordinatus fuerat Promotus; sed post mortem regis, obsistente Pappolo Carnotensi episcopo, judicio episcoporum ita e gradu suo dejectus est Promotus, ut presbyteri tantum officio fungeretur.

Feliciores multo fuere seculo superiore Blesenses, quibus, agente Ludovico Magno, episcopalem cathedram concessit Innocentius XII. bulla data calendis Julii 1697. Duo ad id summum pontificem Ch. XXXV. compulere, Carnotenæ diœcesis amplitudo, nimiaque Blesarum distantia, ita ut unicus pastor tantam col. 451. animarum multitudinem ea qua par est diligentia regere minime posset. Regiones itaque Blesensem & Vindocinensem, hisque contiguam Dunensis partem, ab episcopo & canonicis Carnotensibus designatam, 20. leucarum circuitu, ubi 192. parochiæ & 80000. incolæ numerabantur, a diœcesi Carnutena distraxit, Blesenseque oppidum bis mille circiter domos & supra 10000. incolas continens, urbis præfecto & regio castro, multiplicique curia seu jurisdictione prætoris decoratum, quinque virorum totidemque sanctimonialium conventibus, duabus collegiatis, sexque parochiis constans, in civitatem erexit, ibique sedem episcopalem collocavit.

Cum autem Blesis insignior esset parochialis sancto Solenni sacra ecclesia, quæ nuper cœli violentia funditus eversa, regiis Ludovici Magni sumtibus reædificata fuerat, pulchræ satis & elegantis structuræ, 16. capellis, campanili cum tribus campanis, cœmeterio, fonte baptismali, choro cum 42. sedilibus, navique satis ampla & capaci ornata, sacraque & profana supellectili utcumque instructa, hanc in cathedralem ecclesiam, in honorem sancti Ludovici, mutato nomine, instituit summus pontifex, episcopoque Blesensi cum omnibus episcoporum privilegiis & metropolitæ Parisiensi subjecit.

Ad assignandos episcopi proventus, Jacobus Antonius Phelypeaux episcopus Leuteveusis Burgimedii, Jacobus Franciscus Minot de Merille sancti Launomari cessere commendis, & David Nicolaus de Berthier prioratibus sancti Johannis Blesensis a Pontilevio, & sancti Felicis de Campiniaco a sancto Launomaro dependentibus, quibus additi quam primum vacaverint, prioratus *de Moutiers S. Laumer, de Illou*, & sancti Martini *de Montereau* a sancto Launomaro dependentes; posteaque altera bulla proventus abbatiæ Pontilevii, quorum titulos extinctos summus pontifex pro dote & Chart. mensa episcopali ecclesiæ Blesensi univit, episcopoque facultatem fecit arbitratu suo vendendi domos XXXVII. col. 474. ad mensas abbatiales sancti Launomari & de Burgo-medio pertinentes, ad ædificandas ædes episcopales, quæ modo elegantissimæ sunt.

Omnimoda autem jurisdictio & auctoritas episcopo concessa a summo pontifice in capitulum, dignitates, canonicos, &c. jusque beneficia quælibet cum cura & sine cura in cathedrali & tota diœcesi ad normam episcoporum Carnotensium, & extra, quæ a monasteriis sancti Launomari & Burgi-medii ac prioratibus adunatis dependent, pleno jure conferendi, de quibus ea lege inter episcopos Blesensem & Carnotensem convenit, ut quæ intra fines Carnotenses Carnotensis, Blesenses vero Blesensis conferret.

ANNI CHRISTI

EPISCOPI BLESENSES.

ANNI CHRISTI

DE BERTHIER.

I. DAVID NICOLAUS.

DAVID NICOLAUS presbyter Vabrensis, filius N. de Berthier prius advocati generalis, tum præsidis infulati in senatu Tolosano, & Mariæ le Conte, nepos autem Johannis de Berthier in eodem senatu protopræsidis, verbi Dei præco disertissimus, vir pius & doctus, abbas Reliquiarum Leonensis & Bellæ perticæ Montalbanensis diœceseon, priorque sancti Johannis Blesensis & sancti Felicis de Campiniaco, primus ecclesiæ Blesensis antistes, a rege nominatus fuit
1693. 22. Martii 1693. Romæ renunciatus die 4 Jun.
1697. inauguratur 15. Septemb. 1697. in ecclesia regali sancti Ludovici apud sanctum Cyricum prope Versalias a cardinali de Noailles archiepiscopo Parisiensi, opem ferentibus Carnotensi & Catalaunensi episcopis. Lauream doctoris Parisiensis accepit 22. Aug. anni ejusdem. Ecclesiam suam
1698. solenni pompa ingressus est 26 Junii 1698. iter arripiens ab abbatia sancti Launomari, ubi dormierat & sacrum fecerat. Eodem anno 22. Julii abbas de Pontilevio Romæ renunciatus est. Primis episcopatus sui annis collationes de rebus ad fidem pertinentibus instituit, ut hæreticos ad unitatis centrum revocaret, plurimosque fidei catholicæ restituit. Comitiis generalibus cleri Gallicani
1715. mense Octob. 1715. adstitit. Obiit in sua diœ-
1719. cesi 20. Augusti 1719. ætatis 67.

LE FEVRE DE CAUMARTIN.

II. JOHANNES FRANCISCUS PAULUS.

Ludovico Francisco le Fevre domino de Caumartin, comite consistoriano, & Catharina Magdalena de Verthamon parentibus natus est Johannes Franciscus Paulus die 16. Decembris 1668. Militiæ Melitensi primum destinatus, in prioratu Franciæ receptus fuit anno 1669. Clero postmodum adscriptus, commendam Buzei per cessionem Johannis Francisci Pauli de Gondi cardinalis de Retz ejus patrini consecutus est. Gallicanæ Academiæ allectus est 8. Maii 1694. Lauream doctoris accepit 7. Februarii 1697. honorariusque academiæ Inscriptionum admissus est mense Augusto 1701. Decanus ecclesiæ Turonensis, sedisque vacantis vicarius generalis tum erat, cum ad ecclesiam Venetensem promotus est 17. Septembris 1717. inunctusque 17. Julii 1718. ab episcopo Macloviensi apud Dinantium

A Britanniæ urbem, ubi tunc habebantur totius provinciæ comitia. Regi fidei sacramentum dixit die 11. Decembris anni ejusdem. Ad Blesensem translatus 27. Augusti 1719. regi rursum fidem juravit 17. Julii 1720. eodemque mense eccle- 1720.
siæ suæ possessionem per procuratorem adeptus est. Unus ex episcopis invitatis sacro Ludovici XV. adstitit Remis 25. Octobris 1722. Bullas 1722.
obtinuit anno 1729. quibus mensæ episcopali annexi mensæ abbatialis Pontileviensis reditus. Chart. XXXVII. col. 474.
Primam synodum habuit anno 1730. in qua nonnulla condidit statuta. Ecclesiam suam nondum 1730.
B consecratam, consecravit eodem anno. Rituale edidit, diœcesim suam visitavit. Novum cudi breviarium, tabulamque totius diœceseos geographicam curabat, cum repentina oppressus morte, in sua diœcesi hora post meridiem quarta die 30. Augusti 1733. bonis omnibus flebilis occi- 1733.
dit annos natus 65.

Carolus Henricus filius Hieronymi Phelypeaux comitis de Pontchartrain & de Palluau, marchionis de Chef boutonne & de Château-sur-Cher, regiorum ordinum commendatoris, regique quondam a secretis, & Christinæ Leonoræ de Roye de la Rochefoucaut de Roucy, presbyter Pa-
C risiensis, commendatarius Regalis montis, doctor facultatis Parisiensis a die 2. Aprilis 1732. vicarius generalis archiepiscopi Bituricensis, Blesensis episcopus a rege designatus est 23. Maii 1734. 1734.
Obiit Parisiis, boa reducta, die 24 Junii, annos natus 28. & sequenti corpus delatum in ecclesiam sancti Germani Autissiodorensis, ad gentiles suos appositum est.

DE CRUSSOL.

III. FRANCISCUS.

Alexandri Galliot de Crussol d'Uzès, dicti comitis *d'Amboise*, & Carlottæ Gabrielis *de Timbrune de Valence*, filius natu minor Franciscus,
D natus 24. Januarii 1702. abbas Caroffi & sancti Germani Autissiodorensis, Blesensis episcopus a rege designatus 29. Junii 1734. Romæ proponitur 22. Novemb. inungiturque Parisiis 9. Jan. 1735. in sacello archiepiscopali ab ipso metro- 1735.
polita, opem ferentibus Silvanectensi & Noviomensi episcopis. Regi fidem dixit in capella Versaliensi 23. eorumdem mensis & anni.

DECANI BLESENSES.

Petrus Bles. epist. 78. pag. 117. & 114. p. 175.

PLURES ecclesiæ clericales & præbendales jam fuerant Blesis, quæ, inordinatis dejectis clericis, postea corruerant, cum Johannes episcopus Carnotensis ecclesiam Blesensem restituere, clerumque vagum, profugum & exulem revocare statuit. Primus inter primos huic incubuit operi

E Petrus Blesensis. Sua quoque Gaufrido militi debetur laus, qui facultatibus licet tenuis, misericordiam fecit in clerum Blesensem, huic de habitatione accommodans in castro Blesensi. Sed hæc tanti non erant, quin clerici hujus ecclesiæ domos & vineolas suas ad informem præbendarum *Stephanus Tornac. ep. 67. p. 81.*

formam conferrent, canonicique jam ibidem per triginta annos & amplius divinis insistentes officiis ad dotem ecclesiæ propria patrimonia trans- Ch. xviii. col. 418. ferrent, propriisque militarent stipendiis. Ita Reginaldus episcopus de novella plantatione reditibus tenui, facultatibusque nondum abundanti loquebatur anno 1215. cujus proinde origo altius anno 1176. quo sedere cœpit, qui eam plantavit, Johannes Saresberiensis, non est repe- Petrus Bles. epist. 78. p. 118. tenda. Æmulos his initiis experti sunt canonici sancti Salvatoris, qui eorum ortus impedire conati sunt, canonicos Burgi-medii, sed nihilominus stetit nova plantatio, Theobaudi maxime comitis Chart. xv. col. 416. Blesensis aucta beneficiis, qui anno 1188. fundavit dignitatem præpositi, præbendamque & capellanum, pro quibus dedit per triduum singulis annis omnes consuetudines & reditus suos infra *banlivam* Blesensem. Ludovicus comes Blesensis cum Philippo fratre, sororibusque Margarita & Isabella, huic quoque ecclesiæ benefecere anno 1200. Capellam sancti Antonii fundavit Theobaldus VI. anno 1217. alteram Margarita Chart. xxi. col. 450. ejus amita anno 1220. Novellæ plantationis saluti providit Albericus Carnotensis episcopus anno 1241. assignata canonicorum & capellanorum decano, clericorum vero & aliorum in castro commorantium cura capellano sancti Salvatoris. Alberici ordinationem laudavit Matthæus successor anno 1252. Johannes de Chastillon anno 1268. Hugo 1296. Guido 1385. & 1388. huic ecclesiæ reditus assignarunt. Margarita comitissa Blesensis anno 1230. Johannes de Chastillon anno 1254. Guido 1313. Maria ducissa Aurelianensis 15. Junii 1483. Franciscus I. 1522. Henricus II. 1547. Carolus IX. & Henricus III. bona canonicorum morticinii jure donarunt. Bartholomæus de Bruges in artibus & medicina magister, fundavit 1. Januarii 1350. dignitatem subdecani ea lege, ut a comite Blesensi nominaretur; præbendæ vero omnes a capitulo conferebantur, ut constat ex decreto capituli lato 27. Maii 1383. quo præbendæ, quæ nimium accreverant, ad quatuordecim comprehensis dignitatibus redactæ sunt: quem Johannes episcopus Carnotensis & Clemens VII. suis numerum comprobarunt calculis. Harum collationem communem cum capitulo voluere duces Aurelianenses comites Blesenses, quam quidem alternam fuisse discimus ex bulla Nicolai V. data III. id. Maii 1452. Solus decanus a diœcesano episcopo semper nominatus est. Mitto quæcumque a Calvinistis seculo XVI. cum civitate passa sit ecclesia, disjectos canonicos, muros flamma absumtos, ornamenta, chartas ad cinerem ambusta. Ast tandem vera ab initio vaticinatum Idem qui supra. fuisse Petrum Blesensem demonstravit eventus: hos oportebat crescere, canonicos autem Burgi-medii minui. Etenim vix a ruinis surrexerat, cum ad cathedralem ecclesiam evecta est anno Ch. xxxv. col. 451. 1697. & ad parochiam sancti Solennis, mutatis sancti Salvatoris & sancti Solennis nominibus, sub titulo sancti Ludovici translata cum dignitatibus, decano, qui clericorum curam gereret, A præcentore, subdecano, præposito, thesaurario & priore sancti Solennis, sexta de novo instituta dignitate, qui totius parochiæ animas regeret, 12. canonicis alternatim a rege & capitulo nominandis, 32. capellanis, quorum unus ecclesiam sancti Salvatoris gubernaret; reservatum tamen tam decano quam capitulo jus conferendi, ut prius, beneficia in ecclesia collegiata, & canonicum deputandi, qui certis diebus in ecclesia sancti Salvatoris celebraret.

Sed quoniam numerus 12. canonicorum pro cathedrali minor videbatur, capitulo sancti Ludovici unitum fuit ab episcopo, de consensu par- B tium 17. Julii 1699. capitulum sancti Jacobi. Hoc autem originem suam debet hospitali fundato anno 1346. in honorem sancti Jacobi a peregrinis, maxime Petro de Villebresme & Gilone uxore, in gratiam pauperum advenarum, qui Blesas transeuntes ad sanctum Jacobum profecturi, non habebant ubi caput reclinarent. Fundatum sic hospitale confirmavit Ludovicus de Chastillon comes Blesensis anno 1362. sibique Ch. xxix. col. 442. primam reservavit conferendam capellam. Anni quadraginta erant effluxi, cum Guido de Chastillon anno 1387. morticinii jure donavit bona canonicorum hospitalis sancti Jacobi, qui jam C memorantur anno 1372. quo autem incœperint, definire non est ita facile, nec quo numero divinis insisterent officiis. Sex tantum numerantur in bulla Alexandri VI. data V. id. Sept. 1499. qui, propter modicos quibus potiebantur reditus, indulsit eis, ut suæ mensæ duas annecterent capellas pro duobus chori pueris. Nec plures erant canonici sancti Jacobi, cum post desolatas ab hæreticis Blesas, vix respirantes uniti sunt canonicis sancti Ludovici conditionibus quas legesis Ch. xxxvi. col. 457. in appendice. Unioni consensit utrumque capitulum anno 1699. quæ tamen integrum non est sortita effectum ante annum 1707. Uniti sic D canonici a rege ut prius nominantur; sexta præbenda prius addicta priori sancti Honorati, cujus in parochia situm erat hospitale sancti Jacobi, suppressa est & unita capitulo sancti Jacobi 23. Februarii 1707. priorique sancti Honorati locus honoris ergo post canonicos in cathedrali concessus est.

Compositum sic capitulum Blesense constat modo octo dignitatibus, decano, præcentore, duobus archidiaconis a Davide Nicolao primo episcopo anno 1699. institutis, majore scilicet Ibidem. archidiacono, & archidiacono, subdecano, præposito, thesaurario & priore sancti Solennis, E 17. canonicis & 30. capellanis. Tota diœcesis dividitur in 196. parochias & septem abbatias, quarum sigillatim mentionem faciemus, edocti maxime chartis cameræ computorum Blesensis, quam generose, ut solent, nobis aperuere decanus & magistri. Interim de decanis sancti Salvatoris, quibus successere decani sancti Ludovici, agamus.

I. R. cui Petrus Blesensis epistola 78. congratulatur de instaurata ecclesia.

II. G. decanus & R. præpositus S. Salvatoris

pactionem cum Tecelino abbate Burgi-medii anno 1203. initam publicarunt.

III. B. decanus Blesensis anno 1205. ex chartulario sanctæ Crucis Aurelianensis.

IV. Ernaudus occurrit mense Junio 1212. Obtinuit a Reginaldo Carnotensi episcopo literas mense Aprili 1215. quibus indulget episcopus, ut novellam plantationem reditibus tenuem & facultatibus non abundantem semel tantum in vita visitarent Carnotenses episcopi, nec ultra septem libras pro procuratione exigerent. Has confirmarunt Petrus Senonensis archiepiscopus anno sequenti & Innocentius III. Transegit anno 1221. Ernaudus cum abbate Burgi-medii.

Ch. XVIII. col. 418.

V. Bartholomæus I. filius Roberti Balistarii castellani Blesensis, decanus erat mense Martio 1246.

VI. Johannes I. Supplicii decanus, commutationem fecit cum Johanne comite Blesensi, quam confirmavit P. episcopus Carnotensis die Jovis post festum S. Luciæ 1268.

VII. Bartholomæus II. nonnulla emit a Richardo Flandrensi anno 1272. Cum abbatibus sancti Launomari & Burgi-medii societatem init mense Junio 1274. adversus Johannem de Chastillon comitem Blesensem, qui trium ecclesiarum jura attentabat.

VIII. Simon Festu arbiter mense Januario 1296. inter abbatem Burgi-medii & burgensem Blesensem. Occurrit in chartis anno 1298. Factus episcopus Meldensis restituit mense Junio 1316. abbati Burgi-medii decimam, quam ad vitam ei concesserat abbas.

IX. Guillelmus de Pontelevio, præfuit capitulo generali 2. Januarii 1341. nunc 1342. in quo electi canonici.

X. Petrus Solis, qui canonicus prædicto adfuerat capitulo, alteri decanus anno 1342. causa eligendorum canonicorum habito præfuit.

XI. Raginaldus Usagii presbyter, decanus præsedit 24. Januarii 1378. capitulo ad eligendos canonicos coacto.

XII. Matthæus Romelli seu Roinelli, cujus temporibus, quia capituli reditus jam tenues & exiles, bello adhuc imminuebantur, numerus canonicorum, qui nimium seu magnatum commendationibus, seu carnalibus affectionibus accreverat, ad quatuordecim a capitulo redactus est 27. Maii 1383. hancque definitionem laudarunt anno eodem Johannes Carnotensis episcopus & Clemens VII.

XIII. Johannes II. delegatus a Benedicto antipapa 10. Februarii 1393. ut ablata Tironiensibus monachis bona restituerentur, substituit decanum Nogenti Rotrodi literis datis die 12. Aprilis 1396.

XIV. Stephanus le Fuzelier decanus erat 9. Augusti 1456.

XV. Jacobus Hurault fuerat canonicus & decanus hujus ecclesiæ, antequam fieret episcopus Augustodunensis anno 1505. si Bernerio fides.

XVI. Johannes III. Cottereau antecessit Franciscum, qui sequitur.

XVII. Franciscus I. du Moulin decanus erat die 11. Octobris 1560. Hujus temporibus combusta est ecclesia sancti Salvatoris anno 1568. Factus est canonicus 29. Novemb. 1574. Obiit mense Julio 1580.

XVIII. Johannes IV. Cochart nominatus decanus a Carnotensi episcopo 21. Julii 1580. possessionem per procuratorem iniit 29. Julii, obiitque aut cessit ineunte Augusto.

XIX. Pardulfus Lasnier possessionem nactus est 14. Augusti 1580. Completis enim residentiæ actualis tribus mensibus locum & vocem in capitulo postulavit 14. Novembris sequentis. Obiit decanus anno 1606.

XX. Ludovicus I. Butel nominatus a rege 12. Maii 1607. adversus N. Gueterot de la Grange & N. Belot, qui, vacante sede Carnotensi, decani dignitatem ambiebant, possessionem adeptus est 17. Augusti 1607. Obiit mense Martio 1627.

XXI. Ludovicus II. d'Estampes d'Autry Ludovico successit per aliquod tempus.

XXII. Franciscus II. de Passal canonicus S. Salvatoris, ejusdem decanus possessionem apprehendit 1. Septembris 1627. Obiit 1632.

XXIII. Franciscus III. Chaudet de Lazenay nominatus ab episcopo Carnotensi, sequenti paulopost cessit.

XXIV. Laurentius Brisacier possessionem accepit 1. Septembris 1632. Ad mortem usque cum capitulo litigavit, quæ obtigit 15. Februarii 1690.

XXV. Renatus Yvonnet canonicus ab an. 1647. vacante sede, decanus a rege nominatus, possessionem apprehendit 30. Aprilis 1690. Ex decano ecclesiæ collegiatæ sancti Salvatoris, sede episcopali erecta, evasit cathedralis Blesensis decanus anno 1698. Dignitatem simul & præbendam abnepotis in gratiam abdicavit anno eodem, & obiit 9. Augusti 1700.

XXVI. Franciscus IV. Gaultier, Renati abnepos, decanatus & præbendæ possessionem adeptus est 30. Octobris 1699.

DE ABBATIIS DIŒCESIS BLESENSIS.

S. Deod.

IN oppidulo sancti Deodati prope Blesas exstat basilica cum prioratu Pontileviensi abbatiæ subjecto, quæ erat olim haud ignobile monasterium, quod pene ad nihilum redactum, in pristinum statum reduxit, regnante Carolo Calvo, quidam sacerdos & abbas nomine Aurelianus, qui tum monachorum majori congregatione, tum basilicæ majoris constructione locum illum decorare cœpit, quod nepos ejus æquivocus perfecit. Hac in ecclesia corpus sancti Deodati colebatur,

antequam fures anno 1518. illud diripuissent, forte quia in illam translatum fuerat, unde inditum basilicæ sancti Deodati nomen: sanctus enim ille Deodatus abbas Blesensis, qui Chlodovæo regi adversus Alaricum proficiscenti victoriam prædixisse fertur, Mabillonio ejus monasterii auctor fuisse non videtur; sicut nec scitur quodnam sit illud monasterium a Deodato conditum, in quo quadraginta monachis præfuit abbas. Sunt qui volunt monasterium quo de agitur, ab Adrebertana matre Adeodati episcopi Carnotensis exstructum fuisse *infra ipso muro super fluvium Ligerim*, cui anno 696. Agirardus Adeodati successor amplissimum indulsit privilegium, cuique Chrotcharius diaconus e monasterio sancti Dionysii monachis accitis abbas primus præfectus est. Unum objicit Mabillonius quod oppidulum sancti Deodati posteriori longe tempore muris inclusum fuerit. Quod enim sanctæ Mariæ illi desit titulus, quis nesciat vel illato in aliquam ecclesiam inclyti alicujus sancti corpore, vel a fundamentis exstructa nova basilica, sæpius primi patroni memoriam penitus excidisse! quod huc translato sancti Deodati corpore facile potuit accidere.

Elenchus Abbatiarum

Quæ hactenus suam retinuere dignitatem, quanquam ex iis nonnullæ, quoad abbatis reditus, episcopatui Blesensi fuerunt unitæ.

Ordinis Sancti Benedicti.

Sanctus Launomarus, *Saint Laumer.*

Sanctissima Trinitas de Vindocino, *la Sainte-Trinité de Vendôme.*

B. Maria de Pontilevio, *Notre-Dame de Pontlevoy.*

Ordinis Sancti Augustini.

B. Maria Blesens. seu Burgus-medius, *Bourg-moyen.*

Ordinis Cisterciensis.

Eleemosyna seu Cistercium minus, *l'Aumône ou le petit Cîteaux.*

Ordinis Præmonstratensis.

Stella, *l'Etoile.*

Ordinis Sanctæ Claræ.

Guichia, *la Guiche.*

SANCTUS LAUNOMARUS.

Saint Laumer.

Non unum fuit sancti Launomari monasterium; totidem fuere, quot sanctus præsentia sua, seu vivus, seu mortuus, illustravit. Primum condidit in vasta Perticæ solitudine, inter opaca nemorum cœnobium, quod nunc Bellomarus, ad institutum Fontis Ebraldi postea transiit. Inde fama virtutis ejus longe lateque percrebrescentis accitæ multitudinis pertæsus, ad Curbionem amnem [a], decem circiter leucis ab urbe Carnotensi dissitum, in pago Durocassino, secessit cum discipulis suis, ibique circa annum 563. cœnobium in honorem sancti Martini construxit in loco deserto, quem Ragnosointhus illi dedit. Solo æquatum monasterium instaurandum suscepit medio seculo nono Ludovicus Augustus, precibus Herici abbatis Miciacensis, qui e monasterio suo novam coloniam istuc induxit. Curbionensibus monachis Carolus Calvus Ludovici filius paternæ munificentiæ aliquid adjecit, & episcoporum rogatu, qui Germiniaci convenientes Curbionensibus privilegium concesserant, privilegium quoque concessit. (Chart. I. col. 411.) Alio diplomate, deperditis infestatione paganorum Curbionensis monasterii chartis, bona ipsius idem rex confirmavit anno 860. Ab eo autem tempore cum semper in deterius ruerent res Curbionenses, monachi patroni sui Launomari corpus, quod ex urbe Carnuto, ubi mortuus sepultusque fuerat, Curbionem revexerant, in tutiora loca traducunt, primo quidem in villam pagi Abrincatensis, Patricliacum vocabulo. Hanc olim Radulfus Caroli vassus dominicus memorato monasterio cum Unciaco villa Parisiensis agri contulerat, sed eam postea rex Carolus tradiderat Salomoni Britanniæ duci, qui ejus dominium Gurhamio gentis suæ principi largitus fuerat. Hic vero audita fama sancti Launomari virtutum ac miraculorum, eamdem villam sancto Launomaro monachisque restituit, qui tum ob recuperandam loci possessionem, tum ob metum Normannorum patroni sui reliquias istuc transtulerant anno 872. Paulo post cum nec eo in loco tuti essent monachi, Cenomanos cum sacro loculo se receperunt, quibus Robertus episcopus ecclesiam sancti Michaelis inhabitandam concessit. Vix biennio illic substiterant Curbionenses, cum in Blesense castrum, imminentibus Cenomanicæ urbi Normannis, se recipere coacti sunt cum corpore patroni sui, quod in oratorio sancti Carilesi depositum est circa annum 874. Translationis hujus auctor fuit Simon ultimus Curbionensis abbas, qui sancti Launomari corpore in monasterium Blesense illato, Curbionense Blesensi subjecit circa annum 904. Nunc est prioratus nomine sancti Launomari appellatus. Alius est in Arvernis, cujus Willelmus comes Cluniaci auctor, auctor & ipse fuit, assignata profugis cum reliquiis sancti Launomari monachis apud Magenciacum in villa Doradensi sede, quibus Gaubertum abbatem præfecit anno 912. Unitus est hic prioratus societatis Jesu patribus Billomensis collegii, prætermissus a nobis inter vetera ecclesiæ Claromontensis monasteria.

Pace tandem cum Normannis composita, sancti Launomari corpus e castello Blesensi ad suburbanum sancti Leobini sacellum delatum est, ubi, subsidia conferente Theobaldo comite Palatino, insigne monasterium conditum est, sancti Launomari nomine insignitum anno 924. ut constat ex literis Radulfi regis eo anno datis, quo Blesensis monasterii primordia cœperunt, Magenciacumque & Curbionense monasteria, abbatiæ dignitate abrogata, prioratuum ritu Blesensi (Chart. II. col. 412.)

a In notitia Galliarum Hadriani Valesii, fit mentio Corbonis & Corbonensis pagi inter Turonicum & Sagisum seu Sajensem positi. In tabula geographica diœcesis Cenomanensis, summa cum diligentia delineata & excusa, notatur vicus dictus *Corbon*, non longe a Moritania, *Mortagne*, in pago Perticensi versus Carnutum. Ab hoc loco non longe dissitum fuisse Curbionense monasterium multa persuadent, inprimis quod plurimæ monasterii Blesensis S. Launomari possessiones & cellæ in adjacentibus locis videantur.

subjecta remansere. Anno 1014. sancti Launomari cœnobium Blesi castro igne consumtum fuisse legitur in chronico Malleacensi. Procedente tempore condita augustior basilica, qualis modo visitur, cui suprema imposita est manus sub finem seculi duodecimi, testante Theobaldo Blesensi comite. Hæc anno 1567. a Calvinistis pessumdata, & monasterium sus deque versum est, quæ e ruinis emerserunt curis & indefessis laboribus monachorum congregationis sancti Mauri huc accitorum anno 1627. Quandiu abbas regularis fuit, toti clero Blesensi, nullo contradicente, semper præfuit, multisque potitus est privilegiis, quæ hodie nulla sunt, suppresso abbatis titulo, mensaque ejus ad erigendum Blesensem episcopatum insumta. Interim abbatum, tum Curbionensium, tum Blesensium seriem ex chartis aliisque monumentis sic habes.

Abbates Curbionenses.

I. Sanctus Launomarus natus, juxta sententiam probabiliorem, anno 516. eo tempore, ut acta ejus ferunt, quo Francorum exercitus Carnotensem vallabat civitatem, paulo post obitum magni Chlodovæi, patriam habuit quamdam villam vernacule *Neuville-Lamar*, ab urbe Carnotensi quatuor milliaribus Gallicis dissitam, quo in loco exstat oratorium ipsi sacrum. Puerulus pastoritium munus exercuit. Inde ex monacho sancti Martini presbyter factus, post diuturnam in Perticensi solitudine mansionem, cum, fama vulgante, hominum frequentia interturbaretur, una cum sociis in locum secessit nemoribus opacum, ubi cœnobium exstruxit ab ipsius nomine nunc Belli-Launomari appellatum, quod modo est instituti Fontis Ebraldi. Istic edita miracula turbas acciverunt. Turbæ virum sanctum aliò confugere denuo coegerunt. Placuit Curbionis locus, sic dictus ab amne præterfluente, decem circiter leucis dissitus ab urbe Carnuto, in pago Dorcassino, fundum tradente Ragnosointho viro illustri. Tempus conditi cœnobii Curbionensis assignat alter vitæ sancti Launomari scriptor annum secundum Chilperici regis, id est, annum 562. vel 563. si Chilperici annos a Chlotarii obitu numeres, non ab excessu Chariberti regis, qui Carnutibus tum dominabatur. Quippe scriptor iste, qui sub Chlotarii II. Chilperici filii posteris hanc vitam edidit, nullam videtur habuisse regis rationem, qui tum Carnutibus imperabat, sed tantum illius, a quo descenderant reges qui suo tempore Francorum principatum obtinebant. Launomarus autem mortem sibi imminere præsentiens, discipulos suos ut magis magisque in dies proficerent, sibique invigilarent, hortabatur. Accersitus in urbem Carnutum ab episcopo, non Malardo, ut in vulgatis actis legitur, sed Pappolo, qui ejus colloquio identidem se recreari gaudebat, gravi febrium vexatione tentatus est, cumque excidium urbis episcopo qui id visurus non erat, prædixisset, senex & plenus dierum, clarusque miraculis obiit XIV. calendas Februarii anno circiter 590. sepultusque in suburbana S. Martini basilica. Acta sancti Launomari ex duobus antiquissimis auctoribus seculo primo actorum sanctorum ordinis sancti Benedicti inserta sunt.

II. Ragnobertus Launomaro in Curbionensis monasterii regimine successit. In pervetustis codicibus manuscriptis dicitur vir consummatæ opinionis, & monachum in integrum gerens, qui commisso sibi gregi & documento prodesse studuit & exemplo. Ut corpus sancti Launomari ex ecclesia sancti Martini in valle ubi jacebat, ad Curbionem transferretur, egregiam navavit operam. Duobus quippe ejus cœnobii id officii commisit monachis, qui admissi in monasterium sancti Martini, sublatum sancti Launomari corpus ad Curbionense monasterium festinato transportarunt. Ragnoberti temporibus Vulfrada nobilissima matrona Curbionensibus monachis ex suis rebus dedit, viro suo Chramnulfo assentiente, Lontveivillam & Britonogilum, ut ibi servorum Dei cœtus constitueretur ad divinas laudes celebrandas, quod a Ragnoberto effectui mancipatum est.

III. Laigobertus Curbionis abbas, cui anno circiter 656. Bathildis regina plurimum auri, cum villa Nugareto, ac ipsam, qua cingebatur, zonam donavit. Post hunc sive temporum, seu hominum iniquitate cœnobium pessumdatum est ad seculum IX.

IV. Heriricus a Ludovico Augusto e Miciaco, cui jam præerat, accitus ad reformandum Curbionem, ubi olim monastica disciplina floruerat, sed ut in pluribus regni locis pravis rectorum studiis ordo pariter & status deperierat, cum Miciacensibus, adjuvante imperatore, monasterium denuo a fundamentis construxit in honorem sancti Martini pontificis, antiquioris patroni. Huic Ludovicus Augustus Buxiacum Cenomanici pagi cellulam contulit, filiusque ejus Carolus cellulam sancti Michaelis de Ilari apud Cenomanos impertiit VIII. idus Martii anno regni III. indict. v. Chart. I, col. 411.
Altero post anno Heriricus a patribus synodi Germiniacensis privilegium pro suo monasterio petiit, & obtinuit synodales literas anno 843. indictione VII. quas Carolus rex confirmavit pridie idus Octobris anno regni sui IV. indict. VII. a calendis Septembris inchoata, res omnes eidem monasterio collatas a quibusvis exactionibus eximens, ac liberam abbatis electionem concedens. Synodi privilegium a Georgio Hickesio in suo linguarum veterum septentrionalium thesauro falsi petitum propugnat noster Ruinartius in præfatione ad novam editionem libri de re diplomatica. Et certe Hickesii objectio merus est paralogismus, quamvis benignius eam tractet Ruinartius. Heriricus vero, qui forte Henricus, abbas monasterii Curbionis synodo Suessionensi subscripsit anno 853. Miraculis etiam præclarus e vivis excessit in monasterio Curbionensi in diebus Epiphaniorum.

V. Frodoinus Curbionis regimen tenebat, quando ejus loci chartæ a Normannis partim crematæ, partim ablatæ sunt: quæ res ne monachis detrimento verteret, omnes eorum possessiones

generali præcepto, panchartam vocant, a Carolo confirmari petiit Frodoinus, data pancharta anno 21. regni Caroli. Inter medios bellorum strepitus ita sapienter domum administrabat, ut odore virtutum & strictioris disciplinæ fama multi nobiles excitati, e longinquis etiam regionibus Curbionem confluerent. Privilegio Sandionysiano in conventu Pistensi dato anno 862. nomen apposuit suum.

VI. Garno Normannorum metu, permittente ac consentiente Carolo Rege, sancti Launomari corpus in villam pagi Abrincatensis, Patricliacum vocabulo, transferendum curavit anno 872.

VII. Saimo seu Simon, qui post discessum Garnonis anno 873. subrogatus fuerat, imminentibus quoque urbi Cenomanicæ Normannis, biennio postquam illic substiterant Curbionenses, in Blesense castrum se recipere coactus est cum corpore sancti Launomari, quod in oratorio sancti Carilefi depositum est.

Gaubertus a Willelmo Arvernorum comite apud Magenciacum Curbionensibus præfectus est abbas anno 912. qui illuc a paganis fugati, cum corpore, forte cum capite sancti Launomari anno præcedenti se receperant.

ABBATES BLESENSES.

I. SALOMON Curbionensibus præerat tum cum Wanegaudus & uxor Helena Curbioni dederunt id quod ipsis dederat Odo rex, mense Novembri anno quinto Caroli regis, indictione quinta, Christi 902. Primus abbas recensetur a Mabillonio novi monasterii quod apud Blesas conditum est. Pace enim cum Normannis composita, sancti Launomari corpus e castello Blesensi ad suburbanum sancti Leobini sacellum delatum est, ubi, subsidia conferente Theobaldo comite Palatino, insigne instructum est monasterium, S. Launomari nomine hactenus insignitum, quod Radulfus rex literis suis probavit an. 924. *Chart. II. col. 412.*

II. Robertus I. &

III. Sargalo seu Sesgualonus dicuntur ambo abbates sancti Launomari in chronico S. Launomari de Magenciaco temporibus patris Roberti cujusdam vassalli, qui Robertus vivebat Richerio monasterium sancti Launomari de Bleso & Magenciacum regente. Sargalo autem inter clarissimos viros & sapientes sui temporis in chronico S. Juliani Turonensis memoratus, Blesense monasterium regebat anno 1024. quo subscripsit chartæ Hugonis comitis Cenomanensis, confirmantis donationem ecclesiæ beatæ Mariæ de Tuffeio Hermenthæo abbati factam. Decennio ante monasterium sancti Launomari Blesi castro igne consumtum fuisse legitur, anno scilicet 1014. in chronico Malleacensi.

IV. Richerius ex Britannia oriundus, primum Turonis sanctæ Mariæ pauperculæ presbyter extitisse dicitur, tum beati Martini in eadem urbe canonicus esse voluit, sed, decano prohibente, esse non potuit. Dehinc in Majori monasterio factus monachus, postea sancti Juliani prior, demum Blesensis S. Launomari abbas circa annum 1029. aut 1030. Blesensem abbatiam Odone comite perturbante deseruit, & ad instaurandum sancti Juliani Turonensis monasterium se totum contulit. Verum postmodum ad Blesensem, licet coactus, reversus est abbatiam, quam destructam a comite & a comitis abbate reperit. Id factum videtur post mortem Odonis comitis, quæ anno 1037. accidit. Insequenti Richerius abbas sancti Launomari signum suum cum aliis apposuit literis Landrici abbatis sancti Petri Carnotensis de regia capella. Utramque abbatiam Richerius deinceps retinuit ac strenue rexit.

V. Isembardus Richerii abbatis successor Jerosolymam pro more illorum temporum profectus, substituendo in ejus locum alteri abbati nomine Guidoni occasionem dedit, quæ res magnarum turbarum causa exstitit: hoc enim intellecto, Isembardus apostolicam adiit sedem, injuriam sibi factam conquesturus. Literas hac de re Gregorius summus pontifex scripsit ad Arraldum Carnotensem episcopum, cui injungit, ut Isembardi remotionem & Guidonis ordinationem examinet, & siquidem Guidonis ordinatio legitima sit, Isembardum ad se cum literis remittat, & Guido in suo loco remaneat; si vero Guidonis promotio simoniaca sit, hic sine mora deponatur. Datæ sunt Argenteæ v. calendas Decembris, indictione XII. a mense Septembri inchoata an. 1073. Turonis adfuit Isembardus cum Sigone Salmurensi, Guidone Pontileviensi, Fulcodo Bonæ vallis, & Alberto S. Maximini abbatibus, pro compescenda lite inter Bartholomæum Majoris monasterii Almodiumque Rotonensem abbates.

VI. Guido sedem Isembardi absentis, nec monachus sancti Launomari, nec ex alio monasterio assumtus occupavit, eoque nomine ab Isembardo apud summum pontificem insimulatus fuit. Memoratur in charta Majoris monasterii an. 1076. Alia ab aliis laudatur anni 1080. sed vereor ne utraque eadem sit. Inter abbates sancti Launomari locum habet in chronico Magenciaci ad annum 1077.

VII. Bernardus ex Evangelico, id est capellano domini abbatis, factus ipse abbas, abbatiam plurimis honoribus seu possessionibus auxisse traditur. Subscripsit fundationi sancti Johannis Blesensis anno 1087. ejusdemque unioni abbatiæ de Pontilevio anno 1089. Testis interfuit judicio reddito anno 1092. adversus Hugonem præpositum Blesensem in gratiam monachorum Majoris monasterii pro terra Rosdonensi. Adstitit concilio Augustodunensi anno 1094. in quo controversia de monasterio sancti Dionysii de Nogento Cluniacenses inter & Carnutenses monachos agitata fuit. Ivoni Carnotensi episcopo amicissimus „adjutor ei & testis adfuit litem comitem inter & abbatem de Vindocino componenti anno 1097. Hic autem abbas erat Gaufridus, cujus exstat ad Bernardum epistola, qua ei remittere se dicit quemdam monachum, qui diu apud Vindocinenses moratus, mores suos corrigere noluerat. *Lib. IV. epist. 20.*

VIII. Gaufridus seu Goffridus I. ex anachoreta post mortem Bernardi sancti Launomari

abbas electus, hanc abbatiam tenebat an. 1100. A ex tabulis sancti Petri Carnotensis. Non multo post in præsentia Brunonis Romanæ ecclesiæ tunc legati, præfecturam abdicavit, & dominum Mauricium a se electum, & suis manibus in locum quem ipse tenuerat, deduxit, & in eo collocavit, ut Gaufridus abbas Vindocinensis, qui præsens interfuerat, testatur in epistola ad Ivonem Carnotensem. Brunonis autem legationem ad annum 1106. pertinere diserte docet Ordericus Vitalis lib. 5. pag. 589. Verum quæ Gaufridi erat inconstantia, vix ad solitudinem suam reversus est, cum acres adversus Mauricium abbatem literas dedit, in quibus aiebat se impulsu malorum fuisse B ejectum, vilissimumque omnium factum, & prædictum Mauricium ab iniquis in ejus locum superinductum fuisse; quæ verba Ivo Carnotensis merito redarguit in epistola inscripta Gaufrido sanctæ solitudinis cultori, aitque ea non congruere ejus proposito & gestis, quippe qui in manu Romani legati, nullo cogente, imo legato dissuadente, abbatiam dimisisset, & in electione ipsius Mauricii primam vocem dedisset; denique hæc verba nonnihil videri redolere veritatis, quasi cum amore relictam abbatiam tenuerit, & cum dolore amiserit.* Exstat & alia ad eumdem ipsius Ivonis epistola ejusdem argumenti, qua eum redar- C guit quod monachos vagos & rumigerulos Mauricio detrahentes libenter susciperet audiretque. Prius ad Gaufridum eremitam scripserat de colloquiis, quæ cum devota quadam muliere habebat.

*Lib. 11. epist. 14.

IX. Mauricius idem nonnullis videtur, quem puerulum Robertus de Magenciaco ejus pater, Astorgii viri nobilis ac præpotentis filius, sancto Launomaro obtulerat, quique processu temporis a Bernardo abbate factus prior in cella Magenciacensi, hanc prudenter administrabat an. 1087. Aliis Mauricius ex monacho sancti Petri Carnotensis factus abbas eo quo diximus modo, a Paschali II. confirmationem bonorum monasterii D obtinuit anno 1107. Cum Gaufrido abbate Vindocinensi litem habuit super capella quadam, quam permissu Ivonis episcopi exstruxerat intra terminos parochiæ de Ulca, quæ forte ad Vindocinenses pertinebat, unde Goffridus Vindocinensis abbas ait inimicitias in eum exercuisse. Blesensium partes defendebat Ivo episcopus, ut ex ejus literis 72. & 172. manifestum est. Mauricio Adela comitissa donationem fecit cujusdam partis silvæ Longuæ & trium modiorum salis ad portum. Mauricius adhuc monachus sancti Petri Carnotensis & abbas S. Launomari reperitur an. 1130. in tabulis S. Petri Carnotensis, vivus-ne an mor- E tuus? Annotatur VI. idus Julii in necrologio ejusdem. Ordericus lib. VIII. ad annum 1094. ait Richardum abbatem Pratellensem commentarium super Genesim Mauricio sancti Launomari Blesensium eruditissimo abbati dedicasse.

X. Petrus I. de Firmitate Huberti dicitur abbas sancti Launomari anno 1119. in tabulis ejusdem monasterii; idem sane qui testis est donationis Legardis de Chamarcio factæ Burgo-medio anno 1132. regnante Ludovico rege, tertio vero anno quo coronatus fuit rex Philippus filius ejus.

XI. Rainaldus Gaufrido Carnotensi episcopo juravit obedientiam, qui Vindocinensem comitem Godefredum ecclesiam de villa Romana sancto Launomaro ereptam restituere coegit. In charta altera ejusdem episcopi pro Brolio dicitur anno 1135. Rainaldus abbas super gregem Blesensem excubias agere.

XII. Gaufridus II. monasterium regebat anno 1151. ex chartulario Josaphatensi; interfuit enim hoc anno exsequiis Gosleni de Leugis & capitulo Josaphati cum Fulcherio abbate sancti Petri Carnotensis. Testis nominatur in charta Gosleni episcopi Carnotensis Fontanis leudam concedentis circa annum 1153. (Spicileg. tom. X. p. 390.) Composuit litem motam inter ipsum & canonicos sancti Vincentii de Bosco cum consilio Roberti episcopi Carnotensis & Fulcherii abbatis de Bonavalle, anno, ut legitur in chartulario sancti Vincentii, 1154. sed male, nondum enim sedebat Robertus, qui sequenti tantum regimen auspicari potuit. Nominatur Gaufridus anno 1155. in charta Richerii de Aquila, 1156. in tabulis Josaphatensibus, & 1158. in Pontilevienſibus. In chartulario sancti Petri Carnotensis legitur: *VII. Kal. Aprilis obiit domnus Gaufridus venerabilis abbas Blesensis*: quod tam de primo, quam de altero Gaufrido potest intelligi.

XIII. Balduinus ex monacho sancti Carilefi factus abbas Blesensis subscripsit XVII. calendas Junii anno 1167. literis Guillelmi Cenomanensis episcopi. Adhuc florebat annis 1174. & 1176. quo ultimo data est ei licentia ædificandi oratoria in parochia de Deciaco, a capitulo sancti Martini Turonensis, & in villa, quæ Moregium dicitur, a Johanne episcopo Carnotensi. Reperitur adhuc anno 1181. Ex hac vita migrasse dicitur anno 1185. notatus in necrologio Anisolensi ad VI. idus Novembris.

XIV. Hugo pepigit cum Garnerio abbate Casalis Benedicti pro matrimoniis hominum & feminarum suarum anno 1185. Ejus temporibus facta est dedicatio ecclesiæ anno 1186. & corpora sanctorum Launomari & aliorum ibi quiescentium in novam capsam translata sunt die 25. Maii coram comite & comitissa Blesensibus filioque Ludovico.

XV. Robertus recensetur in charta Lucæ abbatis Vindocinensis pro Eleemosyna anno 1193. Hiccine est R. abbas quondam Blesensis, qui ad visitandam Fiscannensem abbatiam a summo pontifice cum aliis deputatus, statuta condidit, quæ ab apostolica sede rescissa sunt anno 1239?

XVI. Ernaldus I. nepos Petri Blesensis ab adolescentia Deo consecratus & literis apprime instructus, ex priore sancti Martini de Monasteriolo abbas sancti Launomari electus est, ad quem E. priorem & abbatem duæ exstant Petri Blesensis epistolæ 131. & 132. qui se ejus avunculum nuncupat, eique novo abbati præclara tradit documenta. Ernaudus vero testis laudatur in chartis compositionis Ludovici Blesensis & Claromontensis comitis de justitia sua cum abbate Bonæ-vallis

Bonæ-vallis annis 1198. & 1199. Feminas pro feminis episcopi Paris. commutavit an. 1200. Societatem iniit cum Lancelino abbate Pontilevienſi anno 1201. Ernaudus nominatur anno 1202. in charta prioratus de Fonte Melandi a Majore monasterio dependentis. Memoratur quoque in magno pastorali Parisiensi, ubi anno 1203. laudat matrimonia hominum suorum cum feminis capituli Parisiensis. Anno 1204. flammis absumtum legitur monasterium. Denique occurrit Ernaldus anno 1205. in chartis sancti Launomari, cujus in choro sepultus est.

XVII. Petrus II. sola fide chartarum sanctæ Crucis Aurelianensis nobiscum communicatarum nititur; quippe in quibus cum M. priore sancti Honorati & B. decano Blesensi reperitur mense Septembri 1205.

XVIII. Laurentius I. jam præerat mense Julio 1207. Cum Thoma comite Perticensi permutationem fecit anno 1215. Reperitur anno 1217. in chartis sancti Launomari & Majoris monasterii pro granateria Blesensi. Multa commoda cœnobio procuravit, servos libertate donavit, & ab Honorio III. bonorum & privilegiorum confirmationem an. 1224. consecutus est. Recensetur adhuc anno 1226.

XIX. Milo matrimonia hominum suorum cum feminis capituli Parisiensis rata habet mense Januar. 1230. Composuit mense Februario cum conventu sancti Vincentii de Bosco pro minutis decimis. Memoratur anno 1234. in chartis Burgi-medii, 1235. in tabulis Majoris monasterii, 1238. in Fontebraldensibus, & 1240. in archivis episcopi Carnotensis.

XX. Johannes I. Henrico episcopo juravit obedientiam. Privilegiorum monasterii confirmationem obtinuit ab Innocentio IV. anno 1245. Multas a comitibus tum Blesensi tum Vindocinensi passus est injurias, quarum arbitrum nominavit Henricum episcopum Carnotensem mense Septembri 1246. Obiit 23. Augusti 1250. quem defunctum comiti significarunt monachi, simul petentes licentiam eligendi.

Ch. xxiii. col. 431.

XXI. Garinus defuncti Johannis in locum a monachis subrogatus, Matthæo episcopo obedientiam spopondit. Occurrit annis 1251. & 1254. Ut Johannis de Castellione comitis Blesensis animum deliniret, eumque sibi conciliaret, de jure suo multum ei remisit, qua de re quædam confectæ literæ anno 1259. Litium inter eum & comitem Blesensem arbitros nominavit R. episcopum Ebroicensem, & Simonem de Claromonte anno 1260. Memoratur adhuc annis 1265. 1268. 1270. 1271. in chartis Burgi-medii. Obiit anno 1272. ut constat ex literis monachorum sancti Launomari datis die Lunæ post octavas Conceptionis beatæ Mariæ anni ejusdem, quibus alterum sufficiendi a comite veniam petunt.

XXII. Guillelmus I. de sancto Marcello ex priore sancti Dionysii factus abbas Blesensis, Garino jam successerat anno 1280. Johannæ comitissæ Blesensi uxori Petri ducis Alenconii filii sancti Ludovici, libellum supplicem obtulit, quo ut monasterium muro cingi & in urbe includi permitteret, rogabat. Postulationi annuit Johanna an. 1284. De jure exercendi justitiam in prioratu de Messa sancti Medardi querelam monachis fecit eadem princeps femina; at, procurante Guillelmo, jus illud a regibus datum, assertum confirmatumque est. Pepigit Guillelmus cum priore de Monasteriis anno 1292. Obiit III. idus Maii.

XXIII. Ernaudus II. cui & sociis Michael abbas sancti Petri Carnotensis concessit societatem & beneficium ecclesiæ suæ anno 1294.

XXIV. David ecclesiæ Carnotensi clientelam professus est. Transegit anno 1302. cum Burgomedio, & 1307. cum Gaufrido abbate Pontilevienſi. Reperitur adhuc annis 1308. & 1313. Componit cum Majore monasterio anno 1315. pro decimis de Longa ulmo. Ædificando circa monasterium muro totis viribus incubuit.

XXV. Petrus III. ecclesiæ Carnotensi hominium præstitit. Cum canonicis Burgi-medii precum societatem iniit an. 1326. Vicarii generalis munere cum Philippo abbate sancti Petri Carnotensis per totam diœcesim Roberto de Joigny episcopo egregie functum discimus ex regestis Carnotensibus. Obiit XVII. calendas Augusti.

XXVI. Robertus II. quoque ecclesiæ Carnotensi fidem juravit. Occurrit anno 1335. Guidoni de Castellione comiti Blesensi, qui se monasterii protectorem publicis literis declarari ambiebat, anno 1338. satisfecit. Prioratum de Perigneio æditui officio uniri coram generali capitulo consensit anno 1343. Obiit juxta nonnullos anno 1348. attamen quibusdam in actis insertus reperitur Guillelmus anno eodem, quo & e vivis exemtus est.

XXVII. Philippus I. Chotart de Cour sur Loire, ex epitaphio maxime notus, in quo per 24. annos abbatiales infulas gestasse legitur, successit Guillelmo anno 1348. electus a monachis, qui a comite Blesensi licentiam postularant penultima Julii anni ejusdem, post exsequias, ut volunt, Roberti. Stephano archiepiscopo Arelatensi papæ camerario solvit 372. florenos aureos 4. Novembris 1349. Episcopi Carnotensis vicarius generalis ecclesiam de Peray contulit anno 1360. & parochiam de Noreio ad præsentationem abbatis Majoris monasterii anno 1366. Insequenti pepigit cum comite Blesensi. Defunctus 1372. sepelitur in choro cum hoc epitaphio: *Cy gist feu frere Philippe Chotart de Cour sur Loire, jadis abbé de cette abbée, qui trepassa l'an 1372. le Mardy 23. jour de Janvier, & gouverna cette eglise par 24. ans passés, au temps de persecution. Priez Dieu que l'ame de luy soit en bon repost.*

Philippo defuncto, prior & monachi sancti Launomari a comite Blesensi alterum eligendi veniam poposcerunt 28. Januarii 1372.

XXVIII. Stephanus abbas sancti Launomari ecclesiæ Carnotensi clientelam professus legitur die 7. Novembris 1375. in necrologio ecclesiæ Carnotensis.

XXIX. Guillelmus II. transegit cum comite A
Blesensi 14. Aprilis 1380. Regebat adhuc annis 1384. 1386. 1394. 1397. 1399.

XXX. Johannes II. Voisin ex priore & eleemosynario, ob singulares sapientiæ & doctrinæ dotes, abbas electus ante Dominicam *Judica me* 1399. nunc 1400. Johanni abbati ecclesiam Pontilevienfem intranti 14. Martii 1401. adstitit. Isabellam Franciæ filiam Caroli VI. relictam Richardi regis Angliæ, & uxorem Caroli ducis Aurelianensis terræ mandavit anno 1409. Cum abbatissa Guichiæ transegit anno 1417. Biennio post obiit, & sepultus est 16. Februarii 1419. modo 1420.

XXXI. Philippus II. Prunelé, Johannis domini d'Herbault cambellani ducis Aurelianensis & Mabiliæ le Baveux filius, germanus autem Guillelmi toparchæ d'Herbault, & Guidonis episcopi Aurelianensis, ex monacho sancti Launomari abbas electus est a monachis, qui 17. Febr. licentiam postularant. Præposituræ sancti Launomari prioratum S. Nicolai de Valeriis, annuente capitulo generali 20. Januarii 1422. in perpetuum conjunxit. Vicarius generalis episcopi Carnotensis comitia habuit in abbatia Burgi-medii, de quibus conquesti ministri ducis Aurelianensis inquisierunt 27. Aprilis 1427. Disciplinæ regularis zelator eximius, priores qui jugum abbatis excutere, & a capitulis generalibus subducere sese conabantur, incyclicis literis ad omnes invicto animo & auctoritate magna anno 1431. conscriptis in officio continuit. A capitulo Carnotensi post obitum Johannis de Fitigni canonice electus episcopus anno 1432. ea dignitate frui non potuit; nam Eugenio papa & Carolo VII. rege faventibus, Robertus *Dauphin* abbas de Tironio sedem occupavit. Philippi in gratiam Theobaldus episcopus jus procurationum sibi debitarum imminuit anno 1436. tredecim libris contentus. Reperitur adhuc Philippus an. 1440. sed vacabat sedes anno 1444.

XXXII. Guillelmus III. de Pressainville, de quo legitur in regesto fori ecclesiastici Carnotensis, folio 50. *Anno Domini 1445. die Sabbati post* Quasi modo *informatio electionis fratris Guillelmi de Pressainville presbyteri religiosi monasterii sancti Launomari Blesensis in abbatem loco defuncti domini Philippi Prunelé novissimi abbatis ejusdem monasterii.*

XXXIII. Johannes III. Prunelé Guillelmi fratris Philippi superioris filius, ex eleemosynario jam anno 1447. abbas renunciatus, pepigit cum duce Aurelianensi pro justitia *de Morée*, perpetuumque pro eo spopondit anniversarium, & pro Isabella de Francia ducissa Aurelianensi sepulta in capella beatæ Mariæ, 7. Novemb. 1451. Transegit cum episcopo Carnotensi pro jure procurationum anno 1452. Lites quas ministri comitis Caroli suscitaverant, sapienter consopivit; habentur in chartophylacio ejus rei instrumenta annis 1454. & 1457. conscripta. In Ludovicum Pot dignitate translata anno 1467. obiit nonis Januarii 1468. & sepultus est in sacello S. Mariæ Ægyptiacæ, in quo cum scuto gentilitio depingitur.

XXXIV. Ludovicus I. Pot germanus Guidonis, qui regum Ludovici XI. & Caroli VIII. favore, Aureliani, Blesarum & Turonum præfecturas accepit, ex monacho Blesensi, per cessionem Johannis Prunelé in curia Romana anno 1467. idibus Novembris approbatam, abbas sancti Launomari, circiter annos 20. natus, institutus & confirmatus die Veneris XI. Martii 1467. id est 1468. acolythus fit die 22. mensis ejusdem, & subdiaconus 2. Aprilis sequentis. Bullis obtentis pridie idus Augusti an. 1468. ad sacros ordines promovetur Dominica 23. Septembris 1470. in ecclesia de Pongoin ab episcopo Carnotensi Milone, a quo & benedictionis munus accepit die Jovis 18. Aprilis post pascha anno 1471. assistentibus Ludovico Bonæ-vallis, Martino Nealfæ veteris & Johanne sancti Carauni abbatibus. Miloni die eadem Ludovicus juramentum præstitit, cujus postea minas & anathemata frequenter elusit, jurium monasterii propugnator acerrimus. Judex a sede apostolica cum Johanne Bituricensi archiepiscopo delegatus dicitur in chartis Fontis-Ebraldi mense Januario 1479. Post obitum Ferrici Tornacensi ecclesiæ favore Caroli VIII. præfectus anno 1483. Ludovicus, æmulos passus est Johannem Monissart, qui insequenti obiit, Antoniottum Palavicini cardinalem sanctæ Anastasiæ, qui anno 1496. cessit, & Petrum Quicke a summo pontifice nuncupatos. Statim electus Ludovicus, a senatu regio accepta potestate, episcopatus iniit possessionem; unde cum monachi sancti Launomari infra tempus a legibus præscriptum minime elegissent, Milo Carnotensis episcopus, qui infenso semper & inimico animo Ludovicum prosequebatur, anno 1489. die Veneris 21. Augusti vacantem per promotionem Ludovici abbatiam sancti Launomari fratri Michaeli du Bus jure sibi devoluto contulit, sed incassum: Ludovicus enim abbas sancti Launomari, per cessionem Antoniotti cardinalis sanctæ Praxedis, quem ignoravit Sammarthanus noster, electus Lactorensis legitur VII. calendas Julii 1498. in regestis Vaticani, Bertrando itidem ignoto cessisse 29. Aprilis 1500. ibidem, quæ tamen resignatio suum non videtur effectum sortita, cum ibidem Antonius de Cabannis, & ipse incognitus, dicatur electus per obitum Aloysii 22. Decembris 1505. quo quidem anno obiit Ludovicus. Interim anno 1499. Majoris monasterii regimen suscepit. Anno 1502. Parisiensis senatus consultum obtinuit adversus Petrum Quicke in episcopatu Tornacensi æmulum, quo legitimus pacificusque præsul declaratus fuit, quo nomine pepigit die 3. Junii 1504. cum Renato d'Illiers episcopo Carnotensi pro jure procurationum, de cujus episcopi licentia consecravit anno eodem capellam B. Mariæ de Pietate a fratre suo Guidone constructam. Insequenti Ludovicus episcopus Tornacensis & Lactorensis, abbas Majoris monasterii & sancti Launomari Blesis apud sanctum Launomarum obiit die 6. Martii anno 1505. & in sacello beatæ Mariæ de Pietate sepultus est. Inde emenda quidquid contrarium diximus tom. I. col. 1083. & tom. III. col. 237.

Ædes abbatiales & castrum Madonense multis auxit beneficiis Ludovicus, primusque commendatarium se dixit.

XXXV. Adrianus de Framezelles ex abbate sancti Vulmari de Nemore abbas sancti Launomari post obitum Ludovici electus a monachis anno 1505. obiit 1509. quo 19. Decembris alterius sufficiendi potestatem fecit episcopus Carnotensis.

XXXVI. Philippus III. Hurault e nobili familia de Chiverni, frater Philippi Hurault comitis Chivernii & Limosii, equitis torquati sancti Spiritus, Aurelianensis & Carnotensis provinciarum reguli, Franciæque cancellarii, patruus episcoporum Carnotensis & Eduensis, Blesensium suffragiis creatus abbas, reperitur annis 1510. & 1511. Paucis annis cœnobio præfuit, regularium enim postremus migravit e vita anno 1512.

XXXVII. Jacobus Hurault consiliarius in senatu Divionensi & episcopus Augustodunensis, de quo jam diximus tom. IV. col. 423. & abbas S. Stephani Divionensis ibid. col. 766. primus Blesensis commendatarius per cessionem patrui fuisse creditur. Reperitur die 9. Octobris 1514. Vicario generali utebatur anno 1527. Philippo Hurault abbate Burguliensi. Domum abbatis & castrum Madonense plurimum exornavit, ibique diem clausit extremum XVIII. cal. Julii 1546. Corpus ejus in ecclesia sancti Launomari terræ primum mandatum, postea vero exhumatum, in capellam castri Chivernii translatum est, & inde in ecclesiam parochialem.

XXXVIII. Hyppolitus d'Est cardinalis Ferrariensis titulo sanctæ Mariæ novæ, Alfonso Ferrariæ duce & Lucretia Borgia genitus, regia nominatione fretus, S. Launomari possessionem adeptus est die 4. Octobris 1546. Quadriennio post sequenti cessit anno 1550.

XXXIX. Franciscus cardinalis de Tournon dimissa sibi abbatia ad annum usque 1561. aut sequenti potitus est; quo & ipse cessit. Vide tom. IV. col. 183.

XL. Aloysius d'Est cardinalis Ferrariensis, Hyppoliti nepos, acceptam a cardinali de Tournon dignitatem statim in patruum transtulit.

XLI. Hyppolitus d'Est secundùm ab anno 1563. ad mortem usque, quæ contigit Romæ anno 1572. abbatis titulum caliginoso illo tempore, quo ab hæreticis susdeque versum est monasterium, retinuisse ex pluribus chartis evincitur.

XLII. Aloysius d'Est secundùm restituti sibi a patruo beneficii fructus percepit usque ad annum 1577. quo omnia abbatiæ bona & jura libidini Carlottæ de Beaune, mulieris ea tempestate famosæ, permisit. Hæc autem umbratitiis abbatibus facinus indignissimum obtegens, pro nutu & arbitrio per plures annos beneficiis, officiis, reditibusque universis abusa est. Quatuor autem sunt qui sub Carlottæ auspiciis abbatum titulo sunt adumbrati.

XLIII. Laurentius II. de Fises ab anno 1577. ad annum 1593. quo cessit sequenti. Interim œconomus a rege constituitur Robertus Baudry prior ab an. 1593. ad 1603.

XLIV. Renatus Rageuneau dominus d'Apoigny, regi ab eleemosynis, anno 1593. dicebatur abbas.

XLV. Antonius Morin a Sammarthanis abbatum catalogo circa idem tempus inseritur, quanquam in archivis abbatiæ nullum instrumentum quod nomen ejus præferat, reperiri potuerit. Abbas quoque erat sancti Nicolai Andegavensis.

XLVI. Nicolaus Petit ab anno 1599. Romæ non fuit confirmatus. Sedes vacabat anno 1603. nec erat abbas. Denique anno 1606. sequenti liberos permisit reditus Carola de Beaune pro 3000. libris.

XLVII. Guillelmus IV. Fouquet de la Varenne patre natus Guillelmo Fouquet domino de la Varenne, torquato ordinis sancti Michaelis equite, urbis & castri Andegavensis præfecto, primo senator Parisiensis, dein libellorum supplicum in regia magister, abbas Athanacensis, Reomaensis, sancti Maxentii & sancti Nicolai Andegavensis, Blesensis quoque designatus anno 1606. possessionem iniit die 1. Octobris 1607. A rege Ludovico XIII. privilegiorum confirmationem obtinuit anno 1611. Cum autem per annos decem huic abbatiæ, cujus ecclesiam reparavit, præfuisset, ad episcopatum Andegavensem relicta abbatia promotus est anno 1616. De quo hæc legitur inscriptio apud sanctum Launomarum: *Dum horrenda bellorum civilium arma multos per annos cæco hæreticorum furore ac impetu producta, luctuosissimum ecclesiæ ac regno exitium minitari viderentur, templum hoc vix ulli ante impar, aræ, divorum reliquiæ, sacra vasa, cæteraque divinis mysteriis necessaria igne deleta partim, partim expilata fuere. Verum fine tandem publicis hisce calamitatibus dato, Guillelmus Fouquet de la Varenne hujusce cœnobii abbas templi tecta magna cum laude 1610. monachi vero fornices ad unum (hos qui navim ornabant, exceperim) majorisque nominis ruinas 1642. restaurare curaverunt. Adde quod ruderibus non paucis eorumdem monachorum sumtibus ejectis, tribusque valvis, quæ trecentis abhinc annis clausæ, lumen atque aditum intercludebant, apertis, templum tandem in hac forma renovatum fit 1643.*

XLVIII. Carolus Miron episcopus Andegavensis permutatione cum Guillelmo facta, ad commendam sancti Launomari transiit anno 1616. quam, bullis non obtentis, tenuit ad ann. 1619. Post mortem Guillelmi Andegavensium præsul iterum a rege designatur, tandemque archiepiscopus Lugdunensis, ubi vide tom. IV. col. 192.

XLIX. Franciscus d'Escoubleau cardinalis de Sourdis, archiepiscopus Burdegalensis, post cessionem Caroli anno 1619. abbatiam obtinuit. Fratrem suum episcopum Malleacensem pro vicario majori habebat an. 1622. Instaurare ædificia, regularemque disciplinam, admissis 1. Octobris 1627. in cœnobium congregationis sancti Mauri ascetis, totis viribus restituere conatus, immatura morte sublatus est an. 1628. ut diximus tom. II. col. 851.

L. Franciscus d'Escoubleau superioris sobrinus, Claudii domini du Coudray Montpensier, & Carlottæ Pot de Font-Morand filius, regi a consiliis & eleemosynis, a Gastone Borbonio nominatus abbas, possessionem adipiscitur XVI. calendas Februarii anno 1629. Fato functus est anno 1653.

LI. Michael, aliter Blasius le Ferron doctor sorbonicus, canonicus & archidiaconus Dunensis in ecclesia Carnotensi, vicarius generalis & officialis duorum Carnotensium episcoporum, a memorato principe designatus abbas anno 1653. solenniter receptus est quinto nonas Maii anno 1654. quo die concionem habuit in ecclesia sancti Launomari. Huic Jacobus Lescot Carnotensis episcopus crucem suam pectoralem legavit testamento condito 5. Januarii 1655. Destinatus est aliquando, qui primus Blesensis oppidi esset episcopus, cujus in episcopatum erigendi adjungendo sancti Launomari abbatiam, consilium jam ceperat dux Aurelianensis. Ipse vero abbatia cessit mense Octobri anno 1658. Defunctus anno sequenti mensis Martii die 5. sepultus est in ecclesia sanctæ Fidei.

LII. Carolus Franciscus de la Vieuville episcopus Redonensis, simul abbas Saviniacensis, sancti Martialis Lemovicensis & Beneventi, Michaeli successit a rege nominatus, & a summo pontifice confirmatus VIII. idus Decembris 1660. ad annum 1676. quo Parisiis mortuus est IV. cal. Februarii.

LIII. Jacobus Franciscus Minot de Merille favore ducis Aurelianensis, cujus cubicularius magnus erat pater, abbas S. Launomari a rege designatus mense Aprili 1676. assensum præbuit suum, ut extincto abbatis titulo, reditus ejus ad erigendam Blesensem ecclesiam insumerentur, calend. Julii 1696. Fuit quoque nominatus abbas de Brana.

SS. TRINITAS DE VINDOCINO.

VENDOSME.

VINDOCINUM antiquum est castrum ad Ledum amnem, in diœcesi Blesensi, non magis comitatu, quam monasterio nobilitatum, quod Gaufridus Martellus Andegavorum comes post adeptum comitatum integrum, sibique copulatam Agnetem comitissam, Willelmo Bono Pictavorum comiti & duci Aquitanorum antea nuptam, fundavit anno 1032. & de terris Vindocinensis honoris dotavit. Condendi monasterii occasionem hanc docet liber de gestis consulum Andegavensium Spicilegii tom. x. pag. 482. Quadam die Dominica aurora illucescente comiti Gaufrido & uxori ejus e domo sua in supercilio montis sita versus Aquilonem astra intuentibus visæ sunt tres stellæ longissimæ in fontem, qui in medio pascuorum scaturiebat, successive descendisse. Incerti quid significaret portentum, missam in honorem sanctissimæ Trinitatis celebrari fecere in ecclesia sancti Martini fonti proxima, interrogatisque qui aderant episcopis, abbatibus & aliis, monasterium in honorem SS. Trinitatis ædificarunt, altare ecclesiæ super fontem erexere, accitosque e Majori monasterio 25. monachos in locum adventitiorum inibi collocarunt, quibus abbatem præfecere. Paulo post, anno scilicet 1040. Theodericus Carnotensis episcopus cum archiepiscopo Turonensi, pluribus quos Gaufridus invitaverat episcopis, omnibus etiam baronibus & nobilibus, die ultima mensis Maii sanctæ Trinitati sacra, basilicam & altare supra fontem in quem luminosæ deciderant lanceæ, exstructum, solenni ritu consecravit in honorem sanctissimæ Trinitatis, monasteriumque ab omni jure episcopali liberum esse voluit, quod omnes ad unum confirmavere summi Pontifices privilegium, usque ad Martinum V. qui illud in concilio Constantiensi universalis ecclesiæ sigillis obsignavit. Plures ex his voluerunt ne inter Romanum pontificem & hunc venerabilem, quem beati Petri appellant, locum persona quælibet media existeret, ne abbas ad concilium vocaretur, cui ipse non præsideret summus pontifex, ne legatus etiam a latere monasterium seu visitare, seu corrigere per se auderet, ne denique monasterium, excommunicata etiam Carnotensi patria, excommunicari posset. Aliud singulare privilegium est dignitas cardinalitia, quam cum ecclesia beatæ Priscæ legitimis Vindocini abbatibus primus inusitati exempli prærogativa concessit Alexander II. cujus hæc sunt verba in literis ad Odericum abbatem: *Concedimus etiam omnibus hujus loci abbatibus ecclesiam beatæ Priscæ cum dignitate cardinali, sancti spiritus judicio decernentes, ut nulla deinceps ecclesiastica secularis-ve persona prædictam beatæ Priscæ ecclesiam seu ecclesiæ dignitatem ei auferre qualibet occasione præsumat.* Hoc eidem Oderico beneficium confirmavit Gregorius VII. anno 1079. Verum grassante post hæc in urbe factione Guibertina, ecclesia hæc Vindocinensibus, quod partes illas aversarentur, ademta, atque ad alios translata est, & quanquam Goffrido ejus investituram reddidit Urbanus II. iterum tamen ejus possessione dejectos fuisse ex eo liquet, quod eam repetit a Paschali, & promissam sibi a Callixto testatur, a quo tandem in integrum restitutus, cardinalis beatæ Priscæ titulum usurpare cœpit. Callixti vestigia decimo post anno secutus est Honorius II. cujus etiam exstat privilegium Romæ IX. calendas Aprilis anno 1139. perscriptum. Nec tamen diuturna satis aut illibata Vindocinensibus fuit hæc possessio. Nam sive quod ecclesiæ illius sarta tecta negligerent, sive alia potius causa fuit, iterum illis est ademta, & aliis cardinalibus, quos beatæ Priscæ titulo creabant, per pontifices attributa. Denique Innocentius III. intermissam possessionem Hamelino abbati postliminio restituit, sed cum hac exceptione, ut ipse quidem ejusque successores abbates pristinam cardinalis dignitatem ejusque insignia cum beatæ Priscæ ecclesia perpetuo retinerent, ceterum si quando alii ejusce tituli cardinales crearentur, his parerent, quartamque proventuum partem penderent ii qui beatæ Priscæ ecclesiam pro Vindocinensibus administrarent. Ex eo factum est ut gemini deinceps

Chart. V. col. 415. Chart. VI. col. 417.

Ch. XXII. col. 431.

fuerint beatæ Priscæ cardinales, alii ordinarii, quos pontifices designabant, alii extra ordinem perpetui, ac veluti nati, abbates Vindocinenses, illi munere & officio, hi titulo tenus & dignitate. Hodie vero nec beatæ Priscæ ecclesiam retinent, nec dignitatem, quam tamen Constantiensis concilii tempore adhuc retinebant.

Alia est prærogativa, qua etiamnum potiuntur, fontis cujusdam redemtio, quæ singulis annis feria sexta post Dominicam quartam Quadragesimæ fit in hac ecclesia ex voto Ludovici Borbonii comitis Vindocinensis pro sua e carcere liberatione emisso anno 1426.

Venerationem quoque justam habere videtur lacryma illa ab origine monasterii asservata, quam unam esse ex illis quas Christus Dominus in excitatione Lazari fudit, atque ex urbe Constantinopoli allatam fuisse tradunt: hanc enim ab Henrico III. imperatore acceptam, a Gaufrido conditore Vindocinensibus datam statim ab initio verisimile probavit Mabillonius adversus famosissimum J. B. Thiers.

Inter infesta infaustaque hæreticorum bella faustum fuit, quod sartum tectum dimiserit monasterium Johanna d'Albret: hoc tutelare præsidium vix minacibus literis ab ea extorsit cardinalis Carolus Borbonius.

Anno 1579. post comitia Blesis habita & vi decreti concilii Tridentini, monasterium Vindocinense cum aliis ad conservanda sua privilegia conspiravit in congregationem, quam vocaverunt Exemtorum, cui successit anno 1621. congregatio sancti Mauri, cujus prima capitula generalia in eodem monasterio fuere celebrata. Seriem abbatum ex chartis aliisque habes monumentis.

Abbates Vindocinenses.

I. Rainardus I. consanguineus Burchardi militis, cognomento Buccabona, e Majori monasterio a Fulcone Nerra accitus anno 1032. ut Baldrico, qui sancti Nicolai Andegavensis præfectura vitæ solitariæ desiderio cesserat, sufficeretur, cessit & ipse antequam benediceretur, & confugit ad filium Fulconis Gaufridum, a quo monasterii Vindocinensis noviter constructi regimen primus abbas suscepit. Adstitit dedicationi sui monasterii, quod de ipsius consilio a Gaufrido & Agnete fundatoribus ædificatum, & Romanæ ecclesiæ in alodium oblatum consecravit Theodericus Carnotensis episcopus, liberumque & ab omni subjectione absolutum voluit pridie calendas Junii 1040. Permutationem fecit Rainardus anno 1042. e vivis sublatus IX. calendas Novemb. 1045.

II. Odericus vir famosus suis diebus in ordine monastico & disciplina, ut loquitur chronicon Vindocinense, regimen non est auspicatus nisi post Pentecosten anni 1046. ut constat ex charta anno sequenti data hebdomada Pentecostes, *nondum completo anno, quo Odericus factus est abbas.* Circa id tempus adfuit dedicationi ecclesiæ beatæ Mariæ Sanctonensis. Subscripsit literis Gaufridi comitis Vindocinensibus dantis ex permutatione

A ecclesiam beatæ Mariæ & Omnium Sanctorum apud Andegavum anno 1050. Perrexit Romam anno 1056. quo tempore Aquariæ monasterium conditum & Vindocinensi subjectum a Gaufrido Martello utriusque auctore. Emit ecclesiam de Longa ulmo anno 1059. Romam iterum profectus anno 1061. bullam a Nicolao papa obtinuit V. calendas Maii monasterii privilegia confirmante. Alteram quoque ab Alexandro II. impetravit anno 1063. Huic Fulco Rechinus satisfecit anno 1064. in capitulo pro injuriis, quas monasterii ecclesiam invadens intulerat. Convenit anno 1066. cum Hildebrando tunc archidiacono
B sanctæ Romanæ ecclesiæ, atque cœnobii S. Pauli œconomo, qui postea summus pontifex Gregorius VII. dictus est, pro monasterio sanctæ Priscæ, ea lege ut semper duodecim aut saltem octo monachi ibi Deo servirent, quod confirmavit Alexander II. pontificatus anno quinto, atque hinc repetenda videtur dignitatis cardinalitiæ origo. Annus 1067. XVII. calendas Augusti dicitur Oderici abbatis annus 22. in tabulis. Guidonem Aquitanorum ducem apud castrum Surgeriis mense Octobri anno 1068. convenit de terra sancti Aniani a præposito Guidonis infestata, quam restituit dux. Pro cella sancti Clementis
C de Credonio, quam anno 1053. concesserat ei Gaufridus comes Andegavensis, litigare coactus est adversus Orbrannum abbatem sancti Albini Andegavensis, quorum conciliandorum ergo Stephanus sedis apostolicæ legatus Burdigalæ cogit concilium anno 1068. ubi Vindocinensibus cum adjudicata fuisset cella, posteaque anno 1070. a Rainaldo filio Roberti Burgundionis confirmata Oderici anno 25. Carnotum tamen ad Geraldum episcopum Ostiensem venerunt, quem Parisios frustra secuti, Arraldo episcopo Carnotensi arbitro Carnotum reversi concordarunt anno 1072. Memoratur Odericus anno 1074. in cessione
D facta Vindocinensi monasterio ab Odone de Blasone. Circa id tempus orationis causa Romam proficiscens, ad Ebroliense apud Arvernos divertit monasterium, ubi a Willelmo abbate honorifice exceptus est. Hoc autem in congressu litem ambo composuerunt, quæ inter utrumque monasterium inerat pro ecclesia Montis-Revelli. Bulla Gregorii VII. donatus est anno 1076. tenoris ejusdem ac bulla Alexandri II. Cum Ebrardo abbate Talmundi litigabat an. 1078. pro ecclesiis de Olona, quas Ebrardus restituit. Oderico scuta bellorum & denarios de sacramentis concessit Rainaldus castri Credoniensis dominus anno 1079. qui
E ordinationis ejus abbatialis dicitur 33. in charta Vindocinensi. Nonnulla ei largitus est Robertus miles de Monte-contorio anno 1081. indict. IV. Memoratur adhuc VII. calendas Augusti 1082. defunctus IV. nonas Octobris anni ejusdem, cum vixisset abbas, non 37. ut legitur in chronico, sed 36. annos, 3. menses & dies 4.

III. David ordinatus est pridie nonas Junii 1083. cui Hugo præpositus ecclesiam de Boisiello confirmat eodem anno. Memoratur in chartis anno 1084. defunctus VIII. id. Augusti 1085.

IV. Berno electus IX. cal. Martii (*al.* Maii) 1085. nunc 1086. excepit donum Roberti de Monte-contorio anno eodem. Senio gravis & corpore debilis a monachis ad placitum ire coactus est an. 1088. forte pro ecclesia sancti Saturnini, quam Vindocinensibus a Carrofensibus disceptatam, Gaufridus Andegavensis episcopus judex in concilio Santonensi adjudicavit mense Novemb. anni ejusdem præsente Bernone. Ecclesiam Saviniaci a Gaufrido Pruliacensi obtinuit anno 1090. & sequenti aliquid in parochia capellæ Anscherici a Garnaldo de Charismot. Bernoni quoque data est bulla Urbani II. VIII. calend. Decemb. 1093. ecclesiam Credonensem Vindocinensibus adversus sancti Albini monachos concedentis, sed jam abbatia cesserat Berno, ut volunt, qui ætate fessus, ægritudine pressus, baculum pastorale ultra non valens ferre, coram cunctis fratribus in capitulo dereliquit hoc anno. Cessioni autem supervixit ad annum 1099. quo die 22. Septembris ad superos evolavit, vir magnæ integritatis & innocentiæ, pater omnibus dulcissimus, post 60. in monasterio exactos annos.

V. Gaufridus I. quem Henrici domini du Lion d'Angers quartogeniti Roberti Burgundi filium autumat Menagius, (hist. de Sablé pag. 105.) at certe claro & nobili apud Andegavos genere natus, Rainaldum Credonis dominum & Mauricium ejus filium consanguineos habuit, nutritorem vero Hamerium archidiaconum & Guillelmum magistrum. Prima ætate inter monachos monasterii Vindocinensis nomen dedit, nec multo post novicius adhuc & juvenis ac diaconus tantum, sed moribus maturus, forma modesta, corpore firmus, literisque maxime instructus, & ceteris bonis ornatus, Bernone abdicante, abbas renunciatus est XII. calendas Septembris anno 1093. Tum ab Ivone Carnotensi episcopo inauguratus IX. calendas mensis ejusdem, professionem ei exhibuit, quæ dissidioli inter illos postea seminarium fuit. Primo ordinationis suæ anno Romam ad Urbanum II. Guibertinæ factionis metu latitantem profectus, immortali pontificem beneficio devinxit, pecunia unde Lateranum & turrim Crescentiam, hodie castellum sancti Angeli dictam, redimeret quindecim diebus ante Pascha anni 1094. affatim collata. Quo nomine primus omnium pedem Urbano in sede pontificia cum Laterano restituta osculatus est, a quo presbyter sacratus, ecclesiam etiam beatæ Priscæ, unde vi a Guibertinis dejecti fuerant Vindocinenses, cum adnexa cardinalis dignitate postliminio recepit. Reversus in Gallias, Salmurum ad Ligerim eodem ipso anno ab Hugone legato, ad Fulconis Rechini comitis expiationem accitus est. Tum sequenti mox anno ad celeberrimum apud Arvernos concilium ab Urbano vocatus interfuit, adfuturus etiam Lateranensi Paschalis II. & Romano item Callixti II. a quibus pariter evocabatur, nisi alterum iter brevitas temporis, alterum hiemis asperitas exclusisset. Urbano quoad vixit unici filii instar carus fuit, quem etiam Vindocini octo dierum spatio hospitem habuit mense Februario anni 1096. a quo monasterii privilegia confirmata, irrita & nulla declarata professio, quam Ivoni episcopo fecerat Gaufridus, consecratumque altare sanctæ Crucis IV. calendas Martii. Anno eodem ordinationis suæ tertio Gaufridus subscripsit literis Aquitaniæ ducis Vindocinensibus sancti Georgii Oleronensis ecclesiam de mandato papæ restituentis IV. idus Decembris, quæ quidem restitutio confirmata fuit in concilio Sanctonensi anno 1097. cui interfuit Gaufridus. Querelam habuit anno eodem cum Gaufrido de Prulliaco comite, quam sedavit Ivo Carnotensis episcopus. Bullam accepit anno 1098. ab Urbano II. ut abbates a quocumque benedicerentur episcopo, ut ecclesia sancti Salvatoris apud Andegavum cum ecclesia sancti Eutropii foret unita, in eademque confirmat ecclesiam sanctæ Priscæ, ubi vidisse se ait fratres monasterii Vindocinensis religiose viventes. Anno 1101. a canonicis sancti Mauricii ad eligendum episcopum Andegavensem vocatus, Rainaldum de Martiniaco improbavit, eo quod invitis electoribus arreptus fuisset a vulgo, quicum postea in gratiam rediit. Paschalis II. mitram, dalmaticam, sandalia, aliaque dignitatis cardinalitiæ insignia Gaufrido concessit an. 1102. Componit anno 1104. cum Alexandro abbate Talmundi pro medietate oblationum ecclesiæ S. Hilarii de Castello. Paschalem papam per XI. dies Vindocini habuit anno 1107. Circa id tempus societatem iniit cum Cluniacensibus, quorum abbas Hugo concessit illi quandiu viveret, ut capitulo, mensæ, totique Cluniacensi ordini vice illius absentis præesset, mortuo vero fieret pro ipso ut pro abbate. Societatem quoque iniit cum monialibus Fontis-Ebraldi anno 1114. Concordiam inter Vindocinenses & sancti Albini monachos ab Urbano sancitam confirmavit Paschalis II. bulla Gaufrido data anno 1115. Huic anno 1117. comes Vindocinensis satisfecit nudis pedibus ante altare Dominicum. Bullam obtinuit pro dignitate cardinalis & ecclesiæ sanctæ Priscæ anno 1119. a Calixto II. cui ex urbe Pictavorum Turonos venienti, noctuque a furibus nudato, Gaufridus grisiam pelliceam, variasque pelles obtulit anno eodem. Adfuit adhuc dedicationi altaris monasterii Roncerei factæ ab eodem papa annoque eodem. Fulco comes uxorque Aremburgis huic obtulerunt aquas & piscationes fluvii Meduanæ a muro civitatis Andegavensis ad rupem Cancianensem anno 1124. Electo circa id tempus Honorio gratulatus est, sed ad eum ire obstitit corporis infirmitas ex nimio labore, multiplicique Romano itinere contracta: duodecies enim pro Romanæ ecclesiæ utilitate Alpes transcenderat, terque ab ejus adversariis fuerat captus. Vocatus circa annum 1126. ab Humbaldo sedis apostolicæ legato ad concilium Aurelianense, adesse renuit, quod privilegiis Romanorum pontificum interdictum esset, ne alodiarius beati Petri abbas Vindocinensis ab episcopo vel a quolibet sedis apostolicæ legato ad concilium vocaretur. Placito de ecclesia Belismensi apud Cenomanos adfuit anno 1127. Bullam ab Honorio II. obtinuit anno

1129. Concilio Remensi adfuit anno 1131. & A subscripsit judicio lato ab episcopo Aletensi in gratiam Majoris monasterii adversus monachos sancti Jacuti. Denique dum causa monasterii de Aquaria, quod paulo ante combustum fuerat, reædificandi, fratribusque, qui inibi inerant, necessaria procurandi Andegavum venisset, corpus quod suum erat terræ commendavit, spiritus vero, ut credimus, ad cælestia transmigravit VII. calend. Aprilis anno 1132. ut legitur in chronico Vindocinensi. Ceterum Gaufridus ingenio fuit acri & vivido, quod in sacris præcipue literis canonibusque exercitatum omnia ejus opera testantur. Hæc collecta habes a Sirmondo tomo IV. præter B commentarium in psalmos.

VI. Fromundus succedit Gaufrido pridie nonas Aprilis 1132. totius capituli communibus suffragiis, & quatuor abbatum, qui præsentes erant & vocati fuerant, assensione. Electus autem cum ab episcopo Carnotensi benedictionem postularet, ipse autem e contra pro benedictione ab eo professionem exigeret, Fromundus se nullatenus id facturum respondit; timere enim dicebat, ne si pro benedictione contra dignitatem monasterii sui professionem faceret, maledictionem incurreret. Qua ratione & autoritate privilegiorum, quibus Vindocinense monasterium C fulcitur, cum victus esset episcopus, non solum eum consecravit, verum etiam quod libertatem monasterii sui defenderet, plurimum laudavit. Ita chronicon Vindocinense. Duas accepit Fromundus ab Innocentio II. bullas, quarum altera summus pontifex VII. calendas Junii 1135. omnia monasterii privilegia confirmat, altera vero initam inter Fromundum & Ulgerium Andegavensium episcopum concordiam de ecclesiis & oblationibus autoritate sua obsignat pridie idus Januarii 1136. Huic quoque Guido Cenomanensis episcopus de mandato Innocentii papæ confirmavit quidquid Vindocinenses in ipsius tenebant D diœcesi. Querelam habuit cum Johanne abbate Rotæ super ecclesia sancti Nicolai Credonensis, quam ob prioratum sancti Clementis sibi vindicabat. Obiit Fromundus bonæ memoriæ abbas XII. calendas Octobris 1139.

Chart. XL. col. 421.

VII. Hubertus vir morum honestate & sanctitate plenus, electus mense Octobri 1139. a Gaufrido quoque Carnotensi episcopo benedictus est eodem quo decessor modo. Partem silvæ Guastinæ a Gaufrido Grisagonello comite Vindocinensi & Johanne ejus filio accepit anno eodem. Postquam monasterium annis 5. mensibus 5. & 18. diebus rexisset, obiit XIV. calendas Aprilis E anni scilicet 1145.

VIII. Robertus prior Villæ-Dei, paulo post obitum Huberti electus abbas, diploma a rege obtinuit anno 1146. ministris suis interdicente vexationibus, quas Vindocinensibus in insula Oleronis inferebant, insequentique chartam confirmationis a Goffrido duce Normannorum. Transigit anno 1148. cum Theobaldo comite Blesensi, cujus filius Henricus tunc temporis in partibus Jerosolymorum demorabatur. Eugenius III. Remis XVI. calendas Maii anno eodem initam inter Robertum & Aimericum abbatem S. Juliani Turonensis concordiam confirmat. Roberto quoque Alienordis Aquitaniæ & Normanniæ ducissa & Andegavorum comitissa pro salute Heinrici conjugis & Guillelmi filii remittit jus procurationum in prioratibus monasterii. Huic Lancelinus III. nundinas sancti Beati apud Balgenciacum concessit anno 1152. Robertus statuit ut omnes cellæ, exceptis Andegavensi & Credonensi, armario librorum annuum censum persolverent, anno 1156. VI. calendas Junii. Composuit anno 1158. cum Guarino abbate S. Juliani Turonensis pro tribus capellis in castro carceris. Reperitur adhuc anno 1160. Non ergo obiit an. 1155. ut legitur in chronico Vindocinensi, sed 1161. defunctus scilicet ex eodem chronico III. idus Januarii, feria IV.

Guillelmus ipsi a Sirmondo sufficitur, ex manuscripto calendario nonus abbas, contra fidem chronici & chartarum, in quibus Roberti successor

IX. Gerardus vir honestæ vitæ & boni testimonii, toto annuente capitulo post Robertum electus anno 1161. exeunte, statuit ut quotidie a principio Quadragesimæ usque ad festivitatem sancti Johannis darentur pauperibus tria sextaria annonæ præter consuetum beneficium, idque propter immanem famem quæ eo anno exorta est. Bullam ab Alexandro III. obtinuit datam tertio idus Junii apud Montempessulanum an. scilicet 1162. Gerardo anno 1164. Galterus Laudunensis episcopus dedit os de brachio sancti Beati confessoris. Recepit anno 1165. hominium pro terra de Pinochiis. Transegit anno 1166. cum Hildeburgi abbatissa Fontis-Ebraldi. Composuit anno 1170. cum Lancelino Balgenciaci domino, arbitro pacis Manasse Aurelianensi episcopo. Exulavit conventus Vindocinensis Andegavi toto anno 1177. & duobus mensibus a facie Johannis comitis, ex chronico. Gerardus reperitur an. 1179. in chartulario Obasinæ. Pepigit anno 1184. cum monachis Majoris monasterii. Concordiam iniit cum Sulpicio de Ambasia super pluribus damnis, quæ monasterio intulerat anno 1185. Transegit cum Guillelmo abbate Talmundi an. 1186. Defunctus est sedis suæ an. vigesimo sexto & dimidio, Christi 1187. ex chronico, & quidem IV. calend. Octobris, ex necrologio.

X. Lucas ex priore Vindocinensi abbas, successit Gerardo. Bullam accepit a Clemente III. anno pontificatus tertio, II. idus Martii. Ab H. Aurelianensi episcopo obtinuit anno 1191. abolitionem procurationum in prioratu sancti Sepulcri Balgenciacensis, quam confirmavit Innocentius III. bulla ad Lucam data III. non. Maii pontificatus anno I. Huic R. Carnotensis episcopus permisit ædificare oratorium apud Cortozeium anno 1192. Cum Hilario Burguliensi & Roberto Culturæ abbatibus iniit societatem. Ætate fessus, ægritudine pressus, baculum pastoralem sponte dereliquit coram cunctis fratribus in capitulo an. 1201. defunctus IV. cal. Nov. 1202.

XI. Hamelinus statim, cedente Luca, electus,

unam feriam seu nundinas in Nativitate Domini A a Johanne Vindocinensi obtinuit anno 1203. Commutationem fecit cum Gaufrido abbate S. Gentiani Balgenciacensis anno 1204. Composuit an. 1205. cum Bartholomæo Turonensi archiep. pro procurationibus prioratuum monasterii sitorum in ipsius diœcesi. Subscripsit literis comitis Vindocinensis pro Caritate anno 1206. mense Septembri. Desolatam per incuriam abbatum Vindocinensium ecclesiam sanctæ Priscæ, quam diversis cardinalibus quidam papæ dederant, Hamelino abbati restituit Innocentius III. jura & privilegia monasterii confirmavit, & concessit usum sandaliorum, tunicæ, dalmaticæ, mitræ & annuli, B ad normam cardinalium presbyterorum x. calendas Januarii, pontificatus anno octavo. Cum abbate Pontileviensi & R. præposito sancti Salvatoris Blesensis judex a sede apostolica deputatus fuit Hamelinus cujusdam controversiæ inter monasteria S. Launomari & S. Vincentii de Nemore anno 1212. Eodem de ipsius arbitrio concordia facta est inter Hamelinum episcopum Cenomanensem & Humbaldum abbatem Miciacensem super prioratu de Mota. Nundinas in festo sanctissimæ Trinitatis Hamelino concessit anno 1213. Johannes comes. Generali Romanæ synodo in die S. Martini hiemalis habitæ interfuit abbas locum ordine C suum inter exteros cardinales obtinens an. 1215. Cum Guillelmo Pictaviensi episcopo Mauricii successore composuit pro procuratione prioratus de Olona, agente Michaele Salmuriensi abbate anno 1217. Dedit anno 1218. mense Januario Johanni comiti *carnagium* terræ suæ. Domum B. Priscæ monachis reformavit. Anniversarium spopondit Gaufrido filio Richildis Vindocinensis an. 1222. hoc vel sequenti defunctus v. cal. Maii.

XII. Gaufridus II. de Balgenciaco idem qui prior erat Vindocinensis anno 1195. factus abbas, eodem quo decessor obiit anno 1222. aut 1223. v. calendas Decembris. D

XIII. Hugo honestæ vitæ & religiosæ abbas, pacem fecit cum Roberto de Andreio milite, qui super rebus prioratus de Andreio diversa exigebat anno 1223. Obiit iv. non. Februarii.

XIV. Rainaldus II. si chronico fides, fato functus est anno 1227.

XV. Reginaldus III. ex priore electus abbas anno 1227. nuncios pro reformatione Romam dirigit. Convenit an. 1228. cum Galtero Carnotensi episcopo pro procurationibus debitis in prioratibus sitis in ipsius diœcesi. Johanni comiti Vindocinensi concessit anno 1219. consuetudinem dictam *Virevire*. Monasterium rexit annis 16. ex E Martennio, ac proinde obiit circa annum 1243.

XVI. Rainaldus IV. de la Villedieu ex priore Vindocinensi electus abbas, confirmatur ab Odone Tusculano episcopo, sedis apostolicæ legato in Francia, & benedicitur ab eodem Parisiis in ecclesia sanctæ Genovefæ. Reperitur annis 1249. & 1250. in chartis Majoris monasterii. Burchardo comiti Vindocinensi *carnagium* terræ suæ concessit annis 1260. & 1262. Composuit cum abbate de Gastineta anno 1261. Anniversarium fundavit tertio idus Octobris anno 1266. defunctus die eadem.

XVII. Philippus I. abbas obiit iv. idus Octobris, ex necrologio.

XVIII. Johannes I. dicitur abbas Vindocinensis, cardinalis sanctæ Priscæ in chartis annorum 1275. & 1276. Memoratur anno 1284. die festo sanctissimæ Trinitatis in tabulis Tironiensibus.

XIX. Simon du Plessis memoratur an. 1292. in chartis Majoris monasterii. Probavit compositionem initam inter monachos S. Sergii & priorem de Aquaria anno 1303. in festo sancti Juliani. Anniversarium fundavit anno 1307. Obiit viii. idus Novembris.

XX. Johannes II. cameræ apostolicæ per procuratorem solvit 23. Febr. 1309.

XXI. Guillelmus I. le Viesel cameræ apostolicæ solvit 15. Martii 1309. Reperitur adhuc annis 1313. 1317. & 1318.

XXII. Johannes III. de Bussa cameræ apostolicæ solvit annis 1322. 1323. 1325. Multa pro anniversario donavit anno 1341. Defunctus est 17. Junii 1342.

XXIII. Michael I. licentiatus in decretis, ex priore sancti Saturnini supra Ligerim post obitum Johannis electus est per compromissum, cujus electionem confirmavit Clemens VI. v. nonas Julii, pontificatus anno I. qui paulo post ad preces Michaelis & de consensu Guidonis episcopi Cenomanensis sacerdotium Villæ-dei abbatiali mensæ annexuit literis datis octavo idus Martii 1343. Cameræ apostolicæ solvit hoc & annis 1344. & 1346. in manibus Stephani sancti Poncii & Guillelmi Forojuliensis episcoporum. Querelam habuit cum Johanne abbate Talmundi circa cellam de Olona, quam Petrus abbas Orbisterii electus arbiter composuit an. 1345. Archiepiscopo Senonensi procurationes exigenti obstitit an. 1346. Eodem anno cellæ S. Mariæ de Castris colligavit ecclesiam S. Symphoriani, quod ejus facultates monachis duobus sustentandis non essent satis. Obiit die 27. Martii 1350.

XXIV. Guillelmus II. du Plessis electus est a monachis, a quibus factam electionem, utpote ignorantibus a summo pontifice prius reservatam, confirmavit Clemens VI. xiv. calendas Julii pontificatus anno IX. Cameræ apostolicæ 500. florenos solvit annis 1351. & 1352. Caput sancti Eutropii e cella ejusdem in monasterium transtulit anno 1353. Querelas multas habuit cum comitibus, de quibus multoties convenit. Abbatiæ suæ turribus & propugnaculis muniendæ licentiam obtinuit anno 1357. Fundavit capellam S. Trinitatis an. 1369. Cancellarius erat ducis Andegavensis anno 1375. Anniversarium suum instituit Parisiis anno 1383. Fato fungitur XII. cal. Augusti 1384.

XXV. Petrus de la Peruche ex abbate sancti Albini Andegavensis ad Vindocinensem clavum, quem post obitum Guillelmi reservaverat summus pontifex, a Clemente VII. traducitur II. non. Augusti, pontificatus an. septimo. Villæ-dei ædes renovavit

renovavit atque munitiores fecit permissu Caroli regis anno eodem 1385. sacelloque S. Eutropii adornavit, obtinuitque facultatem a Clemente VII. an. 1386. ut in eo sacerdotes absque episcoporum licentia sacrum facere possent. Cameræ apostolicæ solvit annis 1385. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 95. &c. Comiti Blesensi hominium præstitit an. 1389. Transegit cum comite Vindocin. 1390. & comitissa 1396. Anniversarium suum fundavit an. 1400. Pepigit cum Nicolao abbate Orbisterii de pensione Olonensi cellæ debita anno 1405. Concilio Pisano adfuit anno 1409. Per procuratorem Clementem de Perusia Andegavensem clericum abbatia cessit apud Simonem tituli sancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, archiepiscopum Remensem an. 1413. Obiit xv. calendas Aprilis 1414.

XXVI. Johannes III. de la Fontaine prior sancti Georgii Oleronensis, abbatia post Petri cessionem sedi apostolicæ reservata potitur Johannis XXIII. bulla data Florentiæ VII. idus Oct. pontificatus anno IV. Cameræ apostolicæ solvit annis 1413. & 1415. Johanni Johannes literis pridie idus Jan. pontificatus anno v. juxta Innocentii II. decretum priscam monasterii libertatem confirmat, ecclesiam S. Priscæ, cardinalis dignitatem atque insignia pontificalia. Anno eodem v. calendas Februarii idem pontifex ad preces Johannis abbati Majoris monasterii mandavit, ut vice apostolica prædiorum Vindocinensis monasterii invasores anathemate percelleret. Obiit Johannes anno eodem penultima Novembris.

XXVII. Ivo de la Fontaine genere nobilis, baccalaureus in decretis, & prior de Credonio, defuncto Johanne electus est abbas 3. Decemb. 1415. minime vocatis absentibus, tum ob metum potentium, qui abbatiæ inhiabant, tum ob prædonum per Gallias tunc impune grassantium periculum. Cum autem pontifice destituta esset Romana sedes, electi dilata est inauguratio in biennium. Tunc vero moræ longioris impatiens Ivo, nixus clausula rescripti Alexandri II. qua concedit, ut abbati Vindocinensi, si Romanum pontificem adire difficile possit, benedictio impertiatur, modo rei gestæ rationem pontifici statim significet, id muneris ab Ebroicensi antistite Guillelmo consequitur die 29. Maii 1417. Parisiis in ecclesia Fratrum Minorum, electum deducentibus Stephano sancti Petri Carnotensis & Guillelmo S. Cornelii Compendiensis abbatibus, præsentibus etiam Simone Gemeticensi & Johanne sancti Crispini majoris Suessionensis. Qua de re tum Ivo, tum monachi futurum pontificem monuerunt Martinum V. qui electionem confirmavit XIII. calendas Januarii anni ejusdem 1417. quo jam possessionem inierat Ivo die 24. Junii præcedentis. Capsam sancti Eutropii visitavit anno 1439. obiitque VII. idus Octobris 1440.

XXVIII. Johannes IV. de Villerai nobilis, prior sancti Georgii de Meduanillo, monachorum omnium unanimi voce proclamatus abbas die 31. Oct. 1440. electioni assensum præbuit die 1. Novembris & confirmatus est ab Eugenio papa VIII. idus Februarii 1441. Cameræ apostolicæ solvit anno eodem. Compositionem fecit cum Johanne de Bourbon Vindocinensi comite anno 1454. Societatem iniit cum Laurentio abbate de Longis anno 1458. Dicitur annis 1454. & 1459. cardinalis S. Priscæ & abbas Vindocinensis. Anniversarium suum fundavit annis 1450. & 1461. Hoc ultimo contulit illi Pius II. mense Martio prioratum conventualem S. Georgii Oleronensis, ut illum una cum abbatia teneret, sed illis simul & vita cessit die 29. Octobris, & humo mandatus est die 30. coram præcipuo altari.

XXIX. Aimericus de Cosdun genere nobilis, monachus sancti Michaelis in Eremo, prior de Talnaio ab anno 1445. & Monasterii novi Santonensis, mortuo Johanne una Vindocinensium voce electus est abbas 21. Novemb. 1461. deputatique ad eum in Santonibus agentem, qui monachorum vota perferrent: is post duodecim, quos ad deliberationem maturiorem postulaverat, induciarum dies, assensum præbuit, misitque 12. Decembris qui electionis confirmationem prosequerentur, Romam procuratores, quo a mense Augusto quartanis laborans febribus ipse ire non poterat. Summus pontifex Pius II. qui vacaturam post obitum Johannis abbatiam sedi apostolicæ reservaverat, electionem Aimerici a monachis ignorantibus licet factam, nullam declaravit, abbatiamque Richardo Olivier cardinali, episcopo Constantiensi, commendavit VII. idus Septemb. 1462. Hinc jurgia & lites: acceptum enim diploma Richardus delegat procuratores qui monachis significent, & ipsius vice abbatiæ possessionem ingrediantur. Verum hi, foribus monasterii obstructis, atque literis pontificiis laceratis, repelluntur. Unde irritatus cardinalis, anathematis sententiam tum in Aimericum, tum in rebelles monachos impetrat, atque una cum Atrebatensi cardinali legato a latere Johanne promulgat, literis ecclesiæ valvis affixis, simul in abbatiam inductus a regio delegato. Appellatione quidem obstitit Aimericus, sed Richardi tandem potentia territus abbatia cedit 28. Januarii 1463. contentus administratione cellæ Oleronensis, compositionem Aimerici nomine procurante Elia de Cosdun a libellis supplicibus, atque in Parisiensi senatu consiliario; indeque novas a pontifice bullas accipit Richardus cum facultate absolvendi Aimericum & monachos a censuris; quam cum differret exsequi, compulsus est decreto senatus Parisiensis, & 15000. libris ad compensanda rebus monasterii illata damna multatus. Quiete nihilominus abbatia potitus non est Richardus, a Paulo etiam II. III. idus Julii 1466. confirmatus, jus suum apud senatum Parisiensem prosequente Aimerico, qui die adhuc XI. Martii 1467. procuratores instituit ad transigendum quovis modo cum cardinali, ut vel juri suo renunciaret, vel acciperet pensionem, vel daret aut acciperet abbatiam. Defuncto Richardo anno 1470. regressus Aimericus, senatusque Parisiensis

consulto restitutus, novum passus est æmulum Theobaldum de Luxembourg Cenomanensem episcopum, Ludovici regis apud papam oratorem, eique a rege commendatum, cui Paulus II. nonis Septembris 1470. vacantem abbatiam contulit. Huic actionem cito intendit Aimericus mense Aprili in senatu Paris. a quo quidem confirmatus, cedente Theobaldo, bullas a Sixto IV. III. cal. Maii 1472. obtinuit cum facultate benedictionem a quocumque catholico episcopo recipiendi, & retinendi prioratum de Talnaio. Cameræ itaque apostolicæ solvit die 30. ejusdem mensis in manibus cardinalis Rotomagensis. In possessionem missus est die 23. Julii, & apud sanctum Maglorium Parisiensem a Milone episcopo Parisiensi die Dominica 2. Augusti benedictus coram abbatibus sancti Maglorii & sancti Germani. Anno 1474. Philippus episcopus Portuensis pœnitentiarius papæ Aimerico permisit confessarium sibi idoneum eligere. Anno 1477. Milo Carnotensis episcopus ab excommunicatione ab ipso lata Aimericum absolvere jussus est. Sixtus IV. anno 1480. v. calend. Maii prioratum de Talnaio in diœcesi Santonensi ei contulit. Procuratores rerum monasterii gerendarum instituit anno 1482. Misit procuratorem ad concilium Senonense 23. Julii 1485. qui synodo significaret abbatem Vindocinensem ad concilium citari non posse, cui non præesset papa. Fundavit anniversarium mense Octobri 1487. postquam abbatiam in manibus Innocentii VIII. resignasset XV. calend. Februarii, qui pensionem ei creavit cum retentione prioratus sancti Sepulcri Balgenciacensis. Permutasse quoque legitur anno eodem abbatiam Vindocinensem pro abbatia S. Fidis de Conchis die 2. Decembr. sed hæc cessio locum habuisse non videtur. Aimericus obiit pridie calend. Sept. anno 1492. sepultusque est ad gradus altaris sanctæ Mariæ ad cornu epistolæ. Ad parietem hoc habet epitaphium in lamina cuprea:

Ch. XXXI. col. 447.

Ch. XXXII. col. 448.

Aimericus jacet hic hujus venerabilis ædis
Abbas, Cosdunæ gloria magna domus,
Nobilitatis honor sacer, & virtutis alumnus,
Et castæ specimen relligionis erat:
Mors tamen hunc rapuit, parent sævæ omnia morti,
Omnia funereo sunt peritura die.
Præscia venturæ cum novit tempora mortis,
Membraque terreno dissoluenda sinu,
Crevantem instituit Lodoicum relligioni,
Ne incustoditum linqueret ille gregem.
Ille gregem sancto virtutis gramine pavit
Abbas, æthereo pascit & iste cibo.
Ille suos claro fratres dilexit amore,
His timuit, sed erat causa timoris amor.
Hujus corporea mens ut requiescat in arce,
Cælicolas inter glorificata choros,
Ante Palæstrinæ sacratas virginis aras
Assiduas superis dat chorus iste preces.

Obiit anno 1492. die 29. Augusti.

A XXX. Ludovicus I. de Crevant abbas sanctæ Fidis Conchensis ab anno 1483. Aimerico cedente factus abbas Vindocinensis XV. calendas Februarii 1487. cum facultate utramque simul abbatiam tenendi, hujus adit possessionem die 2. Martii. Cameræ apostolicæ solvit 24. Januarii 1488. obtinuitque ab Innocentio VIII. VII. idus Febr. anni ejusdem adversus episcopum Abrincensem Ludovicum literas, in quibus dicitur, quod licet per abdicationem Aimerici pontifex anno præcedenti abbatiam Ludovico de Crevant rite contulisset, possessionemque Ludovicus cepisset, episcopus tamen calendis Septembris per B subreptionem, mentiendo papæ abbatiam vacantem, bullas obtinuisset, quas pontifex nullius virtutis esse declarat. Anno tamen 1489. Carolus VIII. Innocentio VIII. commendat episcopum Abrincensem die 16. Maii pro eadem abbatia, quam idcirco nonis Aprilis 1490. Ludovico iterato confirmat Innocentius, supplens omnes defectus, qui in cessione Aimerici & promotione Ludovici contingere potuissent. Hic componit anno eodem cum Guillelmo abbate Talmundi. Litigabat tamen adhuc anno 1491. cum episcopo Abrincensi de abbatia. In capitulo generali anno 1492. prioribus omnibus pecuniam C irrogavit ad reparandum monasterium. Anno 1493. Innocentius VIII. querelam quæ inter Ludovicum & episcopum Abrincensem de abbatia iterat, terminavit, pensione episcopo assignata. Ludovicus autem factus est anno 1494. abbas Tironii per cessionem Leoneti; unde an. 1497. dicitur abbas Vindocinensis & Tironii simul. Anno 1500. 3. Aprilis Alexander VI. pontificatus VIII. ad preces Ludovici univit prioratum sancti Georgii de Olerone mensæ abbatiali ad 15. annos pro fabrica ecclesiæ Vindocinensis, de consensu Philippi episcopi Cenomanensis ejusdem prioris. Tironium in manibus pontificis resi- D gnavit in gratiam Ludovici alterius de Crevant, cui confertur VII. calendas Martii 1503. Transegit annis 1506. & 1512. cum Carolo de Bourbon comite Vindocinensi. Pro bono monasterii regimine statuta condidit anno 1520. Nominatus Sebastiensis episcopus ab Adriano VI. abbatia cessit anno 1522. in gratiam sequentis. Defunctus idibus Septembris 1529. legitur in sepulcro marmoreo ad cornu epistolæ juxta majus altare.

XXXI. Antonius I. Jacobo de Crevant domino de Cingé & Isabella de Sulignac parentibus natus, juxta facultatem a Roberto archiepi- E scopo Turonensi datam anno 1501. tonsuram clericalem accepit in parochia de Boissay anno 1503. ab Antonio Balüe episcopo Toneriarum. Monachus Vindocinensis prioratum S. Georgii in insula Oleronis cum sacristia Vindocinensi a Julio II. obtinuit anno 1510. Vota emisit coram Ludovico de Crevant ipsius patruo, abbate Vindocinensi, in sacello beatæ Mariæ apud sanctam Genovefam Parisiensem 7. Junii 1512. Abbatiam de Bosco Alberici consecutus est a Leone X. XIV. cal. Septembr. an. 1514. natus annos 17.

cum facultate quodcumque aliud etiam seculare & A curatum beneficium simul tenendi. Recepit anno 1516. Parisiis minores ordines & subdiaconatum, diaconatum vero an. 1517. Baccalaureus erat in theologia, cum ex cessione Ludovici Sebastiensis episcopi electi a rege nominatus, bullas ab Adriano VI. obtinuit IV. calendas Novembris 1522. pro abbatia Vindocinensi, ut eam cum abbatia sancti Michaelis de Bosco Alberici teneret. Possessionem per procuratorem accepit 27. Januarii 1523. Laurea doctoris insignitus est 1524. annos natus 27. contra usum tunc obtinentem. Antonio doctori regenti in facultate Parisiensi jura & prærogativæ Universitatis a præposito Pari- B siensi attribuuntur anno 1527. Cardinalis sanctæ Priscæ dicitur 25. Maii 1529. Capitulo generali præfuit anno 1530. Ablata monasterio restituere fecit anno eodem per Antonium cardinalem legatum. Præfecturam domus Dei de Insula pleno jure contulit an. 1536. Constituit eodem cum capitulo generali procuratores ad res monasterii gerendas. Regularium postremus obiit III. non. Maii 1539.

XXXII. Antonius II. Sanguin, cardinalis de Meudon, episcopus Aurelianensis, & major Franciæ eleemosynarius, primus commendatarius Vindocinensem abbatiam cum Floriacensi & Altivillarensi tenuit ab anno 1540. ad 1547. & C antiquam juris vocationis vinculorum & necis possessionem illi asseruit. In gratiam sequentis cessit.

XXXIII. Carolus I. de Bourbon cardinalis de Vendosme, archiepiscopus Rotomagensis, episcopus Santonensis, abbas sancti Vincentii Laudunensis & sancti Nicolai de Nemore, superioris Antonii vicarius generalis, bullis pro Vindocinensi obtentis IV. calendas Junii 1548. possessionem adeptus est 2. Decembris anni ejusdem. Exstant statuta pro bono regimine monasterii Vindocinensis subscripta die 5. Januarii 1550. nomine Caroli cardinalis de Vendosme. De mo- D nasterio bene meritus est, cujus tum exspoliandi, tum pessumdandi impiæ hæreticorum illius temporis obstitit prurigini. Abbatiam sequenti transcripsit anno 1565.

XXXIV. Marcus Sitticus d'Altaemps Theodoro comite & Clara Medicea Pii IV. sorore genitus, cardinalis sancti Angeli, episcopus Constantiensis ad Rhenum, Carolo cedente nominatus a Carolo IX. die 30. Novembris 1565. confirmatur a Pio V. XV. calendas Martii 1566. & possessionem adit mense Augusto. Mortuus est Romæ 1595.

XXXV. Ludovicus II. de la Chambre Sa- E baudus, Catharinæ Mediceæ consanguineus, ejusdemque major eleemosynarius, magnus Arverniæ prior, Franciæ & Poloniæ regum a consiliis, abbas Arremarensis, Vindocinensis, Christi lacrymam e Calensi monasterio, in quod anno 1562. delata fuerat, reportavit anno 1574. Cessit anno 1591.

XXXVI. Carolus II. de Bourbon cardinalis de Vendosme post cessionem Ludovici, vi decreti amplioris senatus commenda sibi adscita anno 1591. monasterii possessionem adeptus est mense Junio.

XXXVII. Ludovicus III. de Mornay monachus sancti Dionysii in Francia, ex decreto ejusdem consilii, bullis non obtentis, in possessionem abbatiæ ingressus est anno 1595. quam in gratiam comitis sancti Pauli ad 1596. tenuit.

XXXVIII. Michael II. Sublet filius Michaelis Sublet & Mariæ Boulier per cessionem Ludovici de Mornay & decessum Ludovici de la Chambre a rege nominatus, bullas obtinuit pridie nonas Septembris 1596. pro Vindocinensi & Ferrariensi abbatiis vacantibus, Vindocinensi quidem per obitum Ludovici de la Chambre, Ferrariensi vero per mortem Claudii Sublet. Adstitit comitiis cleri Gallicani anno 1615. Reformatos sancti Mauri adscivit die 5. Aprilis 1621. quibus annuentibus 28. Augusti, accessere regis & consiliorum diplomata anno 1624. Obiit Blesis an. 1649. ubi sepultus est in parochia sancti Honorati, etiam abbas Bellifontis in diœcesi Malleacensi.

XXXIX. Franciscus de Rohan comes Rupisfortis, Herculis ducis de Montbason paris Franciæ, equitis torquati, Lutetiæ gubernatoris ex Maria de Bretagne-Vertus secunda uxore natus est. Clericus Parisinus, abbas Humolariensis, vi decreti magni consilii anno 1650. quinto post obitum Michaelis mense in possessionem abbatiæ admissus, bullas per obitum ejusdem ab Innocentio X. obtinet VI. calendas Augusti 1654. possessionemque apprehendit die 1. Decembris; sexennio post in manibus pontificiis resignavit.

XL. Philippus II. de Vendosme natus anno 1655. parentibus Ludovico de Vendosme & Laura Mancini, militiæ Melitensi nomen dedit, inde major Franciæ prior, abbas sancti Vigoris Cerisiensis, Lirinensis, sancti Mansueti, Ibriacensis, Vindocinensis quoque a rege nominatus anno 1661. a summo pontifice confirmatus est. Obiit Parisiis die 24. Januarii 1727. annos natus 71. quinque menses & diem unum.

XLI. Ludovicus Jacobus Chapt de Rastignac archiepiscopus Turonensis, Vindocinensem commendam a rege nominatus obtinuit 29. Martii 1727. & proclamatus est Romæ 26. Junii anni ejusdem, propositusque 27. Septembris.

PONTILEVIUM.

PONT-LEVOY.

Quem veteres tabulæ Pontem leviatum efferre solent, paulo recentiores ubique Pontilevium aut Pontilevi; quæ vero trecentos annos minime superant, aliquando Ponslevium & Ponlevium exhibent, Virgini Deiparæ sacer est locus ad Massam amniculum, Ligerim inter & Carum magni nominis fluvios, æquali fere spatio cum ab Ambasia, tum a Monte-Ricardi, septem Gallicis milliaribus a Blesarum castro disparatus, ubi Gilduinus in fundo proprio cœnobium condidit anno 1034. Gilduinus ille nobilis Danus, Salmurio, aliisque in Blesensi Turonensique territorio dominiis a Fulcone pulsus, Blesim venit, Calvum montem Blesim inter & castrum Chart. III. col. 412.

Ambasiæ ab Odone comite petiit, ubi castrum ædificavit, unde de Calvomonte familiæ ipsius inditum cognomen. In extremis autem positus, Pontilevi, qui allodius ejus erat, ecclesiam sancti Petri caput Pontisleviati ædiculæ B. Mariæ castri capellæ subjecit, hancque in monasterium convertit, locique dominio multisque latifundiis dotavit monachos, quos e Salmuriensi S. Florentii monasterio accivit. Quatuordecim primis sub abbatibus adeo crevit virtutis comes Pontilevienfium fama, nullis ut sumtibus pepercerint toparchæ de Ambasia, comites Blesenses, aliique nobiles, quo in illos prædia, cellas & ecclesiarum jura certatim effunderent. Bullis a pontificibus, diplomatibus a regibus donati sunt, ceterisque adhuc gaudent prærogativis, quæ in monachos episcopo parentes cadunt. Secuta posteris seculis bella disciplinæ cladem plurimam attulerunt : nam & domo fugati cum abbas tum monachi, villis ac reditibus profligatis, in varias, ut licuit, cellas sese receperunt; bellis successere commendæ, commendas bella hæreticorum excepere, qui anno 1568. monasterio faces subdidere. Res jam eo devenerant, ut Philippus Huraltus Galliæ cancellarius, ad cujus filios & nepotem spectabat commenda, delendi monasterii, redituumque Chevernienfem in dynastiam convertendorum ceperit consilium, ac perfecisset omnino, ni Ambasiacenses toparchæ conditoris heredes patroni jure intercessissent. Rerum potitus cardinalis Richelius multorum suasu ferebatur, ut Pontilevii proventus in Sorbonæ collegium transferret; vetuit religionis amor, ac ne tanti nominis locum amplius deformarent perditi monachorum mores, accersendos censuit anno 1628. congregationis sancti Mauri ascetas, qui non paucis obicibus retardati, locum anno duntaxat 1631. subierunt, favente Petro Berullio, cui Richelius Pontilevienfem abbatiam consignarat. Res a nostris hoc loco præclare gestas in ædium ac disciplinæ gratiam prætermitto. At quamprimum illis respirare licitum fuit, aptum quieti literisque colendis locum cernentibus, de instituendo scholarium seminario venit in mentem. Consilium probavit abbas pietate doctrinaque conspicuus, & ædium partem veluti symbolam contulit. Itaque floruit ab inde Pontilevienfe gymnasium, ex quo plures optimis disciplinis informati ad gerendam publicam rem vel officia clericalia, seu monasticæ religioni nomen dandum prodierunt. En abbates tam regulares quam commendatarii, qui ante addictos anno 1729. Blesensi episcopo abbatis reditus monasterio præfuerunt.

Chart. IV. col. 413.

Abbatum Ordo.

I. Ansbertus patria Thoarcensis in Pictonibus, monachus & prior erat S. Florentii Salmuriensis, cum Geraldi abbatis sui comes Jerosolymam petens, a paganis in itinere sagitta vulneratus est. Reversus, e Salmuriensi cœnobio a Gilduino fundatore adductus est, monachisque quos jam anno præcedenti congregaverat, præfectus anno 1035. Subscripsit biennio post donationi sancti Lupani Salmuriensibus factæ a Theobaldo & Stephano filiis Odonis Blesensis comitis. Vindocinensis ecclesiæ dedicationi interfuit die 31. Maii 1040. Insequenti, die 6. Januarii Turonis casu apud Majus monasterium decedens, ibidem sepultus est.

Chart. IV. col. 413.

II. Widdo I. Ansberto seu defuncto seu superstiti successit : abbatis enim hujus tempore Gelduinus vicecomes Blesensis Scuticam silvam Pontilevio dedit tempore obsidionis castri Malleaci. Pro lite inter Bartholomæum Majoris monasterii, Almodiumque Rotonensem abbates compescenda Turonis adfuit cum Sigone Salmuriensi, Isembardo Blesensi, Fulcodo Bonæ-vallis, &c. anno 1064. Moritur v. calendas Decembris.

III. Giraldus in necrologio signatur ad IV. id. Octobris.

IV. Petrus I. cui Stephanus comes Blesensis & uxor Adela confirmaverunt anno 1089. quidquid eis dederat Theobaldus. Hujus quoque mentio est anno eodem in literis ejusdem comitis pro prioratu S. Johannis in Gravia ad Blesas. Eidem abbati Hugo dominus de Ambasia cum Aimerico de Currun, dum esset in procinctu ad iter Jerosolymitanum, dedit ecclesiam sancti Florentini Ambasiacensis ab avis suis fundatam, ad deprecandum pro expeditionis fausto successu; ea lege ut defunctis canonicis, qui prædictæ deserviebant ecclesiæ, succederent monachi, quod effectu caruit, ut postea videbitur. Hugo iisdem literis exprimit patrem & matrem sepultos fuisse in capitulo abbatiæ Pontisleviati, qui ex historia Ambasiacensi Sulpicius & Dionysia Gelduini fundatoris neptis vocantur. Chartam probabile est esse datam anno 1096. Commemoratur adhuc Petrus in instrumento acquisitionis molendini pro cella S. Læti tempore Goffridi Martelli comitis Andegavensis. Pervenit ad annum 1101. aliis 1109. Petrus, ad quem uti & sodales cum literas Brunonis exitus testes Cartusiani direxissent, tale responsum tulere :

Exiit e mundo mundi contemtor, ad illum
Qui mundum fecit, quem sine fine videt.
Et licet hic tanquam tenebrosus Bruno vocetur,
Est tamen & fama lucidus & meritis.
Luce Dei fruitur, quia lucem respuit istam,
Et pro deserto cœlica regna colit.
Vos igitur, fratres, pro læto ne doleatis,
Esse suos latos lætus & ipse cupit.

Devixit autem Petrus XIX. calend. Februarii.

V. Drogo monasterii rebus non impigre prospexit, ab episcopis & patriæ viris primariis maximi factus. Huic permisit Ivo episcopus de mandato summi pontificis amovere ab ecclesiis, quas in diœcesi Carnotensi tenebant, vicarios sub annuo censu quindecim solidorum ecclesiæ Carnotensi quotannis die synodi decima quinta Sept. solvendorum. Ivonis literæ apud Pontemleviatum asservantur. Drogoni Robertus olim presbyter de Nantolio prope Pontemleviatum, tunc vero præpositus Bethleemitanus ligni Dominici portionem

aliaque sacra munera destinavit, quæ a Drogonis successore sunt accepta: nam post annum 1110. obiit Drogo, tertio nonas Novembris in necrologio memoratus.

VI. Walterius salutiferæ crucis portione loco Drogonis defuncti recreatus, a Gaufrido Carnotensi episcopo ecclesiam de Chenneio a Guarino de Friese & Aremburgensi uxore donatam excepit an. 1118. Huic Johannes Aurelianensis episcopus largitus est ecclesias de Pruneriis, de Gii, de Soemo, de Maes, de Chelciaco, de Thaisiis & de Lorgis 23. Februarii 1121. Superstes anno 1130. denatus est XVII. calendas Decembris.

VII. Fulbertus anno 1130. laudatus in tabulis, electus videtur ingratiis abbatum & archidiaconorum, in quos ad electionem a Gaufrido Carnotensi missos monachi rusticos armarunt, mortem intentantes & supplicia comminantes. Præfecturam abdicavit, docente anni 1141. instrumento, ubi *qui fuit abbas* memoratur. Piæ memoriæ titulum meruit in necrologio, supremum ei diem V. calendas Decembris assignante.

VIII. Fulcherius Ansoldo patre, matre Odelina nobilibus illustris, parem cum Fulberto piæ memoriæ titulum est assecutus. Pepigit an. 1141. cum canonicis sancti Florentini Ambasiacensis de ecclesia S. Thomæ. Huic Gaufridus Carnotensis episcopus parochiales ecclesias omnes asseruit, Lucii quoque pontificis diplomate uti & cetera bona roboratas anno 1144. Denique Theobaldus IV. Blesarum comes Fulcherii precibus adductus, S. Johannis de Gravia cellam anno 1147. nova immunitate donavit. Sedebat adhuc anno 1149. Fulcherius. E vivis eripitur optimus abbas XVI. calendas Julii.

Ch. XIII. col. 424.

IX. Wlgrinus eleemosynis erat præpositus an. 1141. Fulcherio successit in paucos annos, mortuus XIX. calendas Februarii.

X. Ernaldus cellerarius an. 1141. Matthæo de Jean domum anno 1155. locavit abbas. Multarum in diœcesi Sagiensi parochiarum confirmationem accepit a Gerardo sedis ejusdem antistite. Brevem præfecturam clausit pridie calend. Maias.

XI. Herbertus electus a monachis, Roberto Carnotensi episcopo benedicendus præsentatur. Huic ad preces Joscii archiepiscopi Turonensis Manasses Aurelianensis episcopus confirmavit datas a Johanne antecessore ecclesias anno 1158. quibus addidit ecclesias de Fontanis & de sancto Romano. Manassis ejusdem beneficio accesserunt cœnobio tempore hujus abbatis cellæ sancti Martini de Giaco & sancti Johannis de Pruneriis. Cum vero monasterii cellas inviseret, ecclesiam de Excussa decimamque Igneiensi cellæ violenter ablatam Radulfi de Fulgeriis auctoritate restituendas curavit, VIII. calend. Januarii desideratus.

XII. Johannes I. anno 1162. cum Ivisano abbate Burgi-medii componit pro ecclesia sancti Betharii. Pacem cum militibus Templi, quos Valentiaci fundaverat, reformavit 9. Sept. 1163. Frogerii Sagiensis episcopi literis multa sibi decessoribusque concessa roboravit. Stephani Redonensis antistitis interventu pactum edidit anno 1166. cum Martino Igneiensi sacerdote, quicum Igneiensis cellæ monachi cuncta fere communia erant habituri. Convenit cum abbate Blesensi anno 1167. Guarinus de Friese monachum apud Pontemleviatum induens an. 1170. dedit decimam super hortis de Firmitate Villalonii. Johannes obtinuit confirmationem bonorum monasterii sitorum in diœcesi Turonensi an. 1172. Pacem iniit cum Guillelmo Malabestia an. 1173. arbitro Herveo comite sancti Aniani. Vixit in anni saltem 1176. pridie calendas Apriles, quo die cum Aurelianensi archidiacono novum fœdus percussit.

XIII. Rainaldus adstitit an. 1186. translationi reliquiarum sancti Launomari. Eo satagente Guillelmus de Preciniaco sanctæ Mauræ toparcha Preciniaci cellam erexit anno 1190. Insequenti multas ecclesias Pontilevienisibus asseruit Henricus Aurelianorum episcopus. Ipsemet Rainaldus sese rei monasticæ non admodum tenacem gnarumve probat, dum relictas ab Æmelone monachum induente possessiones anno 1195. Roberto priori divendit, cui vineam quoque anno sequenti comparatam ad vitam uti & sequentibus prioribus reliquit: & hi quidem fuere præcipites ad prolapsionem gradus. Diem ultimum clausit die 19. Aprilis.

XIV. Lancelinus *al.* Seincellus Sulpicii toparchæ Ambasiacensis instrumento monachus subscripsit anno 1187. nec ante annum 1199. abbas legitur in tabulis, quo adstitit exsequiis Mathildis Ambasiacensis in abbatia de Fontanis. Arbiter cum Ernaudo abbate sancti Launomari sententiam tulit anno 1200. Insequenti cum eodem societatem iniit. Huic Bartholomæus archiepiscopus Turonensis confirmavit ecclesias, quas monachi in ipsius possidebant diœcesi anno 1204. Eodem monialibus sancti Aviti concedit Lancelinus totum quod habebant in decima de Rupeforti. Abbatis nomen in anni 1208. nonas Februarias tulit.

XV. Matthæus I. Richilde matrona genitus, sub abbate Rainaldo præfectus eleemosynis, maxima cum laude Lancelinum excepit an. 1210. Genere nobilis, ac piæ & dulcis memoriæ celebratur in necrologiis, quam ei uni deferunt laudem. Querelam habuit cum Guidone parocho sancti Petri ratione honorum quos abbati adjudicavit summus pontifex anno 1211. Pepigit annis 1213. & 1227. cum abbate Burgi-medii. Precum ac suffragiorum communionem sancivit anno 1225. cum Mainardo abbate sancti Juliani & Theobaldo abbate Virzionensi, & anno 1230. cum Francone abbate sancti Maximini. Ut absolveret monachos qui percusserant clericos, in nonnullisque deliquerant, apostolicum obtinuit privilegium an. 1232. Transegit cum abbate Eleemosynæ annis 1235. & 1236. Christianissimis regibus Philippo Augusto, Ludovicis VIII. & IX. religione probatus, IV. calendas Septemb. cœlum petiit.

Chart. XX. col. 429.

XVI. Gedeon anno 1239. scriptus in chartis, eodem ac Matthæus die mortem oppetiit.

XVII. Laurentius in necrologio ad IV. calendas Februarias notatus, hunc tenet ex conjectura locum.

XVIII. Gaufridus I. Gaufrido patre, matre Burgina natus, ab anno saltem 1249. præfecturam gessit. Hoc enim homines Pontilevii a tallia exemit mense Februario. Memoratur mense Januario 1250. Pepigit anno 1251. cum abbate Floriacensi super litigiosis apud Vinolium. Pactum iniit cum parocho sancti Petri, quod confirmavit Matthæus Carnotensis episcopus anno 1258. charta, in qua monachos laudat ob regularis observantiæ disciplinam & divini cultum officii, qui per fratres ibidem Deo famulantes ibi vigent semper & crescunt. Laudavit mense Aprili anni ejusdem Gaufridus venditionem factam a priore sancti Deodati abbati Eleemosynæ. Tres bullas obtinuit ab Alexandro IV. qui tertia monasterii bona confirmat XV. calendas Januarii 1259. Venditionem factam a priore de Firmitate Villalonii abbati Eleemosynæ approbavit anno 1260. Biennio post ecclesia monasterii flammis fuit absumta. Societatem iniit Gaufridus cum Guidone abbate sancti Petri Carnotensis anno 1265. Eodem proventus non modicos conventui deputavit, quo martyris Catharinæ festum, suaque ipsius ac parentis annua memoria agerentur solenniter, approbante generali Pontilevienssium omnium coetu, cujus celebrationem deinceps post octavas Paschæ incipiendam edixit. A Johanne Calvimontis & Ambasiæ toparcha prægravibus affectus damnis & contumeliis anno 1269. ditionem ejus multavit interdicto, quo ille remedio irritatus, de arbitris cum Gaufrido convenit, quorum judicium cum Johanni non favisset, vexationibus monachos e monasterio exire compulit. Qui successit patri defuncto 6. Julii 1274. Johannes filius, Johannis vestigia premens, ab archidiacono Blesensi, tum capitulo & decano, sede vacante, excommunicatus est, dataque in concilio Senonensi anno 1280. provincia Simoni Carnotensi episcopo canonice eum denunciandi, qui cum Johanne archiepiscopo Turonensi monachos revocare, ablataque eis restituere Johannem coegit. Denique Gaufridus transegit anno 1286. mense Novembri cum abbate Belliloci. Ad VI. idus Martii vixit, magnopere a suis ob præclaras animi dotes collataque beneficia desideratus.

Ch. XXV. col. 436.

XIX. Petrus II. de Darne cum Johanne de Ambasia de dissidiis compromisit anno 1288. Quamprimum dignitatem est assecutus, instaurandi monasterii, basilicæque relevandæ consilium cepit; par vero sumtibus cum non esset, Nicolaus IV. summus pontifex indulgentias, sic vocant, anno 1289. iis concessit, qui struendæ basilicæ subsidium conferrent. Verum ut major suppeteret rerum copia, suam fratrumque pitanciam in septennium, assentiente coetu generali, minuit anno 1290. Composuit anno 1293. cum abbate Burgi-medii. Adhuc memoratur anno 1304. in charta Monceii. Devixit Petrus III. idus Novembris.

XX. Gaufridus II. le Bigot nobilis Brito jam A præerat anno 1306. Cum Davide abbate sancti Launomari convenit anno 1307. Capitulum generale habuit 8. Septembris anni ejusdem, in quo statuta condidit, ex quibus colligitur domum & mensam abbatis jam tum a conventu separatas fuisse. Cum Odeto de Faverollis milite pepigit anno 1309. & cum parocho de Talniaco 1310. Triennio post capitulum coegit generale. De arbitris convenit cum Johanne de Ambasia anno 1313. Gaufridi literas annum 1315. præferentes exhibet tabularium. Defecit 10. Maii.

XXI. Johannes II. cellæ de Chosseio bonis consuluit anno 1318. Arbitros nominavit mense B Martio 1321. qui de dissidiis quæ inter eum & archiepiscopum Turonensem inerant, dicerent. Devixit 30. Martii 1328. aut sequenti.

XXII. Guido II. de Palluau e nobili familia apud Bituriges bene de Pontelevio merita satus, transegit mense Decembri 1330. cum Stephano archiepiscopo Turonensi pro dominio Pontislevii. In capitulo generali 1335. pro se vivo missam de Spiritu sancto, defunctique anniversarium fundavit. Litigabat anno 1338. cum Ingergero domino de Ambasia. De villa Carentonis pactum egit an. 1343. cum Petro Turonum archiepisc. Clementis VI. literis anno 1345. roboratum. C Monasterium a prædonibus pessumdatum episcopus Carnotensis recreavit unione redituum parochiæ sancti Petri intra monasterii septa tunc inclusæ, ineunte Martio 1347. Defunctus III. calendas Augusti 1362. Guido, crastina die sepultus est.

XXIII. Matthæus II. Puemil Valentiaci priorem agebat, cum ob morum pietatem, doctrinam, & in rebus agendis solertem animum abbas per compromissum, uno contradicente qui summum pontificem appellavit Stephano priore sancti Johannis in Gravia, die 9. Augusti electus est in solenni capitulo in prioratu sancti Solennis Blesis D habito, quo propter bella secedere coacti fuerant monachi. Sic electus Matthæus benedicitur ab episcopo Carnotensi. Fundato anniversario obiit XIII. calendas Junii 1391.

XXIV. Guillelmus I. hic reponendus videtur, qui a Clemente VII. prioratu de Lermenando in dioecesi Malleacensi jam donatus, decennio post vacanti Pontileviensi monasterio præfectus est abbas cum retentione prioratus, quem cum mensæ suæ obtinuisset uniri episcopus Malleacensis, summum pontificem literis quas habes in appendice appellavit Guillelmus, qui idem forsan est cum sequente, vel certe æmulus ejus fuit: nam

Ch. XXX. col. 445.

E XXV. Guido III. de Prully jam anno 1391. abbas memoratus, in capitulo generali an. 1397. cum suis pactum edidit, ut in sui parentumque Johannis de Prulliaco militis & Joyosæ de Rochefort ferali die precem annuam solenni ritu solverent. Sedebat adhuc abbas 12. Januarii 1401. Paulo post obiit.

XXVI. Johannes III. Carnotis ab episcopo benedictus, eodem anno desinente die 14. Martii præfecturam solenniter adeptus est. Omnimoda justitia in parochia Cembini asserta ei est senatus

consulto 7. Maii 1404. Notatur in necrologio A ad 25. Octobris.

XXVII. Petrus III. praeerat 16. Augusti 1409. Quaedam acquisivit in dominio Montis-Richardi, quae morticinii jure donavit Petrus de Ambasia 20. Maii 1410. Vitam anno 1417. exegit.

XXVIII. Guillelmus II. de Plainviller nobilis Blesensis, jam sedebat 26. Martii 1417. Totis quinquaginta duobus quibus praefuit annis suorum commodis impigre adlaboravit. Muris & propugnaculis coenobium munivit de licentia Caroli VII. data 3. Aprilis 1422. ejusque praesidium fratri suo Johanni de Plainviller ab eodem B rege committendum curavit an. 1429. & 1436. Igneii cellam monachorum usibus deputavit, cujus unionem obtinuit ab Eugenio IV. 17. Augusti 1432. Combustam ecclesiam & fere dirutam reaedificare coepit 5. Novembr. 1446. Nicolao V. pontifici maximo acceptus, inter alia decora capellani sedis apostolicae nomen tulit anno 1448. Cum Petro Carnotensi episcopo de procurationibus ei debitis convenit 23. Maii 1451. Monasterium ejus temporibus ab Anglis destructum est. Ut suae decessorumque saluti fusis precibus consultum vellent monachi, quingentos illis aureos consignavit 16. Maii 1463. ac tan- C dem pridie idus Augustas anno 1468. animam exhalavit.

XXIX. Franciscus de Brilhac sancti Johannis in Gravia Blesensis prior, abbatiam Pontislevii a monachis, quibus 18. Augusti anno 1468. eligendi facultas a Ludovico rege concessa fuerat, obtinuit, confirmatusque Sabbato 14. Januarii, Dominica 15. in capella sancti Johannis apud Castrodunum benedicitur a Milone Carnotensi episcopo, cui sacramentum dixit, adstantibus Ludovico Bonae-vallis, Jacobo Eleemosynae, & abbate de Castriduno, & Jacobo Mareau sacrae capellae Parisiensis thesaurario. Factus est episcopus D Aurelianensis anno 1473. Biennio post prioratum Igneiensem coenobio Pontileviensi unitum confirmari impetravit a Sixto IV. Instauravit chorum basilicae instauratumque denuo sacravit de licentia Innocentii VIII. an. 1491. Ecclesiam libris & pretiosis vestibus ornavit, aliarum quoque aedium curam habuit. Nepoti cessit anno 1497. Vide episcopos Aurelianenses & archiepiscopos Aquenses.

Chart. XXXIII. col. 448.

Ch. XXXIV. col. 450.

XXX. Christophorus de Brilhac cedente patruo monasterii commendam tenuit ab anno 1497. Aquensis archiepiscopus, tum episcopus Aurelianensis, demum Trajanopolitanus ac Tu- E ronensis archiepiscopus, abbasque S. Petri Carnotensis, multis Pontilevio legatis obit ineunte Augusto 1520.

XXXI. Ludovicus I. d'Anjou ex Maceriensium baronum genere clarus apud Turones, Renati d'Anjou & Antoniae de Chabannes primogenitus, monachus Majoris monasterii, libera Pontileviensium monachorum electione, quippe quibus data fuerat 24. Augusti 1520. eligendi licentia, postulatus abbas 18. Octobris, nonnisi post annos 6. possessionem adiit, 14. aliter 29. Augusti 1526. Monachos Majoris monasterii ad reformandos Pontilevienses anno sequenti appellavit, sed incassum. Exeunte anni 1540. mense Junio in gratiam sequentis dignitate cessit, quam, eo post septem hebdomadas extincto, resumsit.

XXXII. Carolus I. Hemard Matisconensis cardinalis & episcopus Ambianensis, commendam Pontileviensem per cessionem Ludovici tenuit per hebdomadas septem, & cessit defunctus 23. Augusti 1540.

XXXIII. Ludovicus d'Anjou secundùm via regressus abbas memoratus 18. Novemb. 1540. jam resignaverat anno 1541. 28. Novemb. permutationis gratia cum sequenti pro abbatia sancti Petri de Nigella abscondita dioecesis Trecensis.

XXXIV. Bernardus de Ruthie praeceptor S. Jacobi de Alto-passu Parisiensis, primus regis, tum magnus Franciae eleemosynarius, abbas Pontislevii 24. Decembris 1543. capitulum generale indixit, cui cum adesse renuissent monachi, senatus consultum obtinuit 15. Octobris 1552. sed irrito conatu. Rerum potitus est in annum 1556. quo testamento condito ultima Maii obiit, Sammarthanis mense Junio.

XXXV. Ludovicus II. de Brezé episcopus Meldensis, Bernardo successit major Franciae eleemosynarius & abbas Pontileviensis usque ad annum 1571. Hujus temporibus annis 1562. & 1568. haeretici monasterium & appendices devastarunt & igne concremarunt.

XXXVI. Carolus II. cardinalis de Bourbon archiepiscopus Rotomagensis, obiit anno 1590. cum prius abbatiam dimisisset, vel ab aliis bellico tempore interceptam vidisset.

XXXVII. Dionysius Hurault jam ab anno 1576. commendam tenebat, quam Philippi filio Henrico factus Aurelianensis episcopus an. 1584. dimisit anno 1585.

XXXVIII. Henricus Hurault, jubente Philippo patre Galliarum cancellario, Pontileviensem commendam obtinebat anno 1585. sed a clericalibus aversus officiis, eamdem Dionysio restituit, factus Chevernii comes.

XXXIX. Dionysius Hurault secundùm commendam receptam habebat anno 1589. & Philippo Henrici fratri puerulo servavit in annum 1591. insuper abbas de Pellicia & Brolii.

XL. Philippus Hurault, Philippi cancellarii filius, abbatia potitur anno 1591. Interim per cessionem Henrici in curia Romana, Michael Gautier nominatur oeconomus in spiritualibus a fratre regis, qui cessionem permiserat 12. Febr. 1592. approbanteque consilio magno 7. Sept. anni ejusdem. Carnotensis episcopus obiit Philippus anno 1620. ut diximus, simul abbas sancti Petri in valle, Regalis montis, &c.

XLI. Ludovicus III. de Ruscellay nobilis Romanus, camerae apostolicae clericus, beneficio Mariae Medicea fit abbas Pontilevii, necnon S. Nicolai Andegavensis, S. Maxentii in Pictonibus & Signiaci. Decessit in obsidione Monspeliensi mense Octobri 1622. aetatis 41. Cor Romam,

corpus vero Avenionem sepulturæ defertur.

XLII. Armandus Johannes du Plessis cardinalis de Richelieu, possessionem iniit 1. Septemb. 1623. sed abdicat 1629. celebrato prius contractu die 6. Julii 1628. cum monachis congregationis S. Mauri pro restauratione disciplinæ regularis tunc pene extinctæ in hoc monasterio, cujus solemnem possessionem ad triennium dilatam tandem adepti sunt die 26. Augusti 1631.

XLIII. Petrus IV. de Berulle filius Johannis comitis consistoriani ex Johanna Passey, Petri cardinalis congregationis Oratorianæ institutoris ex fratre nepos, doctor sorbonicus, necnon visitator generalis monialium Carmelitarum, cessione B cardinalis Richelii nominatus abbas anno 1629. consequitur possessionem 22. Maii 1631. Ecclesiam ornavit ædesque abbatiales exstruxit, multa bona largitus. Obiit Parisiis 3. Octobris 1683. annos natus 62. sepultusque est in ecclesia Presbyterorum Oratorii Jesu in vico S. Honorati.

XLIV. Antonius Girard Arvernus, Josepho domino de Labournat & Catharina Guerry parentibus natus 9. Junii 1656. tonsura initiatus 13. Maii 1674. presbyter 15. Junii 1680. doctor sorbonicus 29. Augusti anni ejusdem, pædagogus comitis Vulcassini mense Decembri, eoque defuncto, comitis Tolosani mense Januario C 1683. Petro successit, nominatus a rege 1. Novemb. Bullas accepit ab Innocentio XI. 3. Dec. 1683. & possessionem per procuratorem iniit 8. Februarii 1684. Consensit 1695. ut prioratus sancti Johannis in Gravia episcopatui Blesensi uniretur. Puellarum & puerorum instructioni providit, & ecclesiæ nonnulla largitus est. Commendam dimisit exeunte Aprili 1696. *al.* 1698. nominatusque est in die Natali Domini anno 1697. episcopus Tullensis, dein 8. Febr. 1698. Boloniensis, tandemque Pictaviensis 20. Aprilis anni ejusdem, ut diximus tomo 2. col. 1211.

XLV. David Nicolaus de Berthier primus D episcopus Blesensis, Pontilevii commendatarius nominatur 3. Maii 1698. cum facultate abbatis reditus episcopatui uniendi, quod cum in curia Romana obtinere non potuisset, ibidem renunciatus abbas die 22. Julii, possessionem per procuratorem iniit 6. Febr. 1699. & ad mortem usque tenuit.

XLVI. Johannes Franciscus Paulus le Fevre de Caumartin episcopus Blesensis, nominatus a rege abbas Pontilevii anno 1723. bullam unionis a rege permissæ & ab apostolica sede recusatæ, a Benedicto XIII. obtinuit IV. idus Sept. 1729. datam Francisco Hieronymo de Montigny doctori E theologo, canonico & præcentori ecclesiæ Carnotensis, ejusdemque episcopi vicario generali & officiali, qui ad preces episcopi Blesensis abbatis reditus episcopalibus univit 13. Sept. 1730.

Chart. XXXVII. col. 474.

BOURG-MOYEN.

BEATA MARIA Blesensis, *seu* BURGUS-MEDIUS.

Beata Maria Blesensis abbatia est ordinis S. Augustini congregationis canonicorum regularium Gallicanæ, sita primum in burgo medio A inter burgum sancti Johannis & burgum Fixiensem, unde illi Burgi-medii inditum cognomen. Quod primævæ ejus originis certam fidem faciat nullum superest instrumentum. Antiquius nihil habent charta Ivonis episcopi Carnotensis data anno 1105. ex qua jam ab anno saltem 996. canonicos seculares ecclesiæ hujus servitio deputatos fuisse intelligi potest, quippe quibus Odo comes uxorque Bertha circa id tempus libertatem fecere, ni etiam eos condiderint instituerintque. In eamdem ecclesiam, propter secularium canonicorum vitæ enormitatem lubricosque gressus, si Petro Blesensi & Stephano Tornacensi fides, a Gaufrido Carnotensi episcopo introducti sunt regulares, dataque sunt eis ecclesiæ Burgi-medii & sancti Carileti a Theobaldo comite Blesensi, approbante Callixto II. summo pontifice anno 1123. Hæc quidem certa sunt: verum in dubium vocatur num Aicardi episcopi Carnotensis privilegium datum anno 696. in gratiam monasterii sanctæ Mariæ infra muros urbis cujusdam supra Ligerim, quod exhibetur lib. VI. de re Diplomatica pag. 478. intelligi debeat de monasterio Burgi-medii Blesensis. Ita conjecit Mabillonius. loco citato, qui conjecturæ non stetit lib. XVIII. Annalium num. XL. ubi diserte asserit monasterium quo de agitur, beatæ Mariæ de Burgo-medio convenire non posse, quæ clericorum secularium erat. Monasterium autem illud Benedictini fuisse instituti constat; quippe Chrotcharius, qui monachis abbas præpositus est, e Sandionysiano cœnobio fuit assumtus: at Burgum-medium ad ordinem sancti Benedicti aliquando pertinuisse, vel abbates aliquot ante annum 1123. habuisse, vel canonicos seclusis monachis aluisse, vel primum in urbe locum antiquitate tenuisse, ne levissimo quidem e vestigio augurari permittitur. Itaque ut unde profecta, illuc redeat oratio, pro regularibus beatæ Mariæ Blesensis adversus seculares sancti Salvatoris canonicos nuper institutos scripsit Alexandro III. Stephanus Tornacensis epistolas 66. & 67. De mandato summi pontificis meliorem in statum reformati sunt anno 1210. a Manasse Aurelianensi episcopo, qui statuta condidit, quæ legesis in probationibus historiæ Blesensis pagina X. Unam de spinis coronæ Jesu Christi transmisit eis Ludovicus Francorum rex anno 1269. quæ postea deperdita est. Inter benefactores præcipuos numerant pagi Blesensis toparchas, sed præsertim comites, a quibus tribus parochiis donati sunt & prioratu sancti Carilefi, ubi primum insedere Launomarenses. Denique pristinum decus domus recuperavit, accitis 12. Novembris 1647. canonicis regularibus congregationis Gallicanæ, & anno sequenti introductis. Unita est postmodum hæc abbatia mensæ episcopali Blesensi, ecclesiaque sancti Solennis a Burgo-medio dependens, pro cathedrali assumta est, assensum præbentibus regularibus canonicis 14. Januarii 1695. Hi autem sunt abbates, qui usque ad hoc tempus præfuere.

Hist. Bles. Bernier. prob. pag. VIII.

Chart. VIII. col. 420.

Chart. IX. col. 421.

ABBATUM

ABBATUM SERIES.

I. STEPHANUS I. obtinuit a Theobaldo comite Blesensi & Gaufrido Carnotensi episcopo, ecclesias Burgi-medii & sancti Carilesi. Exstat ad Chart. IX. col. 421. eum bulla Callixti II. anno 1123.

II. Petrus I. cui Theobaldus comes Blesensis & Gaufridus Carnotensis episcopus ecclesiam sancti Solennis concessere, quam, & privilegium protectionis & confirmationis prædiorum obtinuit ab Innocentio II. anno 1132. Biennio post Radulfus episcopus Trecorensis anno 1134. ecclesiæ beatæ Mariæ Blesensis concedit ecclesiam sanctæ Crucis de Quinquampo, ut in ea abbatem & duodecim canonicos constituat ecclesiæ Burgi-medii subjectos.

III. Ivisanus privilegia quoque obtinuit anno 1147. ab Eugenio III. ab Anastasio IV. 1154. ab Adriano IV. 1155, & ab Alexandro III. 1165. Eidem Theobaldus comes anno 1159. quædam molendina concessit. Cum Johanne abbate Pontilevii an. 1162. composuit pro ecclesia sancti Betharii. Ivisano anno 1166. Guillelmus electus Carnotensis confirmavit possessiones sui cœnobii, præsente Bernardo Corisopitensi episcopo & Fulcaldo abbate de Valeia. Subscripsit literis Guillelmi Cenomanensis episcopi, datis XVII. calendas Julii 1167. Denique I. abbati Burgi-medii ecclesiam sancti Laurentii de Monte-laudato donat Gaufridus archipresbyter Turonensis ad petitionem Joscii archiepiscopi anno 1172. Nicolaus qui sequitur apud Sammarthanos anno 1178. nullibi reperitur; epistola forte 67. Stephani Tornacensis his ansam præbuit Nicolaum hic collocandi.

IV. Simon abbas abdicavit, cui Johannes Chart. XIV. col. 425. episcopus Carnotensis & Petrus cardinalis sancti Chrysogoni sedis apostolicæ legatus pro sustentatione assignarunt domum de Monticellis & de Beuvron cum pertinentiis, approbante Alexandro summo pontifice V. idus April. Circa id tempus Alexandro III. summo pontifici Stephanus abbas sanctæ Genovefæ scripsit epistolam 66. ut canonicos sanctæ Mariæ Blesensis nuper orbatos patre tueretur adversus plantationem secularium sancti Salvatoris canonicorum, qui oriebantur.

V. Johannes I. abbas reperitur in tabulis capituli Carnotensis anno 1181. & in literis Theobaldi Blesensis comitis pro Burgo-medio anno 1182. quo amplam a Lucio III. obtinuit bullam, quam utpote mendis scatentem non exscripsimus.

VI. Philippus I. obtinuit confirmationem ecclesiæ de Seglas datæ a Gaufrido Carnotensi episcopo, mense Novembri anno 1192. & privilegium a Cœlestino papa 1194.

VII. Guillelmus I. cui electo scripsit Petrus Blesensis epistolam 124. in qua eum hortatur ut veternosas vitiorum propagines, quæ ex quorumdam ipsius decessorum negligentia pullularant, maturius succideret. Capitulum generale habuit anno 1196.

VIII. Nicolaus I. ex priore Bussiaci factus abbas a regina Adela, occurrit anno 1200. in chartis Burgi-medii, inquiunt Sammarthani. Ipse est procul dubio Nicolaus, qui ob sollicitudinem ordinis in ecclesia sua reformandi, & dilapidatæ fere usque ad desperationem domus restaurandæ laudatur a Stephano Tornacensi episcopo in epistola 67. in qua dominum papam rogat, ut regularium beatæ Mariæ Blesensis canonicorum jura tueatur, quæ a secularibus sancti Salvatoris canonicis usurpabantur. Hæc tamen absolute de Nicolao a Sammarthanis anno 1178. memorato possent intelligi, quæ Nicolao in chartis anno 1200. recensito multo melius adaptantur.

IX. Tecelinus pepigit anno 1203. cum G. decano sancti Salvatoris Blesensis.

X. Philippus II. transegit anno 1207. cum Hamerico abbate Eleemosynæ. Ipsius vel sequentis temporibus delegatus est Manasses Aurelianensis episcopus ad reformandum Burgum-medium.

XI. Laurentius mense Maio 1215. laudavit permutationem factam ab Hugone abbate Majoris monasterii cum Michaele Hamelino.

XII. Herveus I. jam memoratus anno 1215. in chartis Majoris monasterii, literas obtinuit a Theobaldo comite Blesensi anno 1218. mense Aprili. Pepigit mense Maio 1221. cum Bertha abbatissa Fontis-Ebraldi, pactum laudante Mauricio Cenomanensi episcopo. Transegit an. 1223. cum Reginaldo abbate Villalupensi. In capitulo generali anni 1224. reditus assignavit pro sustentatione scholarium ad Universitatem Parisiensem studendi causa mittendorum. Societatem iniit anno eodem cum Fratribus Prædicatoribus & Vulgrino abbate sancti Evurtii. Circa id tempus occisum volunt Herveum, reosque mortis ejus canonicos a Carnotensi, Cenomanensi & Aurelianensi episcopis a sede apostolica delegatis ab ecclesia amotos fuisse, qui ne in eam ulterius admittantur, inhibet Honorius III. literis datis Chart. XIX. col. 429. XVIII. calendas Januarii, pontificatus anno undecimo, hoc est anno 1226. Hæccine est illa historia, quam adulteratis nominibus narrat Thomas Cantipratensis libro primo de proprietatibus apum cap. 16. ubi sic loquitur! *Venerabilis Henricus sub nostro tempore canonicus regularis in urbe Blesensi in monasterio S. Mariæ de Burgo-medio, cum diu Parisiis studuisset, in abbatem licet invitus ab omnibus est electus. Erant autem in eodem monasterio viri viginti, secundum seculum quidem viri sapientes & providi, sed minus quam decebat religiosi & casti. Aggressus ergo primum eos blandis & rationabilibus verbis, hortabatur ad regulam servandam, ad honestatem vitæ, & ut tenerent in omnibus disciplinam. Sed cum per hæc nihil prorsus se perficere cerneret, nec litibus ecclesiam dissipare vellet, Romanam curiam adiit, ubi vir sanctus optime notus erat. Qui inde summi pontificis auctoritate munitus rediens, cum eos aliter flectere non posset de facili, rigore usus est pastorali. Nam cum viderent ipsi canonici se nullatenus posse contra stimulum calcitrare, nequiter humiliantes se, colla regulæ subdiderunt. Vestitum autem, cibum & potum largius quam ante ministrabat omnibus, sed in claustro eos quiete sedere, & secundum ordinem vivere compellebat. Hic sicut de Augustino legitur, omnia Cæsar erat, & nullum ex iis qui religiosi non erant, ministrare in aliquo officio*

obedientiæ, ut est cellarium, vel rerum procuratio, permittebat. Sed si quos esse bonæ conscientiæ confidebat, illis officia committebat. Hæc videntes alii, finxerunt se per tempus religiosos & simplices, & in hypocrisi nequiter ambulantes, abbati se quasi familiarissimos conjunxerunt. Qui, ut vir pius & bonus, omnia tolerans, omnia credens, eis liberioris vitæ frena laxavit; quibus illi tam damnabiliter sunt abusi, ut viginti octo ex eis pari malitia convenirent, & tres viros scelestissimos ribaldos conducerent, & eos in mortem sancti viri per pecunias animarent. Qui quodam vespere cum abbati extra oppidum ad negotia properanti, sicut ordinaverant, obviassent, salutantem eos ac prædicantem salutis viam, extractis ensibus crudeliter occiderunt. Roberto autem tunc socio ejus, cujus supra mentionem fecimus, evadente, corpus occisi ad monasterium delatum est, & in ecclesia collocatum. Et vide, lector, quid actum sit & probatum. Statim enim ubi sequenti die ad sepulturam occisi de locis ubi extra manebant rei criminis ecclesiam intraverunt, ecce vox sanguinis fratris sui Abel de terra quasi vindictam clamans per vulnera, quæ licet a loco occisionis sicca remansissent, abundantissimo tamen sanguinis impetu in eorum præsentia manaverunt ..... Quod ubi viri fratres & filii cum populis adstantibus inspexerunt, dirum ejulatum cum lacrymis levaverunt. Quid plura! sepulto martyre, ut audacter dixerimus, glorioso, cum ad electionem ventum est, rei quidem ut malitiam suam palliarent, boni autem ut imitatorem sanctitatis haberent, dictum Robertum unanimiter elegerunt. Qui statim eadem die profectus ad papam, acceptis literis ad Philippum regem & ad Blesensem comitem Ludovicum, capi omnes qui suspecti erant manu laica procuravit. Quorum nonnulli veritatem salubriter confitentes, incarcerati perpetuo pœnitentiam acceperunt, alii vero a sacris ordinibus degradati, morte puniti sunt. Sedecim vero ex eis, qui in scelere potissimi credebantur, manus homicidas sibimet imponentes, seipsos in carceribus suspendiis, vel aliis mortibus occiderunt. Ipse vero venerabilis Robertus abbas officio derelicto, accessit ad prædictum Rotomagensem archiepiscopum Mauricium, & post mortem ejusdem archiepiscopi ipse Robertus Fratribus Prædicatoribus Parisius se adjunxit, & inter eos felici fine quievit. Ita Thomas loco citato, qui Robertum illum senem & debilem, qui capellanus fuerat Mauricii Rotomagensis archiepiscopi, post ejusdem obitum Dominicanum factum, narrantem ipse audiverat. Vide cap. 8. ejusdem libri. Sed plura huic contradicunt narrationi. 1.° enim nomina Henrici & Roberti abbatum Burgi-medii nuspiam apparent. 2.° Ludovicus comes Blesensis anno 1202. profectus Venetias, in Grecia obiit antequam in Gallias reverteretur, Tecelinus autem memoratur abbas anno 1203. 3.° Mauricius anno 1231. tantum a Cenomanensi translatus est ad Rotomagensem, nec ante annum 1219. factus est episcopus Cenomanensis. Sed literæ Honorii datæ an. 1226. omnem auctoris seu narrationis fidem elevant, & chronologia abbatum consentit. Constat enim ex his literis occisum abbatem fuisse H. mortis reos ab episcopis Carnotensi, Cenomanensi & Aurelianensi delegatis apostolicis fuisse ab ecclesia amotos, Honoriumque prohibuisse, ne

A amplius in ea admitterentur; quæ omnia Herveo convenire possunt.

XIII. Rogerius, sic enim legitur in charta sancti Albini de Bosco, cui datam decimam significat anno 1226. sin mavis, Robertus electus, ut diximus, summum pontificem adversus necis decessoris sui reos, ut excommunicarentur, adiit, ab eoque obtinuit judices & literas, de quibus supra, officioque derelicto, accessit ad Mauricium, qui anno 1231. factus est archiepiscopus Rotomagensis, cujus fuit capellanus, & post mortem, Dominicanum institutum amplexus est, ex Thoma Cantipratensi.

B XIV. J. abbas erat anno 1229. in tabulis Majoris monasterii, nisi forte sit E. sequens.

XV. Egidius jam præerat ex variis instrumentis annis 1229. & 1230. Pepigit an. 1232. cum Garino abbate Majoris monasterii. Permutavit comitatum seu jura comitatus per tridnum cum comite Blesensi mense Decembri 1235. & terram de Malo-repastu mense Septemb. 1246. Fuit unus ex executoribus testamenti Gaufridi Chardonel quondam archidiaconi Dunensis anno 1242. Transegit cum comite Blesensi mense Octob. 1247. Obiit die Lunæ ante festum sancti Laurentii, ac proinde 7. Aug. 1256. G. autem,
C qui occurrit mense Octobri 1248. in tabulis capituli Carnotensis, alius non est ab Egidio, qui in chartis modo Egidius, modo Gilo nuncupatur: Herveus vero laudatus post Egidium a Sammarthanis anno 1241. & ab aliis 1243. idem est ac Herveus, de quo supra, qui sedebat tempore Galteri Carnotensis episcopi. Defuncto Egidio, eligendi facultatem a comite Blesensi petierunt canonici Burgi-medii die Mercurii in vigilia sancti Laurentii 1256.

XVI. Stephanus II. electus est, qui Matthæo episcopo Carnotensi obedientiam spopondit. Pepigit cum Balgenciaco mense Novembri 1256.
D de decimis de Mari & de Merro. Memoratur a Sammarthanis 1259. Transegit cum comite Blesensi de ponte ligneo, quem construxerat, die Veneris post Conversionem sancti Pauli 1260.

XVII. Th. cessit in manibus episcopi Carnot. Canonici itaque eligendi veniam a comite postularunt die festo SS. Simonis & Judæ anno 1262.

XVIII. Albericus occurrit mense Februario 1265. in tabulis Majoris monasterii, annisque 1266. & 1267. in Vindocinensibus. Spinam coronæ Jesu Christi huic largitus est sanctus Ludovicus an. 1269. Insequenti capitulum generale habuit. Societatem iniit cum abbate sancti
E Launomari & decano sancti Salvatoris adversus comitem Blesensem, qui *festagium* ab eis exigebat, an. 1270. Querelam habuit cum Fratribus Minoribus, qui fundati in dominio Burgi-medii, censivam solvere renuebant, quos conciliavit Petrus Carnotensis episcopus anno 1271. Qua de re scripsit ei epistolam S. Bonaventura ordinis minister XIII. calend. Aprilis 1273. quam edidit Bernerius hist. Blesensis probat. pag. XII. In hac laudat Bonaventura quæ pacis ergo fuerant inter eos conventa. Supererat adhuc Albericus anno 1274.

XIX. Stephanus III. post cujus obitum eligendi veniam poposcerunt canonici die Jovis in vigilia sancti Andreæ apostoli 1274. ex regestis cameræ computorum Blesensis.

XX. Jacobus I. die Mercurii festo sanctorum Jacobi & Philippi 1275. memoratur, annisque 1280. & 1282. Transegit 1288. cum Johanna comitissa Blesensi. Domum dedit ad manum firmam 1295. Reperitur adhuc 1296.

XXI. Droco pepigit anno 1300. cum fratre Petro Picardi correctore domus de Bolonia: pactionem confirmavit 2. Junii 1302. fr. Guido prior Grandimontis.

XXII. Natalis memoratus a Sammarthanis B anno 1317. nonnulla cedit comiti Blesensi anno 1323. nunc 1324. quam cessionem laudavit Robertus Carnotensis episc. mense Aprili 1324. Comiti Blesensi spopondit anno eodem tres missas in nova, quam in castro construxerat comes, capella per hebdomadam a canonico celebratum iri, cum non possent in capella turris celebrari, quippe quæ non erat in statu decenti. Occurrit adhuc annis 1326. & 1327. quo ineunte Septembri cessit: canonici enim a comite Blesensi eligendi abbatem veniam petunt Sabbato post Nativitatem beatæ Mariæ in locum Natalis qui cesserat.

XXIII. Anscherius quædam commutavit anno C 1328. cum Guidone de Castellione comite Blesensi.

XXIV. Johannes II. de la Gerse ecclesiæ Carnotensi clientelam professus est. Cum Gaufrido abbate Balgenciaci societatem iniit anno 1336. Præfuit capitulo generali in monasterio sancti Vincentii celebrato anno 1340. Cum abbate sancti Johannis in Valle societatem quoque iniit anno 1346.

XXV. Johannes III. Alexandri jam memoratus anno 1350. ecclesiæ Carnotensi hominium præstitit. Procurator Bartholomæi de Brugis fundavit dignitatem subdecani in ecclesia sancti D Salvatoris 29. Aprilis 1351. Ossa S. Leonardi in novam capsam transtulit 21. Aprilis 1353. Post ejus obitum alterius eligendi facultatem petunt canonici a comite Blesensi 18. Maii 1362. Jacet in ecclesia beatæ Mariæ.

XXVI. Herveus, male Sammarthanis Henricus, jam memoratus anno 1366. transegit cum comite Blesensi annis 1367. & 1379. Dictus quoque Johannes Herveus in nonnullis occurrit chartis. Certas conventiones fecit & regulas die Jovis post festum Purificationis beatæ Mariæ an. 1384. quas a canonicis improbatas, electus 15. Martii arbiter J. episcopus Carnotensis & Cle- E mens VII. 8. Maii pontificatus anno VII. confirmavere.

XXVII. Guillelmus II. Irole reperitur anno 1390. 1397. 1399. Adstitit 14. Martii 1401. ingressui Johannis abbatis Pontileviensis.

XXVIII. Johannes IV. Liberti, quo defuncto, alterius subrogandi veniam petunt canonici 20. Septembris 1418.

XXIX. Stephanus IV. Potereau *al.* Poitreau occurrit anno 1422. apud Sammarthanos. Locum vendidit ad ædificandum auditorium 25. Julii 1429. Huic jussi sunt anno 1435. canonici Burgi-medii exhibere honorem & obedientiam. Pepigit cum Carolo duce Aurelianensi 6. Octob. 1441. Memoratur adhuc anno 1444. Obiit 30. Septembris 1450. Stephano e vivis exemto, eligendi facultatem petunt & impetrant a duce Aurelianensi 2. Octobris 1450. canonici.

XXX. Johannes V. le Gendre ex priore sancti Honorati Blesensis electus abbas, Petro Carnotensi episcopo obedientiam pollicitus est penultima Nov. 1450. Occurrit adhuc 15. Febr. 1453. Obiit exeunte Februario 1457. nunc 1458.

XXXI. Jacobus II. Maurois ex priore sancti Honorati, benedictus a Petro Carnotensi episcopo, huic clientelam professus est die 9. Maii 1458. adstantibus Petro Bechebien Drocensi & Petro de Cissé Dunensi archidiaconis. Dilationem obtinuit prima Decembris 1459. a comite Blesensi pro jure morticinii quarumdam terrarum impetrando. Gravissimo correptus morbo, synodo Carnotensi adesse non valuit, procuratoresque suos nominavit 10. Septembris 1470.

XXXII. Jacobus III. Gaillard nonnulla cedit Mariæ ducissæ Aurelianensi 18. Augusti 1473. Bullam obtinuit a Sixto IV. idibus Decembris 1477. ad excommunicandos bonorum monasterii invasores. Locum impetravit a Maria ducissa Aurelianensi anno 1478. ad augmentandam ecclesiam sancti Martini. Obiit anno 1490.

XXXIII. Jacobus IV. Gaillard bulla obtenta ab Innocentio VIII. anno 1490. VII. calendas Julii, qua præcipiebatur officialibus Santonensi, Carnotensi & Aurelianensi, ut ejus professionem exciperent, canonicis vero Burgi-medii, ut eum susciperent, vota emisit 20. Octobris anni ejusdem in ecclesia sancti Evurtii Aurelianensis coram officiali, præsente Carolo de Blanchefort commendatario ejusdem abbatiæ. Dein Jacobo abbati Burgi-medii an. 1493. ex Sammarthanis, indulsit Alexander VI. XVI. calendas Julii 1497. ut prioratum S. Solennis cum abbatia Burgi-medii teneret, ut jam tenebat prioratum S. Honorati. Renato episcopo Carnotensi obedientiam promisit die 4. Octob. anno 1500. Duos alios prioratus adhuc tenendi licentiam ei fecit Alexander VI. III. calend. Septemb. anni 1502. Jacobo autem defuncto, Reginam rogant canonici die 22. Jan. 1521. nunc 1522. ut jus eligendi eis confirmet, quod annuit regina literis datis apud Sanctum Germanum in Laia 5. Februarii.

XXXIV. Petrus II. Roillard seu Rouillard regularium postremus, electus die Jovis 20. Novembris 1522. possessionem iniit 2. Julii 1523. Dissidia habuit cum canonicis pro bono ordine, quorum sedandorum ergo elegerunt arbitros Jacobum Hurault abbatem sancti Launomari & episcopum Augustodunensem, necnon consiliarios & advocatos Blesenses, qui statuta condiderunt prima Martii 1537. Abbatiæ clavum tenuit ad annum usque 1546. inquiunt Sammarthani.

XXXV. Johannes VI. de Morviller consiliarius in majori consilio & decanus Bituricensis,

concordatum fecit cum canonicis 23. Augusti A
1546. Obtinebat adhuc commendam an. 1551. Vide episcopos Aurelianenses.

XXXVI. Johannes Baptista Praillon clericus Metensis, ibidemque abbas sancti Symphoriani, regi ab eleemosynis & consiliis, ejusdemque interpres linguæ Germanicæ, præerat anno 1553. Monasterii bona cum canonicis partitus est anno 1554. Carolo episcopo Carnotensi clientelam professus est 28. Aprilis anni ejusdem. Prioratum S. Sepulcri a Carolo episcopo Pictaviensi obtinuit anno 1567. ea lege, ut ei vel alteri quem ille designaret, abbatiam cederet. Resignandi facultatem ei concessit rex 5. Julii 1570. in gratiam B
N. Reguirant de la Papiniere. Cessit in manibus papæ anno 1571.

XXXVII. Ludovicus d'Est cardinalis Ferrariensis, commendatarius Burgi-medii dicitur 20. Januarii 1575.

XXXVIII. Johannes VII. Fourdrin parochus Ellencurtii diœcesis Ambianensis, regi ab eleemosynis, per cessionem Johannis B. Praillon die 28. Septembris 1571. bullas obtinet a Pio V. licet defunctus anno 1615. in epitaphio dicatur tantummodo per 40. annos rexisse. Factus est abbas Nucariensis a Clemente VIII. anno 1597. VII. idus Februarii, rege laudante 17. Maii anni ejus- C
dem. Ejus temporibus partimque impensis, templum quod hæreticorum furore anno 1568. adustum fuerat, in formam quæ nunc videtur restauratum fuit anno 1611. Sic legitur in choro, ubi sepultus est Johannes:

Hic est sepulcrum magistri Johannis Fourdrin viri a consiliis regum Caroli IX. Henrici III. & IV. & Ludovici XIII. & eorumdem piæ stipis erogatoris, harum antistitis ædium & ætheriar. hæ circiter 40. annos. Vixit supra tertium octogesimum ætatis annum. Fato tandem cessit humano hoc in larario VIII. calendas Octobris M. DCXV. Bene merenti D
bene apprecare.

Hic jacet exactæ defunctus honore senectæ,
Qui post bis denas vixit olympiadas,
Cœnobiarcharum primævus, tutor egenûm,
Qui quatuor meruit regibus esse suis.
Ædem hanc prostratam bello instauravit, in ipsa
Dum moritur vixit, dum jacet erigitur.

XXXIX. Jacob Phelippeaux Ludovici consiliarii Blesensis & Radegundis Garrault filius, in senatu Parisiensi consiliarius, jam occurrit abbas an. 1616. Fuit etiam abbas B. Mariæ de Candeel E
in diœcesi Albiensi cal. Julii 1620. & Stirpensis, triumque prioratuum prior. Obiit anno 1647.

XL. Balthasar Phelippeaux d'Herbault, nominatus abbas, consensit 18. Martii 1648. ut canonici regulares congregationis Gallicanæ introducerentur in Burgum-medium, cujus bullas per obitum propatrui Jacob obtinuit III. cal. Maii anni ejusdem. Nominatus est regis eleemosynarius 16. Maii 1649. quo anno factum diximus abbatem de Absia. Obiit mense Aprili 1688.

XLI. Jacobus Antonius Phelippeaux Balthasaris nepos, episcopus Leutevensis, nominatus a rege abbas Burgi-medii 17. Aprilis 1688. cessit anno 1693. ut abbatis reditus ad episcopatum Blesensem insumerentur. Huic cessioni biennio post consensit conventus 14. Januarii 1695. Hujus in locum Jacobus Antonius factus est anno sequenti abbas Nantensis. Vide quæ de eo diximus in episcopis Leutevensibus, & adde Jacobum Antonium a comitiis Occitaniæ deputatum, regem perorasse 10. Augusti 1706.

Guido de Montmirel omissus in catalogo, notatur a Bernerio hist. Blesensi pag. 47. ex sigillo abbatiæ, cui circuminscribitur *signum Guidonis de Montmirel*, ceteris senesis.

ELEEMOSYNA.

L'Aumosne, *alias* Le Petit Cisteaux

ELEEMOSYNA Cistercii filia, quam Guillelmus Nangius, Eleemosynam Cisterciensem, alii plerumque ab annis fere ducentis Cistercium minus appellant, fundata est in silva Lonia, nunc dicta *la Forest de Marché noir*, in parochia Colombæ, Carnotas inter & Blesas, anno saltem 1121. a Theobaldo IV. Campaniæ comite Palatino in proprio, ad preces Stephani alterius Cistercii abbatis, & de consilio Gaufridi Carnotensis episcopi. Præter Theobaldum, de Eleemosyna bene meriti sunt comites de Vindocino & de Castroduno, domini de Mellaio, de Bellovillari, de Carnoto, de Aurelianis, de Vezinis & de Plessiaco. Horum beneficiis ampliorem factam domum multum imminuit Anglorum & neotericorum tempestas. Abbatiarum nonnullarum mater fuit Eleemosyna. Ex ea prodiere anno 1129. Landesium apud Bituriges & Waberleium seu Gaverleia apud Anglo-Saxones; anno 1130. Begarium in Britannia nostra; anno 1131. Tinterna in Anglia; anno 1136. Langonetum in Aremorica inferiori. Abbatum hujus domus tabulam ex instrumentis aliisque documentis hausimus. (Chart. VII. col. 419.)

SERIES ABBATUM.

I. ULRICUS sive OLRICUS, adductus a Stephano Cisterciensi abbate, benedictus fuit a Gaufrido Carnotensi episcopo anno 1121. Confirmationem bonorum accepit ab Innocentio II. duodecimo calendas Martii 1136. (Chart. XII. col. 423.) (Chart. X. col. 422.)

II. Radulfus I. sedebat mense Julio anni 1144. ex nonnullis schedis.

III. Richardus præerat anno 1147. Vendidit anno 1151. locum Beuvronis Ivisano abbati Burgi-medii, præsentibus Rodaldo episcopo Venetensi, & Hugone abbate Laudensi. Testis nominatur in charta Gosleni Carnotensis episcopi Laudam monachis de Fontanis concedentis, rogatu sancti Bernardi abbatis Clarevallensis. Vide Spicileg. tom. X. pag. 390.

IV. Philippus episcopus Tarenti, partes antipapæ Anacleti secutus, ob idque sacris interdictus, ad Claram-vallem se contulit anno 1139. ordini monastico nomen daturus. Impetrata dein licentia diaconi munia obeundi, factus est Claræ-vallis

prior ab ipso sancto Bernardo. Tum abbas Eleemosynæ (A) anno 1156. confirmationem obtinuit bonorum abbatiæ suæ ab Adriano IV. papa mense Februario; aliam ab eodem accepit bullam VI. calendas Maii 1159. Ab Henrico Angliæ rege electus est anno eodem arbiter inter Robertum Vindocinensem & Garinum sancti Juliani Turonensis abbates. Anno adhuc eodem ab electo recens summo pontifice Alexandro III. ad reges Angliæ & Franciæ missus est, ut eos a schismate averteret, & in communione Alexandri confirmaret; quod præstitit Philippus, ut constat ex ejus ad Alexandrum epistola, quam habes Spicil. tomo secundo pagina 453. Idem Philippus cum (B) Henrico & Odone cardinalibus scripsit epistolam omnibus prælatis & fidelibus pro Alexandro, ut ejus causam tuerentur, adversus epistolam synodicam conventus Papiensis anno 1160. habiti pro Octaviano ejus æmulo. Bulla ab Alexandro III. donatus est VII. calendas Augusti 1163. Cum Johanne Pontileviensi abbate litem habuit circa annum 1164. quæ ab arbitris in gratiam Pontileviensium definita est. Occurrit an. 1166. in chartis Majoris monasterii. Subscripsit chartæ Henrici Remorum archipræsulis pro Tenaliis anno 1167. Abdicata dignitate ad Claram-vallem regressus, ibidem obiit post annum 1171. Nam (C) in charta Henrici archiepiscopi Remensis data anno 1171. pontificatus sui decimo, qua concedit Herberto abbati sancti Theoderici mediam partem vicecomitatus S. Theoderici, subscribit cum Petro abbate sancti Remigii *Philippus, qui fuit abbas in Eleemosyna*. Ejusdem Philippi abbatis de Eleemosyna, quondam prioris Clarevallensis sub sancto Bernardo, epistolas ex antiquo codice sancti Amandi in Belgio primus luce donavit D. Carolus de Visch prior Dunensis in Bibliotheca Cisterciensi, ubi probat epistolarum auctorem non fuisse abbatem Bonæ-spei ordinis Præmonstratensis. (D)

V. Serlo sedisse dicitur annis 1171. & 1173. Ad ipsum & conventum de Eleemosyna scripta creditur epistola 110. Petri Blesensis, ubi ait: *Sicut domus vestra inter ceteras sanctæ opinionis odore præcipua secundum nomen ejus, ita inventa est & laus ejus. Ex tunc effudi animam meam in omnem affectum dilectionis ad vos*, &c.

VI. Gervasius præerat anno 1184. ex tabulario Vindocinensi.

VII. Raginaudus seu Reginaldus adstitit anno 1186. translationi reliquiarum S. Launomari.

VIII. Radulfus II. obtinuit VI. calend. Martii anno 1203. confirmationem ab Innocentio III. (E) XL. librarum Andegavensium a Ludovico comite Claromontensi Eleemosynæ legatarum pro Adelicia matre.

IX. Hamericus seu Aymericus anno 1206. bullam adeptus est ab Innocentio III. papa. Rursus reperimus H. anno 1209. mense Novemb. Testis fuit donationis factæ Stellæ a Johanne comite Vindocinensi anno 1211. Regebat adhuc anno 1222.

Tumuli abbatum Cisterciensis ordinis non uno in loco negotium facessunt. In capitulo Eleemosynæ visitur lapis sepulcralis cum hac epigraphe: *Hic jacent quinque abbates Eleemosynæ: Urricus I. Sello II. Radulphus III. Hamericus IV. Ferrandus. Desuper addendus Humbertus, Landericus.* In alio lapide scriptum est: *Hic jacet Aimericus abbas quartus.* De Radulfo I. de Richardo, Philippo, Gervasio & Raginaldo ne verbum quidem ullum. Unde forte conjicere est nullum ex iis Eleemosynæ præfuisse usque ad mortem; quod de Philippo jam observavimus. Ad Ferrandum quod spectat, Humbertum & Landericum, iis locum damus in hacce tabula post Hamericum, ne pereant eorum nomina, quamquam dubitandi locus est an reapse, seu Hamerico, seu sibi invicem proxime successerint.

X. Ferrandus.

XI. Humbertus.

XII. Landericus.

XIII. S. centum libras & centum solidos annui reditus obtinuit a Margarita comitissa Blesensi, ad augmentandum monachorum numerum ad 65. mense Octobri 1225.

XIV. M. occurrit in chartis anno 1226.

XV. Gaufridus I. præerat anno 1227. Cum abbate de Fulcardi-monte a Gregorio IX. delegatus fuit ad emendandos abusus in congregatione Tironiensi anno 1231. Superstes adhuc anno 1237. ex tabulario domestico.

XVI. Robertus sedebat anno 1242. ex tabulario Burgi-medii. Obedientiam promisisse legitur Matthæo episcopo Carnotensi.

XVII. Daniel I. eidem episcopo spopondit obedientiam. Occurrit D. in chartis annorum 1248. & 1251.

XVIII. Guido I. Matthæo episcopo obedientiam vovisse legitur. Memoratur in instrumento anni 1255. mense Januario.

XIX. Gaufridus II. præerat anno 1267. ex schedis domesticis.

XX. Daniel II. nonnulla cedit Johanni comiti Blesensi annis 1270. & 1272.

XXI. Arnaldus seu Ernaldus, sedebat anno 1277. ex tabulario Burgi-medii. Reperitur adhuc in charta anni 1282.

XXII. Stephanus occurrit anno 1313. mense Aprili.

XXIII. Matthæus anno 1334. ante Pascha.

XXIV. Thomas abbas Eleemosynæ definitor fuit in capitulo generali anni 1357.

XXV. Petrus anno 1365. ex Sammarthanis. Reperitur adhuc in charta anni 1376. mense Julio.

XXVI. Nicasius præerat 17. Junii 1381. & 1408. ex Sammarthanis. Forte is est Nicolaus, cujus exstat in capitulo tumulus lapideus cum hac inscriptione: *Hic jacet Nicolaus quondam abbas de parvo Cistercio.*

XXVII. Martinus I. occurrit in instrumentis anni 1422.

XXVIII. Johannes I. anno 1438. mense Augusto.

XXIX. Guido II. Biau baccalaureus in decretis

occurrit in schedis ab anno 1440. ad annum 1463. Huic Alanus cardinalis Avenionensis, sedis apostolicæ legatus, pontificalium usum indulsit VIII. idus Augusti anno 1456.

XXX. Antonius I. le Comte Miloni d'Illiers episcopo Carnotensi clientelam professus est, ab ipso benedictus XIV. calendas Septembris anno 1464. Præerat adhuc 1467.

XXXI. Jacobus I. Taillefer obedientiam pollicitus Miloni episcopo Carnotensi, ab eodem benedictus est octavo idus Novemb. anno 1468. Adstitit benedictioni Francisci de Brilhac abbatis Pontilevii die Dominica 15. Januarii sequentis. Sedebat adhuc an. 1481. ex schedis domesticis.

XXXII. Renatus Lucas archidiaconus Secaloniæ in ecclesia Aurelianensi, abbatiam tenuisse in commendam legitur anno 1486. mense Novembri ad annum 1492.

XXXIII. Gentianus Guignard abbas regularis sedit ex instrumentis ab anno 1493. mense Novembri. Vicarius generalis Jacobi abbatis Cisterciensis præfuit electioni abbatissæ de Vicinis prima Januarii 1508. nunc 1509. Abdicasse videtur anno 1524. adhuc in vivis anno 1530. mense Martio.

XXXIV. Johannes II. Halluy benedicitur abbas 27. Novemb. 1524. Regebat an. 1526. mense Octobri, & ipse videtur abbatiæ nuncium remisisse. Vivebat adhuc anno 1530. mense Octobri.

XXXV. Jacobus II. Hamelin abbas regularis occurrit in instrumentis an. 1528. & anno 1538. mense Maio.

XXXVI. Johannes III. du Bellay cardinalis ante mortem Jacobi abbatiam obtinuerat in commendam anno circiter 1536.

XXXVII. Johannes Juvenalis des Ursins decanus ecclesiæ Parisiensis, abbatiam tenebat annis 1540. & 1546.

XXXVIII. Hippolytus d'Est cardinalis Ferrariensis, annis 1551. & 1559.

XXXIX. Aloisius Pisanus clericus cameræ apostolicæ & episcopus Patavinus annis 1562. & 1563.

XL. Eustachius du Bellay episcopus Parisiensis, annis 1564. & 1566.

XLI. Bernardinus Bochetel seu Bouchetet, annis 1568. & 1569.

XLII. Antonius II. Bochetel seu Bouchetet, canonicus ecclesiæ Bituricensis & Sacræ capellæ ejusdem urbis, patruum excepit bullis pontificiis tertio idus Februarii 1570. Extinctus est anno 1596. pridie calendas Januarias.

XLIII. Johannes IV. de Vulcob *al.* Valcoq, comes consistorianus, abbas Belli-prati, post œconomatum tredecim vel quatuordecim mensium, Eleemosynam adipiscitur anno 1599. Obiit anno 1612.

XLIV. Nicolaus I. de Neufville senator Parisiensis, anno 1612. idem abbas sancti Vandregisili.

XLV. Martinus II. de Racine canonicus ecclesiæ Parisiensis, thesaurarius Sacræ capellæ Bituricensis, abbas item Vernuciæ in diœcesi Bituricensi, Eleemosynam obtinuit bullis pontificiis VIII. idus Augusti anno 1613. Vivebat adhuc anno 1627. mense Martio.

XLVI. Carolus de Rochechouart de Chandenier abbas etiam Tornusii & Reomai, Eleemosyna, quam possidebat ab anno 1628. abdicata, obiit anno 1653.

XLVII. Ludovicus I. germanus Caroli eo cedente fit abbas, postea & ipse abdicat.

XLVIII. Claudius Carolus frater Caroli & Ludovici, abdicat anno 1655.

XLIX. Claudius Blampignon parochus sancti Mederici Parisiensis, nominatus anno 1655. possessionem iniit 30. Januarii 1656. Abdicare coactus est anno 1668.

L. Jacobus III. Potier de Novion episcopus primo Sistaricensis, secundo Forojuliensis, tertio Ebroicensis, sedebat anno 1668. Obiit XI. cal. Novembris anno 1709. annos natus 62.

LI. Ludovicus II. du Pré factus abbas calendis Novembris anno 1709. obiit calendis Junii anno 1711. annos natus 26. cujus cor ad Cisterciu minus delatum est.

LII. Nicolaus II. Martineau de Princé factus abbas XIX. calendas Septembris anno 1711. obiit anno 1719.

LIII. Egidius Bernardus Raguet Namurcensis, christianissimi Ludovici XV. ante-scholanus, factus abbas anno 1722. tenet etiam prioratum Argentolii in commendam.

STELLA.

L'ETOILLE

ORdinis Præmonstratensis, ipsiusque Præmonstrati filia Stella, sita est in parochia d'Auton in finibus diœcesis olim Carnotensis, nunc Blesensis, novem leucis a Blesis, septem vero a Vindocino versus occasum, in valle angusta, cujus sinus stellam quamdam adumbrant. Sanctissimæ Trinitati seu sancto Salvatori ab ipsa origine dedicata, fundata creditur circa annum 1130. a Gaufrido III. Grisagonella comite Vindocinensi, in terra, quam donatam verisimile est a monachis Majoris monasterii. Præter comites Vindocinenses & Blesenses, inter benefactores numerantur Gaufridus & Albericus Carnotenses episcopi, Cenomanenses vero Hugo, Guillelmus & Amelinus, qui devoratis igne seculo XIII. documentis, cœnobii bona in diœcesi ipsius sita confirmavit anno 1210. Bullis quoque donata Stella, Eugenii III. anno 1147. Urbani III. anno 1187. & Honorii IV. anno 1287. Ultimam in appendice retulimus. Denique cum sive temporum lapsu, sive grassatorum incursionibus ad nihilum, ut ita dicam, redacta esset canonia, unus qui supererat abbas Valentinus, reformatos Ardennæ Præmonstratenses advocavit, qui pristinum domus splendorem revocarunt. Seriei abbatum ad fidem instrumentorum confectæ, aliquot addidimus, ut sequitur.

Chart. XVI. col. 427.
Ch. XXVIII. col. 439.

SERIES ABBATUM.

I. THEODORICUS primus hanc rexisse ecclesiam cum quinque canonicis legitur in necrologio. Huic & fratribus locum Monthalam, ut tenuerat Robertus eremita, confirmavit Gaufridus Carnotensis episcopus anno 1132. Terram de la Geneste permutavit anno 1146. cum Garnerio abbate Majoris monasterii.

II. Radulfus secundus abbas in necrologio, pepigit anno 1157. cum Roberto abbate Majoris monasterii. Obitus ejus notatur 15. Augusti anni 1177.

III. Johannes I. Guasco ex priore Præmonstrati abbas Stellæ factus, ad Viconiam vocatur, ubi post annum & dimidium omnia cernens pessumdata, ad Stellam reversus est. Anno 1178. unum e canonicis suis Guillelmo Cenomanensi episcopo præsentavit ad parochiam vacantem S. Medardi de Locquenay.

IV. Galterius interfuit anno 1199. exsequiis Mathildis de Ambasia in abbatia de Fontanis sepultæ, & subscripsit instrumento Sulpicii de Ambasia servum in libertatem asserentis. Sub eo coenobium conflagravit, ut constat ex charta Amelini Cenomanensis episcopi Stellensium bona confirmantis anno 1210. Reperitur adhuc anno 1211. in charta Johannis comitis Vindocinensis nonnulla Stellæ donantis. Circa id tempus Galterius laborem & dolorem in administratione considerans, Præmonstratensem abbatem rogavit, ut eum ab onere pastorali relaxaret; interimque Stellenses alium ejus in locum elegerunt, quo cognito abbas Præmonstratensis, & quia novus electus abbas vivente adhuc Galterio canonice admitti non poterat, abbati de Perreio tria misit sigilla, quorum unum electi nomen præferebat, ut invocato Spiritu sancto sortitio fieret, & cujus nomen inventum foret, ille ab omnibus abbas susciperetur. De Galterio in necrologio sic legitur: *XV. Aprilis obiit Gualterius abbas quartus.*

Chart. XVI. col. 427.

Ch. XVII. col. 428.

V. Michael tria arpenta prati acquisivit a Johanne abbate sancti Juliani Turonensis an. 1214. Anniversarium spopondit prima Maii 1225. fundatum ab Ursione de Mellay domino Fractævallis pro uxore sua Ennya; ac proinde abbatiam de consensu abbatis Præmonstratensis non dimisit anno 1218. defunctus XI. Martii 1229.

Anal. Præmonstrat.

VI. Gaufridus I. Galterio Carnotensi episcopo juravit obedientiam, ex necrolog. illius ecclesiæ. Galterius autem sedit ab anno 1218. ad 1234.

VII. Hugo decimis in parochia d'Auton donatus est anno 1240. ab Ambrosio d'Auton. Obiit 8. Februarii.

VIII. Godefridus II. jam sedebat juxta nonnullos anno 1240. Reperitur & 1248.

IX. Guillelmus I. Matthæo episcopo juravit obedientiam. Memoratur anno 1250. mense Julio. Obiit 7. Maii.

X. Johannes II. præerat annis 1265. & 1267. mortuus 8. Julii.

XI. Guido I. 1270. & 1275. e vivis exemtus 28. Augusti.

A XII. Godefridus III. 1288. 1290. 1298. obiit 2. Octobris.

XIII. Julianus 1310. 1317. mortuus 25. Septembris.

XIV. Johannes III. 1322. & 1328.

XV. Guido II. 1335.

XVI. Johannes IV. le Picart 1344.

XVII. Guillelmus II. la Caille electus & confirmatus, Johanni episcopo obedientiam juravit 27. Octobris 1385.

XVIII. Stephanus Broderelli jam memoratus 21. Februarii 1386. occurrit annis sequentibus ad 1410. quo defunctus dicitur 5. Octobris. B Attamen reperitur adhuc Stephanus annis 1416. in schedis Martennii, & 1419. in excerptis D. de Gaignieres. Perperam a nobis annumeratus fuit inter abbates Stellæ Pictaviensis tomo secundo col. 1354.

XIX. Johannes V. de Fontenay ab anno 1448. ad 1459. quo senio confectus cessit in manibus Johannis abbatis Gaudii-vallis ad hoc a Simone abbate Præmonstratensi delegati. Vixit in annum 1465.

XX. Guillelmus III. de Cormerai electus est abbas die 5. Novembris 1459. a quinque canonicis tunc Stellam inhabitantibus, coram Johanne C abbate Gaudii-vallis. Tutelare diploma obtinuit anno 1469. Nondum obierat 6. Augusti 1477.

XXI. Johannes VI. de Cormeray memoratur a Martennio anno 1472.

XXII. Guillelmus IV. de Montesson magister in artibus, baccalaureus in theologia, studens in Universitate Parisiensi, abbas erat annis 1480. 81. 82. 92. 94.

XXIII. Johannes VII. de Montesson præerat anno 1499. Obiit 1516.

XXIV. Ambrosius de Montesson filius Guillelmi ex Ludovica Bouchard, prior erat *des Hayes*, necnon procurator Stellæ anno 1514. Annos D natus 36. electus est abbas 9. Augusti 1516. licentiamque a summo pontifice obtinuit prioratum suum simul cum abbatia tenendi. In necrologio legitur: *Obiit Ambrosius de Montesson ultimus abbas regularis, hujus domus restaurator tam in spiritualibus, quam in temporalibus,* 24. Novembris 1555. aut 1557. hic enim deficit necrologus liber.

XXV. Johannes VIII. de Lavardin, quem Stellensium quoque Pictaviensium albo perperam accensuimus, primus Stellæ Blesensis commendatarius annis 1560. 1564. 1566. Gallice reddidit epistolas sancti Hieronymi, quas nuncupavit E Carolo de Borbonio archiepiscopo Rotomagensi anno 1584. Cessit abbatia circa annum 1585. pensionemque sibi reservavit, & jus parochos designandi.

XXVI. Claudius Quenault commendam jam tenebat 22. Junii 1585. Obiit anno 1603. vel sequenti.

XXVII. Jacobus de Lavardin gente nobilis, cedente Claudio nominatus a rege, commendam a Clemente VIII. obtinuit 4. Aprilis 1600. aliis & forsan melius, prima Aprilis 1604. ea lege,

ut intra quatuor annos presbyter fieret. Adhuc tenebat 3. Maii 1623. paulo post defunctus.

XXVIII. Valentinus du Raynier de Droué jam commendatarius 1624. desolatam abbatiam post 30. commendæ annos resarcivit, accitis ex Ardenna reformatis, qui novum Stellæ splendorem addiderunt. Partitionem bonorum cum eis fecit anno 1666. Obiit 1668.

XXIX. Franciscus le Comte, dictus de Nonant, alias de Bretoncelles, possessionem iniit 9. Octobris 1669. defunctus 1680.

XXX. Alexius Leonardus *al.* Leonorius de Bellemare, a rege designatus 20. Aprilis, possessionem apprehendit 14. Augusti 1680. *al.* 1681. Obiit 1701.

XXXI. Robertus Perrot ex canonico & vicario generali episcopi Carnotensis, Ludovici XV. regis anagnostes, designatus a rege commendatarius prima Novembris 1702. possessionem per procuratorem iniit mense Martio 1703. Obiit Versaliis 24. Aprilis 1742. annos natus 82.

XXXII. Josephus Baisle canonicus sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios, ordinariusque regis capellanus, ex abbate Septem-fontium in diœcesi Lingonensi factus est abbas Stellæ anno 1742.

CUSTODIA BEATÆ MARIÆ apud GUICHIAM.

LA GARDE N. DAME *al.* LA GUICHE. Ch. XXIV. col. 434. Ch. XXVI. col. 437.

FUndatus hic parthenon, reditibusque dotatus est a Johanne de Castellione comite Blesensi & domino de Avenis, qui an. 1277. de consensu Aelidis uxoris suæ ordinavit abbatiam virginum sancti Damiani in honorem B. Virginis, quam vocari voluit Custodiam beatæ Mariæ, in loco qui dicitur *la Guiche*, inter Chosiacum & Colungias, in fundo proprio diœcesis Carnotensis, adinstar sororum monasterii Humilitatis B. Mariæ juxta Parisios. Johanne autem ante absolutam abbatiam defuncto, Aelix Johannis relicta, & Johanna filia, uxor Petri Alenconii comitis, cum monasterium apostolicæ sedi subjectum vellent, Martinus IV. summus pontifex Johanni tituli sanctæ Ceciliæ cardinali in Francia legato in mandatis dedit anno 1285. ut episcopo Carnotensi & capitulo satisfaceret, monasteriumque ab eorum jurisdictione eximeret. Renuere primum episcopus, tum assignatis ei in compensationem decem annui reditus libris, assensum præbuit, legatusque ab ordinariorum subjectione monasterium exemit sub censu unius unciæ auri sedi apostolicæ quotannis solvendo, 50. sororum numerum definiit, in quibus Julianam de Trecis monialem Humilitatis beatæ Mariæ Parisiensis præfecit, eisque regulam illius cœnobii assignavit, legati ordinationem laudante Nicolao IV. anno 1288. Porro præter fundatores Johannem, Aelidem & Johannam, ibidem sepulti jacent Ludovicus Castellionæus comes Blesensis & dominus Avenarum, & Johanna Hannoniensis ejus uxor, Hugo Castellionæus & Beatrix Flandrensis ejus uxor, Johannes Blesensis filius Hugonis Castellionæi & frater Gui-

A donis comitis Blesensis, Margarita filia Ludovici ducis Aurelianensis & mater Francisci ducis Britanniæ. Abbatissarum seriem ex schedis monasterii accepimus, ut sequitur.

ABBATISSÆ CUSTODIÆ B. MARIÆ.

I. JULIANA de Troies e monasterio Longicampi prope Parisios prima a Johanne S. Ceciliæ presbytero cardinali sedis apostolicæ in Francia legato, præfecta est Custodiæ abbatissa anno 1285. Duas bullas accepit a Nicolao IV. xv. calendas Maii & III. nonas Septemb. anno 1288. quas habes apud Wadingum tomo 2. (Chart. XXVIII. col. 440.)
B pag. 171. & 178. Præerat adhuc anno 1298.

II. Aglentina querelam habuit cum abbate Burgi-medii pro decimis parochiarum de Blemartio & sancti Betharii, & pepigit die Veneris ante festum sancti Vincentii anno 1301.

III. Isabellis I. de Marrey coacta ad religionem admittere quascumque a comite Blesensi oblatas virgines, nonnullas admisit anno 1315. inter quas Johannam de Montlion neptim abbatis Majoris monasterii. Occurrit adhuc anno 1329.

IV. Johanna I. de Montlion anniversarium spopondit pro Johanne Blesensi, die Dominica post Purificationem 1333.

C V. Mathildis bellis ingruentibus Blesis cum sororibus commorans, ligna ad reparanda monasterii horrea a comite Blesensi obtinuit prima Junii 1345.

VI. Jacquetta de Pons idem ab eodem impetravit apud Blesas ob easdem causas permanens 10. Maii 1362.

VII. Philippa I. de Sainte Maure memoratur 12. Aprilis 1421. 27. Aprilis 1436. & 3. Novembris 1438. cujus nomen in necrologio notatur 19. Martii.

VIII. Johanna II. 20. Julii 1458.

IX. Philippa II. de Sainte Maure memora-
D tur anno 1469. in schedis Martennii.

X. Perrina de Laubespine 1483. consignata in necrologio 18. Septembris.

XI. Johanna III. Bretonne 1510. notata in necrologio 25. Octobris.

XII. Anna I. de Bailleul 1510. in necrologio locum habet 30. Decembris.

XIII. Margarita I. de Vaux 1514. obiit 13. Novembris.

XIV. Isabellis II. de Bacon 1528. obiit 19. Octobris.

XV. Johanna IV. de Chateaubriant 1540. in necrologio 30. Martii.

E XVI. Johanna V. Phelippeaux 1556. in necrologio notatur 6. Januarii.

XVII. Anna II. de Prunelé 1558. obiit 17. Februarii 1559.

XVIII. Magdalena Maillon 1562. obiit 17. Maii.

XIX. Margarita II. Rousseau 1575. obiit 12. Aprilis.

XX. Maria I. Boudet filia Simonis Boudet & Margaritæ de la Saussaye, 1577. cujus virtus in veteri necrologio commendatur 26. Augusti.

XXI.

XXI. Francisca I. le Boucher 1579. defuncta 4. Septembris.

XXII. Gabrielis de Baugé 1607. defuncta 6. Maii.

XXIII. Francisca II. Girard 1608. consignata in necrologio 2. Augusti.

XXIV. Maria II. Guiot 1627. obiit 10. Maii ætatis suæ 87.

XXV. Florimunda de Pelloquin post 2. regiminis annos obiit ætatis suæ 72. 8. Aprilis 1629.

XXVI. Martha Bouquin 1638. 17. Augusti obiit.

XXVII. Maria III. de Prunelay d'Eneval obiit 24. Junii 1646. ætatis suæ 61. per cujus depositionem abbatia fit triennalis.

XXVIII. Maria IV. Chapelier alumna suburbii sancti Marcelli Parisiensis, ejusdemque per triennium abbatissa, tum vacabat, cum ad reformandam Guichiam evocata abbatissa anno 1646. post triennium unde venerat, reversa est.

XXIX. Margarita III. Daguier electa 12. Januarii 1650. præfuit annis 12. quater in abbatiali dignitate confirmata. Obiit 19. Augusti 1678. annos nata 73.

XXX. Helena Doucin de Putereau electa 31. Augusti 1661. obiit 12. Novemb. 1668.

XXXI. Jacquelina du Plessis de Beaujeu 14. Februarii 1664. electa, præfuit 6. annis. Obiit 14. Augusti 1698. annum agens 66.

XXXII. Maria V. de Bragelongne monialis Longi-campi, electa 29. Januarii 1670. forte non fuit confirmata, nam

XXXIII. Eleonora Maria de Robusse legitur 1670. defuncta abbatissa XI. Augusti 1677. annos nata 73. post septennium regiminis.

XXXIV. Maria VI. de Vernaison 1677.

XXXV. Michaelis de Remeon 1681.

A XXXVI. Elizabeth Drouillon de la Bourdonniere 1684.

XXXVII. Helena Magdalena Cebret 1687. obiit 24. Aprilis 1721. annos nata 78.

XXXVIII. Maria de Vernaison 1689. secundùm.

XXXIX. Michaelis de Remeon iterum electa 1695. obiit 8. Septembris 1703.

XL. Elizabeth Drouillon de la Bourdonniere secundùm 1698.

XLI. Margarita IV. Butel 1701.

XLII. Maria de Vernaison 1704. tertiùm, obiit 19. Martii 1705. annos nata 66.

B XLIII. Ludovica I. de Saujon electa 17. Maii 1705.

XLIV. Ludovica II. de Lescour 1712. prima Decembris obiit alterum agens triennium.

XLV. Margarita Butel secundùm, obiit 12. Maii 1714. annos nata 78.

XLVI. Elizabeth Drouillon de la Bourdonniere abbatissa tertiùm, & semel Tremoliarum, obiit 2. Augusti 1717.

XLVII. Johanna VI. de Campet de Soyon fuerat prius abbatissa in diversis locis; Guichiam per triennium rexit, & obiit 31. Martii 1726. annum agens 66.

C XLVIII. Catharina de Sirringe abbatissa per sexennium, obiit 6. Martii 1735. in domo suæ professionis.

XLIX. Ludovica III. de Merlin Desgats per sexennium rexit.

L. Margarita V. de Regnard de Billy per sexennium rexit.

LI. Anna Maria de Boismartin per sexennium rexit.

LII. Maria Anna Lione electa est 24. Junii 1737.

Ceterum qualis ad nos transmissa est, talem hìc repræsentavimus novissimarum præsertim abbatissarum seriem.

ECCLESIA AURELIANENSIS.

UTRUM Aurelianorum civitas eadem sit cum vetere illo Genabo Carnutum oppido, quod a Cæsare expugnatum, direptum & incensum est, an vero Genabum non differat a Giemaco, quæstio est, quæ retroactis seculis multos nomine ac eruditionis fama præstantes viros agitavit, pluresque etiamnum hoc quo vivimus seculo exagitat, & adhuc sub judice lis est. Aurelianos primus, quod sciam, Genabum dixit Aimoinus, qui ante annos septingentos, regnante apud Francos Rotberto, floruit. Aimoinum Floriacensem monachum secuti sunt Hugo ejusdem monasterii asceta in historia ecclesiastica, quam anno 1109. composuit, Egidius Parisiensis, Henricus poëta ad Carolum, Robertus Gaguinus in libro primo historiæ Franciæ, Massonus in notitia episcopatuum Galliæ, Jacobus Scaliger, Aubertus le Mire, Baudrand, Cellarius, Samson, Hadrianus Valesius, sexcentique alii, qui rem intricatissimam rationum momentis elucidare conati sunt. Opinionem enim defendit non tantum numerus, sed & auctoritatum pondus. Sunt tamen quibus pro Aurelianis non arridet Genabum, nec contemnenda prorsus videntur quæ opponunt argumenta. Judices pro tribunali hac in causa sedere, quæstionemque definire, seu etiam post tot ac tanti nominis viros retractare, integrum nobis non est, quibus non de Genabensi, sed de Aurelianensi ecclesia est sermo. Fuere, sat scio, Genabenses episcopi: sed quinam fuere? an etiam Aurelianenses? ipsi dubitant qui stant pro Genabo.

In priscis igitur notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, quarum vetustissima Honorii Augusti principatu descripta est, civitas Aurelianorum nuncupata, in provincia Lugdunensi Senonia vel IV. ponitur quinta numero civitas ante Parisios ac Meldos. Sidonio postea in epistola XV. libro VIII. & in conciliis sub filiis Clodovei ibidem habitis, Gregorio etiam nonnumquam ac Audoëno Aurelianensis urbs, eidem Gregorio & in capitulis Caroli Magni Aurelianensis civitas, Thegano autem Aurelianensium civitas. At a Jornande, qui Justiniano imperatore floruit, vocatur Aureliana civitas Galliæ, item Aureliana civitas in vita Ludovici Pii: similiter Glabro Rodulfo & Helgaudo urbs Aureliana Galliarum, Gregorius Turonicus plerumque urbem ipsam sincero vocabulo appellat Aurelianos & incolas Aurelianenses, nonnumquam nomine indeclinabili Aurelianis, sicuti Idacius, Marius, Fredegarius, & alii multi, & nummi regum nostrorum & chartæ. Ab Aureliano imperatore nuncupatam sic putat civitatem Otho Frisingensis libro tertio cap. 41. *In Gallia quoque super fluvium Ligerim pulcherrimam urbem condidit* (Aurelianus) *quam ex nomine suo Aurelianam vocavit.* Nomen ipsum urbis quod ad nos pervenit, certissimum rei argumentum est, unumque pro mille. Opinioni adhæsit Valesius, cui Aurelianus imperator hujus urbis restitutor potius quam conditor videtur, existimatque maximum principem magnumque ædificatorem post Germanos Gallia expulsos cæsasque in campis Sigalonicis Tetrici legiones anno 274. Aurelianos ornasse & auxisse, & a se dici voluisse. Quidni etiam condiderit? Sunt qui truncato haud dubie nomine, *inepte*, inquit Josephus Scaliger in notitia Galliæ, Aureliam vocant, imprimis Rorico monachus in libro quarto, & scriptor vitæ sancti Eucherii Aurelianensis episcopi. Hos secutus Papirius Massonus a Cæsare exciso Genabo Aureliam excitatam, hancque ab Aurelia matre vocitatam fuisse voluit, quod a vero procul abest, cum Strabo de Aurelia nihil loquatur. Quidam Aureliam interpretantes, altius ejus originem repetunt, hancque vero haud propiores, Aurelio cuilibet imperatori Aureliani decessori tribuunt. Aurelias quoque plurali numero nonnulli usurparunt. Aureliæ tamen vocabulum, indignante licet Scaligero, obtinuit aliquando, fuitque in honore. Glabrum Rodulfum non curo libro secundo hist. cap. 5. cum ait: *Ex Ligeri sibi congruo etiam flumine agnomen habet inditum, diciturque Aureliana, quasi ore Ligeriana, eo videlicet, quod in ore ejusdem fluminis ripa sit constituta, non, ut quidam minus cauti existimant, ab Aureliano Augusto, quasi eam ipse ædificavit, sic vocatam, quin potius ab amne, ut diximus, quod rectius veriusque illi congruit.* Ridiculum enim est Aurelianos ab ora aut etiam ab aura Ligeris deducere, & omnibus analogiæ regulis contrarium.

Porro Aurelianorum civitas opportunissimo loco & divite frumentis, vineis & silvis, sita juxta Galliæ fluvium Ligerim, mirum in modum aucta est & decorata viis publicis lapide stratis undequaque ad urbem confluentibus, domibus & templis elegantibus, plateis speciosis, ambitu murorum amplo in formam arcus, munitur turribus quadraginta, portis sex patet, suburbio S. Marcelli jungitur ponte, in quo erecta est puellæ Aurelianensis Johannæ Darc effigies ærea, quod eam urbem Anglis valida obsidione vallatam liberaverit: portu gaudet tuto, vasto, amœno, merces a tota fere Gallia accipit, & transmittit: ditescit præcipue commercio, & transitu perpetuo externorum & copioso, cum ad eam ut Galliæ centrum ex omnibus regionibus accedatur. Non mirum igitur quod regis unius sedes, aut regia, caputque regni per aliquot annos fuerit, quodque una tum de sedibus regiis, & e regalibus palatiis uno, quibus maxime delectabantur aliquot reges, ad quos proprie & peculiari jure pertinebat, in civitate Aurelianorum præ ceteris nonnunquam sint commorati. Hinc Glaber Rodulfus loco citato: *Fuit Aurelia civitas antiquitus, ut est impræsentiarum, regum Francorum principalis sedes regia, scilicet pro sui pulcritudine ac populari frequentia, necnon & telluris ubertate, perspicuique irrigatione fluminis.*

Vales. not. Gall. pag. 217. Nam post victum a Clodovæo Siagrium pulsosque e finibus Gallicis Romanos, Gallis principibus paruerunt Aureliani. Clodemirus Clodovei I. filius Aurelianis regni sedem adeptus est per tredecim annos,

in eoque cœpit ac desiit Aurelianense regnum. Aurelianis quippe post Clodemirum potiti sunt, non Aurelianorum, sed Burgundiæ dicti reges, Clotarius frater & nepos Guntramnus, deinde Childebertus & filius ejus Theodericus, qui Aurelianos pro sede non habuerunt, sed Cabillonum in Burgundia regiam delegerunt. Perpetuo autem Francicæ mansit civitas adunata coronæ, donec anno 1344. rex Philippus Valesius natu minori Philippo Aurelianorum ducatum concessit. Tum vero a regum fratribus fere semper fiduciæ lege mancipata est. Hac hodie fruitur Ludovicus filius Philippi regni procuratoris, filii Philippi fratris Ludovici XIV. cui primum commissa est. Quod spectat ad gubernationem Aurelianorum, tribunal præsidialis habet & quæstorum societatem. Facultate juris utriusque civilis & canonici pollet a seculo XIV. ineunte, e qua viri eruditi prodiere. Hanc præcipue frequentant Germani, tum ut juri dent operam, tum etiam ut linguam Gallicanam addiscant. Patres Jesuitæ humaniores docent literas & philosophiam profitentur. Societatis hujus, imo seculi sui decus & ornamentum Dionysius Petau minervæ omnis homo Aurelianis ortus anno 1583. defunctus est Parisiis XI. Decembris 1652.

Denique ad res sacras quod attinet, celebrantur Aureliani propter synodos plurimas a Patribus Gallicanis illic habitas. Insignis est basilica major sanctæ Cruci dicata, Senonensis olim archiepiscopatus suffraganea, at nunc sub metropoli, ut diximus, Parisiensi. Ab Evurtio episcopo primum conditam Arnulfus episcopus restauravit magnifice: labantem adhuc anno 1278. relevare conatus est Robertus de Courtenai. Novum cœpit ædificium anno 1287. Egidius, continuavit Bertholdus magnificaque arte elaboravit, cujus cum tholus & fornices ex parte a segregibus anno 1567. diruti fuissent, Henricus IV. servatis fundamentis rursum regia liberalitate refici & restaurari curavit, primumque structuræ lapidem imposuit anno 1601. ut constat ex tabula affixa. Ludovicus uterque XIII. & XIV. opus inchoatum ab Henrico multum promoverunt, felicibusque Ludovici XV. auspiciis nunc absolvitur. Ecclesiam sanctæ Crucis nobilem sanctus Bernardus vocat, Gregorius VII. summus pontifex unam e nobilissimis Galliæ ecclesiis, & Petrus Venerabilis libro primo epistola secunda ad Innocentium papam his verbis scribit: *Pro Aurelianensi ecclesia paternam pietatem convenio. Rogo ut amore crucis Christi, cujus nomine & vexillo eadem ecclesia singulariter gloriatur, ejus calamitatibus subvenire dignemini, ut quæ passionibus Christi per patientiam secundum apostolicum communicans, duris & diutinis tribulationibus fatigatur, vestra pia tandem provisione relevetur.* Collegium ecclesiæ canonicos habet 46. quorum unus theologus, & sex residentes, sic dicti, quod perpetuam in choro voveant præsentiam. Hos præter sunt duo canonici Mamertini dicti, quia ad altare sancti Mamerti alterius ecclesiæ patroni ineunt possessionem: non sunt proprie canonici, sed tantum subsidiarii vel hebdomadarii, eo quod canonicorum qui officio suo fungi non valent, vices suppleant. Sunt adhuc quinque canonici semipræbendati, magnusque capellanorum numerus. Dignitatum 12. primicerius decanus a multis seculis e canonicis eligitur a capitulo, & confirmatur ab episcopo, qui ceteras omnes tam dignitates quam præbendas confert. Præter decanum, dignitatum gaudent titulo subdecanus, cantor, archidiaconi Pitiverensis, Belsæ, Sigaloniæ, Balgenciaci & Solliaci, scholasticus, succentor, pœnitentiarius & archipresbyter qui alternatim ab episcopo & decano eligitur. Numerantur in tota diœcesi 272. parochiæ, e quibus 23. in urbe & 5. in suburbiis. Religiosæ quoque familiæ virorum & sanctimonialium plures in urbe institutæ. Tota diœcesis in sex archidiaconatus dividitur, quorum primus, major dictus seu Aurelianensis, ad decanum Aurelianensem pertinens, Clariacum, Miciacum, ac Floriacum præ ceteris cum urbe Aurelianis complectitur; Pitiverensis Lauriacum & Vitriacum castrum; Belsensis Puteolum, Janvillam & Tauriacum; Sigaloniæ a Ligeri ad Carum fluvium usque pertinet, & continet Montolium ad Carum, Castellionem ad Carum rivum Morentini: Balgenciacensis Balgenciacum, Ucellum vicum, Magdunum, Oratorium fori; Solliacensis Solliacum præ ceteris, Oratorium ad Ligerim, Curtem-Leonis ad Ligerim, Castrum novum ad Ligerim, Oratorium in campis, Gargogilum, Germiniacum & Noviacum. Hoc singulari privilegio gaudet ab antiquo episcopus ut die solennis ingressus in urbem in cathedra deportetur a baronibus diœcesis & feudatariis, nempe d'Ievre le Chastel, de Sulli, de Cherai, d'Achieres & de Rougemont, & captivos quoscumque præter reos læsæ majestatis, &c. ergastulis liberet. Originem illius consuetudinis in vita sancti Aniani Aurelianensis episcopi memoriæ proditam ferunt. Antiquum illum morem indicat Ivo Carnotensis episcopus seculo XI. exeunte ad Sanctionem Aurelianensem episcopum scribens: *Audivi, inquit, quod clericum illum in die vestri introitus secundum morem vestræ civitatis nostra exhortatione de carcere liberastis.* Hoc privilegium ad nostram usque ætatem perpetuo episcopi retinuerunt, regumque Francorum diplomatibus hactenus servant in reos omnes seu alterius provinciæ, dummodo carceribus inclusi teneantur. Rem sic describit Massonus in historia calamitatum Galliæ: *Solent magistratus illo die solemni & quæstores scelerum, solutos carceribus reos omnes ducere, venientique episcopo obviam ire, qui solenni pompa ingressum urbem præcedunt supplices, & quanta possint voce deprecantur veniam, deductumque ad templum urbis religiosissimum, ac inde in publicam episcopalem domum comitantur, & convivio ab illo excepti, deinde verbo admoniti ut imposterum sapiant, indulgentiam obtinent & restituuntur pristino honori, famæ, fortunisque omnibus, præstita tamen adversariis civili æstimatione damni.* Hactenus Massonus. Reliquos episcopi ingressus singulares ritus apud omnes passim leguntur historicos Aurelianenses.

De abbatiis seorsim more nostro post episcoporum synopsim differemus. Episcoporum autem Aurelianensium annales ecclesiasticos Carolus Saussëyus theologus Parisiensis & decanus Aurelianensis

exaravit, hoc opere de ecclesia sua & patria optime meritus. De præsulibus qui in ea sede floruerunt, aliisque urbis ac diœcesis antiquitatibus diffusam Gallice historiam edidit Symphorianus Guyon sancti Victoris Aurelianensis parochus. Patrio quoque sermone duobus tomis de historia & antiquitatibus urbis & ducatus Aurelianensis, & de ecclesia & diœcesi ejusdem egit Franciscus le Maire consiliarius & præsidialis Aurelianensis judex. Horum eruditis e lucubrationibus, aliisve passim monimentis & scriptoribus, ac præsertim indefesso labore, eximiaque unius e nostris D. Johannis Verninac, qui nunc in monasterio Boni-nuncii bibliothecæ publicæ præfectus est, diligentia adjuti, verius forsan quam Sammarthani dicere possemus, nostram quam modo damus seriem, cumulatam in lucem prodire.

EPISCOPI AURELIANENSES.

ANNI CHRISTI

Altinus primus Aurelianensis vulgo creditur episcopus. Quis sit autem Altinus, unusne e septuaginta discipulis, sociusque sancti Sabiniani? Sic dicunt, sat scio, sed quo fundamento prorsus ignoro. Presbyterne an episcopus Aurelianensibus Evangelium primus, & quo tempore annunciaverit, desunt monumenta, silent veteres. Altini nomen in breviario ms. Aurelianensi ab annis 300. condito non reperitur, sed nec in martyrologio, nec in calendario, nec in breviariis ævi posterioris. Prima hujus, quod sciam, mentio occurrit in actis sancti Sabiniani martyris, quæ ita vilipenduntur a nonnullis, ut hinc confectum sancti Altini officium a reformatoribus breviarii Aurelianensis non tantum penitus amandatum fuerit, sed & nomen prorsus obliteratum. Penes Saussæyum itaque stet fides. Quibus unus sufficit Saussæyus, his sit Altinus primus episcopus Aurelianensis.

Idem dic de duobus episcopis, qui Altinum apud Saussæyum & Sammarthanos sequuntur, quorum alter Alitus, seu Alixitus aut Alipitus ab Altino forsan non distinguendus; alter Auspicius nulla innotescit ad persuadendum auctoritate. His itaque missis, ecclesiæ Aurelianensis origo a Diopeto repetenda, & ad medium usque seculum quartum deducenda.

I. Diopetus.

346. Concilio Agrippinensi anno Christi 346. per legatos interfuit Diopetus. Hoc tamen concilium in dubium revocant eruditi viri, ut diximus alibi, maxime in Euphrata Coloniensi. Melius itaque innotescit hic episcopus ex synodo Sardicensi,
347. ad quam convenit anno 347. Ab eo fundamenta posita ecclesiæ S. Aniani, quæ prius erat sancti Petri, quidam conjiciunt, non probant. Vide Robertum Hubert sancti Aniani præcentorem in libro de antiquitatibus illius ecclesiæ.

II. Desinianus.

III. Sanctus Evurtius.

Desiniano successisse sanctum Evurtium tradunt ejusdem acta apud Surium. Tot tamen ac tantis intricata sunt difficultatibus, ut nil certi de eo ex illis statui posse videatur. Ipse creditur Eortius, qui concilio Valentino adfuit 12. Julii
374. anno 374. Ejus temporibus ab ipsoque fundata traditur ecclesia cathedralis S. Crucis in locum ecclesiæ sancti Stephani, quæ christianorum mul- A titudinem continere jam non poterat. Obiit circa annum 391. Corpus conditur in ecclesia sanctæ Mariæ in agro Tetradii viri præfectorii, nunc abbatia sancti Evurtii in urbe, ubi ejus reliquiæ seculo 12. medio a Rogerio abbate inventæ sunt. *Anecd. t. 1. col. 413.* Memoratur in martyrologiis ad diem VII. idus Septembr. De ejus vita prolixius lege Saussæyum & Symphor. Guyon, at præcipue notas Tillemontii tom. VIII. pag. 800.

IV. Sanctus Anianus.

Ortu Viennensis, sanctique Leoniani abbatis legitur germanus Anianus in ejus gestis apud B Saussæyum. Utrumque confutat Mabillonius ad annum 515. num. 76. Et certe non minus incerta sancti Aniani, quam sancti Evurtii acta, ex quibus discimus Anianum sancti Laurentii de Orgeriis abbatem, ab ipso Evurtio virtutum insignibus declaratum successorem. Si res ita sit, perdiu Anianum sedisse necessum est. Urbem enim Aurelianorum ab Attilæ Hunnorum regis sævitia liberavit anno 451. ut legitur apud Gre- 451.
gorium Turonensem libr. 2. hist. cap. 7. *Attila Chunorum rex a Mettensi urbe egrediens, cum multas Galliarum civitates opprimeret, Aurelianis adgreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare.* C *Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta urbe episcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cujus virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur. Cumque inclusi populi suo pontifici quid agerent, acclamarent; ille fisus in Deo, monet omnes in orationem prosterni, & cum lacrymis præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique his, ut præceperat, deprecantibus, ait sacerdos: Adspicite de muro civitatis, si Dei miseratio jam succurrat. Suspicabatur enim per Domini misericordiam Aëtium advenire, ad quem & Arelatem adierat prius suspectus futuri. Adspicientes autem de muro, neminem viderunt. Et ille, orate, inquit,* D *fideliter; Dominus enim liberabit vos hodie. Orantibus autem illis, ait: Adspicite iterum. Et cum adspexissent, neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis tertio: Si fideliter petitis, Dominus velociter adest. At illi cum fletu & ejulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertio juxta senis imperium adspicientes de muro, viderunt a longe quasi nebulam de terra consurgere. Quod renuntiantes, ait sacerdos: Domini auxilium est. Interea jam trementibus ab impetu arietum muris, jamque ruituris, ecce Aëtius venit & Theodorus Gotthorum*

ANNI CHRISTI

rex, ac Thorismodus filius ejus cum exercitibus suis A *ad civitatem adcurrunt, adversumque hostem ejiciunt, repelluntque. Itaque liberata obtentu beati antistitis civitate, Attilanem fugant, qui Mauriacum campum adiens, se præcingit ad bellum.* De hac obsidione Apollinaris Sidonius scripsit epist. 15. libr. 8. ad Prosperum sancti Aniani successorem. Episcoporum Aurelianensium in liberandis incarceratis privilegium ab Aniano quidam repetunt. Et certe miraculi ab ipso patrati in gratiam reorum, qui carcerali detinebantur custodia, tum cum ingressum in urbem meditaretur, mentio est in sermone de inventione corporum sanctorum Miciacensium ineunte seculo XI. in promtuario Miciacensi. B Ecclesiam sanctæ Crucis altiori elevavit culmine. Obdormivit in Domino 17. Novembris anni
453. 453. tumulatus juxta nonnullos in ecclesia sancti Laurentii de Orgeriis, unde, Namatio curante, translatus fuit in ecclesiam sancti Petri ad Boves, quæ olim in suburbio Aurelianensi nobile monasterium, muris urbis postea inclusa, ab ejus nomine dicta fuit regalis collegiata sancti Aniani. Alii, & quidem rectius, volunt Anianum sepultum statim fuisse in ecclesia sancti Petri. Memoria ejus celebratur in martyrologiis XV. cal. Decemb. & translatio XVIII. calendas Julii.

V. Sanctus Prosper.

Celebris sanctimonia Prosper, uti testantur publicæ ecclesiarum tabulæ, quibus præconium ejus annis singulis IV. calendas Augusti in ecclesia decantatur, Aniano successit. Ut autem tam digni decessoris memoriæ celebrandæ studio faceret satis, rogavit Sidonium, ut obsidionem urbis Aurelianensis, & victoriam de Attila in campis Catalaunicis reportatam describeret, ut palam sit ex epistola ejusdem Sidonii 15. lib. 8. quæ sic habet:

Sidonius domino papæ Prospero salutem.

Dum laudibus summis sanctum Anianum maxi- D *mum consummatissimumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem vis celebrari, fideliumque desideras pectoribus infigi viri talis ac tanti mores, merita, virtutes, cui etiam illud non absque justitia gloriæ datur, quod te successore decessit, exegeras mihi ut tibi promitterem Attilæ bellum stylo me posteris intimaturum, quo videlicet Aurelianensis urbis obsidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cœlitus sacerdotis vaticinatio continebatur. Cœperam scribere. sed arrepti operis fasce perspecto, tæduit inchoasse. Propter hoc nullis auribus credidi, quod primum me censore damnaveram. Dabitur ut prospero precatui tuo & meritis antistitis summi quatenus præ-* E *conio suo sub quacumque & quidem celeri occasione famulemur. Ceterum tu creditor justus laudabiliter hoc impudentiæ temerarii debitoris indulseris, ut quod mihi insolubile videtur, tibi quoque videatur irrepossibile. Memor nostri esse dignare, domine papa.*

Et hæc sunt quæ de sancto Prospero ad nos pervenere. Vetus martyrologium sic: *IV. calend. Augusti Aurelianis civitate depositio beati Prosperi episcopi.* De eo vide syllogen Bollandistarum tom. 7. Julii pagina 82.

VI. Magnus.

ANNI CHRISTI

Magni sicut & duorum sequentium præter nomen in tabulis Aurelianensibus nihil habetur explorati, nisi forte is sit Maximus, de quo legitur Anecd. tom. 3. col. 1604. ex martyrologio antiquissimo: *XVIII. calendas Decembris Aurelianis depositio sancti Maximi episcopi.*

VII. Febatus.

VIII. Gratianus.

IX. Sanctus Monitor.

De sancto Monitore martyrologia Bedæ ac Romanum, appendix Heriberti Rosweidi ad martyrologium Adonis, & additiones Molani ad Usuardi martyrologium, vetustissimum martyrologium Spicileg. tom. IV. & Anecd. tom. 3. col. 1603. ad diem IV. idus Novembris, quo festum ejus colitur in ecclesia Aurelianensi.

X. Sanctus Flosculus.

Sancti Flosculi *al.* Fuscoli, mentionem faciunt Usuardus, Petrus de Natalibus lib. 2. Martyrologia Romanum, Corbeiense, &c. Baronius ad IV. nonas Februarii. Ejus festivitas postridie cele-
C bratur. Corpus una cum reliquiis SS. Aniani, Euspicii, Monitoris, Baudelii, Scubilii, Agiæ matris sancti Lupi, translatum est in ecclesiam sancti Aniani a Roberto rege anno 1029. Flosculo quoque apud Aurelianos dedicata est ecclesia, quæ prius sancta Maria regularis, sancta Maria inter muros & fossata, & sancta Maria deaurata, hodieque Conceptionis vocatur, estque prioratus ordinis sancti Augustini & parochialis ecclesia, cui unita decretó 8. Januarii 1655. parochia sancti Stephani.

XI. Dago.

De hoc episcopo sicut & de præcedentibus præter seriem nihil in annalibus Aurelianensibus omnino comperimus, quorum penes nos fidem nolumus.

XII. Eusebius.

Diplomati Chlodovæi Magni de conditione *Spicil. t. v.* monasterii Miciacensis dato post annum 498. *pag. 303.* subscripsit Eusebius, ejusdemque ecclesiam in ho- *Secul. 1.* norem Dei & sancti Stephani protomartyris fun- *Bened. pag. 585.* datam prope Aurelianos in agro Miciacensi juxta locum amœnissimum, in quo Ligerulus fluvius in Ligerim influit, consecravit, eademque die Maximinum diaconum ac postmodum sacerdotem ordinavit. Biennio post corpus sancti Euspicii ad ecclesiam sancti Aniani deferri jussit, & ad dexteram ejus collocari, ejusque funus ipse prosecutus est. Avitum & Carilefum in collegium presbyterorum ad preces Maximini adscripsit. Interfuit concilio primo Aurelianensi anno 511. 511. jussu Chlodovæi I. regis celebrato, ubi in conventu 32. episcoporum actum est de rebus ecclesiæ Gallicanæ, ac plurima circa mores clericorum sacrosque ritus utiliter sancita 31. canonibus.

ANNI CHRISTI

Corpus beati Lauriani martyris, episcopi Hispalensis, sepelivit in agro Wastino an. 518. annum A
518. pontificatus agens 20. ex Cointio ad annum hunc num. XV. cujus peractis exsequiis, oratorium super tumulo martyris construxit & dicavit XIV. calend. Decemb. Maximino quoque circa annum
520. 520. defuncto funebria exhibuit officia.

XIII. LEONTIUS.

Chirographum apposuit Leontius concilio II. Aurelianensi Childeberti fratrumque regum jussu
533. nono calendas Julias anni 533. celebrato, cui interfuere episcopi 26. & presbyteri 5. a totidem episcopis missi, e quatuor Lugdunensibus & tribus B Aquitanicis provinciis, canonesque 21. editi.

XIV. *ANTONINUS.

Subscripsit Antoninus synodo Aurelianensi III.
538. nonis Maii anni 538. Huic interfuere episcopi 19. & presbyteri 7. & 33. canones editi.

XV. MARCUS.

541. Habitum anno 541. concilium Aurelianense IV. cui adstitere episcopi 38. presbyteri XI. & unus abbas, conditique 38. canones, quibus subscripsit Marcus episcopus. Hoc autem *apud Aurelianensem urbem incriminato ab iniquis, & in exsilium truso,* C *magnus episcoporum conventus est aggregatus, Childeberto rege jubente. In qua synodo cognoscentes beati episcopi hoc esse vacuum, quod contra eum fuerat mussitatum, eum civitati & cathedræ suæ restituunt.* Synodus ista alia esse nequit a concilio v. Au-

Greg. Turon. de vit. patr. cap. 6. n. 5.

549. relianensi, quod anno 549. v. cal. Nov. a Childeberto rege maxime adversus hæreses Nestorii & Eutychetis habitum est, cui non subscripsit Marcus, ut qui tunc exulabat. Marci adhuc mentio fit in vita sancti Lifardi abbatis Magdunensis: *Marcus interea Aurelianensis ecclesiæ pontifex Clariaco * vico, qui ab oppido Magdunensium tribus millibus distat, quibusdam implicatus utilitatibus tum* D *residens, cum virtutem sancti viri aliis nunciantibus audiret . . . . ad locum ubi morabatur citissime properavit, peractisque cum eo salutiferis colloquiis, sacerdotali illum eadem die honore ditavit, ac modicum ei templum, quod usque hodie permanet, construxit.* Ejusdem quoque ad funus celerrime properasse legitur apud Saussëyum Marcus, licet episcopus a quo funus ejus procuratum est, in actis a Mabillonio relatis non nominetur, qui Lifardi mortem collocat circa annum 565. Bollandistæ vero anno circiter 550. tom. 1. Junii pag. 300.

* Clery. Secul. 1. Bened. pag. 154.

Ibidem.

Felix qui Aurelianensis episcopus adstitit sancto Germano Vincentianam apud Parisios basilicam E consecranti, & subscripsit privilegio, quod sanctus Germanus Parisiensis episcopus concessit monasterio sancti Vincentii, distinguendus non videtur a Felice Nannetensi episcopo, qui ante & post interfuit conciliis Parisiensi III. anno 557. & Turonensi II. anno 567. Nec mirum: si duos enim excipias, Nicetium Lugdunensem & Domnolum Cenomanensem, nulli episcoporum, qui tam in consecratione quam in privilegio recensentur, bene assignatur sua sedes.

Post Felicem in chronologia Aurelianensi sequuntur

XVI. TRECLATUS *seu* TRANCLATUS.

XVII. B[illegible]DATUS.

XVIII. RICOMERUS.

Hujus nomine Launoveus subscripsit canonibus concilii Parisiensis IV. anno 573. hoc modo: 573.
Launoveus presbyter in vicem Ricomeri Aurelianorum episcopi constitutionem nostram subscripsi.

XIX. NAMATIUS.

Conciliis Matisconensibus I. & II. annis 583. 583.
ex Cointio & 585. adfuit Namatius, cujus tem- 585.
poribus, anno scilicet Childeberti v. Aurelianensem civitatem igne haustam divino auctor est Gregorius Turonensis hist. lib. v. cap. 34. a quo & discimus Namatium a Gunthramno rege legatum fuisse in Minorem Britanniam cum Cenomanensi præsule aliisque optimatibus, ad propellendas Britannorum incursiones, qui omnes legatione obita reversi sunt, præter Namatium, qui in territorio Andegavensi defunctus est anno 587. 587.
sicut notat Gregorius Turonensis lib. IX. histor. cap. 18. *His auditis, rex dirigit illuc legationem, id est Namatium Aurelianensem & Bertchramnum Cenomanensem episcopum cum comitibus & aliis viris magnificis. Adfuerunt etiam & de regno Chlotarii Chilperici regis filii viri magnifici, qui euntes in terminum Namneticum, locuti sunt cum Vuarocho & Vidimaclo omnia quæ rex præceperat. At illi dixerunt: Scimus & nos civitates istas Chlothocharii regis filiis redhiberi, & nos ipsis debere esse subjectos .... His ita compositis, regressi sunt reliqui, & narraverunt regi quæ gesserant. Namatius vero episcopus dum receptis villis infra terminum Namneticæ urbis, quas olim parentes ejus perdiderant, ibidem moraretur, pusulæ malæ ei tres oriuntur in capite. Ex hoc valde confectus tædio, dum ad civitatem suam reverti cuperet, infra Andegavensis territorii terminum, spiritum exhalavit. Corpusculum ejus ad urbem suam delatum, in basilica sancti Aniani confessoris sepultum est.*

XX. AUSTRINUS.

Namatii *in cathedram Austrinus pastoris quondam filius subrogatur.* Ita Gregorius Turonensis ibid. Frater erat Aunacharii episcopi Autissiodorensis, & Austregildis matris S. Lupi episcopi Senonum. Beatissimus episcopus nuncupatur apud Fredegarium scholasticum in chronico sub annum nonum 604.
Theoderici regis, cum scribit Bartoaldum ejusdem majorem domus Aurelianis excepisse, qui a Landerico Chlotarii regis item palatii magistro ad prælium invitabatur. Inter claros præsules annumeratur ætate Brunechildis reginæ ab Aimoino lib. IV. hist. Franc. cap. 1. *Ea cum filio & nepotibus gubernante regnum, apud Gallias divinæ virtutis gratia irradiati fulserunt veluti luminaria Etherius Lugdunensis archiepiscopus, Siagrius Augustidunensis, Desiderius Viennensis, Aunarius Autissiodorensis cum fratre Austreno Aurelianensi, Lupus archiepiscopus Senonensis, & Columbanus abbas.*

Greg. Turon. col. 605.

ANNI CHRISTI

Spectatæ sanctimoniæ pontifex audit apud aucto- A
rem martyrologii Gallicani calendis Septembris
in elogio sancti Lupi Senonensis antistitis.

XXI. Leodegisillus.

Præsulis forsan hujusce temporibus hæreticus quidam ex Transmarinis partibus, quem conjicimus Monothelitarum veneno infectum, tunc enim cœpit hoc virus in Oriente serpere, cum in Gallias venisset, ibique virus suum spargere cœpisset, concilium quoddam Aurelianense celebratum est, in quo homo nequissimus a Salvio episcopo confutatus, damnatur, ut legitur in vita sancti Eligii lib. I. cap. 35. tom. v. Spicilegii. B
Hanc synodum refert Cointius ad annum 634. & Pagi annos aliquot ante 640. quo Eligium Noviomensem & Audoënum Rotomagensem censet episcopos esse ordinatos.

Argundum episcopum qui chartæ fundationis sancti Mauri Fossatensis subscripsit anno tertio Chlodovæi II. Aurelianensem autumat Cointius ad annum 640. num. XLI. penes quem sit fides.

XXII. Leodegarius I.

Abbatia Floriacensis a Leodebodo conditur
641. anno 641. juxta Mabillonium, cujus potior hactenus visa sententia est. Leodebodi autem C
testamento subscripsit Leodegarius Aurelianensis episcopus.

XXIII. Audo.

Concilio Cabilonensi, quod sub Clodovæo II. intra biennium quod intercedit ab anno 646. ad 648. habitum diximus tom. IV. col. 871. subscripsit Audo Aurelianensis episcopus, quem conjicit Mabillonius intelligendum per Audoënum, qui legitur in inscriptione, vel Gaudemundum in subscriptionibus privilegii ab Emmenone Senonensi archiepiscopo concessi cœnobio

Annal. t. I. pag. 450. Secul. III. Bened. part. I. p. 615.

658. sancti Petri anno 658. Ipsi una cum multis aliis D
præsulibus inscriptum est privilegium, quod Bertefridus Ambianensis episcopus largitus est Cor-
663. beiensi cœnobio anno 663. Subscripsit adhuc privilegio, quod parthenoni beatæ Mariæ con-
666. cessit anno 666. sanctus Drausius Suessionensis episcopus.

XXIV. Gaudo.

Ab Audone distinguitur Gaudo, qui Audonem sequitur in tabulis Aurelianensibus.

XXV. Sigobertus.

Secul. I. Bened. pag. 590. 597. & 601.

Genere & moribus nobilissimus Sigobertus, E
ossa sancti Maximini Miciacensis abbatis in ecclesiam, quam in agro juris sui extra urbem, sed muro vicinam & contiguam ecclesiæ S. Aniani, construxerat, transtulit, ecclesiamque dedicavit, propriis ditavit sumtibus, & Miciaco dedit. Hujus ecclesiæ pauca restant vestigia ad plagam occidentalem sancti Aniani. Sedebat autem Sigober-
670. tus circa annum 670. ex chronologis Aurelianensibus.

Chart. III. col. 482.

XXVI. Savaricus.

Adfuit Savaricus placito, quod Clodovæus rex habuit Valencianis pridie calendas Martias anno tertio regni sui, quem Mabillonius putat fuisse annum 693. Comprobavit privilegium 693.
olim concessum ab Emmenone Senonensi cœnobio S. Columbæ, testaturque se authenticum ejus exemplar vidisse. Soabericus legitur in subscriptione privilegii cujusdam concessi ab Aginardo Carnotensi episcopo cœnobio B. Mariæ supra Ligerim anno 696. Occurrit adhuc sub nomine 696.
Savarici in alio placito habito in villa regia Compendio anno 697. Quominus Savaricum cum 697.
sequenti Soavarico confundamus, una obstat scriptorum Aurelianensium auctoritas.

Annal. t. I. pag. 600. Ibidem pag. 603. Ibidem pag. 605. Ibidem pag. 613.

XXVII. Baldagus.

In omnibus vulgatis episcoporum elenchis Savarico suffectus annotatur Baldagus, quem sequitur

XXVIII. Adamarius, *al.* Ademarus.

XXIX. Leodegarius II.

Leodegarius II. forsan a Leodegario I. non distinguendus, qui præpostero prius positus ordine, suo loco a Saussëyo est restitutus. Hos ut distinguamus, facit unanimis auctorum consensus.

XXX. Leodebertus.

Quintus adest episcopus a Savarico ad Soavaricum intra spatium temporis brevissimum, sed auctoritati cedendum, cum legitima non adest ratio.

XXXI. Soavaricus.

Soavaricum Aurelianensem episcopum, sancti Eucherii patruum & antecessorem denotant acta ejusdem Eucherii apud Mabillonium: *Eo tempore Soavaricum Eucherii patruum, qui Aurelianensis ecclesiæ pontificalis honoris cathedra populum regebat, contigit ex hac luce migrasse.* Et infra, qui missi erant ex civitate Aurelianensi ad Carolum Martellum super morte Soavarici, ita illum conveniunt: *Domine princeps inclyte, suggestioni familiæ tuæ plebis Aurelianorum quæsumus adspectum minacem ne aperias, sed libenter adimpleas postulata. Dominus atque pastor noster servus tuus Soavaricus vocante Domino, de hoc mundo animam noscitur amisisse.* Interturbatum jam episcoporum in chronologia suspicati sumus ordinem. Et certe repositus eo loci a Saussëyo Soavaricus, ab omnibus antea incelebratus fuerat, qui hunc cum Savarico recte confundentes, ut de Leodegario diximus, male collocabant. Unde mirum a Saussëyo, quem alii postea secuti sunt, duos distinctos fuisse Leodegarios & Savaricos, quos monimentis destituti confundere ausi non sumus.

Secul. III. Bened. part. I. p. 597.

XXXII. Sanctus Eucherius.

Aurelianis nobilibus angelo prænuntiante parentibus natus est Eucherius. Infantem aquis lustralibus tinxit Ansebertus Augustodunensis episcopus.

ANNI CHRISTI

Septennis operam literis dedit. In Gemeticensi A
postea monasterio per septennium fere exercitatus
717. anno 717. aut sequenti Soavarico patruo successit, uti acta ejus vitæ ab auctore coætaneo conscripta indicant: *Obsecramus tuæ pietatis clementiam* (Caroli principis) *ut nepotem ejus* (Soavarici) *Eucherium famulis tuis plebi Aurelianorum pontificem jubeas adnecti. Ille vero postulationem eorum benigniter suscipiens, providente Domino ratum præstitit quod ab eo humiliter postulabant: & ex aula sua procerum fidelem direxit, ut beatum virum de quo loquimur, ex cœnobio quo se locaverat, advocaret; & si non spontaneum, invitum tamen ad urbem jam dictam duceret, atque pontificem ordinari faceret* B
. . . . Tunc episcopis vicinarum civitatum accersitis, omnis plebs urbana ad ejus ordinationem convenit cum cereis, crucibus, choris psallentium & variis vestimentis induti: & in cathedram ipsius urbis Deo dignissimum Eucherium constituunt præsulem . . . . Crescebat undique fama ejus longe lateque per orbem. Nec immerito quidem; statim enim ac thronum episcopalem ascendit, mox ad clerum informandum verba exemplaque adhibuit, unde omnibus populis sibi subjectis acceptissimus fuit. Attamen quorumdam nobilium offensionem incurrit. Hinc a Carolo Martello Majore domus ex Aquitanico prælio adversus Saracenos victore pedem refe- C
733. rente anno 733. eo quod res ecclesiasticas in urgentes belli usus rapienti restiterit Eucherius anno pontific. 16. Aurelianis abductus, Luteciam vocatus, Coloniam Agrippinam primum cum propinquis, tum Sarchinium in Hasbania relegatus fuit, ubi omnibus gratus vir sanctus, post annos sex mortuus die 20. Februarii, humatus est in
738. monasterio sancti Trudonis anno 738. ut optime probat Mabillonius ad hunc annum num. 44. Nam alia Caroli contra Saracenos victoria contigit anno 737. non in Aquitania, sed in Provincia & in Septimania, ad quam id nominis longe post traduxerunt Aimoinus & ceteri. Deinde si D
post hanc Caroli victoriam Eucherius exulasset, biennio superstes Carolo, urbi suæ restitutus procul dubio fuisset, quod de Carolomanni & Pipini credere pietate proclive est, qui concilium Liptinense convocasse dicuntur ad res a Carolo patre ecclesiis ablatas restituendas. Quanto magis episcopum Deo & hominibus acceptum restituere properassent? Nec est quod dicat doctissimus Pagi ad annum 731. n. 17. Carolum in sola Austria Majorem domus anno 717. fuisse, nec nisi post Suessionicam pugnam anno 719. Neustria potitum fuisse, ac proinde ante hunc annum Carolo Aurelianos non paruisse. Constat enim ex annali- E
bus Metensibus Carolum post Vinciacam pugnam an. 717. paulo post Martium mensem Luteciam usque Chilperico institisse, cunctamque tunc temporis regionem illam (Neustriam) subegisse.

Boll. 20. Febr. p. 210.

Atque hinc evanescit de Caroli principis damnatione fabula ab Eucherio visa: si enim post Eucherium obierit Carolus, Carolum damnatum non vidit Eucherius. Vide Mabillonium tom. 2. annal. pag. 114. Præterea Pipinus in vita, unde desumta fabula, rex nominatur, & Fulradus Pipini regis consiliarius, cum exploratum sit Pipinum regis nomen nonnisi decimo post Caroli obitum anno, id est 751. sumsisse, quem ad annum pervenisse Eucherium nemo somniaverit. Denique post Sirmondum Mabillonius nactus est hujus vitæ mss. codices, a quibus hæ absunt fabulæ. Ex his nobis exhibuit acta S. Eucherii sincera, quæ consule, si lubet, 1. part. secul. 2. Bened. pag. 594. Eamdem vitam expurgatam habes apud Bolland. 20. Febr.

Eucherius multis miraculorum signis post obitum clarus fuisse memoratur: unde patres synodi Carisiacensis eum sanctum vocant in epistola synodica ad Ludovicum Germaniæ regem, uti etiam Hincmarus, Adrevaldus, aliique ejusdem ævi scriptores; quo tempore sacrum ejus corpus una cum sancto Trudone, e tumulo elatum est a Francone episcopo Leodicensi.

Aurelianensem seriem nunc persequamur.

XXXIII. Bertinus.

XXXIV. Adalinus.

XXXV. Nadatimus.

XXXVI. Deotimus.

Si non ex abbate, qui in nullo reperitur catalogo, forsan ex monacho Floriacensi ad episcopatum eligitur Deotimus. Ex veteribus tabulis ecclesiæ suæ quædam latifundia donavit, quæ confirmaverunt Hugo Capetus & Robertus. Chart. VII. col. 468.

Guibertus vero cum fictitiis episcopis, quibuscum accensetur in mss. S. Dionysii a Dubletio relatis, evanescit. 1.° enim iter Jerosolymitanum Caroli Magni a nullo Latinorum chronographo, ipso fatente Helinando, annotatum fuit. 2.° de anno quo factum narratur non constat: alii enim annum 802. alii 804. assignant. 3.° habita quidem Aquisgrani anno 802. synodus, sed cui non adstitit Leo papa, qui semel Aquisgranum venit, idque ineunte anno 805. 4.° sed quod difficultatem omnem tollit, Theodulfus jam sedebat ab anno saltem 788. Commentitia est ergo synodus Aquisgranensis, quam ad anni 802. idus Junii indixisse legitur Carolus Magnus in mss. sancti Dionysii, sicut & apud Helinandum, quem citat Albericus, ad adorandas reliquias, quas de Jerusalem & de Constantinopoli adduxerat imperator. Errori fortasse ansam præbuit reperta anno 804. Mantuæ spongia sanguine Christi imbuta a Longino olim defossa, cujus ut veritatem perquireret, compertamque sibi significaret, Carolus imperator Leonem pontificem per literas obsecravit.

Pag. 1203. Pag. 114.

XXXVII. Theodulfus.

Gothis Septimaniam aut partes Hispaniæ Septimaniæ vicinas incolentibus editus Theodulfus, ut videtur Mabillonio, uxori primum alligatus fuit, ut constat ex carmine 4. lib. 3. quod inscripsit Gislæ filiæ suæ. Smaragdi discipulus tot sub tanto magistro progressus fecerat, ut propter scientiæ prærogativam qua pollebat, in Gallias adductus anno 781. a Carolo Magno fuerit, cui familiaris quandiu vixit & inter intimos adhæsit. Abbas

Annal. ad ann. 794.

Abbas Floriacenſibus, & Aurelianenſibus epiſcopus A
ANNI CHRISTI ab eodem datus, jam præerat anno ſaltem 788.
788. quo defunctum diximus Manaſſen abbatem Fla-
Tom. IV. Inſt. col. 44. viniacenſem, pro quo a Carolo rege cœnobii
apud Corbiniacum conſtruendi facultatem obti-
794. nuit. Scripſit anno 794. epitaphium Faſtradæ
uxoris Caroli Magni defunctæ hoc anno Fran-
cofurti, cum ibi ſynodus eſſet, ac Moguntiæ apud
ſanctum Albanum ſepultæ. Sub epiſcopatus ini-
tium capitulare condidit 46. articulis conſtans,
in quo ſaluberrima tum preſbyterorum propria,
tum communia, quibus ſubditas ſibi plebes infor-
mare debeant, vitæ chriſtianæ documenta deſcri-
796. buntur. Carolo regi anno 796. victoriam ad- B
verſus Hunnos, eorumdemque converſionem ad
chriſtianam fidem prolixo carmine gratulatus eſt.
Miſſi Dominici ampliſſima & honorata præfe-
798. ctura Caroli favore functus eſt anno 798. in
utraque provincia Narbonenſi, comite Laidrado
Secul. I. Bened. pag. 601. poſtea Lugdunenſi pontifice: quo tempore mo-
nachos e Septimania accivit, quibus Miciacum
ad recuperationem ſacri ordinis dedit, & res olim
attributas de ſuo inſuper addens contradidit.
Graves habuit querelas cum monachis S. Martini
Turonenſis, propter clericum Aurelianenſem, qui
ab ipſo in carcerem detruſus, in baſilicam ſancti
Martini ſeſe receperat; qua de re imperatorem C
interpellans, per literas apud eumdem a Sammar-
tinianis contemtum ſe denuo queſtus eſt: impera-
802. tor miſſum direxit anno 802. cum literis, qui-
bus ſeu monachos ſeu canonicos acriter increpat.
Caroli ejuſdem teſtamento ſubſcripſit Theodul-
811. fus anno 811. quo fatis functo, non diſpari pri-
mis annis gratia valuit apud Ludovicum filium,
814. cujus vitæ auctor ad annum Chriſti 814. ſic
loquitur: *Defuncto patre, miſſus eſt Rampo ad eum
ut mortem ejus mature cognoſceret, qui cum Aurelia-
nam deveniſſet ad urbem, Theodulfus ejuſdem urbis
epiſcopus, vir undecumque doctiſſimus, cauſam ejus
adventus perſenſit, & velociſſime miſſo perlatore im-* D
peratori innoteſcere ſtuduit. Ab eo obviam Stephano
papæ in Gallias adventanti procedere juſſus eſt
816. anno 816. ut docent Theganus chorepiſcopus,
Eginartus in annalibus, idemque ſcriptor vitæ
Ludovici his verbis: *Imperator adventum ejus Remis
ſuſtinere ſtatuit, cui etiam obviam Hildebaldum archi-
capellanum ſacri palatii, Theodulfum epiſcopum Au-
relianenſem, Johannem Arelatenſem, aliorumque mi-
niſtrorum copiam procedere juſſit infulis indutos ſacer-
dotalibus.* Pontifex autem priuſquam Remis digre-
deretur, pallium honoris cauſa Theodulfo con-
ceſſit, unde Theodulfus deinceps archiepiſcopus
Aurelianenſis dictus eſt, ut patet ex tribus diplo- E
matibus Ludovici Pii hoc anno numero XX. a
Capitul. t. 2. col. 1410. Cointio relatis pro eccleſiis ſancti Aniani & Aure-
lianenſi, cujus ad deceſſorum exemplum privilegia
Secul. I. Bened. pag. 601. confirmavit. Apud Germiniacum in pago Aure-
lianenſi, quod a Floriaco non multum diſtat,
baſilicam miri operis, inſtar ejus quæ Aquis con-
ſtituta eſt a Carolo Magno, ædificavit Theodulfus,
qui mox inſimulatus conjurationis Bernardi regis
818. Italiæ adverſus patruum anno 818. in concilio
Aquiſgranenſi, ſpoliatur abbatia Floriacenſi atque

in monaſterium relegatus Andegavos, ut declarant
Theganus opere de geſtis Ludovici Pii, idemque
anonymus de hac conjuratione ſcribens: *Erant
hujus ſceleris conſcii quamplures clerici ſeu laïci, inter
quos, epiſcopos hujus tempeſtatis procella involvit, An-
ſelmum ſcilicet Mediolanenſem, Wolfoldum Cremo-
nenſem, ſed & Theodulfum Aurelianenſem.* Et poſt
alia ſubdit: *Epiſcopos autem hac conſtrictos imma-
nitate ab epiſcopis reliquis depoſitos monaſteriis man-
cipavit.* Quemadmodum autem hoc crimen con-
ſtanter uſquequaque pernegavit Theodulfus, ita
non defuere qui per invidiam conflatum affir-
marent. Teſtis Modoinus epiſcopus Auguſtodu-
nenſis, qui ſic loquitur libro IV. carmine IX.
inter poëmata Theodulfi.

Sæpe queror caſum deflendo inſontis amici,
Ore fluunt lacrymæ, amnis ab ore meo.
Sæpe tuam ingeminans luxi flens ipſe ruinam.
Proh dolor! amiſſo, præſul, honore peris.
Exilium innocuus pateris pertriſte ſacerdos,
Inclytus expertus præſul enorme malum,
Nonnullis prodeſſe ſolet prudentia multa;
Læſus ab ingenio es, es, pater, ecce tuo.
Præcipue tua magna tibi ſapientia ſoli
Obfuit, & quod habes triſte paravit onus.

De quibus autem accuſaretur Theodulfus, ipſe
complectitur lib. IV. carminum ſcribens ad Agiul-
fum Bituricenſem:

Non regi, aut proli, non ejus, crede, jugali
Peccavi, ut meritis hæc mala tanta veham.
. . . .
. . . .
Perderet ut ſceptrum, vitam propriumque nepotem,
Hæc tria ſum nunquam conſiliatus ego.

In eo quo detruſus eſt carcere Theodulfus
poëma ſcripſit eccleſiaſticum verſibus elegiacis ad
diem Palmarum accommodatum: *Gloria laus &
honor tibi ſit*, &c. Qui quidem verſus quin revera
Theodulfi ſint ambigere, ut alia deſint, non licet,
poſt Lupi Ferrarienſis ævo proximi teſtimonium,
qui diſerte hos illi adſerit epiſtola 20. præter-
quam quod Andegavis ſcriptum fuiſſe carmen
res loquitur, & Ludovico Pio regnante conditum
ſcriptores conſentiunt. Sed fabuloſum illud in
aures Ludovici Auguſti ceciniſſe Theodulfum,
& tali cantilena libertatem in die Palmarum recu-
peraſſe, cum proximis annis ante Theodulfi libe-
rationem procul a civitate Andegavenſi impera-
tor abfuerit. Theodulfus enim nunquam confeſſus
crimen, pro quo in exilium & in carcerem miſſus
fuerat, revocatus eſt ab exilio anno 821. in con- 821.
ventu Theodonis villæ; ſed cum abſolutus ad
ſuam reverteretur eccleſiam, uti teſtatur auctor
fragmenti hiſtor. Francorum apud Quercetanum
tom. 3. pag. 336. in itinere diem clauſit extre-
mum, veneno necatus, ut ferunt, ab his qui dum
exularet libertate potiti, bona ejus invadendi jam
hauſerant cupiditatem. Letardus monachus Micia-
cenſis hunc veneno extinctum dicit poſt reditum

Aurelianos. Andegavis tamen eum obiisse innuit ejus epitaphium, quod eo loci subjiciendum existimamus, ex veteri codice S. Vitoni Virdunensis:

Illius cineres saxo servantur in isto,
Qui quondam populis præsul & abba fuit.
Non noster genitus, noster habeatur alumnus.
Protulit hunc Spiria, Gallia sed nutriit.
Urbs populosa satis Ligerim super Aurelianis
Quæ olim læta fuit hoc residente patre.
Proh dolor! hunc pepulit propria de sede malignus.
Mœnibus his traditur exsul, & exsul erat.

Aliud nobis suppeditavit excerptum 56. celeberrimi N. du Chesne in bibliotheca regia num. 9612.

Hesperia genitus, hac sum tellure sepultus,
Divisis spatiis lux obitusque patent.
Sub Carolo Magno terrarum principe partes
Has petii, civis clarus in arte fui.
Ille quidem celeber cunctis in finibus orbis,
Præ reliquis solus regibus unus erat
Francus, ingenuus, virtutum dote coruscus,
Sublimis, placidus, terribilisque, pius,
Cujus multiplici pollebat gratia luce,
Qui populi post se corda trahebat ovans.
Cujus enim tanta captus dulcedine veni,
Deserui patriam, gentemque, domumque, laremque,
Sub quo præclaros gessi feliciter annos,
Præsul, & abbatis libera claustra tenens.
Donec in agrum Ludovicus jure paternum
Successit, factus credulus, heu nimium!
Qui delatorum contra me falsa nocentum
Suscepit verba, quam pius certe mihi.
Is me tunc claustris servari jusserat heros,
Unde quidam voluit me revocare satis,
Redderet ut memet proprio miseratus honori,
Quem vis eripuit dudum aliena mihi.
Sed suprema dies jussu delata tonantis,
Hac memet voluit ponere corpus humo.
Hac peregrina igitur Theodulphus condor arena,
Nec licuit proprio condere membra loco.
Aurelianis erat sedes mihi, cujus in oris
Inter oves vellem ossa locanda meas.
Sed quia judicio Domini meruisse sepulcrum
Istud præsumo, hic habitare volo,
Donec divino surgam de pulvere jussu,
Venturus vultus judicis ante mei.
Ille meam novit quanto sit pondere causam,
Seduci nullis quem scio posse dolis.
Nunc pro me precibus, supplex rogo, poscite cuncti,
Optatam famulo ut mihi det veniam.
Theodulphi famuli devota mente dicantis,
Christe, tui, petimus, rex, miserere, Deus.

Theodulfi obitus in necrologio Sangermanensi reponitur XIV. calendas Octobris. Magni nominis inter præsules Gallicanos hic præsul, inter alia scripsit capitularia ad informandos clericorum suorum mores sex supra quadraginta articulis comprehensa, de ordine baptismi ad Magnum Senonensem archiepisc. de Spiritu sancto ad Carolum Magnum imperatorem, libros 6. carminum ad diversos, quæ opera Jacobus Sirmondus doctissimus Societatis Jesu presbyter edidit, notisque illustravit anno 1646. Præterea Theodulfi sermonum aliquot fragmenta exstant tom. 5. Spicileg. pag. 117. Alia quædam inedita edidit Mabillonius Analect. tom. 1. pagina 376.

De Theodulfo agit Alcuinus epistola 4. ad Carolum regem; cum ab eo librum Felicis Urgellitani refutandum accepisset, exemplar libelli Richbono & Theudulfo episcopis doctoribus & magistris dirigendum obsecrat, ut respondeant. Hincmarus in divortio Lotharii & Tetbergæ orthodoxum & insignem poëtam Theodulfum vocitat. Lupus Ferrariensis, Sigebertus & alii historici Theodulfi meminere.

XXXVIII. JONAS.

Theodulfi successor Jonas monasticum ordinem in Miciacensi asceterio a se restitutum, inconvulsum esse cupiens, imperiali Ludovici auctoritate communiri curavit privilegio dato XIII. calendas Martii anno Ludovici XII.* indict. III. *al. XIII.
hic est annus 825. quo conventui apud Parisios 825.
de cultu imaginum calendis Novembris habito *Spicil. t. 8. pag. 138.*
adfuit, cujus ut acta diligenter recenseret, recensitaque Eugenio II. summo pontifici legenda exhiberet, legatus a Ludovico Augusto cum Jeremia Senonensi archiepiscopo missus est. Recensetur inter episcopos qui alteri synodo Parisiensi interfuerunt anno 829. Subscripsit parti- 829.
tioni bonorum sancti Dionysii factæ anno 832. *Diplom.*
ab Hilduino abbate. In synodo Senonensi anno *pag. 521.*
833. subscripsit privilegio pro monachis sancti 832.
Remigii Senonensis. Synodo Theodonis villæ 833.
anno 835. & depositioni Ebonis Remensis ar- 835.
chiepiscopi interfuit. Eodem cum Hugone comite a Ludovico Pio delegatus est IX. calendas Septemb. qui Floriacenses in possessionem mitteret villæ Suncanti, quam ab avo suo Pipino iisdem concessam violenter nobiles usurpaverant. Miciacensi monasterio Jonæ ad preces Ludovicus *Chart III.*
Augustus aliud concessit privilegium XIV. calend. *col. 481.*
Maii anni 836. Testamento Aldrici Cenoma- 836.
nensis episcopi subscripsit anno 837. calendis *Baluz. Misc.*
Aprilis in die sancto Paschæ indictione XV. Anno *coll. tom. 3. pag. 69.*
eodem pridie calendas Maias apud Aquisgranum 837.
lato in causa Anisolensium monachorum adstitit *Ibid. pagg.*
judicio, & VIII. idus Septembris placito apud *129. & 136.*
Carisiacum eadem de re habito. Exstant apud
Baluzium duæ imperatoris ad Jonam epistolæ, *Ibid. pag.*
utraque absque data, quarum prima hunc & Hen- *131.*
ricum abbatem committit, ut res ecclesiasticas a monachis S. Carilefi ablatas restituere faciant; altera quæ Carisiacum placitum forsan præcessit, eosdem missos suos esse vult, ut monachos e monasterio egressos redire compellant, contumaces vero ad proximum Carisiaci placitum venire. Jonæ cum laude meminit Lupus Ferrariensis abbas, eique scribit epistolas 21. 27. & 28. In priori tamen videtur eum vituperare, quod

propinqui sui Agii, quem verisimile est ejus fuisse successorem, rapacitatem non compesceret. Adrevaldus Floriacensis de miraculis sancti Benedicti libr. I. cap. 25. recitat litem inter advocatos Floriaci & sancti Dionysii institutam, cujus dirimendæ gratia missi fuere Jonas præsul & Donatus Miledunensis comes, quos judices legis Salicæ appellat. Scriptis quoque clarus fuit Jonas, nam adversus Claudium episcopum Taurinensem tres libros pro defensione sacrarum imaginum Ludovici Pii jussu elucubravit, quos Carolo ejus filio
840. nuncupavit anno 840. a quo confirmationem terrarum ecclesiæ Aurelianensis obtinuit. Scripsit ad preces ejusdem Ludovici librum de Cruce Domini adoranda, quem Claudio Taurinensi episcopo misit, opus idem forte ac prius. Tres item libros de Institutione clericali exaravit, quos primus in lucem edidit D. Lucas Acherius, sicut & alterum opusculum de Institutione regia. Huic quoque vitam sancti Huberti Leodiensis episcopi tribuit Baluzius in notis ad capitularia. Obiit Jonas anno 843. post annos 22. in episcopatu exactos.
843. Epitaphii loco sint hi versus Bertoldi monachi Miciacensis Jonæ dicantis vitam sancti Maximini, cujus reliquias e loco sepulcrali elatas ad locum ubi nunc coluntur, detulerat Jonas temporibus Ludovici imperatoris:

Ampliss. collect. tom. V. col. 972. *Spicil. tom. I. pag. I. t. V. p. 57.* *Capitul. t. 2. col. 1038.* *Secul. I. Bened. pag. 594.*

Ingenio siquidem calles, sophiaque redundas,
Ambrosio prudens eloquioque nites.
Alter Homerus enim nostro jam diceris ævo,
Est via cui fandi Publius ipse Maro.
Moribus es gratus, nulli pietate secundus,
Es vultu placidus, alloquioque gravis.

Ludovicus Cavalli in syllabo auctorum quibus usus est in componenda janua Musarum, ait Varanium scripsisse carmine heroïco vitam Jonæ Aurelianensis.

XXXIX. Agius.

Episcoporum apud Germiniacum in pago Aurelianensi conventui anno 843. indictione VII. habito adfuit aut assensum præbuit Avinus Aurelianensis ecclesiæ vocatus episcopus. Idem procul dubio est ac Agius antecessoris Jonæ consanguineus, presbyter palatii Caroli Calvi, de quo Lupus Ferrariensis epist. 21. ad Jonam episcopum de quo supra, queritur quod ex rebus quas in urbe Aurelianorum & in villis circumpositis habebant, nihil sibi reliquum fuerit ob Agii ejus propinqui rapacitatem. Jonæ ipso obitus anno subrogatus episcopus Agius ad preces cleri & populi, ordinatur a Wenilone Senonensi archiepiscopo, rege tamen non probante, utpote cujus anno sequenti consensum petunt patres synodi Vernensis can.
844. 10. sub annum 844. *Aurelianensis ecclesia confusione maxima noscitur laborare, tamen quia superiore anno archiepiscopus Wenilo, suis annitentibus suffraganeis, ex eodem loco Agium presbyterum palatii vestri memoratæ ecclesiæ ordinavit, probabilium canonicorum ac laïcorum attestatione instructus, & petitione impulsus, & eadem ecclesia nostro & vestro vacat periculo, hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra pietas quod a tantis viris factum est, ratum esse permittat.* Concilio Bellovacensi interfuit Agius anno 845. ubi Aius vocitatur. In Parisiensi anno 845.
846. ratum habuit privilegium Corbeiensibus 846.
concessum. Anno 848. inquit Annalista Bertinianus, Aquitani desidia inertiaque Pipini coacti, 848.
Carolum petunt, atque in urbe Aurelianorum pene omnes nobiliores cum episcopis & abbatibus in regem eligunt, sacroque chrismate delibutum & benedictione episcopali solenniter consecrant. Anno 849. concilio Parisiensi adfuit Agius. 849.
Synodo apud Murittum interfuit in pago Senonensi anno 850. ut palam fit ex epistola 115. 850.
Lupi Ferrariensis ad Erchanradum Parisiensem episcopum. Obtinuit a Carolo Calvo præceptum de quibusdam villis ad ecclesiam Aurelianensem pertinentibus, III. idus Februarii indictione XIV. anno 12. regni Caroli, Christi 852. Concilio 852.
Suessionensi II. adstitit anno 853. ubi canone 3. 853.
de Burcardi Carnotensis episcopi negotio sic scribitur: *Sequenti die causa illius ad medium deducta, venerabiles episcopi Remorum metropolitanus Hincmarus, Lugdunensium, hoc est Landuni, Pardulus, Aurelianorum Agius seorsum eum admonere præcepti sunt, ut si absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur, aut si non posset, propter Dei timorem impossibilitatem ingenue confiteretur.* Cum aliis episcopis synodo Vermeriensi II. calculum adjecit anno eodem. Insequenti Dani in Ligere consi- 854.
stentes usque ad Blisium castrum veniunt, ipsumque incendunt, volentes inde Aurelianis pervenire eadem patraturi. Præparantibus vero adversus eos navigia & bellatores episcopo Aurelianorum Agio & Carnotum Burdiardo, ab intentione desistunt, & inferiora Ligeris repetunt. Ita Annalista Bertinianus. Anno eodem, sin minus sequenti, 13. Januarii indictione 2. Agius ordinationis XI. canonicis S. Aniani facultatem fecit construendi capellam sancti Aniani sub hac præfatione: *Ego Agius nullis præcedentibus meritis, sed sola Dei miseratione Aurelianensis episcopus, venerabilium canonicorum monasterii sancti Aniani nobilissimi confessoris Christi, quod est in orientali ejusdem civitatis parte constructum*, &c. Repetas inde originem parochiæ quæ hodie subsistit titulo beatæ Mariæ de Via. Synodo Bonogilensi adstitit anno 855. quo & 855.
quædam exsecutus est pro Floriacensibus cum Hildegario Meldensi. Piratæ Danorum anno 856. 856.
XIV. calendas Maias civitatem Aurelianis adeunt, prædantur & impune revertuntur, ex Annalibus Bertinianis. Æneæ Parisiensis episcopi ordinationem approbavit Agius anno 857. Concilio apud 857.
Saponarias adstitit anno 859. Tusiacensi 860. In 859. 860.
synodo Pistensi in urbem Suessionas evocata anno 862. subscripsit partitioni bonorum pro mona- 862.
chis sancti Dionysii factæ, ubi cum eo legitur & nomen Gualterii ejus successoris, eo quod, inquit Mabillonius, eædem literæ succedentibus episcopis subscribendæ oblatæ fuissent. An. 864. 864.
in concilio Pistensi II. Agius subscripsit privilegio sancti Germani Autissiodorensis. Concilio Suessionensi interfuit anno 866. In Trecensi vero 866.

Prob. hist. S. Aniani, pag. 55. *Capitul. t. 2. col. 1460.* *Ch. XIII. col. 13.* *Spicil. t. 6. pag. 379.* *Annal. t. 3. pag. 94.* *Spicil. t. 2. pag. 588.*

ANNI CHRISTI

anno 867. IV. nonas Novembris privilegio pro ecclesia Nivernensi de Magniaco subscripsit Aimo
867. archidiaconus ad vicem Agii Aurelianensis ecclesiæ episcopi.

Annal. t. 3. app. p. 676.

Anselmus in omnibus catalogis post Agium reponitur : non ita vero in miraculis sancti Maximini abbatis Miciacensis secul. 1. Bened. pag. 603. ubi Agio successit

XL. WALTERIUS.

Anecd. tom. 4. col. 65.

Walterius, qui & Gauterius & Gualtarius, patruus Walterii Senonum archiepiscopi, sancti Martini Turonensis alumnus, in synodo apud Bullensem fundum habita secundo ordinationis B suæ anno VIII. calend. Junii publicavit quædam capitula ad suorum præsertim clericorum institutionem. Synodo Suessionensi anno 862. habitæ calculum postea suum apposuisse prius diximus.

Conc. Labb. tom. 8. col. 637.

869. In synodo Vermeriensi anno 869. privilegio monasterii Atrebatensis subscripsit. Chirographo suo munivit anno eodem privilegium, quod Egilo Senonensis archiepiscopus monasterio sancti Petri Vivi in conventu Pistensi concessit. Convenit ad synodum Duziacensem primam anno
871. 871. mense Augusto, ubi exauctoratus Hincmarus Laudunensis episcopus, & ad secundam
874. anno 874. Subscripsit privilegio pro cœnobio C Trenorchiensi, quod a quamplurimis episcopis & aliis præsulibus in conventu Cabilonensi anno
875. 875. concessum est. Concilio Pontigonensi ad-
876. fuit anno 876. In cœtu Carisiacensi anno 877.
877. XVIII. calendas Julii indictione X. inter magnates a Ludovico Balbo designatus est, qui filio ejus Carlomanno adhærere deberent. Huic Eccardus comes pacti Romani librum legavit testamento
879. circa annum 879. condito. Post obitum Ludovici Balbi apud Virdunum missus est ad Ludo-
880. vicum Germaniæ regem anno 880. ut ei offerret partem de regno Lotharii junioris. Obtinuit a
881. Carlomanno regni ejus tertio an. 881. confirma- D tionem pro terra Caltesii in pago Bituricensi cum Pauliaco, Marciaco & aliis, mense Maio indict. XIV. Aliud exstat Carlomanni regis præceptum precibus Gauterii sanctæ Aurelianensis ecclesiæ episcopi concessum anno regni V. tertio idus Aug.
883. indictione prima 883. pro confirmatione omnium a regibus antecessoribus ecclesiæ Aurelianensi collatorum. In concilio incerti loci habito
886. anno 886. imperatoris Caroli in Italia 6. in Francia 4. in Gallia 2. obtinuit Gualtarius a Carolo imperatore interventu Adalaldi Turonensis archiepiscopi, confirmationem quarumdam villarum ab Odone abbate monachis S. Martini E concessarum, privilegio quoque ab Odone rege
888. donatus est anno 888. In synodo apud Magdunum super Ligerim habita jussu Odonis regis anno
891. 891. subscriptus legitur Walterius episcopus Aurelianensis privilegio sancti Petri Senonensis. Denique vir strenuus & ad quæque perferenda forti animo præparatus, muros urbis Aurelianensis exstruxit, civesque tot cladibus miseros ad resistendum barbaris (Normannis) animavit, auctore Letaldo monacho Miciacensi. In martyrologio

Spicil. t. 2. pag. 712. *Perard. pag. 25.* *Duchesne t. 3. p. 258.* *Capitul. t. 2. col. 1508.* *Spicil. t. 8. pag. 148.* *Anecd. t. 4. col. 65.* *Spicil. t. 2. pag. 734.* *Secul. 1. Bened. pag. 603.*

A imperfecto S. Stephani Autissiodorensis legitur : *XII. calendas Martii obiit Walterius Aurelianensis episcopus.*

XLI. THROANNUS.

Walterii successor Throannus, qui apud SaussSeyum Tranninus, forsan notarius, qui ad vicem Eblonis authenticum Odonis regis anno 890. recognovit, factus episcopus nihil efficax ostendit, verum crudeli exitu posteris sui memoriam dereliquit. Nam levitate animi multa utens, plurima temulentus dare vel permittere solitus erat, quæ vino digesto penitus ignoraret. Sic Miciacense sancti Maximini cœnobium concessit Fredrico tyranno potius quam abbati : at uterque pœnas dedit morte repentina abreptus.

Secul. 1. Bened. pag. 603.

XLII. BERNO.

Throannum excepit Berno, eodem auctore Letaldo in libro miraculorum sancti Maximini abbatis Miciacensis. Memoratur in privilegio panchartæ nigræ Turonensis Roberti comitis & abbatis sancti Martini, qui hospitalitatem restituit, confirmantibus Herberto Turonensi, Rainone Andegavensi, Fulcherio Nannetensi, Bernone Aurelianensi, Anscherico Parisiensi, & Otgerio Ambianensi 13. Septembris anno tertio post obitum Odonis, Christi 900. 900.

Ibid. pag. 604.

Raino autem, idem Saussayo cum Bernone, patria quidem erat Aurelianensis, sed non episcopus, quod volunt Sammarth. nisi Andegavensis, ut suo fusius dicemus loco. Interim videsis Mabillonium secul. IV. Bened. part. 2. pag. 470. & secul. VI. part. 1. pag. 34. quantumvis contradicat doctissimus Pagi ad annum 887. num. VI.

XLIII. ANSELMUS.

Non Rainoni moriens Berno pontificatum reliquit, sed Anselmo apud Letaldum. Hic autem jam sedebat anno 912. quo subscripsit diplomati 912.
Roberti principis & abbatis pro Majori monasterio. Receptos a Radulfo rege tres fundos stipendiis fratrum ecclesiæ Aurelianensis delegavit anno 923. scilicet Clepiacum, Trienacum & 923.
Lauriacum cum pertinentiis. Subscripsit literis Hugonis abbatis pro ecclesia sancti Martini Turonensis V. nonas Maii anno 930. Iisdem anno 930.
& mense sigillum apposuit suum literis Hugonis comitis Parisiensis & marchionis Aurelianensis abbatiam sancti Symphoriani cum ecclesiis sanctæ Lætæ & sancti Sulpicii canonicis sancti Samsonis donantis. Bulla donatus est a Leone VII. die 9. Januarii 938. 938.

Ibidem. *Annal. eccl. Aurel. pag. 327.* *Chart. IV. col. 484.* *Chart. eccles. Aurel. fol. 8.*

XLIV. THEODERICUS I.

Anselmo decedente, Theodericus vir industrius successit, qui & corpore venustissimus, juventa alacer, vivax ingenio & moribus fuit suavis : ita legitur in historia miraculorum sancti Maximini Miciacensis, cujus monasterium, obeunte Letaldo abbate, in episcopi Theoderici dominium devenit, qui locum speciali dilexit amore, & nisi, heu proh dolor ! immatura morte præventus fuisset,

Secul. 1. Bened. pag. 604.

v. Eccle du chartes T. XIV. p. 425 - 463

ANNI CHRISTI

omnimodis eum in statum pristinæ dignitatis re- A vocavisset: vix enim quatuor annis pontificatu potitus, sedem episcopatus Ermenthæo dereliquit.

XLV. Ermenthæus.

Secul. I. Bened. pag. 604. & seq.

Fredrici Miciacensis abbatis forsan frater Ermenthæus, ex levita Aurelianensis ecclesiæ, Theoderico episcopus successit. Literis Hugonis abbatis pro ecclesia S. Martini Turonensis datis Parisiis anno V. Ludovici Transmarini, sumto scilicet ab altera ejus facta Remis inauguratione, subscripsit. Ecclesiæ Aurelianensis privilegia a Lothario con-
956. firmari curavit anno 956. Multa mala fecit Miciacensibus, quæ postea emendavit per sanctissi- B mum abbatem Annonem, prius Gemetici rectorem, quem Miciaco præfecit, cujus piissimi viri curavit funus circa annum 972. mortui prima Epiphaniorum die. Paulo post gravi morbo correptus Ermenthæus, prima jejuniorum hebdomada ad Miciacense monasterium deportatur, & monastico induitur habitu. Dein sensim convalescere cœpit, & cum fratribus esset pergratus, eum pastorem & abbatem habere peroptarunt, qui maluit curare, ut Hermenaldus Floriacensis monachus eis præficeretur. Ipse vero inibi per duos annos & mensem unum vixit, obiitque calendis C Aprilis anni circiter 974. E silva Logio corpus S. Læti Miciacensis monachi ad castrum Pithveris transtulit, ut legitur in vita sancti Læti biblioth. Flor. part. 2. pag. 269.

XLVI. Arnulfus I.

Ibidem pag. 609.

Ermenthæi nepos Arnulfus, qui & Ernulfus, vir gloriosus & inter strenuissimos primus, ut ex Letaldo tunc temporis Miciacensi monacho didicimus, ei in episcopatu subrogatus est anno 972. ut constat ex charta, qua Miciacensibus plurima
* forte II. concessit altaria data anno 974. indictione I*.
974. episcopatus ejus anno III. mense Maio anno 20.
Secul. V. Bened. pag. 362. Chart VI. col. 486. Lotharii regis. Ab Hugone Capeto restitutam D ecclesiæ Aurelianensi abbatiam sancti Johannis obtinuit anno 975. indictione III. pontificatus
975. Arnulfi non XII. ut mendose in literis Hugonis irrepsit, sed IV. aut V. A Ludovico rege præceptum pro Aurelianensi ecclesia obtinuit V. idus Junii
979. anno 979. Ceterum erga Miciacenses decesso-
Secul. I. Bened. pag. 609. ribus æquior, omnium ecclesiarum Miciaco subjectarum reditus, qui ad ipsum pertinebant, relaxavit, idque synodali auctoritate confirmari curavit. Præterea Romam profectus, decretum apostolica roboratum auctoritate in papyro scriptum eidem loco impetravit: quæ res ita monachorum animos ipsi conciliavit, ut qualibet hebdo- E mada sacrificium laudis pro eo ejusque antecessoribus & successoribus bis offerri decreverint. De eo vide Mabillonium ad annos 973. & 980. num. 96. ubi observat duos Arnulfos episcopos Aurelianenses, unum Ermenthæi nepotem & successorem, ut ex Letaldo monacho Miciaci constat, alterum qui Manassæ successit, quicum Abbo Floriacensis monachus multam controversiam
Ibidem. habuit, cum e contrario Arnulfus I. erga eos optime affectus fuerit.

XLVII. Manasses I.

In synodo Senonensi anno 980. indict. VIII. 980.
cui præerat Sewinus metropolita, subscripsit Manasses literis donationis quatuor altarium Rainardo Spicil. t. 13 pag. 732.
abbati sancti Petri & monachis collatorum, ex chronico sancti Petri Vivi. Hiccine est de quo in necrologio ad VI. calend. Novembris legitur: *Obiit Manasses I. Aurelianensis episcopus!*

XLVIII. Arnulfus II.

Subscriptus annotatur Arnulfus authentico instrumento fundationis capituli S. Petri de Dorato* * al. Dorascensis.
in Marchia anno 987. Hujus pontificatu Robertus filius Hugonis Capeti Aureliani diadematis 987.
insignia suscepit anno 988. die prima Januarii: 988.
Unde hunc locum, inquit Helgaldus Floriacensis epitome vitæ ejusdem Roberti regis, *Aurelianensem scilicet sedem specialius semper dilexit, quia in ea natus adolevit, & post regeneratus ex aqua & Spiritu sancto, ibi assumtionis suæ in regem, solemnem utique percepit benedictionem.* Anno 989. Arnulfus sigillo suo approbavit donationem cœnobio sancti Remigii Remensis factam ab Arnulfo archiepiscopo, scilicet de burgo, quod monasterio est adjunctum. Tota civitas Aurelianensis anno eodem igne consumta est cum ecclesiis, Chron. Virdun. pag. 158.
sed Arnulfus venerabilis episcopus, inventa pecunia in fundamentis ecclesiæ S. Crucis, eamdem ecclesiam in melius reparavit. Hanc Arnulfi munificentiam simul & urbis incendium declarat Glaber Rodulfus historiar. libr. 2. cap. 5. *Erat tunc temporis prædictæ civitatis pontifex venerabilis Arnulfus, qui videlicet genere & doctrina sapientiæ pernobilis, ac paternorum fundorum reditibus locupletissimus, cernens excidium scilicet propriæ sedis, desolationemque sibi commissæ plebis, potiore usus consilio, magnum colligens apparatum, cœpit domum majoris ecclesiæ, quæ olim dicata fuerat in crucis Christi honore, jugiter a fundamentis reædificare. Qui dum acerrime cœpto operi cum suis omnibus intenderet, ut scilicet quantocius honestissime consummaret, nimium evidenter præstitum est illi divinitus juvamen. Contigit igitur quadam die, dum cæmentarii fundamenta basilicæ locaturi, soliditatem perscrutarentur ipsius telluris, ut reperirent copiosa auri pondera, quæ scilicet ad totius quamvis magnæ basilicæ fabricam reformandam certissime crederentur sufficere. Suscipientes ergo qui fortuito casu invenerant, aurum ex integro episcopo detulerunt. Ipse vero omnipotenti Deo pro collato sibi munere gratias agens, ac suscipiens illud, custodibus operis tradidit, totumque fideliter in opus ejusdem ecclesiæ expendi jussit. Fertur namque quod etiam illud aurum solertia B. Evurtii antiqui ejusdem sedis præsulis, ibidem hujus restaurationis gratia fuisset reconditum; idcirco permaxime quoniam dum isdem vir sanctus quondam potiorem quam fuerat primitus, eamdem reformaret ecclesiam, contigit illi huic simile munus divinitus sibi reservatum inibi reperire. Sicque præterea factum est ut & domus ecclesiæ, videlicet sedis pontificalis, priore elegantior reformaretur: ipsoque suadente pontifice ceterarum, quæ in eadem civitate deperierant basilicarum*

ANNI CHRISTI *sanctorum quorumque meritis dicatarum ædes, anterioribus potiores constituerentur, atque divinorum operum cultus in eisdem excellentior haberetur præ omnibus.* Recensetur Arnulfus inter episcopos qui Arnulfum Remensem archiepiscopum in Remensi apud sanctum Basolum synodo judicarunt xv.
991. calendas Julii 991. functus inibi officio promotoris & moderatoris, ut præsulum doctissimus & eloquentià præstantissimus: quo in cœtu liberius in curiam Romanam declamavit. Amplum
Chart. VII. col. 487. anno 990. mense Novembri ab Hugone rege pro ecclesia Aurelianensi obtinuerat privilegium, simileque aliud obtinuit anno sequenti a Roberto rege. Orta circa id tempus inter Hugonem regem B & Odonem comitem contentione, rex ab Arnulfo auxilium petiit debitum. Hic Arnulfo nepoti suo restitui consuetudines quas prius violenter tenuerat, postulavit, quem pro suo servitio offendere
Secul. VI. Bened. part. 1. pag. 34. nolens rex, quædam nepoti ad avunculi vitam concessit diplomate dato anno 993. Biennio post
993. Arnulfus tragœdiæ in conventu apud sanctum
995. Dionysium anno circiter 995. motæ pro decimis causam Abboni imputavit; infensissimus enim ei semper fuit ob sacramentum fidei clientelare, quod ab illo exigebat episcopus: unde hostiles episcopalis familiæ in abbatem impetus, pro quibus Arnulfus facturus satis, adduxit reos, ut coram C Abbone virgis cæderentur. At vindictam abhorrens pius vir, omnem pœnam ipsis remisit. Arnulfus enim alias sane bonus, & ecclesiasticas regulas scientia & opere optime servans, abbates Floriacenses nunquam dilexit, quod regiæ solummodo parentes ditioni, subjectionem, qua ipse supra modum delectabatur, nequaquam ad ipsius voluntatis nutum dependerent. Hac animatus mente, vineas sancti Benedicti apud Boariam in suburbio Aurelianensi sitas per suos satellites pervadi jussit. Ita Aimoinus in fine libri secundi de miraculis sancti Benedicti, ubi Arnulfum addit omnes pene antistites Galliarum suo tempore exi- D stentes in his quæ Jesu Christi sunt sapientia antecessisse, multis etiam seculari potentia præditis, regibus quoque persæpe restitisse. Sincerum sane elogium Arnulfi, a quo multa passi erant Floriacenses monachi. In catalogo ad nos misso
1003. obitus ejus notatur mense Decembri 1003.

XLIX. Fulco I.

Si ex abbate sancti Luciani Bellovacensis, Aurelianensis episcopus factus est Fulco, ut credere fas est ex necrologio hujus monasterii pridie nonas Decemb. nonnisi post annum 1002. quo anno sub Rainero abbate sancti Luciani reli- E quiarum facta est revelatio. Recensetur inter episcopos qui subscripserunt diplomati Roberti regis pro Milidunensi sancti Petri monasterio anno 1003. Roberti VIII. Aliæ proferuntur literæ Roberti regis pro S. Dionysio, quibus subscripsisse fertur Fulco cum Fulberto Carnotensi anno primo Roberti regis: at serius uterque, nec ante annum 1007. Fulbertus episcopatum est adeptus, nisi postea uterque subscripserit; sed assensit Fulco privilegio donationis a Roberto ecclesiæ S. Dionysii A in synodo Calensi anno 1008. factæ. Robertus rex anno regni sui decimo sexto ecclesiæ sancti Petri puellarum capellas sancti Michaelis & sancti Pauli cessit ad preces Fulconis die 15. Decembris 1012. Litem de subjectione Floriacensis monasterii renovavit adversus Gauzlinum abbatem. Cum enim aliquando Floriacum venisset, versus est in fugam. Inde habitum præsidente Leotherio Senonum archiepiscopo concilium, in quo prolatum pontificium diploma, quo cavebatur ne episcopus Aurelianensis abbate non rogato Floriacum accederet, spretum, violatum, infirmatumque, & ignibus tantum non est traditum. Quod cum rescivisset Johannes XVIII. summus pontifex, regi dedit literas, ut tam archiepiscopum quam episcopum in proximum Pascha Romam mitteret præsumtionis suæ rationem reddituros. In eumdem modum idem præcipiens scripsit ad Letherium & Fulconem. Circa id tempus eadem de re Fulbertus Fulconi scripsit in hæc verba: *Si abbas sancti Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognoverit, & illam deinceps subjectionem promiserit, quæ vobis canonice debetur, hortor & suadeo ut recipiatis: sacramenta vero & cetera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem domini regis missa faciatis: ut religionem magis quam secularem ambitionem vos sectari cognoscat. At si abbas in tantam superbiam intumuerit, ut ipsam quoque subjectionem canonicam vobis derogare contendat, superbiæ cui non parcit Deus, Dei servus quomodo parcat, nescio.* Fulberti mentem recte intellexit Fulco, qui abbatem sibi detrectantem subjici, excommunicavit, suosque coepiscopos ut idem facerent, rogavit. Fulconis quoque tempore graves exarserunt discordiæ in cœnobio Miciacensi, seditiosis monachis episcopi stomachum adversus Robertum abbatem sanctitatis venerandæ moventibus. Denique Fulco terram sanctæ Crucis advocati Hugonis Bellovacensis patrocinio commisit, ut observat Helgaldus in sua epitome: *Totam terram sanctæ Crucis, quam Fulco episcopus pro adjutorio sui Hugoni potentissimo Belvacensi dederat, hic vir Dei* (Robertus rex) *qui laude & verbo omnipotenti complacebat Deo, mæsto factus animo, per secula celebrando salutiferæ crucis loco suo reddidit dono.* Regis hujus capellanum fuisse Fulconem autumant nonnulli.

ANNI CHRISTI 1008. Le Maire, 168. Chart. VIII. col. 490. Epist. 41. Epist. 73. Archon hist. capellæ reg. l. 2. p. 20.

L. Sanctus Theodericus II.

E castro Theoderici in Briegio ad Matronam, parentibus genere claris & præpotentibus ortus, filius Theoderici, avum habuit cognominem, a quo nomen accepit castrum Theoderici, & fratrem Albericum militem, Sewinum quoque Senonum archipræsulem & Rainardum S. Petri Vivi in eadem urbe abbatem consanguinitate attigisse traditur Theodericus. Hanc ob rem Rainardo ipsius avunculo in eodem cœnobio liberalibus studiis imbuendus traditur. Inde in curiam Roberti regis accersitus, post ejus ex urbe reditum in locum demortui Fulconis, non unanimi quidem clericorum assensu, sed regia auctoritate inductus est, obsistente Odolrico clerico magnopere infesto,

ANNI CHRISTI

qui eumdem ambiens episcopatum, Theoderici electioni omnibus contradixit modis. Sed & ejus ordinationi, vocatus Fulbertus canonum observantissimus, adesse renuit, propterea quod, 1.° die illo quo sacrandus esse videbatur Theodericus, comprovincialium episcoporum qui aberant, nec literæ, nec legati adfuissent. 2.° Quod Theodericus de perpetrato homicidio accusatus fuisset, & re ad summum pontificem delata, interdictum ab eo fuisset, ne ordinatio hæc perageretur. De hoc interdicto interpretanda videtur alia ejusdem Fulberti epistola 93. in qua Aureliana civitas incendio vastata, sacrilegiis profanata, & insuper excommunicatione damnata, nec reconciliata fuisse dicitur. 3.° Quod ex propria confessione non esset irreprehensibilis. 4.° Quod non fuisset electio, ubi sic a principe unus intrusus fuerat, ut nec clero, nec populo, nec summis sacerdotibus ad alium deflectere concessum fuisset. Ab objectis purgasse se non videtur Theodericus: paulo enim post cum a Leotherico archiepiscopo Senonensi in ecclesia Aurelianensi sacro inunctus

Epist. 61.

1016. est oleo anno circiter 1016. non interfuit Fulbertus, ut colligitur ex epistolis ejusdem 61. & 28. qua in postrema de Leutherio queritur, quod absque ipsius consilio episcopos ordinaret. *Hoc pridem in T. factum*, inquit, *in G. nuper iterasti*, quorum primus alius a Theoderico non videtur. Qui electionem impedire omnimode tentaverat, ordinationi quoque insidiatus Odolricus, cum armata manu usque ad sanctuarium irrupit, & vix inter manus sacrantium pontificum ab interitu servatus est novus præsul. De his loquens auctor vitæ ipsius Theoderici: *Tanta temeritate ductus est, quod cum vir Dei a Leotherico Senonensi, Fulberto Carnotensi, aliisque episcopis in ecclesia Aurelianensi sacraretur, fores ecclesiæ cum manu armata irrupit, & usque ad altare progrediens, virum Dei sub manu sacrantis quasi perempturus appetiit. Sed quod divinum consilium ordinat, nullatenus præsumtio humana conquassat. Divino si quidem nutu, nec sacrantem, nec eum qui sacrabatur tremor ab incæpto depulit, & quassis assultibus paulatim dimissis, adversa pars tremefacta paulatim diffugit.*

Secul. VI. Bened. part. 1. p. 197.

Theodericus in sede sua confirmatus, ovium suarum sollicitus caritate in pauperes, humilitate, oratione & meditatione ad Dominum assidua, ceterisque virtutibus pontificatum suum mirifice

1018. illustravit. Anno 1018. tertio calendas Martias manu propria corroboravit diploma Roberti regis, quo cedit Flaviniacensibus capellam quamdam intra muros urbis Augustodunensis. Cum Fulberto Carnotensi in gratiam tandem rediit, ut probat ejus epistola 62. in qua Fulbertus ei gratias agit de negotiis ad se pertinentibus amice commonenti, ejusque commonitionem benigne accipit, professus se libenter eidem, prout decuerit & tempus erit, obtemperaturum. Quod vero Theodericus ipsum cum clericis ejus ad processionem ecclesiæ Carnotensis ad Aurelianensem fieri solitam invitaverat, respondit id clericis suis conveniens non videri, quippe damnatis incendio & ad ecclesiæ instaurationem inhiantibus non esse ad præsens facile: ac proinde scripta est epistola post annum 1020. quo civitas & ecclesia Carnotensis combustæ sunt. Sequens Fulberti epistola 63. ad eumdem Theodericum indicat gravem quamdam ipsi Theoderico illatam fuisse injuriam, pro qua is excommunicationem in reos a Fulberto vibrari cupiebat. Illud forte est de quo auctor ipsius vitæ: *Accidit autem dum quodam itinere pergeret, a complicibus præfati Odolrici cum intercipi, quem mox de equo cui insidebat, dejiciunt, humique prosternunt, lanceas & gladios vibrant, ut innocentem trucident, sed mirum dictu, quem gladiis se putabant confodere, nullum ei vulnus, vel modicum potuerunt inferre; tandem eum credentes prorsus exanimem, humi reliquere jacentem. Surrexit ergo vir Dei corpore quidem prorsus illæso, sed tamen amictu circumquaque disrupto. His ita gestis Odolricus attendens quia frustra appeteret quem Dominus custodiret, ad eum confugit, petit veniam, impetratque petitam. Cui etiam præsul, ne videretur reminisci injuriæ, secundo post se tribuit honore potiri, ita ut post ejus decessum ipse susciperet præsulatum.* Anno 1021. 1021.

Secul. VI. Bened. part. 1. p. 197.

Theodericus ecclesiæ Aurelianensi dedit ecclesias de Germiniaco, Trigano & Noëmio ad anniversarium suum celebrandum. Alterum munificentiæ ejus in ecclesiam eamdem argumentum est, quod de eo refert Helgaudus Floriacensis: *Domnus Theodoricus episcopus, cujus vox laudem Domini digne & laudabiliter eructabat, volens haberi memoriam sui nominis in monasterio sanctæ Crucis, jubet vas fieri ex centum solidis auri optimi, in quo consecraretur sanguis Domini nostri Jesu Christi. Junxerat se tanto pontifici rex mente humili, qui superno tactus amore, fecit in ipso sancto calice patinam, ad conficiendum in ea corpus Redemptoris mundi.* Denique post quinque circiter exactos episcopatus annos sarcinæ pastoralis pertæsus, aut forte propriæ in regendo grege infirmitatis sibi conscius Theodericus, dignitatem ultro abdicavit, seseque ad sancti Petri Senonensis monasterium, ubi educatus institutusque fuerat, denuo recepit, ibique post transactos non paucos dies ejus animum subiit cogitatio Romæ adeundæ, quod iter aggressus, cum ad castrum Tornodorense pervenisset, repente morbo correptus, ipsa nocte beato fine quievit VI. calendas Februarii anno 1022. ut 1022.
notant chronicon Senonense & vita ejusdem episcopi, qui cum tumulandus ad ecclesiam suam deferretur, Tornodorensis toparcha, non Milo I. qui construxit ecclesiam sancti Michaelis, & obiit monachus ante annum 993. sicut nec secundus defunctus anno circiter 998. sed forte qui tunc regebat Rainardus I. sin minus, eo absente, Milo III. ejus filius, Theoderici consanguineus, in basilica S. Michaelis Archangeli a Milone I. comite Tornodorensi exstructa, decenti tumulo illius ossa recondidit, ubi religiose coluntur a monachis, qui eum ut præcipuum patronum ac protectorem venerantur. Nonnullæ ejus reliquiæ anno 1660. Aurelianos missæ in ecclesia cathedrali reconditæ sunt, ubi ejus memoria bis in anno celebratur 27. Januarii & 8. Augusti.

Ibidem pag. 198.

ANNI CHRISTI DE BROYES.

LI. Odolricus.

Theoderici suffectus in sedem, qui electioni ejus olim adversatus fuerat, Odolricus Rainardo domino Brecarum & Pitiveris toparcha nobilissimo, & Aloysa Hervæi, aliis Odonis I. comitis Blesensis, Carnotensis ac Turonum filia, Pitiveri domina, ibique sepulta, genitus, & Rogerii Bellovacensis episcopi ex sorore nepos, qui hereditario jure dynastiam Pitiverensem ac Novigentum castrum postea quoque obtinuit. Jam ab anno 1019. designatus erat, ex Carolo Saussеyo, qui Pag. 371. Aurelianensia citat acta: electus vero episcopus anno 1021. cum Theodericus post non paucos dies in Senonensi sancti Petri monasterio exactos Epist. 30. obierit 27. Januarii anni sequentis, a Fulberto sacratus est presbyter, cui ne episcopus creandus Romam peteret persuasus paruit. Ipso statim episcopatus ejus initio detecta damnataque est Aureliani hæresis nefanda, qua infecti erant e clero præcipui, & in aula regia clarissimi, Lisoïus ex clericis sanctæ Crucis, & Stephanus, qui, ut ait Glaber, *sancti Petri ecclesiæ cognomento Puellaris capitale scholæ tenebat dominium*. Hi a perditissima muliercula ex Italia profecta corrupti, eo plures infecerunt, atque facilius, quod ceteros doctrina, nobilitate & sanctitatis opinione præcellerent. Sic autem eorum prava dogmata & flagitia in lucem erupere: Herbertus nobilis clericus Arefasti comitis Normanni consanguineus, qui Aurelianos studiorum causa venerat, in illorum laqueos lapsus, domum reversus, cœpit miram doctorum Aurelianensium doctrinam coram Arefasto plurimi facere, eique virus quod hauserat, instillare conatus est. Hic ut erat doctus, & cautus in fide, cum videret eam periclitari, acceptis a Richardo Normannorum comite literis ad Robertum Francorum regem, cum clerici cujusdam Carnotensis consilio venit Aurelianos, ubi finxit se committere disciplinæ Lisoii, ac Stephani, aliorumque similium magistrorum. Hi docilitate discipuli decepti, paulatim ipsi arcana suæ sectæ revelarunt, cujus ea erant præcipua capita: Christum de Maria virgine non esse natum, aut pro hominibus passum, nec resurrexisse, baptismo peccata non dilui, non esse sacramentum corporis & sanguinis Domini in consecratione sacerdotis, sanctos martyres atque confessores orare pro nihilo ducendum. Hæc prava dogmata multis flagitiis cumulabant: nam in cœtibus nocturnis promiscuos concubitus non solum permittebant, sed magna ea religione habebant, & infantem sic generatum octavo die igne probabant more paganorum, cujus combusti *cinis tanta religione colligebatur, atque custodiebatur, ut christiana religiositas corpus Christi custodire solet*. Cum hac arte in penitissimam nefariæ hæresis cognitionem irrepsisset Arefastus, suos magistros clam accusavit. Rex vero convocatis episcopis Aurelianos jussit adduci reos ipsumque Arefastum in vinculis, qui palam eorum errores exposuit, quos cum ipsi ejurare nollent, & ad episcoporum, maxime Guarini Bellovacensis, exhortationes obdurarentur, tandem flammis addicti sunt. Ita

A Glaber libro 3. cap. 8. Adhemarus in Aquitanica historia, & liber ms. Aganonis sancti Petri in Valle Carnotensi, ex quo hæc delibasse sufficiat. Rex & Constantia regina ad Aurelianensem urbem cum episcoporum collegio venientes, die sequenti omnis illa nequissima congregatio simul per officiales regios de domo ubi erant congregati, sunt abstracti, & in ecclesia sanctæ Crucis ante regem atque episcoporum & clericorum cœtum adducti. Cumque ab hora diei prima usque ad horam nonam multifarie elaborarent omnes, ut illos a suo errore revocarent, & ipsi ferro duriores minime resipiscerent, jussi sunt singuli sacris B vestibus indui in suo ordine, statimque ab antistitibus a proprio ordine sunt depositi, & rege jubente, Constantia regina ante valvas ecclesiæ stetit, ne populus eos intra ecclesiam interficeret, & sic de gremio sanctæ ecclesiæ ejecti sunt. Qui cum ejicerentur, regina Stephani olim sui confessoris cum baculo quem manu gerebat, oculum eruit: deinde extra civitatis educti muros, in quodam tuguriolo copioso igne accenso, præter unum clericum atque unam monacham, cum nefario pulvere, de quo supra diximus, cremati sunt; clericus enim & monacha nutu divino resipuerunt. Tempus habiti concilii in quo damC nati sunt hi hæretici, haberi potest ex præcepto quod a Roberto rege pro Miciacensibus obtinuere Chart. IX. Odolricus episcopus & Albertus abbas, in cujus col. 491. fine legitur: *Actum Aurelianis publice anno Incarnationis Domini millesimo XX.mo II.do regni Roberti regis XX.mo VII.o indictione V. quando Stephanus hæresiarches & complices ejus dampnati & arsi sunt Aurelianis.* Ex eodem instrumento possunt etiam cognosci episcopi, qui hac in synodo judices fuerunt, iidem haud dubie, qui huic præcepto sua signa adjecerunt, scilicet Leutherius Senonensis, Goslenus Bituricensis archiepiscopi, Odolricus episcopus Aurelianensis, Guarinus BellovaD censis & Franco Parisiensis. Odolricus autem Aurelianensis canonici cantoris nomine Theodoti ante triennium in illa hæresi mortui corpus ejici de cœmeterio jussit, & projici in invium. Subscriptus reperitur eodem anno in instrumento donationis factæ ab Alberico vicecomite Aurelianensi abbatiæ sancti Maximini de privilegio communiæ in silva de Fontenailles. Miciacensibus ipse unam præbendam sancti Lifardi Magdunensis concessit mense Augusto Roberti regis anno 37. Eodem circiter anno 1024. ecclesiam Ursivillaris, de qua erat controversia, monachis sancti 1024. Chart. X. Petri Carnotensis asseruit. Ossa sancti Maximini col. 491. E abbatis Miciacensis & discipulorum e terra levavit, Secul. VI. Bened. part. I. p. 253. propriisque humeris anno circiter 1025. octavo calendas Augusti gestavit. Glaber Rodulfus Odolrico facie notus, testatur ipsum causa orationis ad sepulcrum Domini peregrinationem suscepisse pro more sui temporis, ubi in ecclesia portento quodam coram infidelibus Dei virtute erupit ignis die magni Sabbati ex una septem lampadarum templi, quam cum oleo suo, inquit Glaber, Odolricus emens auri libra a Jordano, qui tunc præerat patriarcha, secum detulit, atque in sede propria

ANNI CHRISTI

propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia. Detulit etiam Roberto regi partem prægrandem venerabilis crucis Domini Salvatoris, missam a Constantino imperatore Græcorum, cum multitudine palliorum olosericorum, cui idem rex miserat per eumdem episcopum spatam capulum habentem aureum, thecamque auream cum gemmis pretiosissimis. Reversus canonicis *Chart. XI. col. 492.* S. Evurtii cessit consuetudines, quas Isembardus clericus, ejus postmodum successor, habebat in
1027. villa Betheliaca, mense Januario anni 1027. indictione x. sedis 7. Roberti regis XL. Scripsit eodem anno ad Fulbertum epistolam, quæ est 106. inter Fulbertinas, cujus occasio fuit, quod Fulbertus faveret Henrico filio Roberti regis natu majori post Hugonis fratris primogeniti mortem, quem rex volebat Remis coronari, obsistente Constantia regina, quæ Robertum natu minorem Henrico præferri cupiebat. Monet itaque Fulbertum Odolricus reginæ partes amplexus, ipsum incurrisse gravissimum reginæ odium, meliusque judicat vivente patre neutrum ex ejus liberis regem creari. Scripsit quoque ei Fulbertus epistolas 64. & 65. In prima de profectione sua ad sanctum Hilarium loquitur, in altera vero excusat se quod concilio interesse non possit, ut Leutherio fuerat pollicitus. Memoratur Odolricus in placito pro Germanensi monasterio anno eodem. Abbatiam *Chart. XI. col. 295.* Columbas in honorem B. Mariæ exstructam a Rogerio Bellovacensi præsule, Carnotensis ac Blesensis comitis filio, non longe a suo castro Novigento post ejus mortem nepos & heres Odolricus perfecit, monachosque ibidem constituit sub Berengario abbate, quibus non solum ea quæ Rogerius jam dictæ ecclesiæ contulerat, confirmavit, sed etiam non pauca insuper addidit, inter ea ecclesiam sanctæ Columbæ in civitate Aurelianensi, quæ sigillatim recensentur in diplomate
1028. Roberti regis dato anno 1028. cui cum multis præsulibus ac proceribus subscripsit. Ad Odolricum, Guarinum Bellovacensem, & Arnulfum Turonensem præsules post mortem Fulberti scribunt anno eodem canonici Carnotenses, conquerentes de archiepiscopo & rege, qui ipsis invitis episcopum dare vellent quemdam idiotam, indoctum & ejusmodi officio indignum. Patronatum capellæ B. Mariæ ab Arnulfo Turonensi acceptum
1029. anno 1029. monachis sancti Maximini dedit Odolricus. Præsulis ejusdem temporibus peracta die 14. Junii est solennis dedicatio basilicæ sancti Aniani Aurelianensis a Roberto rege conditæ, de qua sic Helgaldus Floriacensis in epitome vitæ *Quercet. tom. IV. pag. 73.* Roberti : *Cupidus sanctæ benedictionis rex Robertus gloriosus, suæ ordinationis, benedictionis, & assumptionis in regem anno 36.** *forte 33.* *jussione imperatoria evocavit archipræsules Gauzlinum Bituricensem & abbatem Floriacensem, Leothericum Senonensem, necnon Arnulfum Turonensem, quorum præsentiam subsequuntur præsules Odolricus Aurelianensis, Theodoricus Carnotensis, Bernerius Meldensis, Guarinus Belvacensis, & Rodulfus Silvanectensis. Non defuit etiam præsentia domini & venerabilis Odilonis Cluniacensis abbatis. Ab his pro certo & aliis Dei ministris levatur* A *illud nobile corpus amici Dei Aniani sanctissimi de sepulcro cum corporibus sanctorum Euspicii, Monitoris & Flosculi confessorum, Baudelii & Scubilii martyrum, & Agiæ matris sancti Lupi confessoris, & ab ipso glorioso rege, & ab aliis quos jam prænotavit littera, qui pro tali negotio advenerant, custoditur, laudatur & decantatur in hymnis & laudibus in ecclesia sancti Martini, quoadusque præpararentur utilia & necessaria sanctæ benedictioni. Præparatis ergo omnibus, ab ipsis sanctis sacerdotibus locum ipsum benedici & consecrari solemniter fecit anno Dominicæ Incarnat. 1029. indict. XII. Sumitur itaque humeris inclyti regis gaudentium simul & lætantium populorum,* B *& transfertur cum laudibus in templum novum, quod ipse Robertus inclytus ædificaverat.* Consensit Odolricus donatæ ab Arnulfo Turonensi archiepiscopo Miciacensibus monachis ecclesiæ sancti *Chart. XII. col. 493.* Pauli in pago Dunensi anno Roberti regis XL.
cui anno 1031. defuncto carus semper fuerat, *1031.*
ut probari potest ex his Helgaldi de Roberto rege : *Domnum Odolricum episcopum in sacerdotali vestimento sic honoravit, ut adstans in sacrificio Domini circumtectus ex omni parte auro & purpura videretur.* Circa id tempus subscripsit bullæ Johannis XIX. pro restauranda ecclesia Magalonensi. Denique ipse creditur Odolricus, qui anno adhuc C 1035. signum apposuit chartæ Gilduini archiepiscopi Senonensis, qua quædam altaria concessit Floriaco mense Novembri, ex chartulario hujusce monasterii. Mortuus proinde non erat an. 1033. uti notant annales Aurelianenses, & Quercetanus in stemmate genealogico domus de Castro-villani, sed hoc anno adjutorem sibi accivit, ut legitur in quodam catalogo.

LII. ISEMBARDUS. *DE BROYES.*

Prioris Odolrici ex fratre cognomine domino Brecarum & Petverii, ut Quercetano placet, filius Isembardus, ab eodem in partem ministerii D
vocatus est jam anno 1033. a quo episcopatus *1033.*
annos auspicatus est, ut patet ex variis instrumentis. Ecclesiam beatæ Mariæ de Firmitate Abreni dedicavit XVI. calend. Septemb. tempore Alberti abbatis Miciacensis anno circiter 1036. mortui. Ecclesiæ sancti Aniani donavit altaria de Tilleto, Sentiliaco & Rutteno mense Junio *Prob. hist. S. Aniani pag. 58.*
1038. episcopatus 6. pro celebrando qualibet *1038.*
hebdomada missæ sacrificio pro episcopis Aurelianensibus. Ipse est, ni fallor, qui cum multis aliis subscripsit literis Tetbaldi comitis Majori monasterio conferentis quidquid Odo ejus pater E
apud Ventiliacum tenebat an. 1039. Insequenti *1039.*
Richerius abbas sancti Juliani terram cum ecclesia *1040.*
de Dedra a Tescelino Petveriensi per voluntatem Isembardi episcopi, de cujus beneficio erat, & *Amplis. collect. tom. V. col. 1080.*
canonicorum, emit. An. 1048. interfuit synodo *1048.*
Senonensi sub Gilduino archiepiscopo, præsente Henrico rege, cujus diplomati Pruvinensem S. Aigulfi ecclesiam Trecensi sancti Petri de Cella monasterio subjicientis, ejusdemque chartæ pro canonicis Carnotensibus subscripsit. Adfuit anno
1050. XVII. cal. Novembris synodo Parisiensi, *1050.*
in qua protulit Berengarii literas ad Paulinum

ANNI CHRISTI

primicerium Metensem scriptas, quas intercepe-
rat: quæ cum publice lectæ fuissent, ut nequis-
sima hæresi infectæ, fuerunt ab omnibus rejectæ.
Tom. 2. instr. col. 103. Sigillum apposuit suum privilegio Henrici regis
pro cœnobio Casæ-Dei in Arvernis recens fun-
1052. dato, dato mense Septembri 1052. Ejusdem
regis ad preces altaria seu ecclesias Tauriaci &
Tibernii Hugoni abbati sancti Dionysii concessit
1054. anno 1054. Obtinuit ab Henrico rege diploma,[a]
quo abrogabatur injusta vexatio tempore vinde-
Spicil. tom. VIII. pag. 156. miarum anno 1057. Unctioni Philippi I. Remis
celebratæ anno 1059. adstitit. Chartam societatis
1057. ac fraternitatis ab ipso & a tota congregatione
1059. S. Crucis eodem anno initæ cum sancto Hugone
& congregatione Cluniacensi editam habes tom.
6. Spicileg. pagina 452. In argumentum vero
societatis hic episcopus & capitulum unam ec-
clesiæ suæ prædictis Cluniacensibus præbendam
concesserunt, quos etiam imitati sunt canonici
Annal. Aurelian. pag. 392. & 394. sancti Aniani. Idem annus componitur cum epi-
scopatus ejus anno 26. in ipsius literis, quarum
apud Saussayum mentio. Agoberti Carnotensis
Chart. XIII. col. 494. episcopi ad preces altare Unigradi cum persona
canonicis Carnotensibus largitus est. Successorem
nactus est anno 1063. In necrologio Divionensi
annotatur VIII. calendas Octobris.

LIII. Hadericus.

Hugonis Bardulfi domini Brecarum filius Ha-
dericus, aliis Belinæ Isembardi sororis & uxoris
Guidonis de Clamecy, episcopus designatus, de-
Ch. XIV. col. 495. cessorum vestigia secuturum se, & Isembardi,
Odolrici, aliorumque instituta servaturum per-
sancte dejeravit, cujus sacramenti forma, ipso præ-
sente, in capitulo sanctæ Crucis postea recitata
1063. est anno 1063. Insequenti subscripsit literis Hu-
gonis Nivernensis episcopi pro sancto Stephano.
Has ex authentico apud Cluniacum & sanctum
Stephanum asservato exscriptas habemus edendas
in probationibus ecclesiæ, non Vivariensis, ut
errore librariorum irrepsit tom. IV. col. 885. sed
citius, Nivernensis. Datæ sunt octavis sancti Lau-
rentii XVI. calendas Septembris in Cabilonensi
1064. concilio anno 1064. Simoniæ insimulatus, per-
jurium in eadem synodo ad obtegendam reatus
sui improbitatem incurrit Hadericus, fraudulen-
tiaque Petrum Damiani synodi præsidem decepit.
Vocatus quoque ab apostolico ad interrogata
responsurus, literas ejus floccifecit. Quapropter
Alexander II. archiepiscopum Senonensem ad-
monuit, ut Aurelianensis ecclesiæ invasorem, epi-
scopatum simoniace obtinentem, auctoritate apo-
Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1082. & 1095. stolica excommunicaret, huicque ut socium &
adjutorem se adhiberet, significavit Gervasio Re-
mensi archiepiscopo epistola 23. Non continuo
tamen excommunicatus videtur; nam cum aliis
episcopis consensit privilegio ab Alexandro II.
Rainerio abbati sancti Dionysii concesso pridie
nonas Maii pontificatus anno IV. Subscripsit do-
nationi factæ Floriacensi abbati Hugoni de ecclesia
Cadelatæ in pago Wastinensi VII. cal. Februarii
anno 1065. Philippi regis anno V. Subscripsit 1065.
anno 1067. chartæ Philippi regis confirmantis 1067.
concordiam inter Guidonem & Floriacenses mo-
nachos. Subscripsit & chartæ donationis ecclesiæ *Baluz. Miscell. tom. 7. pag. 197.*
S. Machuti factæ Majori monasterio a Roberto
de Sablolio VIII. idus Augusti anno 1067. Non- *Spicil. t. XI. pag. 294.*
dum itaque excommunicatus erat Hadericus, vel
certe promulgatum nondum erat latum in eum
anathema, sed postea in charta Cluniacensi sub- *Chart. XV. col. 496.*
scriptus legitur Hadericus clericus, qui fuit Au-
relianensis episcopus.

LIV. Rainerius.

DE FLANDRE.

A patria vel a familia, Flandrensis dictus Rai- *Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1380. & 1381.*
nerius, legitimam nondum ætatem habens, absque
idonea cleri & populi electione ecclesiam Aure-
lianensem invasit. Hanc forte ob causam, si error
non est in notis chronicis, episcopus jam repe-
ritur anno 1066. ante avulsum Hadericum sub-
scriptus diplomati regis Philippi controversiam
inter Hugonem abbatem Floriacensem ejusque
monachos & Hervæum militem componentis
anno regni VIII. Postea tamen confirmatus fuisse
videtur; nam adfuit dedicationi basilicæ Hasno-
niensis cœnobii tertio nonas Junii 1070. a Bal- 1070.
duino juniore seu pio Flandriæ comite restaurati.
In concilio Senonensi regiis subscripsit literis pro *Ampliss. collect. tom. 7. col. 63.*
suburbano cellæ Trecensis monasterio datis tertio
calendas Maii 1071. Cum rogatu canonicorum 1071.
ecclesiæ Aurelianensis donasset Rainerius deca-
niam mensæ capitulari die 6. Junii 1072. ejus- 1072.
que loco præbendam decano attribuisset, graves
hinc ortæ episcopum inter & capitulum contro-
versiæ pro electione decani, episcopo Evrardum,
canonicis vero Joscelinum eligentibus. Has ad
dirimendas Romanum iter aggressus Rainerius,
Petrum Damiani ægrotantem invisit, a quo com- *P. Damiani epistola XI. libr. 1.*
mendatitias ad summum pontificem obtinuit lite-
ras. Alexander II. re mature discussa, donum Rai-
nerii confirmavit, electumque ab eo decanum
anathemate perculit. Interim Rainerius duobus
altaribus Floriacensi monasterio datis ab Hugone
Trecensi episcopo in synodo Senonensi subscripsit
anno 1075. sigilloque suo confirmavit datam 1075.
iisdem Floriacensibus a rege Philippo ecclesiam
sancti Symphoriani Eduensis anno 1077. in 1077.
concilio Aurelianis celebrato. Biennio post Ale- *Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1301.*
xandri mortem successor Gregorius VII. eccle-
siam Aurelianensem miseratus, quam excommu-
nicatus licet persequi non desistebat Evrardus,
hunc ad se vocavit in proximum solenne Om-
nium sanctorum, data epistola calendas Martii
1075. Insequenti Rainerio ipsi, qui spreto ana- *Ibidem col. 1338. & 1339.*
themate Alexandri, Evrardum accepto pretio
constanter sustinebat, quemque ejici rex Fran-
corum cupiebat, sub anathematis vinculo præcepit
summus pontifex, ut decaniam canonicis & Jos-
celino ab eis electo restitueret, & ad se veniret
criminum rationem redditurus. Cum autem non
venisset Rainerius, nec quemquam misisset, literas *Ibidem col. 1353.*
ad Richerium archiepiscopum Senonensem dedit

a Illud autem eo facilius obtinuit, quod præ ceteris rex habebat Aurelianensia vina, juxta illud distychon:

Quæ rex Henricus semper sibi vina ferebat,
Semper ut in bellis generosior iret & esset.

ANNI CHRISTI

summus pontifex IV. nonas Novembris 1077. A ut ad proximam Romanam synodum, tam Rainerium quam Evrardum & Joscelinum secum adduceret. Neque sic tamen accessit Rainerius: unde suspensus ab omni episcopali officio, & a communione corporis & sanguinis Jesu Christi separatus est a summo pontifice, aliusque ejus in locum ab Aurelianensibus substitutus, Sanctio
Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1385. nomine, qui, ut ait Ivo epistola 51. celsitudinem illam assequi non valuit, quando erat ætate viridior, ingenio acutior, viribus corporis longe robustior. Gregorius enim Sanctionem benigne acceptum cum honore & bona gratia dimisit, sed de ejus electione nec quicquam statuit, ut B
1078. patet ex ejus rescripto v. calend. Februarii 1078.
Ibidem, col. 1390. Mense vero elapso Rainerio præcepit, ut ablata a se ecclesiæ suæ ornamenta, pallia, calices, thuribula, planetas, ceteraque Deo sacrata quamprimum restitueret, & ad synodum his in partibus celebrandam conveniret, sin minus sententiam depositionis in eum promulgaturum minatus est. Altera pridie nonas Octob. anni ejusdem
Ibidem col. 1381. epistola Gregorius alia objicit Rainerio crimina, quod nec legitimam habens ætatem, nec a clero populoque electus, ecclesiam Aurelianensem invasisset, beneficia archidiaconatus & abbatias venderet, quod vocatus ab apostolico non venisset, C quod suspensus & excommunicatus officium suum celebrasset, &c. de quibus ut infra 40. dies coram archiepiscopis Senonensi & Bituricensi eorumque suffraganeis responsurus veniret, sub iisdem pœnis quibus prius mandavit. Iisdem anno & die epi-
Ibidem col. 1380. scopis dedit literas summus pontifex, ut Rainerium venire contemnentem, aut sese non purgantem, deponerent, Sanctionemque hujus loco subrogarent. Utrum judicibus steterit se & excu-
Ibidem col. 1413. saverit, incertum; illud tantum constat ex epistola 23. libro 6. Gregorium Aurelianensibus Sanctionem dare per se noluisse episcopum, quia Rainerius, licet ecclesiæ suæ, ut dicebatur, inu- D tilis, nondum ex toto ab ea separatus erat. Misit
1079. itaque Aurelianos legatos ineunte anno 1079. qui veritate discussa, electionem Sanctionis possent confirmare. Continuo tamen confirmatam
1080. non fuisse inde patet, quod Rainerius an. 1080.
Chart. XV. col. 495. instrumento donationis Pitverensis cellæ Cluniacensi monasterio factæ cum Richerio Senonensi archiepiscopo subscripserit, ibidemque cœmeterium consecrarit, & ædificandæ ecclesiæ primum
Chart. XVI. col. 496. lapidem posuerit. Tempus donationis a Philippo rege confirmatæ, consignatur VII. idus Aprilis anno M. LXXX. indictione III. Ecclesiam sancti Sepulcri juxta Balgenciacum castrum sitam, pe- E tente Lancelino loci domino, Odolrico abbati Vindocinensi perpetuo possidendam dimisit & dedicavit anno 1079. & confirmavit sexto idus
1081. Julii anno 1081. In concilio Exoldunensi anno
Spicil. t. VI. pag. 18. eodem sua subscriptione probavit donationem factam a Richardo Bituricensi præsule Majori monasterio de ecclesia sancti Martini de Campis, alias de Briva, non longe a muris civitatis. Ecclesiam sancti Marcelli in suburbio Aurelianorum civitatis donatam monachis sancti Maximini confirmavit anno 1082. Philippi regis vigesimo secundo. ANNI CHRISTI 1082.

LV. Arnulfus III.

Chartæ Richerii Senonensis archiepiscopi suburbano S. Remigii monasterio ecclesiam sancti Baldi concedentis mense Octobri, regnante Philippo rege anno XXIII. subscripsit Arnulfus Aurelianensis episcopus cum aliis prælatis. Hanc aliquando daturi sumus in probationibus ecclesiæ Senonensis.

LVI. Johannes I.

Rodulfi Turonensis archiepiscopi germanus Johannes, jam reperitur anno 1089. in chartulariis ecclesiæ Aurelianensis & Silvæ majoris, 1089.
Philippi nempe regis anno XXVIII. Altare beati Laurentii de Orgeriis monachis de Caritate ibidem degentibus quietum concessit mense Februario 1091. Philippi XXXII. Eidem concessa 1091.
ab antecessoribus Rainerio & Arnulfo confirmavit an. 1092. Concilio Claromontano adfuit 1092.
anno 1095. Reperitur adhuc anno 1096. in 1095.
repertorio ecclesiæ sancti Aniani, eodemque obiit. Hist. pag. 142.
De corruptis ejus moribus quid scripserit Ivo Carnotensis, videbitur infra. In epistola 66. rationem ei reddit de excommunicata a se Puteacensi domina.

LVII. Sanctio.

Hic ille est Sanctio, qui in locum Rainerii nondum ex toto ab Aurelianensi ecclesia separati, ab Aurelianensibus in episcopum optatus, Romam missus est ad Gregorium VII. anno 1079. a Conc. Hard. tom. 6. part. 1. c. 1413.
quo libenter susceptus, paterno tractatus amore, quinimo & de ejus mandato Romæ ordinatus presbyter, literis papæ & legati commendatus Ivo. ep. 59.
rediit, cujus episcopus Aurelianensis sacerdotium aspernatus, a legato vehementer reprehensus est. Quod autem tunc ætate viridior, ingenio acutior, Ib. ep. 51.
viribusque corporis robustior assequi non valuit, hoc senex & ætate gravis fastigium curæ pastoralis adeptus est, ex decano ecclesiæ Aurelianensis electus episcopus anno 1096. refragante licet 1096.
archiepiscopo Turonensi Radulfo ecclesiæ Aurelianensis præposito & archidiacono, ac de data vel promissa contra ecclesiasticas sanctiones pecunia immensa, adjuncta etiam seculari potentia, quibus aliisque criminalibus culpis a majoribus ecclesiæ hujus clericis accusatus fuerat, secundum canonicam institutionem purgatus, regis ad preces, cum venia Senonensis metropolitani consecratus fuit apud Carnotas ab Ivone Carnotensi, Willelmo Parisiensi, & Waltero Meldensi episcopis. Totius rei seriem fuse narrat Ivo epistola 54. ad Hugonem Lugdunensem archiepisc. sedis apostolicæ vicarium: *Quoniam quæ geruntur in ecclesiis, ad auditum sedis apostolicæ vel legatorum ejus referenda sunt per literas vel nuncios eorum per quos gesta sunt, ne vel æmulorum obtrectatione, vel famæ mutatione secus acta credantur quam facta sunt, ad notitiam vestram referri curavimus quid de Aurelianensis ecclesiæ ordinatione nuper egerimus. Defuncto*

ANNI CHRISTI

enim Johanne Aurelianensi episcopo, Turonensis archiepiscopus, qui in prædicta ecclesia adhuc sibi usurpabat præposituram & archidiaconatum, & quidam ejusdem ecclesiæ subdecanus cognomine Pejor Lupo, cum quibusdam jam defuncti episcopi & suis familiaribus clandestinis machinationibus conari cœperunt, ut Johannem quemdam archidiaconum cum consensu regis haberent in episcopum, cujus vita nec annorum plenitudine, nec litterarum scientia, nec morum maturitate videbatur esse probabilis; imo pro inhonesta familiaritate, quam cum defuncto episcopo & quibusdam eorum qui eum expetere voluerunt, habuisse dicebatur, modis omnibus reprobabilis. Hoc ergo audiens reliquus clerus, qui erat numero longe amplior, litteris eruditior, vitare volens oppressiones quas perpessus erat a prædictis personis tempore defuncti episcopi, saniore consilio pro temporis opportunitate & loci elegit sibi cum consensu regis in episcopum, Sanctionem ejusdem ecclesiæ decanum, virum, ut scitis, ætate gravem & moribus maturum. Quem cum a nobis ex admonitione Senonensis archiepiscopi consecrari postulasset, apud castrum Nautonense, quod est juxta parochiam Senonensem, omnino recusavimus propter primatum Lugdunensis ecclesiæ, quem irrationaliter refutat illa sedes, & interdictum sedis apostolicæ. Interim itaque æmuli prædicti electi missis litteris rogaverunt nos, ut ei manum non imponeremus, quoniam simoniacus esset & invasor: simul addentes se hoc probaturos in loco competenti & tempore extra manus regiæ potestatis. Cum ergo adjunctis precibus regis instanter postularet ecclesia electum suum sibi consecrari, prætendens irreparabiles ecclesiæ ruinas futuras, si id non fieret, missis litteris statuimus prædictis calumniatoribus tempus, diem ante consecrationem, locum, Carnotum, videlicet ubi potestas regia eis obesse non poterat. Ipsi vero neque venerunt, neque personam aliquam pro se miserunt. Subtrahentibus itaque se prædictis calumniatoribus, nescimus qua calliditate, legitimæ discussioni, victi precibus pene totius ecclesiæ, habito inter nos consilio, accepimus, tam ab eo quam ab illis qui cum illo erant meliores, districta sacramenta usque ad septem, quæ eum quantum in conspectu hominum purgari poterat, purgaverunt de invasione & simonia. Remotis itaque impedimentis quæ ei specialiter opponebantur, cum promissa vobis obedientia consecravimus, & ecclesiæ quæ eum expetierat, destinavimus: a qua susceptus est cum omni devotione sine ulla contradictione. Hæc ita esse vera, si opus inerit, comprobabimus, ut pote qui ista tractavimus quam majori diligentia potuimus.* Admissus ergo ad ecclesiæ regimen invidorum livore dissipato Sanctio, in die introitus sui pro more Aurelianensis ecclesiæ ad preces Ivonis diaconum e carcere liberavit: at eumdem postmodum ea ipsa die, qua ipsi in missa servierat, qua ipsi in mensa communicaverat, verberatum spoliatumque per manus servorum carcerali custodiæ crudeliter a Sanctione mancipatum, sed nec judicatum, nec damnatum, curiæ traditum Ivoni per literas nunciatum est. Hoc autem falsum, aut saltem emendatum fuisse inde colligimus, quod Ivo quas superiores de ordinatione Sanctionis paratas retinuit his auditis, literas ad Hugonem Lugdunensem sedis apostolicæ legatum dederit; quod in fine epistolæ 53. minime facturum se dicit, nisi prius meliora de Sanctione audiret. Hugoni tamen displicuit hæc Sanctionis ordinatio, quod eo inconsulto peracta, nec ejus castitas probata, literisque commendata ab Ivone fuisset. Itaque licet ab eo quantum in conspectu hominum purgari poterat, fuisset purgatus, de episcopatu Aurelianensi sive competitoris factione, sive propter ætatis infirmitatem, utrumque enim innuit Ivo, arbor infructuosa, ab Hugone dejectus fuit anno 1096. quo de pace facta cum Adelecia Puteacensi domina scripserat ei epistol. 62. Ivo.

* Pisseleu.

Epist. 53. *Epist. 59.* *Epist. 66.*

LVIII. Johannes II.

Sanctionis dejecti in locum dolis & artibus Radulfi Turonensis archiepiscopi, præpositique & archidiaconi Aurelianensis, suffectus est ejus æmulus Johannes archidiaconus Aurelianensis 28. Decembris 1096. die festo sanctorum Innocentium. Rem sic explicat Ivo epist. 66. ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum Romanæ ecclesiæ legatum: *Miseriam Aurelianensis ecclesiæ ante oculos vestros ponimus, quam filii alieni sua quærentes strangulant & devorant. De qua cum manu vestra avulsa esset arbor infructuosa, nunc inseritur pestifera. Turonensis enim archiepiscopus prædictæ ecclesiæ pædagogus & incubus, in Natale Domini regi contra interdictum vestrum coronam*[a] *imponens, hac arte a rege obtinuit, ut Johannes, qui per Johannem defunctum multis submurmurantibus & male sentientibus factus est archidiaconus, eidem ecclesiæ præficeretur episcopus. De hoc enim rex Francorum non secreto, sed publice mihi testatus est, quod prædicti Johannis succubus fuerit. Et hoc ita fama per Aurelianensem episcopatum & vicinas urbes publicavit, ut a concanonicis suis famosæ cujusdam concubinæ* Flora *agnomen acceperit. Hoc quod dico clerus approbaret, hoc populus acclamaret, nisi metu regis comprimerentur, vel insidiis Turonensis archiepiscopi terrerentur, qui clericos sibi adversantes clandestinis delationibus curiæ tradi facit, aut in exilium pellendos, aut bonis suis spoliandos. Hic enim cum duos episcopatus habere non possit, Aurelianensem ecclesiam, quam non potest retinere per propriam, per submissam vult possidere personam, ut in ea possit quos voluerit humiliare, quos voluerit sublimare. Cui non sufficit, quod in ecclesia, in qua irrepsit contra canonicas & apostolicas sanctiones, toleratur, nisi ei liceat ecclesiam Dei quibus libuerit procis prostituere, oculos videntium etiam medicorum vaniloquiorum suorum fumo, promissionum suarum nebulis intenebrare, ut quæ audiunt de eo non audiant, quæ vident non videant, & quæ certa sunt tanquam ignota sustineant. Sic enim de se ipso dicere solet,* se non indigere bonis clericis vel canonibus, cum hæc omnia præsto sint ei in marsupio suo. *Nec mirum cui quod libet, licet, & quod licet, impune facit, ut multi inde scandalisati altius gemant, dicentes magis impetrare desideria sua apud judices ecclesiasticos zelantes*

a Moris erat ut reges Franciæ in majoribus solennitatibus coronam acciperent a præstantioribus præsulibus in curia tum morantibus, sicque in regali apparatu prodirent.

iniquitatem, quam sequentes bonitatem. Veritas mihi testis est me non ista dicere, tanquam adversus istos homines aliqua sit mihi privata controversia: sed tabescere me facit zelus meus, cum videam in messe Dei vepres & spinas bonum semen suffocare, nullamque aut pene nullam eradicantem manum. Et si aliquando sunt qui perficiant malæ arboris ruinam, non pervigilant usque ad fructuosæ arboris insertionem; quod in hoc negotio manifestum est. Non enim Turonensis archiepiscopus ideo laboravit ut Sanctio deponeretur, quatinus eo melior eidem ecclesiæ præficeretur, sed hujusmodi qui ei per omnia famularetur. Iste enim juvenis, qui rege jubente & Turonensi archiepiscopo impingente, prædictæ ecclesiæ est intrusus, ita est sub Turonensi archiepiscopo, sicut puer sub pædagogo; ut nec stans sedere, nec sedens audeat surgere, nisi eo jubente aut innuente, ut pote qui se ei ad turpes usus dicitur subdidisse. Ad ultimum cum multa nefaria & turpissima dici verissime possent, quæ deficientibus testibus veritatis pro humana infirmitate probari forsitan non possent, hoc ad repulsionem prædicti adolescentis sufficit, quod persona ignominiosa est, & per vicinas ecclesias turpiter diffamata. Hic itaque per litteras regis & capituli mihi est oblatus suo tempore ordinandus in presbyterum, postmodum consecrandus in episcopum. Ejus autem electio nec adhuc a me est improbata, vel adprobata, sed nec aliquando adprobanda, nisi domni papæ vel vestra me ad hoc pertrahat obedientia. Scio enim ecclesiæ Dei non tantum hoc esse ignominiosum, sed etiam perniciosum. Rogo itaque paternitatem vestram, ut in hac causa vigilantissime honestati & auctoritati vestræ consulatis, & ecclesiæ Dei provideatis, ne in manibus ejus committatur salus aliena, qui nunquam adhuc deliberavit de salute sua. Per portitorem itaque præsentium mihi rescribite quid me velitis super hoc negotio facere, ut quod responsurus sum respondeam Aurelianensibus ex vestra auctoritate. Ipsi tamen quidquid respondeam de vestra benivolentia plus justo præsumentes, vanizando dicunt, quod juxta petitionem Turonensis archiepiscopi eum consecrabitis, vel consecrari facietis. Quidquid autem vos faciatis, ego liberavi animam meam. Multi enim Aurelianenses ad hæc quæ dixi mihi darent testimonium, nisi timerent carcerem vel exilium. Et ne me ista aliqua occasione confinxisse credatis, unam cantilenam de multis metrice & musice de eo compositam ex persona concuborum suorum vobis misi, quam per urbes nostras in compitis & plateis similes illi adolescentes cantitant, quam & ipse cum eisdem concubis suis sæpe cantitavit, & ab illis cantitari audivit. Præterea sciat vestra sollicitudo, quia cum abbas Burguliensis[a] ore patulo, manibus apertis cum multa securitate ad curiam in Natale venisset ad accipiendum episcopatum, sicut ei illa prædicta regina promiserat, quia animadversi sunt plures & pleniores sacculi nummorum latere in apothecis amicorum istius quam apud abbatem, ille est admissus, iste est exclusus. Et cum abbas quereretur apud regem quare sic eum delusisset, respondit: Sustinete interim, donec

A *de isto faciam proficuum meum, postea quærite ut iste deponatur, & tunc faciam voluntatem vestram. Summa itaque hæc est verborum meorum. Rogo, moneo ut huic electioni nunquam assensum præbeatis, ne domum Dei publicum prostibulum & speluncam latronum faciatis. Postremo rogo, quia semel ab Aurelianensibus deceptus sum, si quid mihi de eo scribere volueritis, per talem nuncium cui credere possim, transmittatis. Et quia turpitudo non potest nisi verbis suis exponi, irreligiosis verbis, pro religione tamen assumtis, veniam postulo. Valete.* Hactenus Ivo, qui in epist. 67. ad Urbanum summum pontificem eadem ferme repetit. Scripta est tran-
B sacto ejus episcopatus septennio, cum octavum aggrederetur, hic est annus 1097. *Obsecro vos per caritatem Christi, ut si Turonensis archiepiscopus, vel aliquis Aurelianensis clericus pro electione pueri sui ad vos venerit, non ei aurem præbeatis. Cujus dotes ut vobis breviter amplectar, persona est ignominiosa, & de inhonesta familiaritate Turonensis archiepiscopi & fratris ejusdem defuncti, multorumque aliorum inhoneste viventium per urbes Franciæ turpissime diffamata. Quidam enim concubi sui appellantes eum Floram, multas rythmicas cantilenas de eo composuerunt, quæ a fœdis adolescentibus, sicut nostis miseriam terræ illius, per urbes Franciæ in*
C *plateis & compitis cantitantur, quas & ipse cantitare & coram se cantitari non erubuit. Harum unam domno Lugdunensi in testimonium misi, quam cuidam eam cantitanti violenter abstuli. Providendo itaque vestræ honestati & ecclesiæ utilitati, nunquam eum consecrari permittatis, ne ecclesiam Dei prostibulum publicum & speluncam latronum faciatis. Sciatis enim quia Turonensis archiepiscopus contra interdictum legati vestri in Natale Domini regi coronam imposuit, & ut iste episcopus fieret hac mercede promeruit. Et ut sciatis puerilem fuisse electionem, quidam etiam de eligentibus in natale Innocentium in eligendo ita jocatus est:*

D *Eligimus puerum, puerorum festa colentes,*
Non nostrum morem, sed regis jussa sequentes.

Vocatus ab Hugone Ivo in calendas Martii
anni 1097. cum iis qui vellent impugnare ele- 1097.
ctionem Johannis, rescribit manifesta esse crimina Johannis, simoniacamque ejus intrusionem ad aures ipsius perventuram, nisi plantationem quam non plantavit Dominus, stabilire properet, & electionem regiis precibus, quæ idem valent secundum vulgare proverbium, quod minæ, extortam auctoritate sua confirmet: *Habentur enim apud nos*, inquit epistola 68. ad eumdem, *quidam*
E *negotiatores creditores illius dictæ reginæ, qui secundum quod nobis dixerunt, exspectant partem pecuniarum a parentibus Johannis promissarum. Sed referente eadem dicta regina quodam cautelæ studio ad persolvendum differuntur, donec securius post ejus consecrationem persolvantur. Quarum tamen repetundarum actio cito ventilabitur, si consecratio aliquandiu differatur.* Sic ordinatus Johannes, virum in alterum mutatus est, munusque pontificium per plures annos gessit. Interfuit enim synodo Stampensi a
Daimberto Senonensi celebratæ anno 1099. quæ 1099.

[a] Ipse est Baldricus celebris abbas Burguliensis, cui Bertrada uxor vel potius pellex Philippi regis episcopatum Aurelianensem vacantem anno 1096. promiserat. Verum ei præfertur Johannes hujus ecclesiæ archidiaconus sacculis & multo ære amicorum præponderans. Baldricus postea ad Dolensem sedem assumtus fuit.

innotescit ex epistola Ivonis 79. Adstitit & Tre-
ANNI CHRISTI censi mense Aprili 1104. in qua delegatus cum
1104. multis aliis prælatis judex ecclesiam S. Gundulfi
Floriacensibus adversus Virzionenses monachos
adjudicavit. Habitum mense Julio aliud Balgen-
ciaci concilium in diœcesi Aurelianensi pro abso-
lutione Philippi regis, habemus in epistola 144.
Ivonis; regis tamen absolutio usque ad mensem
Spicil. t. III. pag. 130. Decembrem dilata est, quo synodus Parisiis habita,
ubi ab excommunicationis vinculo rex solutus
est: duabus his synodis adsuit Johannes. Cele-
Boll. Junii tom. I. pag. 302. bravit anno eodem fer. 6. pridie idus Octobris
indictione XIII. translationem corporis sancti
Lifardi, ejusque ecclesiam dedicavit cum Ra-
dulfo Turonensi archiepiscopo, & Galone Pari-
siensi antistite. Johannes II. episcopus Aurelia-
nensis Christiano abbati Miciacensi concessit ec-
1105. clesias de Firmitate Huberti anno 1105. indict.
XIII. præsulatus sui VIII. mense Januar. Philippi
regis anno 45. ex chartulario Miciacensi. Micia-
1106. censibus cessit vineas suas de Bullon anno 46.
1107. Philippi regis. Anno 1107. XIII. calend. Aprilis
Spicil. t. 2. pag. 734. adfuit translationi cuidam corporis S. Benedicti
apud Floriacum, dedicavitque altare majus in
honorem sanctæ Mariæ & altare matutinale in
honorem sancti Benedicti. Defuncti apud Melo-
1108. dunum die Mercurii 29. Julii anni 1108. regis
Ibid. tom. 9. pag. 380. Philippi & apud Floriacum sepulti, exsequiis ad-
stitit, sicut & unctioni regis Ludovici Crassi in
æde sanctæ Crucis celebratæ die 2. Augusti, quæ
erat Dominica. Subscripsit anno eodem chartæ
ejusdem regis multa Floriacensi monasterio con-
ferentis, ejusque diplomati pro servis ecclesiæ
Parisiensis. Sub id tempus quemdam Letbertum
manumisit, cujus instrumentum Johanni I. per-
peram tributum, sinistro posti principis portæ
ecclesiæ sanctæ Crucis Aurelianensis insculptum
est sub hac forma: *Ex beneficio sanctæ Crucis per
Johannem episcopum & per Albertum sanctæ Crucis
casatum factus est liber Letbertus teste hac sancta
ecclesia.* Quæ inscriptio formulam veterem manu-
missionum servorum in ecclesiis denotat. Adfuit
celeberrimæ illi synodo quam habuit in diœcesi
Aurelianensi, scilicet in cœnobio Floriacensi, Ri-
chardus Albanensis episcopus legatus Paschalis
II. cui simul interfuerunt quatuor archiepiscopi,
Daimbertus Senonensis, Rodulfus Remensis, Ra-
dulfus Turonensis & Leodegarius Bituricensis,
1110. die prima Octobris 1110. Præsens fuit pactioni
inter capitulum & monachos sancti Petri Carno-
tensis initæ super ecclesia de Nidis Ludovici regis
anno tertio. Sigillum apposuit suum præcepto
Ludovici regis pro canonicis sanctæ Genovefæ,
1111. dato IV. idus Martii anno 1111. Ratam habuit
Chart. XIX. col. 499. eodem conventionem factam inter monachos
sancti Petri Carnotensis & Guidonem regis came-
rarium, abbatem sancti Petri Puellaris, & Ful-
conem ejusdem decanum. Dedit monachis sancti
Florentii Salmuriensis ecclesias sancti Florentii
& sancti Stephani de Leone per manum Galonis
episcopi Leonensis, 7. Decembris 1111. Ludo-
vici IV. Una cum aliis provinciæ Senonensis epi-
Ivo. ep. 236. scopis scripsit ad Johannem Lugdunensem archi-

A episcopum, qui eos ad concilium Ansanum ad
annum 1112. vocarat, cui interesse detrectarunt ANNI CHRISTI
episcopi. Regiis Ludovici literis pro Floriacensi- 1112.
bus eodem anno subscripsit. Dedit anno 1113. 1113.
episcopatus 17. ecclesiæ sancti Petri Pitveris quid-
quid ex feodo sanctæ Crucis & ipsius obtinebant
& adepturi erant canonici. Eodem anno eccle-
siam B. Mariæ Magdalenæ de Hospitali monia- Chart. XX. col. 500.
libus de Fonte-Ebraldi ad preces Stephani decani
concessit. Subscripsit chartæ fundationis sancti
Victoris Parisiensis, sicut & diplomati Ludovici
regis pro Cluniaco. Alibi episcopatus ejus annus
17. illigatur anno VIII. Ludovici regis in charta
B Alberti filii Tescelini pro Silva majore. Sigillum
apposuit regis Ludovici literis pro ecclesia sancti
Aniani anno 1114. Indulsit Miciacensibus mul- 1114.
tas pravas consuetudines, superfluas comestiones,
equum summarium in hostes & ad concilia, in
falcatione pratorum panem & vinum, &c. de
quibus chartam confecit anno 1115. in capitulo 1115.
sanctæ Crucis. Adfuit concilio Encolismensi anno
1118. Johannis ad preces Ludovicus rex terram 1118.
sancti Lifardi Magdunensis ad incolendum & Ampliss. coll. tom. I. col. 652.
reædificandum Rogerio abbati Columbensi dedit
diplomate, cui subscripsit Johannes anno 1119. 1119.
Ipsum credimus Aurelianensem episcopum, qui
C concilio Bellovacensi XV. calendas Novemb. anno
1120. adstitit. Johannes II. episcopus Aurelia- 1120.
nensis parochias & ecclesias monasterii Pontile-
viensis in diœcesi Aurelianensi sitas concessit anno
1120. indictione XIII. octavo cal. Mart. fer. IV.
in capite jejuniorum, Ludovici regis anno 12.
Ejusdem regis anno 13. & Adelaïdis reginæ 6.
Incarnationis 1121. obtinuit a Ludovico rege 1121.
diploma, in quo legitur Johannem episcopum
Aurelianensem cum archiepiscopis Bituricensi &
Turonensi adiisse regem rogatu Alberti abbatis
Miciacensis, & ab ipso impetrasse confirmatio-
nem cujusdam donationis Hugonis de familia
D regia orti. Ecclesiam sancti Sigismundi monachis
Miciacensibus concessit anno 1122. Ludovici 1122.
XIV. Iste episcopus cum capitulo suo Aurelianensi
dotator exstitit abbatiæ Curiæ-Dei anno 1123. 1123.
episcopatus 27. Hanc fundationem confirmavit Ch. XXII. col. 501.
Ludovicus rex anno eodem. Johanni Aurelia-
nensi, Gaufrido Carnotensi, & Stephano Pari- Spicil. t. 3. pag. 149.
siensi episcopis mandavit Calixtus II. VII. calend.
Septembris anno 1124. interdictum servari ob 1124.
nuptias Guillelmi Normanni cum filia comitis
Andegavensis latum. Univit Johannes reditus
abbatiæ sancti Petri Puellaris decanatui ejusdem
ecclesiæ, quod confirmavit Ludovicus rex anno Ch. XXIV. col. 503.
E 1125. Donatam canonicis regularibus ecclesiam 1125.
SS. Mariæ, Fusciani, Victorici & Gentiani mar-
tyrum a Radulfo toparcha de Balgenciaco anno Ch. XXV. col. 501.
1126. confirmavit Johannes, qui anno eodem 1126.
Miciacensibus concessit partem in ecclesia de
Hardon. Circa id tempus Aurelianis habuit con-
cilium Humbaldus legatus apostolicus, ut discimus
ex epistola 29. lib. 1. Gaufridi Vindocinensis.
Anno 1128. Johannes dedit canonicis sancti 1128.
Eusicii ecclesiam sancti Aniani de Beliaco, ex
charta authentica Celiensi. Annus 1129. dicitur 1129.

ANNI CHRISTI

episcopatus ejus 34. in charta regis pro Petro capellano suo. Hoc autem anno Remis interfuit solenni inaugurationi Philippi filii Ludovici VI. subscripsitque cum plurimis episcopis præcepto patris & filii regum, quo restituendum jubetur Argentoliense monasterium S. Dionysio. Hugoni Miciacensi abbati ecclesiam sanctæ Mariæ de Ver-
1130. none in Secalonia confirmavit anno 1130. episcopatus 35. In titulo de libertate domus Petri
1131. capellani regis annum Ludovici regis 24. filiique ejus 2. numerat Johannes annum episcopatus 34.
1132. forte 36. Graves sequenti anno in ecclesia Aurelianensi, maxime pro Johanne archidiacono intruso, turbas fuisse docent epistolæ Archembaldi B subdecani & Gaufridi episcopi Carnotensis ad Henricum archiepiscopum Senonensem, & Innocentii II. ad Gaufridum legatum suum & Stephanum Parisiensem episcopum rescripta Placentiæ data nonis Novembris, ac proinde anno 1132. in quibus cum nulla Johannis episcopi occurrat mentio, inde conjicere liceret jam tum vel obiisse, vel abdicasse Johannem, ni laudarentur ipsiusmet
1135. literæ anno 1135. præditæ de abalienatis in gratiam laïcorum bonis ecclesiasticis. Denique *Johannes senex Aurelianensis episcopus*, inquit Ordericus Vitalis, *episcopatum deseruit*. Obitus ejus notatur in necrologio Curiæ-Dei IV. nonas Maii.

Chart. eccles. Aurel. folio 32.

Spicil. t. 3. pag. 153. & seqq.

Atque hinc patet perperam a scriptoribus Aurelianensibus Henricum ab anno 1120. ad 1127. insertum fuisse, maleque in chartis lectum 1120. & 1127. pro 1190. & 1197. ut nos monuere illius civitatis eruditi viri.

LIX. HELIAS.

Post Johannis seu cessum, seu decessum, ad episcopatum electus Hugo [a] (decanus) ad ecclesiam suam e curia regis iter faciens, interfectus est, quo defuncto, Aurelianensis ecclesia sine præsule, sicut navis sine gubernatore in mari diu fluctuavit, inquit Ordericus Vitalis: unde sanctus D Bernardus hujus ecclesiæ statum miseratus, hæc in verba erupit epistola 156. ad Innocentium II. pontificem maximum: *Quippe jacet jam olim in pulvere virgo nobilis Israel, non solum viduata viro, sed & caris orbata pignoribus.* Tandem post diuturnam cleri populique discordiam, unanimi omnium consensu ex monacho & abbate S. Sulpitii Bituricensis nobilis genere juvenis episcopus Aurelianensis electus est Helias, quem virum religiosum, prudentem & literatum vocat Petrus Cluniacensis abbas scribens pro ipsius confirmatione ad Innocentium II. epistolam XI. lib. 1. a quo
1137. mensis Aprilis die 15. anni 1137. consecratus E est. Primo præsulatus sui anno adfuit Ludovico VII. præsulibus Aquitaniæ immunitatem a regalibus concedenti. Eodem Soliacensem S. Iterii ecclesiam Floriacensi monasterio dedit intuitu corporis sancti Benedicti, quod apud Floriacum requiescit, ut illic monachi ab abbate collocarentur. Restitutæ monachis sancti Gervasii terræ de

Order. Vital. lib. 13. pag. 896.

Ch. XXVI. col. 504.

a Hugo non erat tunc temporis decanus, sed famosus ille Stephanus de Garlanda, ut videre est in decanis, nec occisus est decanus, sed Archembaldus subdecanus. Falsus ergo est Normannus Ordericus Vitalis.

A Chesiaco anno 1138. præsens dicitur. Adfuit 1138.
anno 1140. in octavis Pentecostes concilio Se- 1140.
nonensi, ubi iterum proscripti errores Petri Abelardi. Acta hujus concilii continentur in epistola 337. sancti Bernardi ab eo scripta sub nomine Henrici archiepiscopi Senonensis & aliorum ejus provinciæ episcoporum, quos inter Helias nominatur. Abbati & canonicis sancti Johannis Senonensis eodem attribuit anno ecclesiam B. Mariæ inter murum & fossata civitatis Aurelianensis. Nomen Conceptionis obtinet hæc ecclesia ab an. 1483. quo sub hoc titulo a D. Bertaudo episcopo Ascalonensi solenniter dedicata fuit die 15. Novembris. Ludovici regis ad preces, necnon & Gaufredi Carnotensis episcopi legati apostolici, Helias concessit monachis Cluniacensibus sancti Martini de Campis apud Hienvillam altarium oblationes anno 1142. Innocentius II. jus ei 1142.
confirmavit episcopale in abbatia S. Maximini, ex regesto pergameno cathedralis, in quo exstant hujus episcopi literæ, quibus firmat pacem inter Stephanum decanum & capitulum pro quibusdam decimis. Circa id tempus a Pontio Vizeliacensi abbate invitatus, ordines sacros monachis ibidem contulit. Altare sancti Christophori martyris in ecclesia sancti Dionysii consecravit tertio idus C Junii 1144. Anno eodem gravium criminum 1144.
reus, a clericis Aurelianensibus apud Lucium II. accusatus fuit, ut auctor est Petrus Cluniacensis lib. 4. epist. 22. *Inquietudo quorumdam Aurelianensium clericorum ..... quæ ecclesiam suam pene destruxit, necdum requiescere didicit. Non enim zelo justitiæ, non utilitate aliqua reipublicæ suæ canonici, non canonici, fingentes se quærere quæ Dei sunt .... sicut suam matrem ecclesiam lethaliter pene læserunt, sic contra suum patrem & episcopum calcaneum erexerunt.* Defuncto anno 1145. ineunte Lucio successit 1145.
Eugenius III. cui idem abbas in gratiam Heliæ epistolam 28. scripsit: *Venerabilis vir & sacerdos Dei dominus Aurelianensis episcopus paternitati vestræ devotus filius a filiis Belial multa perpessus, & cum iis qui oderunt pacem ut ovis mitissima semper pacificus, ad vos, ut ad pacatum portum, & ad tutum pietatis azylum, & nuper confugit, & rursum recurrit, ut virtus ac mansuetudo apostolica sit ei turris fortitudinis a facie inimici. Scribit & obsecrat pro eo tota pene Gallicana ecclesia, & ne pontificalis sublimitas ab infamibus & vilissimis personis mendacibus contumeliis appetita dehonestari permittatur, supplex implorat. Addimus & nos, si tamen alicujus momenti esse possunt, aliorum precibus preces nostras, ut quia non solum episcopali gradu sublimatur, sed & monachili honestate & habitu insignitur, utrumque pro eo ordinem pater exaudiat, utrumque in oleo lætificet, utrumque honoret & tot tantisque molestiis innocentiam diu ab improbis fatigatam cum plenitudine apostolicæ benedictionis & gratiæ ad sua suosque remittat.* Culpæ quoque ipsi impactæ innocens fuisse videtur Helias judicio Petri prioris S. Johannis Senonensis, qui ad eum scribens, non insulse in nominis etymo sic alludit: *Heliæ Aurelianorum pontifici, P. Christi servus bene vivere in spiritu & veritate Heliæ. Nomen tuum, venerande pater, Græco sensu*

ANNI CHRISTI

perhibetur soli fere convenire. Conferat Deus ut soli justitiæ persona conveniat morum claritate. Liquet vero quod sol iste communis interdum eclipsim patitur, & objectis nubibus plerumque quantum ad nos ad tempus obscuratur. Ne mireris ergo vel moleste feras, vir sapiens, si forte apud quem aliquam affinitatem habes in nomine ipsius, ejusdem aliquam similitudinem sustineas in defectione. Quin potius inspectis prioribus intuere sequentia, & quid boni sequentes tibi successus persimile promittant diligenter pensa. Addit post alia: *Ita ergo, juvante Deo, credendum est, quod hostes tui, qui velut umbra terræ sive nubeculæ congregatæ, ne sol luceat, avertere nituntur, spiritu veritatis a dextera parte flante citius depellentur, & solaris lux in virtute sua exeret claritatem.* Contrarium prorsus accidit; nam anno 1145. xv. calendas Novemb. (Baluz. Miscell. tom. 6. pag. 456.) a Radulfo archidiacono reus simoniæ delatus est Helias apud Eugenium papam anno primo, quod 40. solidos accepisset pro dedicanda ecclesia sancti Laurentii Aurelianensis mense Martio ab Arnaldo anno pontificatus Innocentii 10. Hoccine est crimen, de quo purgandi se cum non posset habere locum Helias, nec Petrus Venerabilis, imo neque ipse rex Ludovicus summum pontificem flectere (S. Bernard. epist. 245.) in ejus gratiam quivissent, consilio sancti Bernardi usus, sponte episcopatu cessit, iterumque mona-
1146. chum induit anno 1146. Eugenio III. sedente, quem exoravit sanctus Bernardus epistola 246. non ut sedem pristinam recuperaret Helias, neu ut episcopus remaneret, sed ut retineret sacerdotem, & a nota infamiæ perpetuæque inustionis cauterio immunis esset, quod obtinuisse videtur? nam Petri Cluniacensis chartæ pro Balernensibus testis subscribitur domnus Helias quondam episcopus Aurelianensis, quem multis opprimi debitis in eadem epistola conqueritur Bernardus, postulatque ut de bonis episcopalibus creditoribus ejus satisfiat. Inde patet perperam ab Alberico in chronico dici Attonem episcopum Trecensem, & episcopum Aurelianensem in concilio Remensi fuisse depositos, cum ambo nutu proprio dignitatem abdicaverint, ut de Aurelianensi constat ex epistola sancti Bernardi, de qua supra.

DE GARLANDE.

LX. Manasses II.

Nobilissimis editus est parentibus Manasses, dictus secundus in nonnullis instrumentis, filius quippe erat Gilleberti junioris Franciæ buticularii, domini Garlandæ & Livriaci, ex Eustachia de Baudement, fratris Anselli domini de Gornaco, Guillelmi de Garlande Franciæ senescallorum, & Stephani decani Aurelianensis Franciæ item senescalli & cancellarii. Cum per annos viginti varia pietatis, zeli pastoralis ac munificentiæ singularis specimina dedisset in Aurelianensi ecclesia, præsente ac forte promovente Stephano patruo viro potentissimo, in cathedram Heliæ cedentis subrogatus, Aurelianensis episcopus consecratur anno 1146. quo canonicis sancti Evurtii præbendarum anniversaria in ecclesia S. Crucis largitus est. (Chart. XXVIII. col. 506.)
1147. Subscripsit anno 1147. diplomati Ludovici VII. pro Floriacensibus. Nonnulla donavit monachis sancti Martini a Campis pro remedio animæ avunculi sui Stephani & suæ anno 1148. calend. Junii nullo decano. 1148. De ejus consilio Simon de Balgenciaco largitus est ecclesiam beatæ Mariæ Boni-Nuncii Garnerio abbati Majoris monasterii, hancque ipse Manasses ratam habuit donationem (Ch. XXXI. col. 509.) anno 1149. episcopatus 4. 1149. Confirmavit eodem anno pactum monachorum Curiæ-Dei pro decima Fractiputei. (Chart. XXXIII. col. 510.) Eugenius III. privilegiis & immunitatibus episcoporum Aurelianensium consuluit bulla data Manassi IV. idus Februarii anni 1150. 1150. Eidem paucis ante diebus, ut putamus, septimo nempe cal. Februarii præscripserat, ut ablatam, quam He. antecessor ipsius eis dederat, ecclesiam (Spicil. t. 3. pag. 491.) sancti Machuti monachis Vizeliacensibus restitueret. Ecclesiæ sancti Aviti præbendarum ecclesiæ ejusdem annualia concessit pro anniver- (Ch. XXXII. col. 510.) sario suo, patris, matris & avunculi Stephani quotannis celebrando anno 1150. episcopatus 5. Fundationem Curiæ-Dei confirmavit an. 1151. 1151. episcopatus 5. Ludovici vero regis 14. Circa id tempus consecravit ecclesiam Firmitatis Abreni & majus altare, nundinasque ibi ab Agnete domina institutas & donatas monachis Miciacensibus cum Simone decano confirmavit. Anno 1152. 1152. die Martis ante Dominicam Paschatis Floridi, quæ erat dies 18. Mart. celebrata est Balgenciaci synodus in causa divortii Ludovici VII. regis cum Alienora Aquitanica, de qua Sugerius abbas S. Dionysii qui aderat. Eodem adhuc anno celebrantur Aurelianis nuptiæ regis cum Constantia Castellana uncta in reginam ab Hugone Senonensi archipræsule in basilica S. Crucis. Multa confirmavit Manasses Curiæ-Dei an. 1153. 1153. Ecclesiæ S. Verani Gargogilensis annualia præbendarum concessit, ecclesiam consecravit, corpus S. (Ch. XXXV. col. 512.) Confessoris relevavit, unam præbendam dedit & nundinas annuas, & ecclesias restitutas, ea lege ut ecclesia infra castrum novum transferretur, cujus presbyteri præsentationem concessit anno 1154. 1154. Iterio abbati Cellensi apud Biturigas ecclesiam de Biliaco confirmavit anno eodem, quo & testis fuit pacis initæ inter Lancelinum dominum Balgenciaci & Rob. abbatem Vindocinensem. Circa id tempus querelam habuit cum capitulo circa electionem decani, quam capitulo asseruit. Anno 1157. monachis S. Maximini confirmavit patronatum ecclesiæ beatæ Mariæ. 1157. Eodem Ludovicus rex dato diplomate Manassi, quem dilectissimum (Chart. XXXVI. col. 513.) suum vocat & honoratam personam, quam in suæ gratiæ familiaritatem speciali prærogativa suscepit, defuncti episcopi supellectilem quamcumque relaxat, statuitque ut tallia deinceps vacante ecclesia summam 60. libr. non excederet. Capellam de Coboliis chrismalem, proprium in ea sacerdotem, liberamque ab archidiacono constituit Manasses anno 1158. Johanne decano teste. 1158. Confirmavit eodem anno episcopatus 13. monachis Pontilevi- (Chart. XXXVII. col. 514.) ensibus ecclesias quas in ipsius obtinebant diœcesi. Anno 1160. episcopatus 14. 1160. datas a Burchardo de Magduno homine suo terras nonnullas fratribus Jerosolymitanis approbavit. Anno eodem una cum Hugone archiepiscopo Senonensi & Theobaldo Parisiensi antistite ab Adriano papa delegatus

ANNI CHRISTI delegatus fuit ad conciliandos canonicos seculares & regulares de ecclesia S. Quiriaci disceptantes. *Bolland. Jan. tom. 1. pag. 153.* Revelationi reliquiarum sanctæ Genovefæ Parisiis adstitit die 10. Januarii 1161. Donum apud
1161. Chauciacum a Beatrice de Firmitate ecclesiæ Fontis-Ebraldi factum precibus summi pontificis
1162. & cardinalium confirmavit anno 1162. Eodem *Spicil. t. 3. pag. 578.* missus a Ludovico rege cum literis ad Henricum comitem Trecensem, occultis machinationibus comitem induxit, ut colloquium regem inter & imperatorem necteret, ibique Alexandri & Octaviani de summo pontificatu contendentium causa utroque præsente dijudicaretur. Partibus Alexandri non favebat Manasses, ut patet ex epistola B canonicorum Aurelianensium ad hunc pontificem, qua de præfato episcopo expostulant vehe-*Conc. t. x. col. 1357.* mentissime: *Odit personam vestram*, inquiunt, *causæ vestræ insultat, legatos vestros persequitur, super fideles vestros frendet dentibus & tabescit, minis, damnis, injuriis quos potest, afficit, per se quos non potest pretio conducta potestate ducit in exterminium ...... Appellavimus ad præsentiam vestram, nec prodest nobis apostolicæ sedis reverentia. Omnia disponit ad libitum, & si quos patitur suæ voluntatis adversarios, indignatur & maledicit quam male, licere sibi existimans quidquid libet, nec officium pontificis exercens, sed tyranni. Distribuit honores immeritis, ab ecclesia re-* C *movet innocentes. Prabendas dimidiat contra morem, qui dies & actus suos dimidiare debuerat, & mala præterita recogitare in amaritudine animæ suæ, quorum tristis insania totam fere Galliam infecit & faciem devenustavit ecclesiæ. Jam enim & per eum & propter eum famosa illa nobilis Aurelianensis ecclesia, honestatis sedes, scientiæ domicilium, justitiæ locus, atrium disciplinæ, facta est spelunca latronum*, &c. In fine summum pontificem rogant, ut quos post appellationem propriis a finibus exulare coëgit, bonisque propriis injuste spoliavit Manasses, his ablata *Ibidem col. 1317.* in integrum restituat. His auditis Alexander plures ad Manassem dedit literas, ut canonicis satisfaceret, D cumque nec sic satisfecisset episcopus, ei in mandatis dedit ut canonicis universa ablata restitueret, deque iis omnibus Ludovicum regem fecit certiorem literis datis apud Montempessulanum pridie idus Julii. Exstat & in Amplissima Martennii collectione tom. 2. col. 682. alia ejusdem pontificis ad Henricum Remensem archiepiscopum de eodem argumento epistola, de modo quo agendum erat cum illo Aurelianensi episcopo, pro quo rex Ludovicus instanter apud eum intercedebat, & tam viva voce quam frequentibus nunciis preces replicabat. Data est Turonis XIII. calendas Januarii. Circa id tempus enim exem- E tionem quoque sancti Aniani impugnavit Ma-
1163. nasses. Subscripsit anno 1163. episcopatus 17. paci initæ inter abbatem Miciacensem & Burchardum de Magduno circa consuetudines ecclesiæ beatæ Mariæ de Firmitate. Eodem anno tertiam partem panum & candelarum in ecclesia sancti Medardi de Gehona monachis Boni-Nuncii concessit, & Odoni abbati S. Dionysii ecclesias de Tourri & de Tyvernon ad suum & avunculi sui Stephani de Garlande anniversarium. Plures

A ecclesias sanctæ Cruci Gargogilensi cessit & confirmavit anno 1164. episcopatus 19. Indulsit ANNI CHRISTI capitulo Carnotensi petenti coram G. Carnotensi 1164. electo, ut instituerent capellam in honorem sanctæ Mariæ & sancti Jacobi apud Merrolias, salvo jure ecclesiæ S. Laurentii, ad quam Merroliæ spectant, anno 1165. Monachis Boni-Nuncii contulit præ- 1165. bendam in ecclesia sancti Petri Puellaris pro re- *Chart. XL. col. 516.* medio animæ patris sui Gilleberti, & matris Eustachiæ, & patrui Stephani de Garlanda anno 1166. Adfuit eodem anno concilio Bellovacensi, 1166. ubi excommunicati monachi Resbacenses episcopo & abbati rebelles. Concessa monachis Boni- B Nuncii ab Hugone & Odone sita in claustro & curia Guinemari confirmavit anno 1167. epi- 1167. scopatus 22. Ecclesiæ S. Pauli in burgo Dunensi *Chart. XLI. col. 517.* medietatem & ecclesiam de Calvomonte in Secalonia Miciacensibus eodem anno asseruit. Cum videret Aurelianensem ecclesiam pene omnium *Ch. XLII. col. 517.* religionum floribus adornatam, Præmonstratensem ordinem, quem non mediocriter diligebat, nondum admisisse, dedit ipsi sanctum Nicolaum de Lauda, quem locum univit domui Vadi-ulmi, *præ gaudio nativitatis illustrissimi pueri Philippi filii domini regis*, X. calendas Januarii anno 1167. hæ postea sancto Evurtio uniuntur ecclesiæ. Ec- C clesiam S. Georgii de Marogilo dedit Stephano abbati sancti Evurtii anno 1168. qui componi- 1168. tur cum episcopatus ejus anno 22. in chartis Curiæ-Dei. Eodem tam pro salute animæ suæ, quam Johannis decani, a quo sæpe rogatus fuerat, Miciacensibus quæcumque Johannes episcopus eis concesserat, confirmavit. Gerardo præposito de Toury dedit usum in silva de Gant. Sevino abbati beatæ Mariæ de Ancha nonnulla donavit anno 1169. episcopatus 24. eodemque anno eidem 1169. facto abbati Curiæ-Dei domum de Ancha largitus est. Vetuit eodem ne abbatia infra quinque leucas circa Curiam Dei institueretur. Translatam abba- D tiam de Vado-ulmi confirmavit, cujus fratribus permisit, ut pastorem eligerent & magistrum, inhibuitque ne ullus immutaret eorum institutiones, vel alterius religionis regulæ eos subjiceret, literis datis anno 1170. episcopatus 24. Eodem 1170. VIII. calendas Aprilis apud abbatiam Barbelli quædam altaria consecravit. Capellas & ecclesias capitulo Jargoliensi confirmavit eodem anno, episcopatus 25. Concordiam inter Girardum abbatem Vindocinensem & Lancelinum de Balgenciaco initam super interfectione servientis illius ecclesiæ eo quoque anno confirmavit. Abbatiæ Curiæ-Dei concessit anno 1171. episcopatus 26. 1171. E quod Sevino & fratribus de Ancha prius cesserat. Arraudo Floriacensi abbati decimas d'Arnai, nonnullaque Miciacensibus monachis eodem confirmavit anno, quo donavit Eleemosynæ S. Crucis *Annal. Aurelian. pag. 458.* seu hospitali pro sustentatione pauperum, fundum, qui dicitur molendinum Hardreti, cum multis adjacentibus terræ jugeribus, tribus lacubus & usu nemorum. Capitulo sanctæ Crucis anno eodem *Spicil. t. 8. pag. 197.* annuum reditum 15. librarum in oblationibus magni altaris & calicis in eleemosynam perpetuam donavit, ex quibus 60. solidi in die

ANNI CHRISTI

anniversarii Ludovici VII. regis, & 40. in die A
anniversarii Constantiæ reginæ in eadem ecclesia consecratæ persolverentur. Memoratur Manasses cum Hugone decano sanctæ Crucis & Johanne
1172. decano sancti Aviti annis 1172. & 1173. in
1173. chartulario sancti Aviti, cujus canonicis ecclesiam de Avaziaco liberam & quietam concessit
1174. anno 1174. episcopatus 28. Hugone decano, sub certis quas enumerat conditionibus. Dicitur episcopus Aurelianensis & sancti Aviti abbas anno 1174. episcopatus 29. XVIII. cal. Augusti cum Johanne sancti Aviti decano in chartulario sancti Aviti, cujus canonicis ecclesiam de Ceresiaco liberam a synodo & circada, & ab exactionibus B
archidiaconi & archipresbyteri conservavit anno
1176. 1176. Eodem episcopatus 30. monachis Floriacensibus facultatem fecit parochianos sancti Sebastiani pro decima panis & vini in burgo sancti Benedicti excommunicandi. Eodem anno episcopatus 31. ecclesiam beati Martini de Abet concedit ecclesiæ beatæ Mariæ de Vado-ulmi & fratribus ibi Deo servientibus, salvis consuetudinibus archidiaconi, retentoque pro se annuo
1177. censu unius libræ ceræ. Anno 1177. episcopatus 31. confirmavit institutam regulam S. Augustini in ecclesia de Vado-ulmi, ejusdemque fratribus locum, in quo situm monasterium, concessit. C
Approbavit eodem anno fundationem Ludovici regis in fundo sancti Verani Gargogilensis, Præmonstratensibusque dedit censum vinearum apud
Ch. XLV. col. 510. Gargogilum. Statum ecclesiæ Firmitatis-Abreni immutari consensit anno eodem, canonicosque monachorum loco substitui. Eodem adhuc anno ecclesiam de Chilleriis de manu laïca summa cum difficultate retractam ecclesiæ Aurelianensi con-
1178. cessit. Anno 1178. episcopatus 32. dedit ecclesiæ sancti Evurtii decimam & ecclesiam de Ororio. Dedit quoque eis licentiam habendi canonicos suos in ecclesia Arteniaci, absque data. Abbatiam
Ch. XLVI. col. 510. Vadi-ulmi cum adjacentibus cellis canonicis S. D
Evurtii concessit anno 1177. *al.* 1178. Inse-
1179. quenti 1179. episcopatus 33. ecclesiam de Avaziaco canonicis sancti Aviti a laïcali manu & potestate exemtam concessit de consensu Hugonis decani. Floriacensibus omnes decimas quas in episcopatu Aurelianensi possidebant, eodem confirmavit anno, easque de manu laïcorum redimere
1180. concedit. Dedit an. 1180. chartam pro libertate & immunitate prioratuum Floriacensis monasterii in diœcesi Aurelianensi. Sanctimonialibus de Hospitio quidquid largitus fuerat Johannes decessor,
1182. confirmavit anno 1182. Donationem fecit mo-
1184. nasterio Barbelli anno 1184. Ratum habuit anno E
1185. 1185. quidquid monachi Sandionysiani in ipsius acquirerent diœcesi. Eodem approbavit anno quod Hildebertus canonicus sancti Evurtii de manu laïca redemisset decimam de tota parochia de Seneliaco ad opus presbyteri hujus ecclesiæ, concedente nobili viro Theobaldo. Donavit priori & fratribus de Flotano locum Castellionis. Denique cum multis bonis ecclesiam suam locupletasset Manasses, in medio capitulo abbatiæ sancti Evurtii, quam possessionibus quoque auxerat,

ANNI CHRISTI

cadaver sepeliri mandavit. Ejus obitus dies consignatur in vetustiore sanctæ Crucis necrologio die 28. Septemb. sic: *IV. calend. Octobris obiit Manasses II. episcopus Aurelianensis.* Attamen in necrologiis sancti Aviti & sancti Dionysii assignatur ad VII. calendas Novemb. & in necrologio Curiæ-Dei, cujus benefactor Manasses, legitur: *IV. nonas Maii obitus Johannis, Manassis & Hugonis episcoporum Aurelianensium.* Porro Manasses, cujus hic mentio, non fuisse videtur alius a Manasse de Garlande, qui erga hoc monasterium fuit beneficus; sed forte his in necrologiis assignatur dies anniversarii horumce episcoporum.

Inter epistolas Stephani Tornacensis, centesima *Pag. 144.*
Manassem senem hortatur Stephanus tunc abbas sanctæ Genovefæ Parisiensis, ut quoddam debitum solvere non retardet.

LXI. HENRICUS. DE DREUX.

Roberti I. comitis de Drocis fratris Ludovici VII. regis ex Agnete de Brana filius Henricus, germanus autem Philippi Bellovacensis episcopi, archidiaconus erat Brabantiæ in diœcesi Came- *Cap part. 1. p. 442.*
racensi anno 1186. cum Aurelianensem eccle- 1186.
siam suscepit regendam; hoc enim anno electum sese nuncupat in tabulario Floriacensi. Electus vero ad Guillelmum archiepiscopum Remensem *Steph. Tornac. epist. 123.*
properavit, forte ut ab eo consecrationis munus acciperet, quemadmodum suspicatur R. P. du Molinet in notis ad epistolam 123. Stephani Tornacensis, qui sub ipso Henrici præsulantis initio scripsit ad eum epistolam 124. qua ejus implorat auxilium adversus Palatinos satellites ex persona abbatis sancti Evurtii Aurelianensis verbis istis: *Moveat paterna viscera vestra dolor noster, & in liberatione nostra promotionis vestræ principia consecrate, ne si Palatini satellites in consimilibus invenerint vos tepidum, commune sit periculum vestrum pariter ac vestrorum. Domum reverti nec audeo, nec præsumo, cum ecclesia nostra in quotidianis deficiat lamentis, & adhuc lacrymæ ejus in maxillis ejus. Parisius cum abbate S. Genovefæ remansi, exspectans ab uberibus consolationis vestræ refici, & in præsenti angustia vestro consilio pariter & auxilio liberari.*
Anno 1187. Henricus approbavit pactum inter 1187.
Andream decanum & capitulum S. Aviti initum super convivio, quod decanus quotannis debebat capitulo. Ecclesiam de Ursello canonicis sancti Evurtii pro anniversario largitus est charta data anno 1188. in qua vocat M. decessorem suum 1188.
quondam Aurelianensem episcopum. Circa id tempus ad Henricum, ut pote magni nominis & primæ dignitatis præsulem, scripsit Petrus Blesensis epistolam 112. ut rex Franciæ ad bellum Jerosolymitanum contra Saracenos a clericis non pecuniarum sed orationum tantum exactiones faceret. Non nescio epistolam inscriptam esse R. Aurelianensi episcopo, sed nullus dubito quin amanuensium error sit. 1.° enim quædam inter apices H. & R. affinitas errandi ansam præbere potuit. 2.° regem consanguineum episcopi appellat Petrus, quod soli Henrico tunc temporis Aurelianensi episcopo competit. 3.° inibi iteratæ expeditionis

ANNI CHRISTI

Jerosolymitanæ fit mentio, quæ contigit sub hoc præsule, anno scilicet 1190. quo patronatum
1190. ecclesiæ S. Medardi de Gehona canonicis sanctæ Crucis restituit. Eodem Raginaudus major de Bullo hanc ei oppigneravit majoriam pro 30. libr. Idem annus episcopatus ejus quartus numeratur in regesto rubro. Insequenti acceptis 25. marcis argenti prioratum sancti Sepulcri Balgenciacensis
1191. a procuratione ipsi debita exemit anno 1191.
1192. Reperitur annis 1192. & 1194. in chartis sancti
1194. Dionysii. Hoc autem pepigit cum Ernaudo abbate S. Petri Carnotensis super procurationibus ipsi debitis in prioratu de Niz. Eodem successor Manassæ Henricus confirmavit bona monasterii Pontilevienis in diœcesi Aurelianensi. Anno
1195. 1195. Cœlestinus III. bulla data pridie nonas Junii pontificatus v. latam a G. Majoris monasterii, Philippo sancti Juliani, & Hi. Burguliensi abbatibus recuperatoribus apostolicis sententiam de procuratione Henrico debita in prioratu sancti Sepulcri Balgenciacensis confirmavit. Largitus est
1196. anno 1196. ecclesiæ sanctæ Crucis 20. libras in die anniversarii distribuendas. Privilegia monasterii Curiæ-Dei eodem asseruit anno. Inse-
Chart. II. col. 523. quenti perpetuum in ecclesia Magdunensi succentorem instituit. Dotalitio Elisabeth dominæ de
Anecd. t. 1. col. 667. & 1283. Castrovillani subscripsit an. 1197. Eodem factum monasterio Fontis-Ebraldi donum confirmavit.
1197.
1198. Romam profectus an. 1198. pro libertate fratris sui Philippi episcopi Bellovacensis, qui a rege Angliæ in vinculis detinebatur, in itinere animam Deo reddidit die 25. Aprilis, uti notat chronicon canonici Laudunensis anonymi, & quidem apud Senes-veterem, condito prius testamento, ut legitur in charta Hugonis successoris pro ecclesia Magdunensi, ubi dicitur vir nobilis & honestus, sanctæ recordationis. Senis in Tuscia sepultus fuit in vetere cathedrali, ubi olim legebatur epitaphium, cujus principium erat: *Episcop. clauditur.* Cetera carmina non potuere legi a Sigismundo Tirito, ut ipse fatetur in secundo tomo annalium Senarum ms. In chronico Senensi apud scriptores Italicos tom. XV. pagina 17. ad annum 1198. sic legitur: *Obiit Aurelianensis episcopus Henricus frater consobrinus Philippi regis Franciæ, & in episcoporum sepulcro tumulatus anno Domini 1198. pro cujus anima dominus episcopus & canonici Senenses habuerunt magna donaria, unde annualiter diem anniversarium ad sepulturæ obsequia facere promiserunt.* Henrici quoque memoriæ Agnes comitissa Branæ genitrix anniversarium fundavit in ecclesia majore Remensi. Ejus meminere diversa martyrologia, Aurelianense VIII. cal. Junii, Sandionysianum ad diem VIII. cal. Maii, Bellovacense & Curiæ-Dei ad IX. cal. ejusdem mensis, Parisiense XI. cal. Aprilis, Pontilevienſe nonis Januarii. De Henrico vide Quercetanum in historia Drocensi, & Sammarthanos tom. 2. lib. 33. historiæ genealogicæ domus Franciæ.

Ubinam vero collocabimus Petrum Aurelianensem episcopum, cui inscripta est epist. 220. Stephani Tornacensis episcopi, ut Duacum veniret, arbiter lectus inter ipsum & abbatem sancti Bertini pro controversia inter eos dirimenda? *Quoniam*, inquit, *negotium delatum est usque ad sextam feriam post Cineres, rogamus vos sicut patrem & dominum & amicum, quanto possumus affectu & annisu, ut pro amore Dei & pace inter ecclesias reformanda ea die gratam nobis exhibeatis præsentiam vestram apud Duacum.* Collocari autem nequit Petrus, nisi ab anno 1196. quo sedere cœpit Odo Parisiensis episcopus, quicum negotii monachorum sancti Bertini electus fuerat arbiter, ut constat ex epistola 218. ejusdem Stephani, ad annum 1203. quo obiit Stephanus. Porro toto hoc temporis spatio Henrico desinente anno 1198. occœpit præsulem Hugo, & rexit ad annum 1206. Errorem ergo vel in nomine episcopi, vel in assignata sede licet suspicari. Baluzius autumat legendum Atrebatensem, non Aurelianensem.

LXII. Hugo I.

DE GARLANDE.

Guidonis de Garlande de Tornomio fratris Manassis II. de quo supra, filius Hugo perdiu decanus fuerat Aurelianensis, cum defuncto Henrico datus successor, ad pontificalem sedem evehitur anno 1198. ut patet ex ejus charta data 17. Augusti hujusce anni, qua archidiaconatum majorem & unam præbendam de consensu capituli, perpetuo annexuit decanatui. Unctus fuit a Michaele de Corbolio Senonensi metropolitano. Gratulatoriam de ipsius promotione scripsit illi epist. 267. Stephanus Tornacensis, his verbis: *Decanus electus est in episcopum . . . . gaudeat Aurelianensis ecclesia, quam personarum penuria non coëgit, ut ab aliis ecclesiis emendicatum mutuaret antistitem. Quem nutriverat a puero, quem produxerat in viam perfectam, quem disciplinis erudierat ecclesiasticis, assumsit sibi sufficiens de gremio proprio, & capiti suo superponens, de filio fecit patrem, non ignotum moribus, non alienum provincia, non degenerem natalibus, & justas expertum sollicitudines, & injustæ dissolutionis expertem. Revera non militavit alienis stipendiis, dignus ut in ecclesia illa præesse debeat, in qua consueverat & prodesse. Gaudeat & electus ipse, cui congaudeamus & nos, & gaudium nostrum nemo tollat a nobis, vel invidia murmurans, vel malitia persequens, vel detractione mordens . . . . Intelligat dominus & amicus noster quod dicimus; dabit enim ei Dominus in omnibus intellectum. Commendabilem protestamur episcopum temporibus nostris, qui ab illicito contactu sese servaverit alienum. Augeat vobis Deus gratiam suam, & attollat virtutibus, quem extulit dignitate. Interim, pater optime, beatum decessorem vestrum sanctum Evurtium, & ipsius ecclesiam, felix successor, honorate, diligite & colite, frequenter cogitantes, quia unde assumtus estis ad cathedram, illic absumendus eritis in sepulcro.* Alludit ad consuetudinem etiam nunc vigentem; quippe episcopus Aurelianensis electus & consecratus adire solet ecclesiam S. Evurtii, a qua solenni pompa deducitur ad basilicam sanctæ Crucis. Duæ aliæ Hugoni inscriptæ sunt epistolæ; 280. rogat eum Stephanus ut emendet in ecclesia sancti Evurtii nonnulla vitia, quæ ibi pullulaverant:

ANNI CHRISTI

282. testimonium perhibet ecclesiam S. Evurtii non teneri ad procurationem episcopo Aurelianensi præstandam; data est circa annum 1203. Decretalem quoque 49. lib. 2. Hugoni inscripsit Innocentius III. summus pontifex anno pontificatus primo, hic est 1198. ut D. de Corbolio subdiacono pauperi præbendam primo vacaturam conferret. Exstat & ejus charta pro cœnobio
* Marigny-lès-Cléri. beatæ Mariæ de Marigniaco*, olim Grandimontensium, in cujus fine legitur: *Actum Magduni anno gratiæ M. CXCVIII.* in ejusdem tabulis. Confirmavit Evurtianis decimam parochiæ sancti
1199. Martini de Abeto anno 1199. episcopatus primo. Asseruit eodem monachis Curiæ-Dei quædam apud Atraich. Reperiuntur in inventario chartarum thesauri regii Hugonis literæ, ex quibus patet *campsores* claustri sanctæ Crucis teneri solvere regi decem libras in nundinis Aurelianen-
1200. sibus, codicillis apud Capellam datis anno 1200.
1201. Insequenti Hugo dedit Johanni, Manassi & Eustachiæ de Nanteuil filiis fratris sui torcular & septem jugera vinearum. Ratam mense Januario habuit bullam Innocentii III. pro legitimis habentis filium & filiam, quos ex Agnete filia ducis Moraviæ habuerat Philippus Augustus. Dedit canonicis S. Crucis pro anniversario suo mense Martio decimam parochiæ sancti Agili. Fratribus
Chart. LII. col. 523. Curiæ-Dei anno eodem prædia, privilegia & libertatem asseruit. Hoc quoque anno episcopatus 4. ad sedem apostolicam profecturus, ecclesiæ Magdunensi libertatem ab antecessore & patruo confirmatam concessit, & quidquid ab Henrico apud Marolium emtum fuerat, eidem legavit.
1202. Dedit anno 1202. chartam pro hospitibus domus Bonæ-villæ. Sopitam inter Garnerium abbatem Floriacensem & capitulum S. Petri virorum
1203. discordiam confirmavit anno 1203. Manassis & Henrici inhærens vestigiis, ecclesias quas monachi Pontilevienses in diœcesi Aurelianensi pos-
1204. sidebant, confirmavit mense Junio 1204. Eodem recognitionem dedit capitulo pro luminari in ecclesia fovendo juxta constitutionem Manassis. Hoc adhuc anno legavit capitulo sanctæ Crucis summam pro dotatione anniversarii consobrinæ Agnetis comitissæ de Brana. Confirmavit anno
1206. 1206. Humbaudo abbati sancti Maximini omnia antecessorum privilegia & donationes. Eodem vitam cum morte commutavit, sepultusque est in capitulo sancti Evurtii juxta tumulum patrui sui Manassis, qui in meditullio ejus jacet, ut colligit R. P. du Molinet ex epistola Stephani Tornacensis 267. & innuit epistola ejusdem 280. Hunc esse Hugonem existimamus, cujus obitus notatur IV. nonas Maii in necrologio Curiæ-Dei.

LXIII. MANASSES III.

DE SEIGNELAY.

Nobilibus toparchis de Silliniaco in pago Autissiodorensi ortus Manasses, patrem habuit Burchardum, matrem vero Aanorem filiam Andreæ domini de Montebarri. Huic stirpis nobilitas cum virtute opportunum ad infulas capessendas aditum præbuere. Ecclesiasticis jam auctus dignitatibus, nempe Autissiodorensi & Senonensi archidiaco-

A natibus, ecclesiæ hujus metropolitanam ad sedem postulatus, raro exemplo illam recusavit; sed electus Aurelianensis episcopus, consecratur a Petro de Corbolio archiepiscopo Senonensi an. 1207. 1207.
Eodem adstitit mense Julio translationi corporis sancti Benedicti apud Floriacum, & approbavit sententiam a magistro scholarum pro canonicis S. Aviti latam. Biennio post, donationes factas monachis Boni-nuncii confirmavit anno 1209. 1209.
mense Julio; & Decembri a papa delegatus pacem conciliavit inter abbatem beatæ Mariæ Blesensis, & dominum Montiniaci. Sub id tempus auctor est Rigordus in gestis Philippi Augusti Franco-
B rum regis, baronibus & episcopis vocatis a rege ad exercitum cum suis turmis militaribus pro expugnatione cujusdam fortalitii in Aremorica, Manassem cum fratre ad bellum proficisci refragatum fuisse, nec se teneri causatum esse, nisi quando rex ipse ad bellum procederet, de quo dissidio referendus hic Rigordi locus: *Cum omnes barones & episcopi vocati ad hunc exercitum convenissent apud Medontam, & misissent ad mandatum regis homines suos, prout debebant, in expeditionem illam, Aurelianensis & Altissiodorensis episcopi cum militibus suis ad propria sunt reversi, dicentes se non teneri ire vel mittere in exercitum, nisi quando rex*
C *ipse personaliter proficiscitur. Et cum nullo ad hoc privilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit rex ut hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, rex eorum regalia confiscavit, scilicet ea tantum temporalia quæ ab eo feudaliter tenebant, scilicet decimas, & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim rex christianissimus semper timebat offendere ecclesiam Dei & ejus ministros. Ipsis ergo terram & homines regis interdicentibus, & ad Romanam curiam mittentibus, & in propriis personis accedentibus, domino papa Innocentio III. consuetudines & jura regni nolente infringere, aut in aliquo revocare, emenda tandem facta & regi soluta post*
D *duos annos, recuperaverunt omnia quæ a rege fuerant confiscata.* Pluribus hac de re epistolis scripsit pontifex maximus ad regem lib. 1. reg. epist. 190. & 191. Anno 1210. Manasses querelam habuit 1210.
cum monachis Floriacensibus pro procurationibus, quas visis eorum privilegiis penitus dimisit. Donum monialibus de Magduno factum a Giraudo de Chastelers eodem anno confirmavit. Ortam inter presbyterum de Esqueboliis & canonicos sancti Aviti de minuta decima controversiam composuit. De mandato summi pontificis abbatiam de Burgo-medio visitavit, pro cujus reformatione nonnulla edidit statuta. Insequenti
E Miciacensium privilegia confirmavit, qui ipso exsulante a divinis cessaverant an. 1211. Eodem Chart. LV. col. 525. 1211.
electus arbiter definivit capellam & jurisdictionem burgi de Bethleem ad episcopum Autissiodorensem pleno jure pertinere. Pacificata tandem est Tom. IV. instr. col. 95.
anno 1212. querela, quam cum rege Manasses 1212.
habebat, cujus rei gratia confessus est episcopus debere se regi exercitum suum, sicut ceteri & barones & episcopi, & cessit *regalia* quam hucusque rex perceperat, mense Augusto 1212. Alia eorumdem mensis & anni charta Philippo regi Chart. LVI. col. 526. Ampliss. collect. tom. I. col. 1110. & 1111.

ANNI CHRISTI

promisit se de matrimoniis contractis durante in-
terdicto non cogniturum, nec quidquam factu-
rum adversus canonicos sancti Aniani. In tabulis
S. Evurtii hoc anno aut sequenti mense Martio
sigillo suo communivit donationem factam a
Garino buticulario milite. Adversus Albigenses
hæreticos crucem cum assumsisset rex christia-
nissimus, cruce quoque inter antesignanos signati
episcopi Aurelianensis & Autissiodorensis cum
comite Montis-fortis, negotium Christi egregie
promoverunt, uti recenset Petrus monachus Val-
lis-cernaii in historia Albigensium cap. 69. ubi
luculentum affert de iis elogium verbis istis:
Ea tempestate episcopus Aurelianensis Manasses, &
Autissiodorensis episcopus Guillelmus, viri per omnia
laudabiles & constantes, duo magna, imo præcipua
tunc temporis Gallicanæ ecclesiæ lumina, fratres in-
super secundum carnem germani, crucem assumserant
contra hæreticos superius comprehensos: hi videntes
signatorum multitudinem remansisse, scientesque nego-
tium fidei in arcto discrimine constitutum, pro eo quod
hostes fidei, pro remansione peregrinorum cornua solito
crudelius assumsissent, collectis secum militibus quot-
quot potuerunt, miro fervore spiritus & virtute iter
arripuerunt contra hæreticos, parati non solum sua
expendere, sed & se ipsos, si oportuerit, periculis &
morti exponere pro servitio Jesu Christi. Properantes
igitur viri Deo pleni, recto itinere pervenerunt Car-
cassonam, de quorum adventu nobilis comes Montis-
fortis, & pauci, qui cum eo erant, gavisi sunt gaudio
magno valde. Invenerunt autem dicti episcopi nostros
in castro quodam prope Carcassonam, quod dicitur
Fanum-Jovis: sæpedicti autem episcopi semper erant
cum comite, seque quotidie pro Christi servitio periculis
exponebant: de suo præterea dabant larga dona
militibus, qui cum eis erant in servitio Dei, redimebant
captivos, & cetera largæ & sanctæ probitatis officia
viri sanctissimi sollicite exercebant. Manasses vero
Aurelianensis die natali sancti Johannis Baptistæ
Amalricum comitis Montis-fortis natum, militiæ
balteo decoravit, quod sequenti capite 70. ita
expressit idem Petrus monachus: *Anno Verbi In-*
1213. *carnati 1213. comes nobilis Montis-fortis, & plures*
barones & milites ipsius in festo nativitatis beati
Johannis convenerunt apud castrum novum Arrii;
erant autem cum comite duo venerabiles episcopi me-
morati, & quidam milites peregrini. Christianissimus
autem comes voluit & rogavit Aurelianensem episco-
pum, ut filium suum Christi militem faceret, & ipsemet
traderet ei cingulum militare: venerabilis autem epi-
scopus diu multum restitit, sed tandem victus precibus
comitis & nostrorum, petentibus acquievit. Comes
autem quia tempus æstivum erat, & quia castrum
novum non poterat competenter capere tantam mul-
titudinem, eo quod jam semel vel bis fuisset destru-
ctum, in amœna planicie juxta castrum fecit figi plures
papiliones. Ipsa autem die nativitatis sancti Johannis
venerabilis Aurelianensis episcopus induit se pontifica-
libus indumentis celebraturus in papilione quodam
missæ solemnitatem. Convenerunt autem tam clerici
quam milites ad audiendam missam: astante igitur
episcopo ante altare & missam celebrante, apprehen-
dens comes Amalricum primogenitum suum per dex-

A *teram, & comitissa per sinistram, accesserunt ad*
altare, & obtulerunt illum Domino, rogantes episco-
pum ut faceret eum militem ad servitium Jesu Christi.
Quid plura! Statim Aurelianensis & Autissiodorensis
episcopi, flexis genibus ante altare, cinxerunt puerum
cingulo militari, incipientes cum devotione maxima,
Veni creator Spiritus. *O novus & inexpertus mi-*
litiæ modus! quis ibi se a lachrymis contineret! Hoc
modo & ordine sæpedictus puer cum magna solem-
nitate factus est novus miles; qua solemnitate expleta,
movens comes post paucos dies a Castro-novo cum
episcopis & filio suo, equitavit ante Tolosam, captis-
que aliquibus de Tolosanis, perrexerunt nostri Mu-
B *rellum: episcopi autem remanserunt Murelli, die tertia*
ad propria reversuri; suam enim peregrinationem die-
bus 40. laudabiliter, utpote per omnia laudabiles,
expleverant cum labore magno & expensis. Reversus
Manasses Curiæ-Dei bona ab antecessoribus suis
Johanne, Manasse, Henrico, Hugone concessa
suo diplomate confirmavit anno 1213. Eodem
domos quasdam juxta ecclesiam sancti Aviti sitas,
quas nomine abbatiæ tenebat, canonicis concessit
mense Decembri. Insequenti canonicos Jargo-
lienses & hospites ejusdem ecclesiæ disceptantes
de tallia pro exercitu regis debita, conciliavit
mense Aug. 1214. A sede apostolica delegatus 1214.
C una cum Willelmo Autissiodorensi episc. statuta
edidit pro ecclesia Bituricensi in capitulo ejusdem
anno eodem, quo & præsens memoratur con-
cordiæ inter capitula beati Aviti & Pithverense
initæ. Una cum F. decano judex a summo pon-
tifice constitutus sententiam tulit in quæstione
orta inter Blancam Campaniæ comitissam & ca-
pitulum Parisiense super infractione villæ, domus
& mercati de Roseto, amputatione pedis servien-
tis B. Mariæ, & custodia nemorum de Roseto
in vigiliis Epiphaniæ an. 1214. quem ineuntem
puto 1215. quo mense Maio dedit literas pro 1215.
decima de Abeto. Cum P. Parisiensi & G. Silva-
D nectensi episcopis mense Julio anni ejusdem præ-
positum & marescallum condemnavit ad feren-
dum hominem suspensum a furcis ad claustrum
B. Mariæ Carnotensis. In colloquio Meledunensi
contra judicium Baronum Franciæ inter comi-
tissam Campaniæ & Erardum de Brana locutus,
idipsum emendavit, quod significavit Honorio
summo pontifici Philippus rex literis datis mense
Aprili 1216. Eodem anno Manasses basilicam 1216.
Curiæ-Dei cum majori altari consecravit. Transla- Chart. LX. col. 527.
tionem monialium a Buciaco ad locum de Veisins
ratam habuit mense Februario. Rainaldum Böelli
archipresbyteris & presbyteris suis denunciat ex-
E communicatum mense Maio 1217. Iisdem anno 1217.
& mense reditus ecclesiæ de Esqueboliis de assensu
Constantini decani sancti Aviti ampliavit. Contra
eum Philippus Augustus sententiam protulit eo-
dem anno. Pacem conciliavit Manasses mense
Martio inter Hamelinum Böel canonicum Ceno-
manensem & homines sancti Aviti. Querelam
inter capitulum sancti Aviti & Hamericum de
Martreio finiit mense Septembri 1218. Discor- 1218.
dantes inter se abbatem sancti Maximini & Her-
veum dominum Firmitatis Nerberti conciliavit

A a iij

ANNI CHRISTI

Ampliss. collect. tom. I. col. 1133. mense Novemb. Agnovit mense Martio se teneri regis ad libitum reddere turrim novam, quam apud Soliacum ædificaverat, ea lege ut, cessante periculo, ad ipsum reverteretur. Donata ad ædificandam capellam S. Trinitatis apud Hyenvillam transmisit monialibus de Vicinis mense Maio
1219. 1219. Archipresbyteris & presbyteris per archidiaconatum Balgenciacensem constitutis excommunicatum a se Reginaldum Böelli denunciavit, ut & ipsi denunciarent, mense Julio. Regi se excusavit mense Novembri, quod inhibuisset hominibus de abbatia Pithverensi, ne solverent talliam pro exercitu. Mansum de Luceio a parochia de Azaneio sequestratum parochiæ de Cerisio annexuit mense Decembri. Contendentes Constantinum decanum sancti Aviti & Rambaldum de
1220. Trugniaco conciliavit mense Novembri 1220. Pacem eodem firmavit anno inter capitulum sancti Aviti & Raginaldum Böelli. Jam mense Aprili literas dederat super decima parochiæ de
1221. Marolio. Occurrit adhuc mense Junio 1221. in charta ecclesiæ Aurelianensis, eodemque anno in tabulario Floriacensi. Denique Manasses in juribus episcopatus tuendis gnaviter stetit, plurima bona episcopali mensæ abalienata recuperavit, episcopale palatium Magduni cum propugnaculis & vallo exstruxit, ac quorumdam nobilium conatus repressit. Egregiis virtutibus ac meritis clarus, anno 1221. coram episcopo Autissiodorensi carissimo germano, archiepiscopo Turonensi, necnon Cenomanensi antistite animam exhalavit, uti de ipso fusius memorat codex gestorum pontificum Autissiodorensium. Humatus est in medio choro ecclesiæ sanctæ Crucis cum hac subjecta epigraphe :

Præsul magnificus Manasses, juris amicus,
Claris ortus avis, morum fuit inclyta clavis,
Ecclesiæ clypeus, virtutum norma, malorum
Malleus, æthereus vita, tutela bonorum,
Nec prece, nec pretio, non vi, non sanguine fractus,
Excluso vitio, fuit omnibus omnia factus.

Ejus anniversarium celebratur die 28. Septembris in necrologio Aurelianensi.

DE JOUI.

LXIV. PHILIPPUS I.

Manassi defuncto anno 1221. inquit Nangius, successit Philippus, non Berruier, quod multos fefellit auctores propter idem nomen, sed de Joiaco, filius Guidonis, Ferrici & Guillelmi militum frater, & Agathæ, Agnetis & Aalez monialium in parthenone Ederensi. Electus jam dictus mense Decembri 1221. in chartis Curiæ-Dei, & a Petro de Corbolio Senonensi archiepiscopo consecratus mense sequenti, ad Curiam-Dei accessit. & ejus possessiones ante Pascha confirmavit.
1222. Anno 1222. occurrit mense Julio in chartulario sancti Aviti, & Decembri in Fossatensi. Interfuit concilio Parisiensi adversus Albigenses habito
1223. mense Julio 1223. eodemque exsequiis Philippi Augusti, cujus a successore filioque Ludovico VIII. citatus de exercitu ipsius, quadrigam unam

A cum tribus equis a Francone abbate Miciacensi mutuatus est mense Junio 1224. Testatus est 1224.
anno 1225. e sexaginta solidis Parisiensibus a 1225.
patre tribus sororibus suis monialibus in Edera
de reditibus de Montbandaier concessis, post *Ch. LXVI. col. 530.*
earum mortem, 40. ad patrem vel heredem, 20. vero ad parthenonem pro anniversario patris revertendos. Institutum a Manasse, cui successerat, B. Guillelmi Bituricensis festum ut solennius redderet, canonicis Aurelianensibus 60. libras annui reditus mense Maio 1226. assignavit & donavit. 1226.
Judex a summo pontifice delegatus est causæ inter episcopum Parisiensem & canonicos beatæ
B Mariæ Corboliensis, quæ composita est mense Julio 1227. Pauperibus monialibus de Vicinis 1227.
dedit mense Martio domum sitam super fossata de ecclesia sancti Germani, quam Fratribus Prædicatoribus prius cesserat. Memoratur an. 1228. 1228.
in tabulis sancti Aniani, sancti Maximini, sancti Aviti, & sancti Evurtii. Eodem anno Ferricus & Guillelmus fratres Philippi ratam habuere donationem ab ipso factam ecclesiæ sanctæ Crucis de feodo Villaris-Martini. Querelam habuit cum capitulo Magdunensi pro hospitibus capituli, quam diremit arbiter Philippus Meldensis episcopus secundum capitulum anno 1230. die Veneris 1230.
C post resurrectionem Domini. Eodem gratias egit die Jovis post quindenam Pentecostes abbati & monachis Curiæ-Dei pro quadriga cum equis accommodata in expeditionem regis. Eodem arbiter fuit mense Octobri inter S. dominum Balgenciaci & capitulum sancti Aviti. De ipsius assensu Hervæus miles monialibus de Vicinis cessit locum in quo situm erat monasterium anno 1231. 1231.
Occurrit adhuc mense Junio 1233. in tabulis 1233.
sancti Evurtii, quem defunctum mense Decemb. exeunte 1233. lego in catalogo supra laudato, sepultumque medio inter altare majus & altare anniversariorum, nunc sancti Mamerti, spatio. Et
D certe de eo in necrologio sancti Petri Puellaris pridie calendas Januarii legitur : *Obiit Philippus episcopus, qui dedit ecclesiæ sancti Petri Puellarum X. libras Parisienses.* Vetustissimum sanctæ Crucis mortuologium habet IV. nonas Januarii, aliud calendas Octobris; necrologium vero Curiæ-Dei Januarii mensis nonas. Quæ quidem mentiones de Philippo successore non possunt intelligi, qui etsi fuerit episcopus Aurelianensis, ut mox videbimus, nequaquam tamen obiit episcopus Aurelianensis, sed archiepiscopus Bituricensis, quo quidem nomine recensetur in necrologio S. Crucis. Sed ad astruendam hoc anno Philippi I. mortem *Annal. Aurelian. pag. 518.*
E arma ipse subministrat Saussëyus, qui mendum suspicatur in nota temporis, quæ apposita est instrumento ratihabitionis donatæ canonicis sanctæ Crucis ab hoc Philippo terræ de Villari-Martino, cui subscripserunt Ferricus & Guillelmus de Joiaco nobiles milites fratres ejus cum uxoribus suis, in qua Philippus defunctus refertur, & vocatur quondam episcopus Aurelianensis anno 1234. cum e contrario proclive sit credere canonicos sanctæ Crucis paulo post episcopi obitum curasse, ut donatio ab ipso facta ex antecessorum

ANNI CHRISTI

patrimonio ab heredibus cito confirmaretur. Eodem anno mense Maio Petrus archidiaconus Stampensis in ecclesia Senonensi testatur Giraldum de Poinville concessisse *donationem feodi Villaris-Martini a venerabili viro Philippo quondam episcopo Aurelianensi bonæ memoriæ factam*. Philippus ergo obierat mense Maio 1234.

BERRUIER.

LXV. Philippus II.

Apud mansum Giraudi in Turonibus natus Philippus nobilibus, bonis, justis, canonicis & sanctis parentibus Geraldo Berruers milite & Matthæa, fratres habuit Archembaldum & Gervasium, qui inter crucesignatos ad partes Transmarinas profecturi, se suaque omnia pro defensione Terræ sanctæ dederunt. A matre clero devotus, jam erat canonicus sancti Mauricii Turonensis, cum ad academiam Parisiensem studiis operam daturus, missus est; unde reversus Turones, ibidem archidiaconus factus est, demum postquam Turonenses ipsas recusasset infulas, Aurelianensibus collum submisit, Aurelianensis post
1234. alterum Philippum factus episcopus anno 1234. ex Alberico in chronico, inunctusque fuit a Galtero Cornut archiepiscopo Senonensi. Eodem anno mense Junio citatus a rege de exercitu ipsius, quadrigam unam cum tribus equis sicuti decessor a Francone abbate Miciacensi mutuatus est. Discordantes canonicos & presbyterum parochiæ Jargoliensis conciliavit mense Septemb. Memoratur
Anecd. t. 3. col. 958. præsens in charta Juhelli archiepiscopi Turonensis de substituendo pastore in ecclesia Briocensi, actum apud Candatum in crastino sancti Briccii. Religiosos sancti Augustini hospitali deservientes
1235. exemit anno 1235. a censuris quas incurrerant. Donata militibus Templi testatur mense Februar. A monachis Curiæ-Dei quadrigam cum equis mutuatus est in expeditionem regis ducendam,
1236. absque præjudicio juris hujus abbatiæ, 1236. die Jovis post quindenam Pentecostes. Anno eodem emta duo arpenta vineæ a Filiabus Dei in censiva
Ch. LXVIII. col. 530. sancti Paterni approbavit mense Julio; ac proinde non levis conjectura est eum esse præsulem, qui apud Matthæum Paris in historia Angliæ sub Henrico III. ad annum 1236. memoratur in gravi illa dissensione Aurelianensium cum scholaribus, qui illuc post tumultum Parisiensem secesserant, ubi sic scribit: *Anno eodem circa dies Pentecostes orta dissensio lamentabilis in civitate Aurelianensi inter clerum & cives, muliercula quadam incentivum seminariumque discordiæ suscitante. Eatenus quoque cepit tumultus ventilatus incrementum, quod occisi sunt in civitate a civibus scholares juvenes illustrissimi & genere præclari, nepos scilicet comitis de Marchia, nepos comitis Campaniæ, scilicet regis Navarræ, propinquusque consanguineus comitis Britanniæ, & quidam alius propinquus consanguinitate nobili baroni Erkenwyado de Burbune, & alii multi, quorum aliqui in flumine Ligeri sunt submersi, alii trucidati, alii vero qui evaserunt, vix in speluncis & vineis, & diversis latibulis delitescentes, a mortis discrimine sunt erepti. Quo audito, episcopus civitatis accinctus zelo justitiæ, exiit a civitate, & ipsis malefactoribus ex-*

A *communicatis, civitatem ipsam supposuit interdicto. Insuper magnates prænominati audientes suorum stragem consanguineorum, ingressi hostiliter civitatem, multos civium sine judicii exspectatione in ore gladii trucidarunt. Alios quoque dum a nundinis remearent, clitellis & sarcinis oneratos, ensibus adhuc cruentatis in itinere detruncarunt. Nec cessavit mota seditio, donec regium mandatum per utrarumque partium voluntates, factis compositionibus, tumultum prudenter temperaret.* Aliquanto post tumultum Philippus a Gregorio IX. traductus est ad ecclesiam Bituricensem, ut diximus tomo 2. col. 67. quo nomine in crastino S. Bartholomæi anni 1236. absolutus
B a cura Aurelianensis ecclesiæ, in monasterio Floriacensi receptus est tanquam archiepiscopus Bituricensis, ut ipse testatur literis hac die datis. Ch. LXIX. col. 531.
Pontificali dignitate & sanctimonia vitæ inprimis enituit. De eo in necrologio sanctæ Crucis: *III. idus Januarii obiit bonæ memoriæ Philippus Bituricensis archiepiscopus, quondam episcopus Aurelianensis.*

Hilarius autem, qui juris canonici interpres, ac theologiæ doctor, in sacris literis apprime exercitatus, cathedram Aurelianensem administrasse dicitur circa annum 1238. ex fide Genebrardi in chronographia, tam levi fultus testimonio minime videtur admittendus. 1.° enim Briccius Nan-
C netensis episcopus ad quem scripsisse dicitur a Garetio Lovaniensi, obiit an. 1140. 2.° in monumentis ecclesiæ Aurelianensis nulla Hilarii episcopi fit mentio. 3.° Guillelmus ab Alberico suffectus traditur anno 1237.

LXVI. Guillelmus I. DE BUSSI.

Aurelianensis episcopatus curam adipiscitur Guillelmus de Bussiis sancti Ludovici a sanctioribus consiliis anno 1237. auctore Alberico in chronico, a Galtero Senonensi metropolitano 1237.
unctus an. 1238. Dissimulare tamen non possum 1238.
Gregorii IX. bullam datam nonis Martii, ponti- Hist. ecclesiæ S. Aniani prob. p. 22.
D ficatus anno 12. in qua de sede Aurelianensi ut tunc vel paulo ante vacante loquitur. Anno eodem 1239.
Guillelmus apud Montwimer adfuit, ubi feria VI. ante Pentecosten combusti 183. Bulgari, ex Alberico. Ratam habuit hoc adhuc anno venditionem factam ab Adamo & Petro de Motha fratribus 280. arpennorum ligni in parochia de Lorris. Memoratur in chartulario sancti Evurtii mense Decembri in charta de dono Philippi Böelli de Uxello. Ad Evrardum abbatem scripsit mense Septembri anno 1240. aliquid mutuatus 1240.
pro exercitu regis. Eodem anno ad preces canonicorum nominavit abbatem Balgenciacensem Ch. LXXI. col. 533.
E mense Novembri. Controversiam inter abbatem S. Dionysii & presbyterum de Ultra-villa sopit mense Febr. Ratam habuit anno 1242. mense 1242.
Aprili venditionem regi factam a Margarita domina Acheriarum. Ecclesiæ suæ bona largitur anno eodem pro celebrando sancti Nicasii festo. Consecravit capellam sanctæ Osmannæ in ecclesia sancti Dionysii VII. idus Octobris 1243. Com- 1243.
posuit anno 1244. dissidium Manassis decani 1244.
cum religiosis sancti Evurtii. Prædium S. Ludovico venditum eodem anno approbavit. Statuta

ANNI CHRISTI

condidit anno 1247. mense Januario pro me- A
liori regimine ecclesiæ Magdunensis. Interfuit
1247. dedicationi Sacræ capellæ Parisiensis mense Aprili
1248. 1248. Datis anno & die iisdem literis concessit
Margaretæ dominæ Acheriarum facultatem ven-
dendi regi 26. arpennos nemoris. Ad expeditio-
nem Terræ sanctæ cum aliis episcopis regni &
principibus viris crucem assumsit, a qua reversus
composuit querelam Johannis Pictaviensis epi-
scopi cum capitulo suo, de proprietate jurisdi-
ctionis causarum civitatis & diœcesis Pictaviensis,
1249. instrumento dato Pictavis in capitulo an. 1249.
ex tabulario majore Pictaviensi. Cessit eodem
Ch. LXXIII. col. 535. anno mense Julio monialibus de Calceata eccle- B
siam S. Lupi, quam a capitulo S. Petri virorum
obtinuerat. Cum M. Carnotensi episcopo exse-
cutor testamenti Isabellæ comitissæ Carnotensis,
nonnulla Loco B. Mariæ asseruit mense Junio
1250. 1250. Eodem Dionysii Floriacensis abbatis
commutationem confirmavit. Memoratur in char-
tulario sancti Aviti in festo Conversionis sancti
Pauli. Præsens fuit apud Avenionem cum anno
1251. 1251. sexto idus Maii Alfonsus comes Tolosæ
Tom. 1. instr. col. 144. & Carolus comes Provinciæ Zoen episcopo Ave-
nionensi promiserunt exstirpaturos se hæreticam
pravitatem, quandiu civitatem tenerent. Auctor
est Matthæus Paris hoc anno novam hæreticorum C
catervam invito episcopo & universo clero Au-
relianos hostiliter ingressam fuisse, multaque gra-
vissima patrasse facinora, propter quæ civitas
supposita est interdicto a præsule, qui mense
Januario dedit literas M. comitissæ Carnotensi
super interdicto a capitulo Carnotensi in illius
terras lato. Iisdem anno & mense restitutioni rega-
lium factæ electo Turonensi a Blancha regina
præsens adstitit. Concilio Parisiensi a Gilone ha-
1252. bito adsuit anno 1252. & subscripsit episcopo-
rum literis ad regem Navarræ die Veneris post
festum sancti Martini hiemalis. Exstat apud Mat-
thæum Parisiensem epistola Guillelmi ad hunc D
annum R. episcopo Cicestrensi de initis a rege
Francorum treugis cum Saracenis. Arbiter ele-
1253. ctus fuit anno 1253. die Jovis ante nativitatem
B. Johannis Baptistæ cum R. cantore Carnotensi
& G. thesaurario Turonensi. Concilio Parisiensi
Ch. XCV. col. 366. adstitit anno eodem die Mercurii post festum
S. Martini hiemalis, ubi latum de transferendo
Meduntam capitulo Carnotensi decretum. Guil-
lelmo intercedente initur concordia inter con-
ventum Curiæ-Dei & presbyterum de Estrecheio
1254. anno 1254. Eodem mense Januario statuit ut
canonicus sancti Aviti qui resedisset, defunctus
haberet fructus præbendæ, & ut canonicus for- E
raneo succedens bursam non perciperet, quin
prius bladum percepisset. Concilio Parisiensi ad-
1255. stitit anno 1255. ubi cantoris Carnotensis homi-
Ch. XCIX. col. 368. cidæ quinquennali damnati exsilio die Martis ante
festum beati Arnulfi. Unus fuit ex episcopis qui
eodem anno testati sunt prohibuisse Ludovicum
regem ne Petrus Catalaunensis episcopus vexa-
retur. Controversiam inter decanum capitulum-
que Carnotensis ecclesiæ & Johannem comitem
Blesensem mediator sopivit die Mercurii post
Brandones. Concessa Curiæ-Dei prædia & pri-
vilegia confirmavit literis datis annis 1255. & ANNI CHRISTI
1257. Concilio Senonensi adsuit anno 1256. 1256.
die Lunæ in vigilia sancti Petri ad Vincula, ubi Ampliss. collect. tom. 7. col. 146.
sancitum de clericis bannitis & in peregrinatio-
nem Jerosolymitanam missis ob interfectum Car-
notensem cantorem. Subscripsit eodem in con-
cilio eademque die literis episcoporum ad sum-
mum pontificem in gratiam legatorum ab aca-
demia Parisiensi adversus Dominicanos. Una cum
monachis sancti Maximini regem oravit eodem
anno, ut recens electo abbati regalium faceret
copiam. *Anno 1258.* inquit Guillelmus Nangius 1258.
opere de gestis sancti Ludovici, *defecerunt viri
venerandæ memoriæ Guillelmus de Bussiis Aurelia-
nensis & Guillelmus Rolandi Cenomanensis episcopi,
quibus successerunt in ecclesia Aurelianensi Robertus
de Curtiniaco decanus Carnotensis, & Gaufridus
dictus Freilons archidiaconus Turonensis trans Lige-
rim apud Cenomanum.* In martyrologio S. Aviti
ad x. cal. Septembris: *Obiit Guillelmus de Bussiis
Aurelianensis episcopus.* Huic dicavit Guibertus de
Tornaco Minorita librum de officio episcopi &
cæremoniis missæ.

LXVII. ROBERTUS. DE COURTENAI.

Defuncto anno 1258. Guillelmo, ait Nan-
gius, successit Robertus filius Roberti Franciæ
buticularii, domini de Conchis, Castri-Rainardi
& de Champignelles, ex Mathilde de Magduno
super Euram apud Biturigas, nepos Petri a Francia
dynastæ de Courtenai filii Ludovici VI. regis,
frater Johannis archiepiscopi Remensis, & patruus
Roberti sedis ejusdem antistitis, ipse vero toparcha
erat terrarum de Balliolo, de Danvilla & Nonan-
curte, canonicus Bituricensis, & canonicus & de-
canus Carnotensis. Factus episcopus subscripsit
donatis ab Hugone de Bosco-communi pratis
mense Aprili 1258. nunc 1259. & 13. Junii 1259.
codicillis matrimonii Amiciæ de Courtenai neptis.
Sigillum apposuit suum eodem anno literis epi-
scoporum sancto Ludovico concedentium, ut quæ
ignotis restituere bona non poterat, pia in opera
impenderet. Corpus sancti Anjani cum Philippo
Bituricensi archiep. in aliam thecam transtulit VII.
calend. Novembris die Dominica ante festum SS.
Simonis & Judæ. Ligna capitulo sanctæ Crucis
concessit mense Februario 1260. de consensu 1260.
sancti Ludovici ad exstruendum horreum. Con-
firmavit jus decimæ ab eodem rege priori du
Victoy concessum mense Aprili 1263. Guillel- 1263.
mum de Issiaco electum decanum anno 1265. 1265.
calculo suo comprobavit. Circa id tempus reli-
giosi Carmelitæ Aurelianis instituuntur. Statuit
anno 1266. die Dominica ante festum Pente- 1266.
costes, ut canonici Feritatis-Abreni juxta ritus
ecclesiæ Aurelianensis viverent. Insequenti 1267. 1267.
die Jovis ante Dominicam *Lætare* eorum eccle-
siam visitavit, & anno 1268. mense Junio de- 1268.
crevit ut deinceps canonicorum numerus octona-
rium non excederet. Reliquias beatæ Mariæ Mag-
dalenæ monialibus de Hospitio largitus, ejusdem
festum ibidem annuatim celebrari præcepit mense
Maio

ANNI CHRISTI
Maio 1269. Dedit Petro de Brocia domino Lan-
gesii cambellano Philippi regis 100. libras annui
1269. reditus percipiendas super præpositura de Nonan-
curia Ebroicensis diœcesis gratiæ referendæ causa
die Veneris post festum sanctorum Petri & Pauli.
Sancti Ludovici peregrinationis Africanæ comes
1270. fuit anno 1270. Una cum episcopis ecclesiæ
Senonensis scripsit ad cardinales mense Julio
1275. 1275. pro canonisatione S. Ludovici. Festum
1276. sanctæ Genovefæ duplex instituit anno 1276.
Cultus pontificii amantissimus fuit hic præsul,
& in ecclesiam suam munificentia valde propen-
sus, cui erogavit terras sui juris apud Vermento-
num in diœcesi Autissiodorensi pro ampliando
cathedralis choro, cujus nimia vetustate fatiscentis,
ipse cum capitulo restaurandæ sumtuosius studio-
sus, largitus est ad usum structuræ omnia an-
nualia majoris ecclesiæ & aliarum collegiatarum
civitatis ac diœcesis ad jus suum pertinentium,
1278. literis apud sanctum Agilum datis anno 1278.
1279. Ad meliorem vitam transiit anno 1279. die
Veneris post festum sancti Petri ad Vincula. Me-
moratur VIII. idus Augusti in vetustissimo sanctæ
Crucis necrologio, & in alio nonis ejusdem
mensis: at in martyrologio S. Aviti Aurelianensis
legitur ad III. nonas Martii: *Obitus R. P. bonæ
memoriæ Roberti de Curtiniaco episcopi quondam
Aurelianensis, pro cujus anniversario singulis annis
faciendo D. Johannes Bouchier canonicus Atreba-
tensis quondam capellanus suus dedit nobis X. libras
Paris. pro reditibus emendis*, &c. Raginaldus quo-
que de Buxeio canonicus Carnotensis & decanus
sancti Lifardi de Magduno eidem ecclesiæ 20.
solidos legavit pro anniversario Roberti quondam
episcopi anno 1315. De eo Sammarthani in
stemmate regio genealogico domus Franciæ in
ramo dynastarum de Courtenai.

PASTAI.

LXVIII. EGIDIUS.

Roberti defuncti in locum alterius eligendi
facultatem a rege petunt anno 1279. canonici
Aurelianenses; vacabat tamen adhuc sedes anno
1280. 1280. die Mercurii post festum sancti Michaelis,
Ch. XXV. col. 436. quo habitum Senonis concilium, & admittuntur
Aurelianis Augustiniani. Vacabat & die Sabbato
in festo Cathedræ sancti Petri anni, ut nunc lo-
1281. quimur, 1281. ex chartulario sancti Evurtii, &
ex commentariis Parlamenti Parisiensis. At Mar-
tinus IV. summus pontifex anno pontificatus 2.
1282. is est annus 1282. regem rogavit, ut Egidio
Pastai episcopo Aurelianensi regalium faceret
copiam, quæ facta ei est die Lunæ ante festum
sancti Arnulfi anni ejusdem. Statuta quædam
1283. ordinavit anno 1283. cum capitulo pro clericis
chori. Firmavit compositionem inter decanum
1285. & cives pro jure mortuæ-manus anno 1285.
cujus pacta recenset Saussevus ex regesto cathe-
dralis pag. 529. Anno eodem capitulo S. Verani
Jargoliensis formam divini officii celebrandi juxta
ritum ecclesiæ majoris sanctæ Crucis præscripsit
mense Junio, nonnullaque alia statuit pro meliori
1286. regimine istius ecclesiæ. Anno 1286. die Veneris
post Pascha Guillelmum de Buxiis canonicum

A Carnotensem & magistrum Theobaldum de Cro-
cio capellanum & familiarem suum procuratores
instituit ad vendendam domum, quam habebat
in claustro beatæ Mariæ Carnotensis. Cum vero
per id temporis caput navis & deambulatorium
ecclesiæ cathedralis vetustate corruissent, novum
opus chori ædificare aggressus est, cui constru-
ctioni novæ sanctæ Crucis primum lapidem ap-
posuit Egidius XI. Septemb. 1287. præsentibus 1287.
Guillelmo Floriacensi, Laurentio sancti Evurtii
abbatibus, aliisque clericis solenniter convocatis,
ut indicat schedula codicis ms. Obiit anno 1288. 1288.
in festo sanctorum Egidii & Lupi, scilicet die
B prima Septemb. ex schedis D. du Fourni, melius
III. nonas Septemb. ex necrologio sanctæ Crucis,
sive pridie nonas Septembris ex martyrologiis
sancti Aviti & sancti Petri Puellarum, seu nonis
Septembris ex necrologio Curiæ-Dei.

LXIX. PETRUS I.

DE MORNAI.

Germanum habuit Petrus Johannem, qui ducta
Isabella de Lisle domina Firmitatis Narberti ori-
ginem dedit militibus & insignibus viris hujus
loci toparchis. Hujus gentis nobilissimæ genealo-
giam habes tomo VI. historiæ domus regalis Fran-
ciæ & præcipuorum regni ministrorum pagina
C 278. ubi legitur Petrum fuisse clericum regis
anno 1286. & cancellarium, quam dignitatem
usque ad mortem retinuit. Johannes canonicus
sancti Victoris in vita Clementis V. eum vocat
regis Francorum sigilliferum. Lacte matricis ec-
clesiæ nutritus, ut in quodam instrumento cathe-
dralis testatur, ex decano S. Germani Autissiodo-
rensis Parisiis & archidiacono Secaloniæ, eligitur
Aurelianensis episcopus die Jovis ante * Nativita- * al. post.
tem Domini 1288. Delectus arbiter inter mona-
chos Caritatis super Ligerim & canonicos sancti
Germani Autissiodorensis super domum discep-
tantes, conciliavit anno 1290. Testamenti Jo- 1290.
D hannæ viduæ comitis Valesii designatus est exse-
cutor anno 1291. Domum habebat Parisiis, in 1291.
qua morabatur anno 1292. Huic rex Philippus 1292.
facultatem dedit mutandi viam publicam in sub-
structione quatuor stagnorum apud territorium
Jargolii, quæ quidem stagna in jus regalium
cedere agnovit anno 1293. mense Martio. Ex- 1293.
secutor testamenti Johannæ comitissæ Blesensis
cum Simone archiepiscopo Bituricensi procura-
torem instituit eodem anno ad illud executioni
mandandum. Anno 1294. seu potius 1295. die 1295.
scilicet Martis post festum Purificationis Carolus Baluz. vit. Pap. Aven. tom. 2. col. 17. & seq.
filius regis Francorum, comes Andegavensis, Pe-
E trum instituit procuratorem & nuncium pro pace
tractanda cum rege Aragoniæ, qua quidem in
legatione collegam habuit Johannem abbatem
sancti Germani a Pratis, qui ambo procuratores
& nuncii Philippi Francorum regis fratrisque
ejus Caroli renunciaverunt die 21. Junii in ma-
nibus Bonifacii VIII. regnis Aragoniæ, Valentiæ
& comitatui Bononiensi pro confirmanda pace
inita inter Carolum Siciliæ regem & Jacobum
filium Petri quondam regis Aragoniæ, ut con-
stat ex literis summi pontificis datis ad regem Col. 21.

ANNI CHRISTI Philippum Anagniæ XII. cal. Julii pontificatus anno primo. Idem Petrus & P. Carcassonensis a rege deputati Johannem de Areblayo senescallum Carcassonensem deputant ad cognoscendum & definiendum de finibus castrorum Jacobo regi Aragonum restituendorum, & Jacobo regi Majo-
Col. 25. ricarum mandant, ut castra & cetera bona occupata reddat die Veneris post festum S. Dionysii
1296. anni adhuc 1295. Anno sequenti assensit judicio ab arbitris contra ipsum lato die Jovis post Pascha, quo coactus est quotannis duas vestes præbere pœnitentiario ecclesiæ cathedralis, ex chartulario ejusdem fol. 285. Eodem anno Petrus ad Autissiodorensem ecclesiam translatus est. Ecclesiæ S. Crucis legavit 300. libras pro anniversario 15. Februarii 1297. Notantur ejus obitus IV. calend. Junii & anniversarium XV. calendas Martii in necrologiis sanctæ Crucis.

DE LORRAINE.

LXX. FERRICUS.

Friderici II. Lotharingiæ ducis ex Margareta Navarra filius Ferricus, nepos Burchardi episcopi Metensis, præpositus ecclesiæ sancti Deodati & canonicus Tullensis, qui electus fuerat in discordia ad episcopatum Autissiodorensem, inquit Nangius ad annum 1293. inauguratus episcopus Aurelianensis a Stephano Senonensi antistite, jam reperitur anno 1293. in tabulario sancti Evurtii, quo anno dedit chartam in gratiam sancti Evurtii contra Arnaldum buticularium militem hoc monasterium vexantem; sed vereor ne sit error in notis chronicis assignatis. Gratuito bis susceptum se esse hospitio in domo de Ganeio canonicorum Balgenciaci ipse testatur literis datis anno 1296. die Jovis post festum sancti Gregorii papæ. Sub initium anni sequentis postulatus est in episcopum Metensem a nonnullis canonicis, sed frustra. Trans-
1297. fegit anno 1297. cum Radulfo decano super jurisdictione decanatus, cum quotidiana jurgia inter eorum administros emergerent, quorum autographum compositionis in tabulario decanatus exstat datum apud Urbem-veterem idibus Augusti. Electum S. Maximini abbatem eodem confirmavit anno. Biennio post occisum volunt nonnulli Fer-
1299. ricum die 4. Junii 1299. a toparcha de Cherai, cujus filiam puellam corruperat, cujusque terræ census ob hoc duplicatus est. Primus, quod sciam, rem actam in vulgus sparsit Guillelmus Nangius, qui chronicon suum ad annum 1300. deduxit. Hunc secutus est Nicolaus Gillius. Sunt tamen qui de hoc dubitant, sunt & qui præfracte negant. Sepultus est 22. Julii in ecclesia Belliprati diœcesis Tullensis. De eo in necrologio B. Mariæ de Nemore: *Die 12. Junii obitus D. Ferrici nati ducis Lotharingiæ & episcopi Aurelianensis.*

DE S. DENIS.

LXXI. BERTHOLDUS.

Bertholdus, qui & Bertaudus & Bertrandus, cancellarius ecclesiæ Parisiensis, archidiaconus Remensis & canonicus Cameracensis, opinatissimus sui temporis inter theologos, inquit Nangius, vir subtilis, ait Johannes Victorinus in vita Clementis V. & in multis scientiis expertus & famosus,

A Aurelianensis episcopus eligitur 6. *al.* 13. Martii 1299. qui nunc 1300. computatur. Eodem anno 28. Maii ad opus fabricæ ecclesiæ suæ inter alia largitus est jus x. libr. reditus, quod retinuerat ad usum sedis pontificiæ Robertus decessor, in generali conventu capituli vigilia Pentecostes habito. Capellam in prioratu de Hienvilla ad altare S. Ludovici fundatam approbavit. Eodem anno admittuntur apud Aurelianos religiosi Carmelitæ. ANNI CHRISTI 1300.
An. 1301. jubente Philippo rege, divina officia celebravit Bertholdus in die Nativitatis Domini in monasterio Floriacensi. Multas lites pacificavit cum capitulo suo hoc anno & sequenti in variis 1301.
B contentionibus pro jurisdictione. Agnovit anno 1302. Floriacensis monasterii & prioratuum exemtionem, nec a monachis deberi episcopo procurationem. Quinque præbendas in ecclesia beatæ Mariæ de Cleriaco a Simone de Meloduno anno 1300. fundatas, approbavit & ordinavit anno 1302. Consiliarius regis adstitit conventui episcoporum & magnatum Parisiis habito 15. Junii 1303. de dissidiis inter regem & papam. Memoratur a continuatore Nangii inter doctores qui damnarunt anno 1305. novam positionem fratris Johannis Parisiensis ordinis Prædicatorum alumni, de corpore Christi in Eucharistia. Ejus 1302. *Ch. LXXV. col. 538.* 1303. 1305.
C temporibus Clemens V. qui Aurelianis juri civili operam dederat, academiam Aurelianensem privilegiis donavit 27. Januarii 1305. modo 1306. Interfuit Bertholdus translationi capitis sancti Ludovici die Martis ante Pentecosten anni ejusdem. In libro solutionum cameræ apostolicæ solvisse legitur Lugduni die 24. Januarii 1306. quem de anno 1307. intelligendum puto, quo ineunte defunctum innuunt Johannes Victorinus & continuator Nangii, licet D. du Fourni & alius catalogus, & quidem melius, ejus mortem ad diem primam [a] Augusti 1307. sancto Petro sacram 1306. 1307. a
D prorogent. Sepultus creditur in capitio ecclesiæ.

GROSPARMI.

LXXII. RADULFUS.

Quem Johannes canonicus S. Victoris Paris. in vita Clementis V. Nicolaum appellat, Radulfus clericus regis & in jure multum versatus, ex decano ad infulas promotus die Veneris ante festum sancti Vincentii anno 1307. nunc 1308. ex regesto Roberti Mignon & continuatore Nangii, vocatus jam episcopus statuta capituli ecclesiæ collegiatæ Pitiverensis confirmavit anno 1306. ex Saussayo, forte condita anno 1306. confirmavit 1307. Permutationem fecit cum Philippo *Annal. eccl. Aurel. pag. 547.*
E rege de quibusdam domibus apud Luteciam sitis anno 1308. mense Maio, ex actu chartophylacii regii. A summo pontifice cum aliis electus statuta pro facultate Aurelianensi condidit, quæ Clemens V. rata habuit 27. Aprilis 1309. Biennio post studium Aurelianense propter quasdam civium injurias translatum erat in urbem Nivernensem. Testamento anno 1310. condito plurima ecclesiis Aurelianensibus legavit Radulfus, nominatis executoribus Rainaldo fratre, canonico Bajocensi 1308. 1309. *Hœsfemius pag. 364.* 1310.

a Duravit regalia 171. diebus a prima Augusti 1307. ad diem Veneris ante festum sancti Vincentii 19. Januarii.

ANNI CHRISTI 1311. & Thoma decano Cleriaci nepote. Illius obitus notatur 18. Septemb. 1311. in regesto Roberti Mignon. In martyrologio sancti Aviti ad diem xv. calendas Octobris: *Obitus Radulfi quondam Aurelianensis episcopi.*

DE CHAILLI.

LXXIII. Milo.

Canonicus Aurelianensis Milo episcopalem cathedram assecutus est die festo beati Vincentii
1312. anno 1311. qui nunc 1312. ex regesto Roberti Mignon, imo & 17. ejusdem mensis Januar. quo regalia a morte decessoris inchoata cessavit. Guillelmus abbas Miciacensis obedientiam ei pollicitus est anno eodem. Nonnulla quoque decrevit Milo pro canonicis sancti Aviti 7. Dec. Statuta
1314. edidit in synodo autumnali an. 1314. quæ habes collect. amplisf. tom. VII. col. 1285. Decreta quoque sanxit pro ecclesia Magdunensi VII. idus
1315. Junii 1315. & pro canonicis sancti Aviti antepenultima Septembris. Conceptionis B. Virginis festum de assensu capituli deinceps celebrandum
1317. ordinavit anno 1317. ut ferunt schedæ cathedralis. Solennem corporis Christi supplicationem Magduni ordinavit die Lunæ post octavam Pentecostes. Alia decrevit die Veneris ante festum
1320. SS. apostolorum Petri & Pauli 1320. Anno eodem prima Febr. facultatem accepit a Johanne XXII. summo pontifice absolvendi omnes quicumque violarent privilegia a summis pontificibus facultati Aurelianensi concessa. De eo in veteri breviario legitur quod anno 1320. fuit receptum officium corporis Christi a Milone de Chailli episcopo Aurelianensi, & in tota sua diœ-
1321. cesi. Obiit die 15. *al.* 19. Martii anno 1321. ut nunc computamus, & episcopatus in manu regia devenit die Veneris post Annunciationem B. Mariæ. *Idibus Martii obiit Milo de Challiaco episcopus Aurelianensis.* Ita necrologium S. Crucis.

LE FORT.

LXXIV. Rogerius.

Ecclesiæ simul & academiæ Aurelianensis decus & ornamentum, in hac interpres clarissimus, illius vero insignis antistes Rogerius, patria Marchianus, e castro de Ternis oriundus, Godefrido *al.* Guidone cognomento le Fort patre castri de Ternis dynasta, matre vero sorore Guillelmi de Capella Tolosani archiepiscopi & cardinalis natus, archipresbyter primum Ebroicensis, mox decanus Bituricensis, *quo pacto ad episcopalis dignitatis apicem provehi meruit, videtur non esse prætereundum. Sane dum clerus omnis & populus Aurelianensis civitatis pro sufficiendo novo antistite ad ecclesiam die constituta convenisset, affuit inter eos & B. Rogerius, qui cernens plerosque tam præcipitis animi, tamque perniciosi esse, ut sacrosanctam sedem dignitatemque affectare non reformidantes, sese non ingererent solum, sed (ut nunc proh dolor! fieri audimus) violenter inferrent, cuidam canonicorum, ut dicitur, capitulum ingredienti ludens, ait: Et ego quidem optarem dominos electores pro hac re mei meminisse. Tum canonicus vir faceto lepore solers rem, ut erat, ad consistorium detulit. Quamobrem cunctis joco annuentibus ut idem Rogerius pontifex fieret: mox capituli præ-*

Patriarch. Bituric. apud Labb. biblioth. t. 2. pag. 125.

A *fidens, qui ejus egregiam fidem, insignem doctrinam ac prudentiam eximiam jam olim exploratam habuit, divino afflatus spiritu surrexit, & in medio consistentium stans: Viri fratres, ingenue ait, mihi certe testes sunt cœlum & terra, quod hodie unanimiter elegeritis atque petieritis dominum Rogerium vobis in præsulem constitui. Sed & ego secundum vestram sententiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti eumdem pronuncio fieri debere huic civitati summum sacerdotem, ut pote angelici vultus hominem, sanctitate præditum, & cœlesti sapientia insignem. Denique oportet esse vobis persuasissimum sic visum fore Spiritui sancto, cui resistere sine grandi peccato non poteritis.* B *Igitur illo hæc ita perorante, omnes canonici divino nutu unanimiter ipsum sanctum Rogerium in episcopum elegerunt. Qui tamen ut sensit super se fortem electionis futuram, territus tum oneris magnitudine, tum virium suarum, ut ipse putabat, imbecillitate, reclamans affirmabat quod cum id officii postulasset, se minime fuisse serio locutum, eos autem falsa opinione decipi, qui tantillum existimarent fore idoneum pontificem. Sed ut triviali utar adagio, plurium calculus vicit: dumque ille probe adverteret etiam totius populi suffragia, in suam consentire personam, vix tandem persuasum habuit, ut se pateretur consecrationis oleo inungi & pontificali infula amiciri.* C *Et quidem non humana industria, sed potius superna clementia ipsum constat ad id dignitatis fuisse provectum.* Sic electus Rogerius cameræ apostolicæ promisit die 13. Maii 1321. ex regestis Vaticani: confirmatusque a Johanne XXII. literis quibus eum commendat regi datis post obitum Milonis, pontificatus anno secundo, consecratus fuit 13. Junii anni ejusdem, temporaliumque copiam hac die impetravit. Cum autem in die ingressus sui a præposito Aurelian. impeditus fuisset, ne carceribus inclusos liberaret, neve servientes sui per urbem armati incederent, gentesque in terra ipsius hac die vigilias agerent, senatus consultum obtinuit die 10. Aprilis D 1323. ut præpositus captivos episcopo restitueret, 1323. Ch. LXXVI. col. 541.
arma capta redderentur, privilegiaque decessorum confirmarentur. Latam anno eodem ab Aimerico decano inter eum & abbatem sancti Petri sententiam super procurationibus prioratus de Nidis approbavit die Lunæ post Ramos Palmarum. Cum per plures dies hospitatus fuisset & pernoctasset in abbatia sancti Maximini ultra procurationem ipsi debitam, recognovit nil inde monachis præjudicii generatum iri, 18. Aprilis 1324. 1324.
Festum Conceptionis beatæ Virginis annuale insignivit eodem anno luminari festorum similium. E Cum Viennensi archiepiscopo a summo pontifice directus monasterium Longipontis invisit anno 1325. Johanne Odineto fratris filio exstincto, 1325.
solus paternæ hereditatis successor Rogerius, monasterium Cœlestinorum apud Ternas construere meditatus est, quod ut commodius perficeret, ad Lemovicensem ecclesiam translatus est, quo nomine promisit mense Jan. 1328. ex regestis 1328.
Vaticani, unde ad Bituricensem metropolim transiit, ut diximus tomo 2. coll. 81. & 532. De eo in necrologio sanctæ Crucis: *Nonis Augusti obiit Rogerius quondam episcopus Aurelianensis.*

ANNI CHRISTI

LXXV. JOHANNES III.

DE CONFLANS.

Hugonis domini de Conflans & de Gizencourt filius Johannes, ex abbate S. Medardi Suession. Aurelianensis electus episcopus cameræ apostolicæ promisit die 26. Januarii 1328. ex regestis Va-
1329. ticani. Insequenti Dominica Passionis 9. Aprilis in solenni ingressu admissus in ecclesia sancti Aniani, solitum a decessoribus præstitit sacramentum. Eodem anno privilegia capituli sancti Petri Puellarum confirmavit, multisque basilicam S. Crucis reliquiis sanctorum decoravit die XI. Novembris. Ejus habetur mentio in tabulis anno
1332. 1332. ex actis ecclesiæ, Aimerico decano. Mandavit officiali & consiliariis suis, ut attentata ab eis in præjudicium exemtionis sancti Aniani revocarent, literis datis *apud Marolium in bosco*
1333. *castrum nostrum anno 1332. Sabbato post Epiphaniam*, & die Mercurii ante Conversionem sancti
1335. Pauli. Synodum habuit anno 1335. in Pentecoste, in qua statuit ut clerici conjugati & non conjugati deinceps tonsuram & vestes deferrent clericales, ut liberius libertate ecclesiastica possent gaudere. Nonnulla statuta condidit apud sanctum Agilum ad Ligerim pro officii divini constitutione
1340. anno 1340. Ingressus est die 16. Junii 1341.
1341. capitulum cœnobii Floriacensis cum literis regiis, datis etiam suis, quibus professus est se nullum
1343. jus habere in monasterio. Statuit anno 1343. die Jovis ante Pentecosten, ut canonicus sancti Aviti posset quolibet tempore suum stagium inchoare. Pœnitentiariam ecclesiæ Aurelianensis
1344. univit parochiæ S. Petri anno 1344. Quædam territoria sub censuali pensitatione a reddibitione
1348. liberavit an. 1348. ut notant instrumenta eccle-
1349. siæ cathedralis. Cessit in gratiam sequentis 1349. 13. Aprilis, *al.* 15. quo incœpit regalia: sic legitur in quodam catalogo. Dies ejus vel obitus vel anniversarii notatur IV. nonas Dec. in necrologio sancti Petri Puellarum. Memoratur annis 1331. 1335. 1340. & 1342. in chartis thesauri regii.

Ampliss. collect. tom. 7. col. 1290.

LXXVI. PHILIPPUS III.

DE CONFLANS.

Electus promisit Philippus die 8. Junii 1349. temporalibus donatus est die 3. Augusti ac paulo post vivere desiit, scilicet 7. eorumdem mensis & anni, ex catalogo supra memorato.

LXXVII. JOHANNES IV.

DE MONTMORENCI.

Defuncto Philippo, eligitur Johannes Johannis domini de Montmorenci & Johannæ de Calletot filius, frater Caroli Franciæ marescalli, toparcha castellaniæ d'Argentan & de Maslers, qui electus promisit 20. Novembris 1349. Temporalia obtinuit 8. Decembris. Carolo germano dedit ca-
1350. stellaniam d'Argentan die 23. Augusti 1350.
1353. Solvit pro Philippo antecessore 30. Oct. 1353. Iterum promisit 16. Decembris ejusdem anni & solvit 23. Decemb. 1357. ex regestis Vaticani. Magnam cum capitulo tempore Hugonis decani controversiam habuit pro refectione ecclesiæ, quæ
1355. per arbitros diremta fuit anno 1355. Ecclesiam suam nondum solenniter decessorum more in-

A gressus fuerat, quam cum ob dies malos ingredi non posset, triduo ante ingressum, videlicet die 5. mensis Februarii, anni, ut nunc computamus, 1358. dedit literas, quibus solennitates in ingressu episcoporum fieri solitas agnovit, a quibus usque ad ea quæ in porta Burgundiæ erant agenda, 1358.
a canonicis sanctæ Crucis & sancti Aniani pro hac vice ut eximeretur, enixe petiit, sicque die 8. mensis ejusdem cetera supplevit, solitumque in ecclesia sancti Aniani juramentum dixit. Precarias tunc in claustro de consensu capituli tenebat ædes, ut constat ex ejus literis datis 2. Januarii hujus anni, quo composuit cum capitulo super
B luminari in festis annualibus præstando, pacemque inter Gualterium abbatem & monachos Miciacenses conciliavit. Largitus est anno 1362. 1362.
basilicæ S. Martini Montis-Morenciaci domum apud Maslers. Decessit anno 1363. dies 4. No- 1363.
vembris notatur in catalogo sæpius laudato, melius forte Augusto mensi assignanda est, quo die quarta aperta est regalia ad finem Jan. 1364.

Hist. eccles. S. Aniani probat. pag. 62. & seq.

Hugo de Montmorenci Matthæi toparchæ d'Auvraimesnil ex Aiglantina de Vendosine natus, Johannis nepos, ipsius abdicatione præsulatum adeptus dicitur circa annum 1360. confirmatusque diplomate apostolico Innocentii VI. & assensu
C Johannis regis tunc in Anglia captivi: sed hæc aut sunt falsa, aut saltem non perstiterunt: non enim Hugoni Hugo, sed Johanni defuncto in regestis Vaticani successit

LXXVIII. HUGO II.

DE FAI, vel FAIDIT.

Juris utriusque professor in academia Aurelianensi, ecclesiæque sanctæ Crucis decanus Hugo, ejusdem fit episcopus per obitum Johannis VIII. calendas Decembris, Urbani V. anno secundo, electusque promisit 16. Januarii 1364. ex rege- 1364.
stis Vaticani, quod convenit computo Johannis Peloque *regaliatoris*, hoc est, regaliæ receptoris,
D in quo Hugo post mortem Johannis de Montmorenci evectus ad episcopatum dicitur die penultima Januarii anni, ut tunc nostrates numerabant, 1363. Consecratum Avenione docent tabulæ S. Aniani, quo forte tempore ab Urbano V. obtinuit anno 1365. ut omnes juris canonici 1365.
aut civilis licentiati sacramentum profiterentur in manibus scholastici. Insequenti cum propter milites & latrunculos his in partibus insidiantes haud esset tutum extra civitatem progredi, nec majorum suorum more ecclesiam sancti Aniani extra muros urbis sitam adire posset, privilegia
E hujusce servaturum se jurejurando pollicitus est super altare ante portam Burgundicam erectum, statimque Simon Tassoard præpositus Aurelianensis jussus a Philippo I. Aurelianensi duce & patruo Caroli V. regis, huic dimisit omnes carceribus inclusos die Jovis ante Ramos Palmarum 26. Martii indictione IV. Urbani V. anno IV. Christi 1365. modo 1366. Adfuit anno eodem 1366.
duobus comitiis a rege habitis apud Luparam 27. Julii & 25. Novembris. Sub excommunicationis pœna vetuit anno 1367. ne amplius scholares 1367.
studia a festis epulis auspicarentur. Nominatur

ANNI CHRISTI

anno 1369. inter comites consistorianos regis. A
Ad ecclesiam Atrebatensem transfertur die 16.
1369. Junii 1371. Vide tomum III. col. 340.

1371. NICOT.

LXXIX. JOHANNES V.

Ex canonico sancti Aniani Johannes Nicoti *al.* de Tramilguer cameræ apostolicæ promisit & recognovit pro Hugone antecessore 20. Junii 1371. Regalium copia facta ei est die 13. Julii. Jucundum celebravit introitum die 2. Maii anno
1372. 1372. in quo privilegia sancti Aniani servaturum se promisit ut episcopus canonicus: qua in ecclesia præbenda olim potiebantur Aurelianenses episcopi. Concessit eodem anno indulgentiam 40. B dierum opem ferentibus ad resarciendum Vicinensem parthenonem ab Anglis vastatum ac pene dirutum. Johannis temporibus Gregorius XI. qui Aurelianis canonicus fuerat, prospiciens abs re tenui canonicatuum paucos divinis adfuturos, sex presbyteris totidem addixit sacerdotia primo vacatura, ea lege ut divinis officiis assidui forent,
1377. anno 1377. Memoratur J. episcopus Aurelia-
1381. nensis anno 1381. die Jovis post Conversionem S. Pauli in chartis thesauri regii. Legitur decessisse 10. Mart. 1383. in catalogo supra dicto: & certe *VI. idus Martii obiit bonæ memoriæ Johannes Nicoti episcopus Aurelianenensis*, ex necrologio S. Crucis, C Sunt tamen qui superstitem eum volunt anno 1392. ex historia ms. Caroli VI.

DE CHANAC.

LXXX. FULCO II.

Nobilis Lemovix Fulco suo hic ordini restitutus, frater erat Guillelmi de Chanaco & Bertrandi patriarchæ Jerosolymitani cardinalium, nepos autem Guillelmi & Fulconis episcoporum Parisiensium. Ex monacho sancti Martialis Lemovicensis Johanni subrogatus, excepit 3. Febr.
1382. 1382. nunc 1383. hominium Guidonis de la
1383. Tremoille pro terra de Soliaco, nomine Mariæ de Sully uxoris. Memoratur die prima Aprilis D 1383. in libro quittanciarum Clementis VII.
Hist. eccl. S. Aniani probat. pag. 66. Promisit die 12. mensis ejusdem. Festiva inaugurationis pompa admissus die Martis ante festum sanctæ Magdalenæ 19. Julii 1384. ut palam est
1384. ex documentis ecclesiæ S. Aniani, Guillelmum Belin homicidam e carcere liberavit. Hunc inter
Vit. Pap. Aven. t. 2. col. 952. alios testamenti sui exsecutorem instituit Guillelmus de Chanaco cardinalis ipsius germanus, die 29. Decembris 1384. Decimo post anno carnis sarcinam deposuit in medio chori sanctæ Crucis, episcoporum conditorio. Epitaphium hujusmodi refert suis in Annalibus Saussеyus, ex quo apparet
1394. defunctum Fulconem die prima Martii 1394. E

Hic de Chenaco Fulco stat nobilis, a quo
Fulget nunc iste tumulus gratus tibi, Christe.
Mente pia sanus præsul fuit Aurelianus,
Pastor discretus, justus, convivaque lætus.
Sit tibi lata via Paradisi, virgo Maria,
Anno milleno ter centum nonoque deno
I. cum ter juncta die prima congrue puncta
In Martis mense mortis percutitur ense,
Sit tibi solamen miserans semper, Deus, amen.

ANNI CHRISTI

DE PRUNELÉ.

LXXXI. GUIDO.

Successor Fulconis Guido e nobilibus toparchis de Prunelé & d'Herbaut, Johannis domini d'Herbaut Aurelianensium ducis cambellani ex Maria le Baveux filius, frater autem Guillelmi toparchæ d'Herbaut, libellorum antea supplicum magister, electus episcopus Aurelianensis cameræ promisit apostolicæ 19. Junii 1394. ex libro obligationum Vaticani Regi fidem dixit die 26. ejusdem mensis. Attamen festiva in urbem non est admissus pompa ante diem 20. Martii anni 1399. ut nunc computamus. Cessit basilicæ S. 1399.
Crucis quosdam reditus annuos super clibano Magdunensi anno 1404. Univit anno 1405. 1404.
capellam Bardiliaci mensæ capitulari canonicorum 1405.
Pitiverensium. Johanni sancti Evurtii abbati benedictionis munus impertitus est anno 1408. 1408.
Graves habuit querelas pro exactionibus, quas presbyteri de ipsius mandato a civibus repetebant, quæ sopitæ sunt anno 1410. Insequenti die Do- 1410.
minica in vigilia sancti Bartholomæi 23. Augusti 1411.
literis testatur per missam quam in ecclesia sancti Aniani solennem celebrare proposuerat nullum hujus ecclesiæ privilegiis præjudicium ortum velle. Anno eodem archiepiscopus Senonensis synodum Aurelianis habuit pro compescendis dissidiis, quæ inerant inter domos Aurelianensem & Burgundicam. Asseruit an. 1419. Guido præsentationem 1419.
ecclesiæ parochialis S. Pauli pertinere ad capitulum sancti Petri Puellaris. Codicillos ultimæ voluntatis edidit 27. Decembr. anno 1425. quibus 1425.
ecclesiæ suæ legat thiaram & pedum episcopale. Paulo post ad meliorem vitam evocatur, funeratus in ecclesia sanctæ Crucis, cujus in necrologio assignantur missæ pro D. Guidone VI. nonas Maii & XVII. calendas Octobris.

DE SAINT MICHEL.

LXXXII. JOHANNES VI.

Scotus natione Johannes, juris utriusque doctor, presbyter canonicus Bituricensis & Aurelianensis, fit episcopus a Martino V. sexto idus Aprilis 1426. Memoratur & 26. ejusdem mensis in 1426.
regestis Vaticani. Johannis illustratus fuit pontificatus famosa illa obsidione urbis Aurelianensis anno 1428. in qua mira patravit Johanna puella. 1428.
Hujus anno sequenti solutæ gratiarum in actionem annuam instituit supplicationem Johannes die octava Maii 1429. cui ipse interfuit anno 1429.
1430. In unctione & inauguratione Caroli VII. 1430.
regis apud Remos 17. Julii 1429. cum præter archiepiscopum Remensem & episcopum Catalaunensem alii pares ecclesiastici abessent, hic episcopus unius ex illis personam sustinuit, ex relatione seu epistola scripta ad reginas Franciæ, & Siciliæ a tribus nobilibus viris ex regis comitatu, cujus epistolæ authenticum asservatur in cœnobio Benedictionis-Dei ordinis Cisterciensis in diœcesi Lugdunensi, ut testatur P. Menestrier Societatis Jesu tomo 2. libelli inscripti: *Bibliothéque curieuse & instructive*, pagina 91. Dissidium habuit cum capitulo super luminari ecclesiæ, quod composuit senatus Parisiensis Pictavis 9.

ANNI CHRISTI Junii 1431. Accessit ad concilium Basileense, & admissus est 22. Maii 1433. Inibi cum pluribus
1431. aliis episcopis missus est die 6. Aug. 1435. ad
1433. archiepiscopum Tarentinum & episcopum Padua-
1435. num præsidentes vice Eugenii IV. qnos monerent ut decretis obedirent, vide Amplissimam collect. tomo VIII. col. 822.

LXXXIII. Guillelmus II.

CHARRIER

Issiodorensis Arvernus Guillelmus, parentes & consanguineos habuit Guillelmum & Jacobum Charrier a secretis regis, ærarii publici quæstores, Petrum Charrier & alios. E canonico Aurelianensi factus episcopus dicitur ab Eugenio IV. per obi-
1438. tum Johannis XII. calendas Augusti anno 1438. in regestis Vaticani, ubi electus adhuc dicitur die 4. Aug. Æmulum passus est Johannem de Vailly archidiaconum Thoarcensem in ecclesia Pictaviensi, decanum Aurelianensem & senatorem Parisiensem, qui nominatus die 12. Jan. 1438. ex Sammarthanis, qui citant acta Curiæ, movit litem Guillelmo ratione possessionis episcopatus, ut patet ex senatusconsulto Parisiensi lato die 3. Septembris anni 1438. At Guillelmus confirmatus a summo pontifice, ut diximus, evicit Johannem. Neque tamen & ipse diu Aurelianensis remansit episcopus: nam Guillelmus electus Aurelianensis translatus legitur ad Agathensem ab Eugenio IV. per cessionem commendæ de ipsa Agathensi factæ D. Reginaldo archiepiscopo Re-
1439. mensi v. idus Januarii 1439. Vide tomum VI. col. 694.

LXXXIV. Reginaldus.

DE CHARTRES

Reginaldo archiepiscopo Remensi Franciæ cancellario commendata est ecclesia Aurelianensis ab Eugenio IV. quo nomine commendatarius occurrit 17. Martii anno IX. Eugenii IV. Christi 1439. in regestis Vaticani. Regi fidem juravit ultima Maii. Aurelianos solenni ingressus pompa 25. Oct. anni ejusdem, a sacramento in ecclesia sancti Aniani præstando exemtus, hoc in ecclesia sancti Samsonis præstitit coram delegatis capituli sancti Aniani. Eodem anno creatus est presbyter cardinalis tit. sancti Stephani in Cœlio-monte 18. Decemb. a summo pontifice Eugenio. Contendit pro jurisdictione cum capitulo Aurelianensi, pro qua Parisiensis Parlamenti placito pa-
1442. ctum iniit 26. Januarii 1442. Commendam
1444. tenuit ad annum 1444. quæ revocata est XII. calendas Maii ab Eugenio IV. ex regestis Vaticani. Ejus anniversarium memoratur XII. calend. Octobris in necrologio sanctæ Crucis. De eo in archiepiscopis Remensibus plura.

LXXXV. Johannes VII.

DU GUÉ

Cantor Aurelianensis Johannes fit episcopus ab Eugenio IV. per cessionem, obitum & translationem XII. calendas Maii 1444. ex regestis Vaticani, ubi adhuc memoratur die 5. Maii. Moram obtinuit die 19. Junii ad præstandum
1446. regi fidei sacramentum, quod præstitit an. 1446. die 29. Septembris. Solenniter in urbem suam ingressus fuerat 2. Januarii anni ejusdem. Transiit ad meliorem vitam 7. Octobris 1447. de quo in necrologio sanctæ Crucis: *Nonis Octobris obiit Johannes de Vado Aurelianensis episcopus.* ANNI CHRISTI 1447.

LXXXVI. Petrus II.

BUREAU.

Defuncto Johanne, in capitulo die 21. Oct. 1447. indicta est electio ad diem Martis ante festum sancti Andreæ, & postea rejecta in diem 15. Decembris sequentis. Interea scholaris & canonicus Aurelianensis a 28. Octobris 1447. Petrus, Remensis ecclesiæ archidiaconus, sedisque apostolicæ protonotarius, ad ecclesiam Aurelianensem promotus est a Nicolao V. per obitum Johannis XII. cal. Dec. 1447. ut indicat liber provisionum prælatorum sub hoc pontifice. Insequenti Nicolaus ad cives Aurelianenses scripsit, ut debitum Petro exhiberent honorem, datis an. 1448. literis, quæ exstant in scriniis publicis 1448.
urbis, forte quia æmulum tunc patiebatur Petrus Theobaldum d'Aussigni, qui electus Aurelianensis, ut ipse præferebat, a sententia Senonensis archiepiscopi appellavit, causa tamen cecidit decreto senatus Parisiensis 7. Septembris 1450. quo fidu- 1450.
ciaria episcopatus possessio concessa est Petro, qui regi fidem jam juraverat apud Montem-argii 20. Octobris 1448. Translatus inde ad Biterrensem ecclesiam IV. idus Decembris 1451. ut 1451.
diximus tomo VI. col. 361. non continuo cessit: nam die tantum 6. Maii 1452. jurisdictio spiri- 1452.
talis episcopatus vacantis per translatum Petrum ab Biterrensem transiit ad capitulum, ex regestis ejusdem. Attamen

LXXXVII. Johannes VIII.

Patriarcha Alexandrinus Johannes, ecclesiam Aurelianensem accepit in commendam IV. idus Decembris 1451. ex actis consistorialibus Vaticani, ubi commendatarius adhuc dicitur ultima Januarii anno V. Nicolai V. 1452. Aliquanto post obiit, nec ab Aurelianensibus agnitus videtur.

LXXXVIII. Theobaldus.

D'AUSSIGNI.

Ex canonico primum sancti Petri in Ponte, tum ecclesiæ Aurelianensis, in eademque archidiacono Sigaloniæ Theobaldus, qui prius adversus Petrum Bureau æmulum causa ceciderat senatus consulto dato 7. Sept. 1450. factus est episcopus Aurelian. per obitum Johannis, patriarchæ Alexandrini, commendatarii, tertio nonas Maii a Nicolao V. pontificatus anno VI. 1452. ut testantur tabularia Vaticani. Possessionem per procuratorem iniit die 16. Aug. anni ejusdem, & dilationem obtinuit ad fidei sacramentum regi præstandum. Solennem celebravit ingressum 22. Martii anno, ut nunc dicimus, 1453. Piam sodalitatem apud 1453.
Fratres Minores fundatam approbavit, sodalibusque indulgentiam 40. dierum indulsit an. 1456. 1456.
Cum ipse non posset, concilio Senonensi per procuratorem Stephanum Plaisance interfuit anno 1460. Eodem, die 20. Julii indulsit abbati S. 1460.
Evurtii, ut in tota diœcesi in pontificalibus celebraret. Præbendam unam decanatui sancti Petri

ANNI CHRISTI

Puellaris univit anno 1462. Sodalitatem in ho- A
norem sancti Gabrielis instituit in ecclesia beatæ
1462. Magdalenæ 25. Maii 1466. Dedit 27. Februarii
1466. anno 1468. literas pro prioratus sancti Leonardi,
1468. qui destructus fuerat, ædibus reficiendis. Fato
1473. fungitur 24. Septembris anno 1473. sepulturæ
mandatus in ecclesia Franciscanorum Magduni
sub lapideo tumulo ad dextrum latus altaris, quorum conventus, Theobaldo adnitente, constructus
fuerat extra muros Magduni anno 1459.

DE BRILHAC.

LXXXIX. Franciscus I.

Post obitum Theobaldi, capitulo interdicta est
a rege electio die 6. Octob. 1473. a quo paulo B
post designatus videtur Franciscus. Is nobilibus
toparchis d'Argi in Biturigibus editus, Johannis
de Brilhac filius, sancti Johannis in Gravia Blesis
prior anno 1465. tum abbas Pontilevii, tandem
episcopus Aurelianensis electus per obitum Theobaldi tertio nonas Novembris 1473. dictus in
regesto Sixti IV. solvit die 12. ejusdem mensis,
ac die 13. Decembris regi juravit fidem. In
1474. festo Annunciationis Virginis 25. Martii 1474.
jucundum fecit ingressum. Ludovicum Aurelianensem ducem, postea regem Ludovicum XII.
& Johannam a Francia filiam Ludovici XI. ma-
1476. trimonio rite conjunxit 8. Decembris 1476. in C
capella castri Montis-Richardi in Turonibus. Tristando de Salazar metropolitano obedientiam solitam juravit 23. Junii 1479. Anno superiore
maximum conventum episcoporum apud Aurelianos de Pragmatica sanctione habuerat Ludovici
XI. nomine Petrus Borbonius regii sanguinis prin-
1478. ceps die 13. Septemb. 1478. Huic autem cœtui
ægrotus apud Magdunum Franciscus adesse non
1479. potuit. Insequenti incœpta est fabrica ecclesiæ
cathedralis, cui operi multa de suo impendit Franciscus, qui aliis eam donariis munifice cumulavit.
1482. Memoratur XIII. calendas Augusti 1482. anno
XI. Sixti IV. in libro 173. bullarum. Præsens fuit D
1483. 19. Novembris 1483. appellationi procuratoris
regis a provisione seu promotione facta a Sixto
IV. de episcopatu Tornacensi absque regis con-
1485. sensu. Occurrit 17. Junii 1485. in chartulario
Meldensi. Vocatus anno eodem ad synodum Senonensem, per procuratorem adstitit. Festum S.
1489. Lifardi instituit anno 1489. Summam 3207.
scutorum aureorum civibus Aurelianensibus sine
1498. fœnore credidit anno 1498. Ejus temporibus
Ludovicus XI. ecclesiam B. Mariæ de Cleriaco,
ubi sepeliri voluit cum uxore Carlota Sabauda
regina, & ecclesiam S. Aniani Aurelianis sum-
1499. tuoso opere exstruxit. Franciscus vero an. 1499. E
missam nuncupatam missam Domini celebrandam
pro defunctis, & ut sacerdoti ad altare quotidie
in majori sacro sacrificanti diaconus diceret, *Memento Francisci*, a capitulo speciatim obtinuit, quod
& hactenus observatur. Columnas æris fusiles ad
1502. altaris ornamentum fabricandas curavit an. 1502.
tresque missas pro annualibus festis instituit, ero-
1504. gatis ter mille libris anno 1504. Interim permutationem fecit cum Christophoro fratris filio,
archiepiscopo Aquensi, de qua a Julio II. datæ
sunt literæ 22. Decembris 1503. Unde anno
1504. 19. Januarii translatus dicitur ad ecclesiam Aquensem in regestis Vaticani. Literis ejusdem anni 27. Maii Francisco attribuit summus
pontifex castella Magdunense & Pitiverense, eumque vicarium generalem Christophori confirmavit, ut Christophorus instituerat. Utrum metropolim Aquensem salutaverit incompertum, at
Aurelianis obiit Franciscus die Sabbato 17. Jan.
secunda post mediam noctem hora anno 1505.
nunc 1506. per cujus obitum Petrus Filholi
Aquensis dictus est 9. Martii 1506. ex regestis
Vaticani. Vide tomum primum col. 329.

DE BRILHAC.

XC. Christophorus.

Francisci nepos Christophorus Biturix nobilis
ex utroque parente, filius quippe Petri Argii
Montiumque domini & Annæ de Tranchelion,
licentiatus in legibus & in presbyteratus ordine
constitutus, ex decano ecclesiæ Aurelian. factus
est archiepiscopus Aquensis, per resignationem
Andreæ cardinalis Lugdunensis, electi Aquensis
per obitum Philippi 13. Martii 1500. ex regesto
Alexandri VI. in quo electus Aquensis dicitur
per obitum Philippi idibus Maii an. 1503. Erat
simul abbas beatæ Mariæ de Pontelevio & sancti
Petri Carnotensis, titulumque archiepiscopi Trajanopolitani forsan accepit, cum permutatione
facta cum Francisco, ad ecclesiam Aurelianensem,
dicitur translatus die 19. mensis Januarii anni
1504. in regestis Vaticani, quo anno in quodam instrumento legitur Christophorus Dei & 1504.
sanctæ sedis apostolicæ gratia Trajanopolitanus
archiepiscopus & Aurelianensis episcopus, perpetuusque abbas commendatarius seu administrator
beatæ Mariæ de Pontelevio & sancti Petri Carnotensis. Sacramentum fidelitatis præstitit 20.
Martii anni 1504. & possessionem per procuratorem adeptus est 10. Aprilis. Urbem suam
ingressus est die 19. Maii anni ejusdem, & metropolitano Tristando de Salazar clientelam professus est die 7. Maii 1505. ex regestis capituli. 1505.
Sacros ordines in ecclesia collegiata de Pitiveris
celebravit 17. Junii 1508. Vicarium generalem 1508.
in spiritualibus & temporalibus Guillelmum abbatem Curiæ-Dei instituit anno 1510. Cœme- 1510.
terium ecclesiæ parochialis & curatæ capellæ sancti
Aniani sanguine pollutum benedixit & reconciliavit, tonsuramque & minores ordines contulit
24. Martii 1510. ante Pascha absque præjudicio
exemtionis hujus ecclesiæ. Ad Bituricensem metropolim postulatum a capitulo istius ecclesiæ
anno 1511. diximus tomo 2. col. 94. Tristando 1511.
metropolitano obedientiæ obsequium exhibuit
die 14. Augusti anni ejusdem, ex libro originali
sacramentorum fidelitatis. Tandem evehitur ad
archiepiscopatum Turonensem quinto nonas Julii
1514. Is quoque obtinuit a capitulo Aurelianensi, ut ejus memoria fieret ad altare, suggerente 1514.
subdiacono: *Memento Christophori.*

DE GANNAI.

XCI. Germanus I.

Ecclesiæ Aurelianensi vacanti per cessionem

ANNI CHRISTI

Christophori, cui Germanus Cadurcensis permutatione facta cum Carolo Dominico de Carretto archiepiscopo Turonensi, dimiserat Turonensem, præficitur Germanus Johannis domini de Persan Franciæ cancellarii frater, Guillelmi de Gannai regii in suprema curia Parisiensi advocati filius. Senator & ipse ejusdem curiæ fuerat, canonicus Bituricensis & decanus Bellovacensis. Denique ab ecclesia Cadurcensi ad Aurelianensem translatus sacramentum fidei præstitit 29. Julii 1514. Possessionem per procuratorem arripuit 10. Augusti anni ejusdem. Ecclesiam suam ingressus est 26.
1515. Aug. anni 1515. obtenta prius a capitulo facultate, ut calceatus ob ætatem ingravescentem & infirmitates ingrederetur contra decessorum morem. Stephanum de Poncher archiepiscopum Senonensem Aurelianos adventantem, ea qua decuit
1520. dignitate, excepit ultima Martii 1519. (1520.) Legatis ecclesiæ bis mille libris pro fundatione missæ, migravit a seculo die 8. Martii 1520.
1521. nunc 1521. sepultusque est ad latus sinistrum majoris altaris ante reliquias S. Quiriaci, unde exstractum cadaver 13. Junii 1733. eodem nunc ac Ludovicus Gasto requiescit tumulo. De Germano jam locuti sumus in episcopis Cadurcensibus tomo primo col. 146.

D'ORLEANS.

XCII. JOHANNES IX.

Francisci comitis de Longueville posteaque Dunensis ex Agnete de Sabaudia filius Johannes, erat jam archiepiscopus Tolosanus, commendatariusque Beccensis, cùm defuncto Germano, a Francisco I. commendatus, omnium suffragiis canonicorum antistes renunciatus fuit die 10. Maii 1521. confirmatusque a Leone X. die 13. Junii cum facultate retinendi simul archiepiscopatum Tolosanum. Sacramentum fidei regi præstitit 16. Julii anni ejusdem. Ingressus urbem die prima
1522. Junii 1522. liberavit 114. carceribus inclusos. Die eadem privilegia Curiæ-Dei servaturum se promisit, primusque addidit quam post eum usurpavere clausulam successores, *& ita juro, salvo jure meo & ecclesiæ meæ*. Ab abbatia Curiæ-Dei venit ad sanctum Evurtium, prætermisso sancto Lupo, licet aliter fecissent decessores, priorque sancti Evurtii obtulit ei præstandum sacramentum, cujus nulla mentio in processibus verbalibus ævi posterioris. In sede sua constitutus est a Johanne de Salazar archidiacono majore ecclesiæ Senonensis, quem penes ratione dignitatis suæ erat episcopos suffraganeos constituere usque ad erectam metropolim Parisiensem, a quo tempore hoc onus decano Aurelianensi, cui archidiaconatus major unitus est, pro ecclesia Aurelianensi incumbit. Synodales ecclesiæ suæ ordinationes
1525. promulgavit die 6. Julii 1525. post festum Pentecostes. Concilio Parisiensi adversus Lutheranos
1528. adstitit anno 1528. Reginam Eleonoram Aurelianos ingredientem, ad valvas ecclesiæ excepit 30.
1530. Nov. 1530. Purpura donatus est 21. Februarii
1533. 1533. cum titulo sancti Martini in Montibus a Clemente VII. dictus cardinalis de Longueville. Apud Tarasconem obiit 24. Sept. anni ejusdem, annum agens 42. ut fusius dicemus in archiepiscopis Tolosanis.

SANGUIN.

XCIII. ANTONIUS.

Antonii toparchæ de Meudon in agro Parisiensi, aquarum & silvarum Franciæ magistri filius Antonius, natus anno 1493. abbas Floriacensis, ad episcopatum Aurelianensem promovetur anno 1533. Francisci I. regis beneficio, tum propter ipsius cum ducissa Stampensi cognationem, tum ob ingenii præstantiam, qua in summis muneribus tractandis exercitatus erat. Fidelitatis sacramentum præstitit 9. Februarii 1534. Ecclesiam 1534.
suam solenniter ingressus Dominica 24. Octob.
1535. reos 281. pro more antiquo absolutos 1535.
liberavit. A Paulo III. inter purpuratos patres cooptatus sub titulo S. Mariæ in Porticu mense
Decembri 1539. galerum accepit die Pentecostes 1539.
in ecclesia cathedrali Parisiensi a cardinali Farnesio
legato. Manuale precum publicavit 1540. Anno 1540.
1543. magnus Franciæ eleemosynarius factus est. 1543.
Cardinalem de Meudon Luteciæ moderatorem
instituit rex die 16. Aprilis anno 1544. dum 1544.
armis cum Carolo imperatore decertaret, idemque pacis inter eos auctor initique fœderis obses fuit. Francisci I. regis exsequiis inter cardinales
interfuit anno 1547. 23. Maii. Electioni Julii 1547.
III. Romæ interfuit mense Februario 1550. 1550.
Tandem evehitur ad ecclesiam Tolosanam die 20. Octobris anni ejusdem, ubi de eo plura. Cognominabatur de Meudon, quia post patrem terræ dominus, castellum inchoavit.

DE FAUCON.

XCIV. FRANCISCUS II.

Ortu Monspeliensis Franciscus, e Falconia gente inter Florentinas antiqua & nobili ducebat originem, quæ supremo magistratu Gonfaloniorum stante republica floruerat, filius Falconis de Falcone & Carlottæ Bucelli. Luteciam ergo e Septimania se traduxit, ubi inter regis eleemosynarios adscriptus, variorum ecclesiæ munerum factus est particeps: canonicus enim Sacræ capellæ Parisiensis, archidiaconus Carnotensis, abbas Altivillarensis, sancti Johannis Senonensis & Villæ-magnæ, Biterrensis, non longe postea Tutelensi pontificatu decoratur, ut diximus tomo secundo col. 674. unde per cessionem Antonii cardinalis translatus est ad Aurelianensem 20. Octobris 1550. Possessionem per procuratorem
adeptus est 19. Decembris anni ejusdem. Inse- 1551.
quenti cum Guillelmo Laterano decano transactionem iniit super jurisdictione decanatus. Paulo post cessit in favorem Petri Castellani, factus ipse Matisconensis episcopus & abbas Bellæ-perticæ, ac denique dulcis amore patriæ illectus, Carcassonensis. Vide tomos quartum col. 1098. & sextum col. 921. Anniversarium ejus annotatur tertio calendas & sexto nonas Martii in duplici necrologio.

DU CHASTEL, *dictus* CASTELLAN & CHASTELAIN.

XCV. PETRUS III.

Non humili apud Lingonas loco natus Petrus, ut diximus tom. IV. col. 1096. sed apud Arcum in Barensi

ANNI CHRISTI

in Barensi pago, ex antiqua & nobili Hauverde- A riorum familia in Belgis, qui vicini Nerviis Francorum lingua utuntur, & Burgundionum ducibus jam olim parent, doctrina eximius, ac morum pietate præstans vir, ex professore humaniorum literarum, magister bibliothecæ regiæ post Budæi obitum constitutus a Francisco I. Tutelensi etiam episcopatu, abbatia Albæ-ripæ Lingonensis, magna Franciæ eleemosynaria, cathedra quoque Matisconensi muneratus est, quam cum aulæ negotiis præpeditus adeundi ægerrime a rege veniam impetraret, hanc pro abbatia Bellæ-perticæ & Aurelianensi episcopatu commutavit cum Francisco decessore anno 1551. Sed cum ante introi- B tum solennem pastoris pii obiret munera, & e sacro suggestu in ecclesia S. Laurentii de Orgeriis verbum Domini ovibus suis prædicaret, apoplexia correptus die festo B. Virginis 2. Februarii, ibidem defecit sequenti die secunda hora post

1552. mediam noctem an. 1552. (novo stylo) magno omnium mœrore, funeratus in ecclesia sua, quem culto pariter ac erudito carmine celebravit Michael Hospitalius Franciæ cancellarius epist. lib. 6.

Tom. 2. col. 674. Tom. IV. col. 1096.

Si pulcrum est ducibus pugnando occumbere mortem,
Pontifici pulcrum debet sanctumque videri,
Sic laterum nixuque omni contendere vocis,
Ut vires media facientem verba corona
Deficiant, sudoque satiscat lingua palato.
Ac quondam fortis qui vicit olympia miles,
Retulit & multas victor certamine palmas,
Et quem nulla viri virtus perfregerat ante,
Sternitur ille siti tandem confectus & æstu.
Discite, pontifices o, vestro munere fungi,
Commissos curare greges, & denique nullum
Servandi causa pecoris vitare dolorem,
Nec dubitare animam multis pro millibus unam
Consecrare Deo, ac meliori reddere vitæ.

Castellani vitam a Petro Galland regio Latinarum literarum professore conscriptam edidit D primus & notis illustravit Stephanus Baluzius anno 1674. De eo Jacobus Augustus Thuanus lib. 3. historiarum. Elogium ejus a Scævola quoque Sammarthano editum lubet hic subjicere: *Est vero quod Petri Castellani Lingonensis eloquentissimi viri beatos manes honorifica recordatione prosequamur. Qui cum apud maximum regem gratia & auctoritate plurimum valeret, hac fortis benignitate non ad sua ipsius commoda, sed ad communem reipublicæ utilitatem usus est. Hoc enim potissimum suasore Franciscus I. qui quotidie illum de litteris disserentem libentissime audiebat, celebre illud professorum collegium Lutetiæ fovit atque auxit, quod optimarum* E *artium in Gallia seminarium exstitisse nemo est qui nesciat. Quid igitur magis æquum est, quam ejus, qui musas instauravit, nomen grata musarum commemoratione vigere sempiternum! vel eo magis, quod pium istud mortales juvandi studium ne in ipsa quidem morte omisit, cum Aureliæ, cujus pontificatum Matisconense abdicato susceperat, inter concionandum repentino sanguinis ictu perculsus, animam de grege suo bene meritam Deo reddiderit.*

XCVI. Johannes X.

ANNI CHRISTI DE MORVILLER.

Blesis ad Ligerim ortus prima Decemb. anno 1506. Johannes ex nobili Morvilleriorum familia, suæ virtutis merito decanus primò Bituricensis & Ebroicensis, consilii magni senator, abbas sancti Petri Melodunensis & Burgi-medii, ab Henrico II. rege defuncti Castellani successor designatus, Romæ confirmatur 27. April. 1552. sed negotiis regni publicis & summis in republica muneribus obeundis, quæ subinde rex ei credebat, intentus, pastoralis curæ delegit 13. Julii adjutores vicarios generales in spiritualibus, Franciscum du Bourg Rivensem præsulem, & Stephanum Paris doctorem theologum ordinis Prædicatorum episcop. Ablonensem, vicarium vero generalem, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Maturinum Saussëyum ejusdem sororis filium, canonicum Aurelianensem & archidiaconum de Soliaco, postea successorem, qui sic episcopatum administrarent. Interim a rege ad Ardrense colloquium legatus fuit Johannes anno 1555. Insequenti finem imposuit querelæ, quam 1555.
cum capitulo habebat, ratione prolixæ quam gestabat barbæ. Hanc abradendam decreverant canonici statuto edito 3. Novembris 1552. sed C retinuit episcopus regio fultus diplomate ad canonicos misso anno 1556. quibus significat rex 1556.
velle se Johannem ad diversas regiones mittere, in quibus necessaria erat barba, ac proinde Johannem cum barba recipiendum præcipit. Lugduni morabatur pro negotiis regiis mense Aug. anno 1557. Duabus abbatiis a rege donatus est 1557.
anno 1558. Obedientiam per procuratorem Jo- 1558.
hanni Senonensi archiepiscopo promisit die 4. Novemb. 1559. Ipse vero suam die 26. ejusdem 1559.
mensis solenni ritu ingressus ecclesiam, liberavit tantum 29. carcere inclusos: idem enim Johanni ingredienti indultum non est quod decessoribus privilegium, ut obvios quosque carceribus Aurelianensibus inclusos liberaret, ideoque ingressum suum non publicavit propter iniquitatem temporum & perversitatem malefactorum, quibus utilior pœna quam impunitas salubrior. Oblata post obitum Olivarii sigilla regia anno 1560. 1560.
recusavit. Franciscum II. anno eodem Aurelianos adventantem excepit 12. Oct. & Mariam Stuart conjugem. Regi ab intimis consiliis, adfuit 21. Octobris 1561. conventui Pisciacensi. Concilio 1561.
Tridentino interfuit anno 1562. quo a Condæo 1562.
principe Aurelianis obsessis 2. Aprilis Calvinistæ religionem catholicam destruxerunt, templa pessumdederunt, synodumque nationis habuerunt 25. ejusdem mensis. Abbas de Chaliveio a rege designatus est Johannes anno 1563. Regius quoque 1563.
ad ducem Sabaudiæ legatus fuit, unusque e legatis regiis ad concludendum pactum initum inter Carolum IX. Franciæ regem & Elisabetam Angliæ reginam Trecis die XI. Aprilis 1564. 1564.
Reversus episcopalem dignitatem Maturino Saussëyo transmisit eodem anno. Sigilla regia ipsi an. 1568. demandata dimisit die crastina Paschæ 1571. in abbatia S. Petri Melodunensis, cujus

ANNI CHRISTI

erat commendatarius. Ingravescente demum ætate Pictavis rediens, condito prius testamento, quo multa pauperibus legavit, Turonibus exstinctus est, sacro munitus viatico die 23. Octob. 1577. ætatis anno 70. cum mensibus 10. & diebus 23. Apud Franciscanos Blesenses sepultus est, ubi marmori ad parietem in choro hæc inscribuntur: *Johannis Morvillerii effigiem ne frustra contemplator, sed simul ad æmulandas virtutes excitator.* In solennibus ejus exsequiis, quas celebrari curavit Maturinus de la Saussaye ejus successor in ecclesia sanctæ Crucis 28. Octobris 1577. orationem ejus funebrem pronunciavit Mauricius Hilaret Franciscanus. Mortuum præses Thuanus hocce brevi elogio celebravit in historia ad annum 1577. *Obiit & hoc anno paucis postquam ex Blesis discessit diebus, Johannes Morvillerius, Blesis honesto loco natus, quondam Aureliani episcopus, qui multis legationibus magna cum laude obitis, maximis in Gallia honoribus se semper parem præbuerat. Post Hospitalium, cujus virtutem seculi iniquitas ferre non poterat, domum relegatum, sigillorum procuratione ornatus, homo probus & prudens, sed innata timiditate nunquam generosi consilii auctor, ideoque mediis sententiis potius præsens otium, quam firmam imposterum pacem sectatus, fundata veluti altera ab Hospitalio in aula secta, cujus adstipulatores eo plures habuit, quod hi unionis inter catholicos farciendæ studio, cuncta factiosorum religionis causam falso, vel ipsorum judicio, obtendentium consilia & conata dissimulanda existimarent, cum alteri Gvisianorum ad altiora tendentium odio, pacem quavis ratione colendam suaderent, eaque re Protestantium causæ favere crederentur. Morienti astitit Pomponius Bellevreus summus ejus prudentiæ ac consiliorum sectator, qui mortuo in Franciscanorum æde, sicuti testamento mandaverat, sepulto honorifico elogio parentavit.* Scævola Sammarthanus qua solet styli elegantia huic viro tale elogium conscripsit: *Pari fere studio & æmulatione Monlucium æqualem suum secutus est Johannes Morvillerius Blesensis honesto loco natus, qui apud eosdem potentissimos Galliæ reges ea virtutis opinione floruit, ut omnium pacis ac belli consiliorum particeps per totos 35. annos, gravissima quæque regni negotia domi forisque tractaverit, immortalique sua cum laude confecerit. Gesserat primo præfecturam apud Bituriges, multisque deinde legationibus continenter obitis, non obscura futuræ gloriæ signa & indicia jam ediderat. Mox vero dum ad majora sublatus, hanc negotiorum molem in celeberrima regis aula sustineret, nemo eum gravitate & judicio, nemo sagacitate & solertia, nemo candore & humanitate superavit. Illud porro quantæ moderationis fuit, quantæ modestiæ, quod cum ad cancellarii munus in Olivarii defuncti locum a Francisco II. rege vocaretur, hunc magistratum, qui togatæ militiæ supremus in Gallia gradus est, non modo non ambiit, sed recusavit etiam, seque tanquam oneri tanto minime parem excusavit! ut ex ejus demum repudiatione Michael Hospitalius (qualis & quantus vir!) ad amplissimam illam auctoritatem perveniret. Sed Hospitalio ipso post aliquot annos per summam invidiam aula pulso, domumque relegato, cum iterum a Carolo Francisci fratre & successore* A *ad hoc ipsum invitaretur, ac vehementius urgeretur, aliquando tandem adduci potuit, ut sigilli procurationem susciperet, absentisque cancellarii vicem impleret, quam tamen biennio post Renato Birago homini Mediolanensi, nec rerum nostrarum satis perito, sed apud reginam gratioso facile concessit. Nimirum generosus & excelsus animus quæcunque a fortis arbitrio pendent, infra se ponit, nec virtutis præmia, sed virtutem ipsam honestiore cura & studio consectatur. Solebat Morvillerius oblectari musarum studiis, & earum eximios cultores amice liberaliterque fovebat, non Gallos tantum, sed exteros etiam, ac præsertim Italos, ex quibus adeo nonnulli grati & memores* B *frequentem ejus mentionem suis in scriptis honorificentissime sunt prosecuti. Quo magis verendum nobis erat, ne graviter in patriæ decus atque dignitatem peccasse diceremur, si tam clarum & celebre nomen, quod nec ab exteris neglectum esset, negligeremus ipsi, nec inter illustria Gallicæ gentis ornamenta collocaremus. Obiit exactæ ætatis senex anno supra quingentesimum & millesimum septuagesimo septimo, & apud Blesios in æde Franciscana sepultus, cum Aureliæ pontificatu (nam & hunc a rege meruerat) jampridem se sponte abdicasset. Cui tanquam singulari amico & collegæ Pomponius Bellevreus vir amplissimus, & morienti clausit oculos, & elato luculentum ex* C *marmore tumulum addito insigni elogio consecravit.* Epitaphium autem hujusmodi est:

Deo Opt. Max.

Et memoriæ Johannis Morvillerii, quem summa in principem fides, in patriam merita, gloriæ sempiternæ consecrarunt. Præfuit Aurelianorum ecclesiæ multis ante honoribus & laboriosissimis legationibus perfunctus, imperantibus Francisco I. & Henrico II. a quo intimis consiliis adhibitus, eamdem operam difficillimis temporibus Francisco II. Carolo IX. Henrico III. R. R. R. Henrici II. F. F. F. & Catharinæ Augustæ eorum matri navavit. Sigil- D *lorum Franciæ procurationem a Francisco II. oblatam, tandem Carolo IX. urgente, cogente, susceptam gessit, invidia major, omnibus ordinibus gratus, quadriennio post tanti muneris excusationem inaudita modestia multis precibus impetravit. Obiit apud Turones anno reparatæ salutis M. DLXXVII. vir incomparabilis morum, ingeniique elegantia, bonarum artium scientia, iis utendi peritia clarus, facundia, prudentia, probitate nemini quem hæc ætas viderit, secundus. Vixit annis 70. mensibus 10. diebus 23.*

Morvillerii vitam præter Saussayum & Symphor. Guyon, scripsit R. P. Hilarion de Coste ordinis Minimorum in historia catholica, hujus Johannis E episcopi & Francisci de Paula nepos, vir elogiis pluribus pietatis, doctrinæ & sanguinis commendandus. Legendi etiam Marcus Antonius Muretus in præfatione ad Philippicas Demosthenis, cum esset Johannes orator regius Venetiis anno 1551. & Gentianus Hervetus theologus doctissimus præfatione in octo libros basilicon ipsi Morvillerio dicatos.

XCVII. Maturinus. DE LA SAUSSAYE.

Johannis ex Johanna Morvillerii sorore filius

Maturinus, Blesis natus anno 1513. ecclesiæ Langiacensis rector primum fuerat, dein canonicus & archidiaconus Sulliacensis, priorque S. Samsonis Aurelianensis, cum abdicanti avunculo multoque ante obitum munus pontificium demandanti successit die 6. Septembris 1564. ex regestis Vaticani, per cessionem Johannis electus episcopus. Anno sequenti Parisiis consecratus
1565. die 4. Martii 1565. in ecclesia sancti Maturini a Francisco Boherio Macloviensi, Francisco du Bourg Rivensi & Antonio Abrincensi episcopis, urbem invehitur solita pompa 17. Martii, & 14. carcere inclusos liberavit. Ecclesiam suam difficillimis agitatam temporibus viginti annis vigilantissime rexit, tametsi novatores trecentas & eo amplius ecclesias in diœcesi Aurelianensi diruissent, & in ipsa civitate ac suburbiis ejus ædem sacram beatæ Crucis, plurimasque alias subver-
1567. tissent annis 1562. 1567. & 1568. Basilica
1568. major anno 1567. cum ceteris in urbe & diœcesi funditus ferro & flamma evertitur ab hominibus Calvinianæ factionis. Pastorali interea functioni sedulo incubuit Maturinus, ordinationibus edendis, verbi divini prædicatione & sollicita gregis cura nihil omisit eorum quæ ad ejus salutem & diœcesis curam spectarent. Attamen cedere tempestati coactus, Turones secessit ad pacem factam 22. Martii 1568. quo reversus, partem chori ad officium divinum celebrandum restauravit. Henricum III. & Ludovicam Lotharingam honorifice
1575. excepit & peroravit die 13. Sept. 1575. Insequ.
1576. comitiis regni Blesensibus interfuit anno 1576.
1578. Capucinos in urbem admisit 23. Maii 1578.
1583. quorum ecclesiam consecravit 2. Augusti 1583.
1584. Tandem defecit die 9. Februarii 1584. ætatis anno 71. sepultus in cathedrali prope majorem aram ad latus epistolæ. Maturinum in funere laudavit Hugo Burlatus doctor theologus & pœnitentiarius. Plura autem legavit ecclesiæ, quam variis ornamentis instruxit, ut videre est in annalibus Caroli Saussеyi Maturini e fratre nepotis, qui eum ex votis capituli Aurelianensis tanquam præsulem beneficentissimum hoc epitaphio honestavit :

Qui jaceo hac gelida tumulatus episcopus urna,
Mi natale solum Blesi, terra hospita regum,
Hinc pater, hinc & avus, longo inde ex ordine patres,
Hinc mater magni soror altera Morvilieri,
Qui mihi decessor, stabilire negotia solers
Grandia consiliis, a rege vocatus ad aulam,
Aureliæ mihi pontificis sua munia liquit.
Hæresis interea bellum exitiale ciebat,
Turbabatque animos, viduabat civibus urbes.
Prostratum ah reperi templum hoc, altaria, sellas,
Direptos calices, sacra ornamenta, crucesque,
Sanctorum exsuvias auro argentoque revulsas :
Horrendum refero, superabant rudera montes.
Horrida ubique fuit sacræ impietatis imago.
Disrupto ut potui reparando impendia templo
Contuli, & excisas studui repararier arces,
Canonico mecum sumtus tribuente senatu,
Donec regali consurgeret altius ære.
Seductum heu populum, & prope religionis avitæ
Extorrem flevi, & propria pietate reduxi,
Doctorumque, quibus per me est data copia fandi,
Per viginti annos hoc rexi pastor ovile.
SeptVagInta VnVM totos VIXI orDIne soLes.
Non obii, qui sic abii, sed vivo superstes.
Felix o nimium! si me tua vota levassint.

Obiit die IX. Februarii CIↃ. IↃ. LXXXIV. Requiescat in pace. Beneficentissimo patruo suo ad pedes hujus columnæ sub lapide marmoreo quiescenti Carolus de la Saussaye decanus hujus ecclesiæ Aurelianensis H. M. P.

XCVIII. Dionysius. HURAULT.

Jacobo toparcha S. Dionysii & de Villeluisant & Maria Huralta Chevernia parentibus prognatus, Philippi Hurault Franciæ cancellarii ex fratre nepos Dionysius abbas de Pellicia, Brolii & Trappæ, a rege Henrico III. nominatus antistes & coadjutor Maturini, bullis donatus est 26. Januarii 1581. Anno sequenti 29. Augusti 1582. procuratorem instituit, qui ejus nomine possessionem apprehendit 24. Septembris. Fidei sacramentum præstitit die 26. Martii 1584. cujus & aliquot acta reperiuntur hujus anni & subsequentium 1585. & 1586. ab ipso episcopi jure con- 1585.
fecta. Sed non consecratus cessit hoc ultimo 1586.
anno in gratiam sequentis, qui cessit ei abbatiam Panispontis.

XCIX. Germanus II. VAILLANT DE GUELIS.

Johannis Vaillant de Guelis senatoris in majori consilio & Johannæ Nivart uxoris filius Germanus Aurelianensis, a teneris egregie melioribus instructus disciplinis, ingenium Græcis literis ac præcipue in poësi non mediocriter exercuit, ut constat ex egregio opere commentariorum in Virgilium, quod Elisabetæ Austriacæ Caroli IX. regis uxori primum in Galliam adventanti dedicavit. Juris utriusque doctor, senator multos in curia Parisiensi exegit annos. Sacerdotia quoque nonnulla consecutus est. Fuit enim canonicus S. Aniani, Parisiensis & Aurelianensis, præpositus Sicaloniæ, decanus Aurelianensis, abbas Panispontis, & prior Burgi, tandem episcopus bullas obtinuit sexto calend. Novembris. Sacramentum fidei dixit 17. Decembris, & ab episcopo Parisiensi collaborantibus Redonensi & Lemovicensi, post eum Aurelianensi, sacratus est Parisiis in ecclesia sancti Victoris 21. Decembris 1586. jam ætate gravis. Possessionem per procuratorem arripuit 14. Januarii 1587. Parum diu sedit, 1587.
nam cum statuta synodalia a Johanne d'Orleans decessore digesta meliorem in formam redacta typis mandari curavisset die Mercurii post Pentecosten anni 1587. dum solennem ingressum meditaretur, podagra extinctus est in castro suo Magduni ad Ligerim die 15. Septembris anni ejusdem, ibidemque sepultus in medio chori

ANNI CHRISTI

ecclesiæ sancti Lifardi sub hoc epitaphio, quod sibi vivens posuerat:

Turbabant musæ moriente Valente, sororum
Uraniæ vati sed comes una fuit.

De eo in necrologio legitur: *XVII. calendas Octobris obiit anno 1587. R. P. D. Germanus Valens de Guelis episcopus Aurelianensis, antea abbas Pimpontii, Magduni sepultus.* Doctrinam ejus opera, pietatem legata ecclesiæ perpetuo testabuntur. Quin & divini officii observantissimus, & beatæ Virgini devotissimus fuit, cui votum pietatis plenum nuncupavit, quod leges in annalibus Saussevi. Libet autem afferre ejus elogium a Scævola Sammarthano verbis istis elucubratum: *Germanus Valens Aurelianus raræ adolescens indolis & eximiæ doctrinæ, ad Franciscum primum productus, dum studiosus ille princeps inter mollia cibi tempora, eruditorum qui fere adstabant, sermone & disputationibus oblectatur, adeo prolixe & feliciter opinioni de se conceptæ satisfecit, ut ab omni corona, præsertimque a rege ipso mirifice laudatus, acerrimos inde sibi stimulos admoveri sentiret, ad ea persequenda, quæ tam auspicato cœperat, cum elegantioribus musis habere commercia. Ut nec eum deinceps in toto vitæ cursu vel senatoria dignitas, vel suscepta regis nomine domi forisque negotia, vel ipse denique seni delatus Aureliæ patriæ urbis episcopatus, a jucundo & optabili Dearum usu revocaret. Erat enim ingenio mire fecundo & valido, quod varia simul diversaque studia nullo prorsus incommodo complecteretur. Ex plurimis autem ejus operibus, quorum bona pars viventi adhuc auctori bellorum injuria periit, unum illud exstat oppido magnum & laboriosum, quo Maronem nova quadam commentandi via, & ratione interpretatus, non scholiis tantum & notis, verum etiam accurata diligentique Græcorum cum Latinis collatione, obscurioribus divini illius poëtæ locis lumen afferre contendit. Hunc enim sicut & reliquos utriusque linguæ poëtas, a puero semper in deliciis habuerat: scribebatque ipse nonnunquam pressiore quidem, ob idque forsitan obscuriore stylo, sed qui sententiarum ubertate & pondere non aversas eruditorum aures utique caperet ac deliniret. Ejusmodi poëma legimus ab eo conscriptum anno ante infandum regis parricidium altero, quo poëmate septuagenarius vates imminentem Galliæ tempestatem præsagiens, miserabilem rerum statum deploravit: aliquantoque post Magduni ad Ligerim suæ diœcesis oppidulo rebus humanis exemtus est.*

C. JOHANNES XI.

DE L'AUBESPINE.

Clara Albaspinæorum stirpe apud Aurelianos editus est Johannes, filius quippe Egidii domini de Verderone & Mariæ Gobelin; a qua pie educatus, fit primo abbas sancti Martialis Lemovicensis & sancti Eligii Noviomensis, canonicus & senator Parisiensis: tum episcopus Lemovicensis, Sebastiani agnati successor deligitur, inauguraturque in æde S. Victoris Parisiensis prima Aprilis 1584. a Nicolao Fumée episcopo & comite Bellovacensi, assistentibus S. Flori & Cæsareæ episcopis. Dein Germani obitu vacantem, a Sixto V. promotus, cathedram Aurelianensem adeptus est mense Sept. anno 1587. Bullis acceptis sacramentoque regi dicto, possessionem per procuratorem iniit 30. Maii 1588. Tum ad publica regni negotia Blesis delegatur, quibus finitis, jucundum fecit ingressum. Festiva omnium ordinum adclamatione admissus prima Maii 1589. liberavit 34. carceribus inclusos. Interrogatusque in hac solennitate a subdecano ecclesiæ sancti Aniani, utrum portari vellet a quatuor capituli dignitatibus pro decessorum suorum more, recusavit, pedibusque capitulum prætergressus est. Statuta synodalia pro reformatione cultus sacri ac de rebus ecclesiasticis ordinationes perutiles digessit. Ecclesiam majoris hospitalis, parochialem sancti Petri, & capellam beatæ Mariæ de Auxiliis anno 1590. dicavit. Michaelis Viole abbatis sancti Evurtii exsequias celebravit mense Maio 1591. & heroïco carmine suprema ejus deflevit, quod habes apud Saussevum pag. 684. In sacro Henrici IV. apud Carnotas 27. Februarii 1594. episcopi Noviomensis ecclesiastici paris personam egit. Hunc laudat pontificem Saussevus ab integritate morum, vitæ continentia, pietate erga Deum, beneficentia in egentes, comitate morum, ingenii dotibus ac sollicita gregis cura. Decessit die 23. Februarii anni 1596. Lutetiæ, quo se contulerat tum ad comitia cleri Gallicani, tum etiam vacaturus editioni breviarii ecclesiæ suæ juxta decretum concilii Tridentini expurgati. Catechismum quoque & statuta synodalia publicavit. Laudatus est in pompa funebri a Dionysio Boucher theologo, sepultusque in medio chori ecclesiæ S. Crucis, adjecta hac epigraphe:

Tom. 2. col. 540.

1588. 1589. 1590. 1591. 1594. 1596.

DEO OPT. MAX.

Et memoriæ sempiternæ Johannis Albaspinæi antistitis, qui post senatoriam dignitatem in suprema curia per aliquot annos summa integritate gestam, virtutis & pietatis meritis primum ad Lemovicensem, deinde ad Aurelianensem episcopatum electus, principalis etiam consistorii Henricis III. & IV. regibus christianissimis consiliarius adscitus, demum a suæ diœceseos clero delectus, ut indicto ecclesiæ Gallicanæ conventui interesset, Lutecia Parisiorum magno bonorum mærore decessit VII. calendas Martii anno M. DXCVI. natus annos 39. M. X. D. Claudius Albaspinæus frater & Magdalena Albaspinæa soror fratri carissimo in spem futuræ resurrectionis P. C. Requiescat in pace.

Johannis cor ad Dominicanos Parisienses in vico sancti Jacobi delatum, in prima ad sinistram capella conditum fuit, ubi ad parietem legitur: *Æternæ memoriæ reverendissimi præsulis ac antistitis vigilantis, Johannis Albaspinæi Aurelianensis episcopi, qui proprium suum cor hoc communi fratrum familiaque sepulcro conditum, sui voluit erga suos amoris exstare monumentum. Obiit non a suis tantum, sed & a bonis omnibus mirum quantum desideratus ætatis anno XXXVIIII. & Christi nati M. V.ᶜ IIII.ˣˣ XVI. Februarii XXIII.*

Post Johannis excessum episcopatus cura a rege demandata fuit gentili ipsius Guillelmo ad

ANNI CHRISTI

hanc cathedram nominato, cujus aliquot acta A
reperiuntur, sed propter adversam valetudinem
episcopale officium cessit, vacante interim octo
& amplius annis sede pontificia, quo tempore
Henricus IV. primum posuit lapidem novæ suis-
met impensis construendæ cathedrali 18. Aprilis
1601.

DE L'AUBESPINE.

CI. Gabriel.

Johannis consanguineus Gabriel, Guillelmo
barone de Chateauneuf, torquatorum equitum
cancellario, & Maria de la Chastre sorore Claudii
equitum Franciæ tribuni genitus 26. Januarii
1579. frater Caroli Franciæ procancellarii, mar- B
chionis de Castronovo, comitis de Sagone &
Francisci comitis de Hauterive, abbas Pratellensis
& sancti Eligii Noviomensis, episcopus Aurelia-
1599. nensis jam designatus ineunte Aprili 1599. annos
tantum 20. duos menses & octo dies natus,
consecratur Romæ a Clemente VIII. summo
1604. pontifice 28. Martii 1604. Dominica *Lætare*,
& 17. Maii possessionem per procuratorem adep-
tus est. Tum ad suam diœcesim confestim se con-
tulit, pontificiæ functioni doctisque lucubratio-
nibus vacaturus, vir totius antiquitatis ecclesiasticæ
peritissimus, quemadmodum libri bono publico
ex thesauris ejus reconditis in lucem emissi testan- C
tur, nempe de veteribus ecclesiæ ritibus, obser-
vationes ad Tertullianum & Optati Milevitani
opera, tractatusque de Eucharistia. Congregata
1606. synodo diœcesana anno 1606. statuta edidit pro
1607. ejus regimine. Henrico Gondio 18. Febr. 1607.
Philippum Cospean episcopum Adurensem con-
secranti operam commodavit. Urbem solita inau-
gurationis pompa ingressus die festo Exaltationis
1608. sanctæ Crucis anni 1608. liberavit 95. carceri-
bus inclusos. Comitiis cleri generalibus adstitit
1610. annis 1610. & 1612. quo ultimo die 13. Mart.
1612. adfuit synodo provinciali apud Parisios habitæ,
ubi præside cardinale Peronio Senonensi archi- D
episcopo damnatus liber Edmundi Richer de
ecclesiastica & politica potestate. Anno 1619.
Gabriel cooptatus est a rege inter præceptores tor-
quatorum equitum sancti Spiritus. Sedente autem
Gabriele, restauratur in cœnobio Miciaci a Fulien-
sibus monachis Cisterciensis instituti annitente
cardinale de la Rochefoucault abbate monastica
disciplina anno 1608. Capucini stabiliuntur apud
oppidum sancti Aniani 29. Maii 1610. & apud
Romorantinum die 3. Novembris anni ejusdem.
Recollecti in locum Fratrum Minorum admit-
tuntur anno 1611. die 10. Julii. Augustiniano-
rum ecclesiam benedixit Gabriel 6. Novembris E
1613. 1613. quo Minimi sancti Francisci de Paula
1614. admissi sunt in urbem. Sequenti anno ad comitia
generalia Parisiis habita 10. Octob. deputatus est.
Eodem advocantur Aurelianos presbyteri congre-
1615. gationis Oratorii. Anno 1615. Capucini apud
oppidum de Gien & Balgenciacum conventus
1617. obtinent & anno 1617. mense Martio moniales
discalceatæ, dictæ Carmelitæ. Eodem anno col-
legium Societatis Jesu erigitur, quod post duos
annos transfertur ad prioratum sancti Samsonis
antea canonicorum regularium. Anno 1620. ac- 1620.
cedunt religiosæ Visitationis sanctæ Mariæ, 1622. 1622.
mense Martio Ursulanæ, quarum institutum con-
firmavit Gabriel die 14. Junii, Cartusiani deni-
que anno 1629. suam Aurelianis sedem figunt.
Cœtui cleri Gallicani adstitit Gabriel an. 1626. 1626.
in quo senatus Parisiensis consulto reformata &
restituta est die 25. Junii academia Aurelianen-
sis. Quadriennio post cum ecclesiæ annis 26.
laudabiliter præfuisset, Gratianopoli fatis eripitur
die 15. Augusti anni 1630. annos natus 52. 1630.
Illuc ad regem Ludovicum XIII. nomine cœtus
cleri generalis delegatus fuerat ab episcopis Lu-
teciæ congregatis. Cadaver humandum defertur
in sepulcro gentilitio avorum in ecclesia cathedrali
Bituricensi, in capella toparcharum Castrinovi
super Carum.

CII. Nicolaus. DE NETZ

Gente Parisina Nicolaus Turonibus natus est
18. Februarii 1592. cum inibi sederet senatus
Parisiensis ab anno 1589. translatus. Parentes
habuit Nicolaum in suprema vectigalium curia
senatorem & Margaritam Maupeou. Cum theo-
logiæ operam dedisset, doctoratus laurea meruit
insigniri in alma domo Sorbonica annos natus
26. Tum canonicus & pastor sancti Germani
Autissiodorensis, prior de Palatiolo, a rege Ludo-
vico XIII. eleemosynarius, dein antistes Aurelia-
nensis designatur post obitum Gabrielis an. 1630.
Inauguratus est Luteciæ a Johanne Francisco de
Gondi archiepiscopo Parisiensi, assistentibus Leo-
norio d'Estampes Carnotensi & Stephano Puget
Dardaniæ episcopis Dominica 27. April. 1631. 1631.
in sacello domus Sorbonicæ. Urbem solenniter
invectus 24. Octobris 1632. liberavit 340. car- 1632.
ceribus inclusos. Hac autem in solennitate hos
versus exaratos invenit ad valvas ecclesiæ sancti
Aniani:

Nulla hic pontifici manus est, hic nulla potestas:
Nil nisi sublimes divos hæc turris adorat.

Quia nempe episcoporum jurisdictionem de-
trectabat capitulum istius ecclesiæ, quibus tamen
postea fasces submiserunt an. 1674. ut dicemus.
Diœcesanam habuit synodum Nicolaus an. 1633. 1633.
cujus acta evulgavit. Parochiam sancti Georgii
in ecclesia sancti Aviti eodem anno suppressit,
& parochiæ sancti Michaelis univit. Leonorio
d'Estampes Henricum Listolfi episcopum Vasa-
tensem anno 1634. die 8. Junii consecranti 1634.
adstitit. Palatium episcopale ab antecessoribus
præsulibus neglectum primus inhabitare cœpit,
novis ædificiis auxit & adornavit, exstructo ibi-
dem episcopali sacello anno 1635. Eodem con- 1635.
struitur monasterium Cartusianorum. Nicolaus
interfuit annis 1635. & 1641. duobus comi-
tiis cleri generalibus Luteciæ & Meduntæ ha-
bitis, ipsiusque cleri nomine oravit coram rege
adversus novatores 17. Februarii 1636. Cum 1636.
aliis episcopis apud sanctam Genovefam congre-
gatis scripsit ad episcopos Galliæ de damnandis
duobus voluminibus, uno de libertatibus ecclesiæ

ANNI CHRISTI

1639. Gallicanæ, altero probationes earumdem libertatum complectente, 9. Februarii 1639. Nicolao sedente canonici regulares congregationis Gallicanæ sanctæ Genovefæ in abbatiam sancti Evurtii inducuntur. Datis 15. Martii anni 1637. literis assensit ut Benedictinæ congregationis B. Mariæ de Calvaria in urbem admitterentur, quæ admissæ sunt 20. Martii an. 1638. approbantibus rege christianissimo, duce Aurelianensi, præfecto & ædilibus urbis mense Augusto anni ejusdem. Prioratus beati Lupi juxta Aurelianos ad abbatiæ fastigium evehitur ab Urbano VIII. anno 1639. Insequenti Nicolaus adstitit consecrationi Roberti Cupif episcopi Leonensis 25. Martii in ecclesia sancti Germani a Pratis, ubi ordines sacros celebravit in sacello beatæ Mariæ intra claustra
1640. abbatiæ a priore rogatus 2. Junii 1640. Cum baronia Soliacensis anno 1606. ducatus honore insignita fuisset, obtinuit Nicolaus a senatu Parisi.
1641. prima Februarii 1641. ut dux quartam partem valoris baroniæ episcopo solveret, iisdemque oneribus ac prius ad ingressum episcoporum teneretur. Benedixit 17. Novembris 1641. in festivitate S. Aniani ecclesiam Capucinorum, eamdemque impertitus est gratiam abbatissæ de Vicinis
1642. 6. Maii 1642. & 3. Junii novum ecclesiæ suæ rituale cura ac studio ejus recognitum per totam diœcesim observari sanciit, quod & iterum in altero conventu synodali stabilitum. Leonorio d'Estampes Petrum d'Hardivillier archiepiscopum Bituricensem inungenti manum porrexit 8. Febr.
1643. 1643. Eodem anno facundia sua cives Aurelianenses a militibus quos rex miserat, exemit 23. Decembris. Una cum clero & capitulo excepit
1644. 23. Augusti 1644. in templo cathedrali Henrietam Mariam a Francia reginam Angliæ. Breviarium hoc anno publicavit. Parochiam sanctæ
1645. Columbæ suppressit 7. Julii 1645. capellamque ut erat prius restituit. Multis ergo in diœcesi recte ordinatis, contracto morbo ex aqua inter-
1646. cute decessit Aurelianis 20. Januarii anno 1646. ætatis 55. in ædibus episcopalibus quas magnifice construxerat, funeratusque est solennibus exsequiis die 25. in ecclesia S. Crucis e regione cathedræ episcopalis ante majorem aram. Oratione funebri commendatus est a Francisco Senault presbytero congregationis Oratorii Jesu singulari qua pollebat facundia clarissimo, qui postea fuit ejusdem congregationis generalis præpositus.

DELBENE.

CIII. ALFONSUS.

Familiæ Delbeniæ quintus episcopus Alfonsus (recensentur quippe Bernardus Nemausensis, duo Alfonsi Albigenses, & Bartholomæus Aginnensis Alfonsi nostri germanus) ab antiqua Delbeniorum stirpe apud Florentiam ducebat originem. Jam abbas de Maceriis in diœcesi Cabilonensi, a Ludovico XIV. nominatur episcopus Aurelianensis die 4. Maii 1646. Eodem desinente anno ab Innocentio X. summo pontifice literis donatus apostolicis, sacris inauguratur Luteciæ in ecclesia monialium sanctæ Elisabetæ juxta Templum die
1647. 27. Maii 1647. a Guidone de Bagni Athenarum archiepiscopo nuncio apostolico, assistentibus præsulibus Renato de Rieux Leonensi & Antonio Godeau Grassensi, præsente Aurelianensi duce regis patruo. Anno eodem Alfonsus Johanni Francisco de Gondi Corinthiorum archiepiscopo Franciscum de Pericard episcopum Engolismensem inauguranti adstitit. Aurelianis vero instituti 2. Julii Carmelitæ Discalceati. Insequenti anno Alfonsus urbem & ecclesiam suam solenniter ingressus de more antiquo 26. Maii anno 1648. 1648.
liberavit 368. carceribus detentos, adstantibus totius diœcesis parochis ad synodum congregatis. Cujus in ingressu non omittendum, quod cum tumultus exorti fuissent inter barones, seu milites baronum, qui episcopum portare tenentur, gladium strinxere milites Soliaci, qui forte propter ducatum nuper institutum primatum affectabant. Quo viso, episcopus moræ impatiens, e cathedra in qua sedebat surrexit, cappam in humeros retorsit, sinistraque mitram tenens, dextra militem collo apprehendit & detineri jussit, cui tamen postea sedato tumultu pepercit. Anno eodem Franciscus le Maire historiam Aurelianensem duobus tomis Alfonso dicavit. Non ita multo post Alfonsus ecclesias urbis visitavit. Comitiis cleri Gallicani Parisiis interfuit anno 1651. Pa- 1651.
rochiam sancti Stephani unam ex antiquioribus, ac forsan urbis Aurelianensis primariam, suppressit 8. Januarii 1655. & in capellam redegit. Mariæ 1655.
de Lenoncourt abbatissæ sancti Lupi exædificandi in urbe hospitii facultatem largitus est die 8. Decemb. anni ejusdem. Sub excommunicationis pœna prohibuit lectionem apologiæ casuistarum in synodo generali habita die 4. Junii 1658. 1658.
Reliquias sancti Theoderici episcopi Aurelianensis e monasterio Tornodorensi transmissas an. 1660. 1660.
in ecclesia cathedrali reposuit, annuaque celebritate recolendas statuit. Mandata sua & decessorum statuta edidit anno 1664. Ædes episcopales per- 1664.
fecit, quibus multa de suo addidit. Obiit Parisiis die 20. Maii anno 1665. annos natus 65. 1665.
Corpus Aurelianos allatum die 27. sepultum est 30. in medio chori ecclesiæ cathedralis, ubi sepulturam elegerat, & annuente capitulo 19. Febr. 1661. tumbam posuerat, in qua legitur: *Hic jacet Alphonsus Delbene Dei gratia episcopus Aurelianensis, expectans resurrectionem mortuorum & Dei misericordiam. Obiit anno M. DCLXV. mensis Maii 20. Ora pro eo.*

Alfonso nostro Symphorianus Guion rector ecclesiæ parochialis sancti Victoris Aurelianensis anno 1647. nuncupavit historiam ecclesiæ diœcesis, urbis & academiæ Aurelianensis Gallico idiomate conscriptam.

CIV. PETRUS IV.

DU CAMBOUT DE COISLIN.

Cæsare du Cambout marchione de Coislin, barone de Pontchateau & de la Roche-Bernard, regiorum castrorum præfecto, & Maria Seguier Galliarum cancellarii nata parentibus genitus Parisiis mense Novembri anno 1636. Petrus, septuennis prior Argentolii, dein canonicus ecclesiæ Parisiensis 23. Augusti 1647. abbas sancti

ANNI CHRISTI

Johannis Ambianensis, S. Gildasii de Nemore, & S. Victoris Parisiensis ab anno 1653. necnon prior beatæ Mariæ de Campis, Longi-pontis, sancti Petri Abbavillæi & beatæ Mariæ de Vado, primusque regis eleemosynarius annum agens 17. regi fidem juravit 4. Augusti 1653. Nominatur episcopus Aurelianensis mense Junio 1665. In-
1666. sequenti bullis donatus 28. Martii 1666. die 20. Junii sacro inungitur oleo in ecclesia sancti Victoris ab Harduino de Perefixe archiepiscopo Parisiensi, cooperantibus episcopis Carnotensi ac Meldensi. Paulo post fidei sacramento præstito, possessionem per procuratorem apprehendit 13. Septembris. Ecclesiam suam solenniter ingressus 19. Octobris ejusdem anni liberavit 865. carceribus inclusos. Mariam Teresiam Ludovici Magni filiam sacro inunxit baptismate Parisiis 21. Ja-
1668. nuarii 1668. beatæ Mariæ de Campis titulum &
1670. capitulum S. Aviti extinxit anno 1670. cujus præbendas seminario univit, quod a fundamentis eodem ubi prius erat ecclesia loco exstruere cœpit anno 1705. & perfecit successor. Falsus ergo est Theodericus Ruinart in notis ad sanctum Gregorium Turonensem lib. 8. cap. 2. ubi ait capitulum sancti Aviti una cum seminario adhuc substitisse anno quo scribebat 1699. Prioratum B. Mariæ de Campis seminario Aurelianensi adjunxit anno
1671. 1671. Litem habuit cum decano & capitulo sancti Aniani pro jurisdictione episcopali, quam in eos exercendam & tenendam obtinuit senatus
1674. consulto dato die quarto Junii 1674. Capellam
1675. hospitii generalis benedixit 27. Novemb. 1675. Literas regias obtinuit pro institutione recens Catholicarum, quibus emit domum 22. Octob.
1685. 1685. Crucem & duo candelabra argentea ingentis pretii ecclesiæ cathedrali hoc anno donavit. Regiorum ordinum commendator 31. Decemb.
1688. 1688. designatus est. Novi in ecclesia cathedrali ambonis primarium posuit lapidem mense Junio
1690. 1690. Novum breviarium emisit in lucem VI.
1693. nonas Martii 1693. S. R. E. cardinalis a rege
1695. nominatus 9. Aug. 1695. per obitum Francisci de Harlai ante assumtionem defuncti, inter purpuratos patres ab Innocentio XII. adscitus est
1697. 22. Julii 1697. qui pileo illum donavit Romæ
1700. 30. Martii 1700. & titulo sanctæ Trinitatis de Monte, quo nomine ordinis Fratrum Minimorum fuit protector. Adstitit anno eodem 23. Novembris electioni Clementis XI. Nominatus jam die 12. Septembris ejusdem anni magnus Franciæ & regiorum ordinum eleemosynarius, reversus
1701. Roma regi sacramentum dixit 14. April. 1701. Domui pro meretriculis ad pœnitentiam conversis
1703. instituendæ assensum præbuit XI. Junii 1703. Denique post administratam sapienter & pacifice Aurelianensem ecclesiam per annos 40. legatis capitulo 3000. libris pro anniversario, mortuus
1706. est Versaliis die 5. Februarii anno 1706. annos natus 70. magnum sui bonis omnibus relinquens desiderium, ac præsertim pauperibus, quos copiosissimis recreabat eleemosynis. Cadaver Aurelianos allatum die Dominica 14. ejusdem, inhumatum fuit die 18. in sanctuario ecclesiæ cathedralis a latere evangelii cum hoc epitaphio:

Hic jacet
Eminentissimus D. D. Petrus du Cambout de Coislin
S. R. E. titulo SS. Trinitatis in Monte Pincio
Presbyter cardinalis,
Episcopus Aurelianensis,
Summus Franciæ eleemosynarius,
Antiquissima apud Aremoricos nobilitate illustris,
Animi æquabilitate, candore, modestia, affabilitate, benignitate,
Morum integritate illustrior,
Ecclesiis sibi commissis pios prudentesque rectores,
Populis erudiendis sanæ præcones doctrinæ,
Clericis informandis, ac proprio etiam sumptu alendis
Præpositos idoneos, pastoralis sollicitudinis diligentes vicarios
Socios sibi, & cooperarios semper adjunxit.
Ecclesiasticæ pacis amantissimus
Turbas composuit, concordiam fovit.
Paterna incensus caritate, dispersis dedit pauperibus,
Amplum his excipiendis hospitium hac in urbe exstrui curavit.
Innatam honesto loco natis inopiæ verecundiam
Liberali comitate sublevavit.
Omnibus denique prodesse studuit, nemini nocere.
Ob hæc merita Ludovico Magno,
Cujus gratiam & favorem sibi ab infantia conciliavit,
Summe carus.
Cunctis Galliarum proceribus, quos nativa urbanitate sibi devinxit,
Gratissimus.
Summorum pontificum amorem,
Totius cardinalium collegii, nobilium Romanorum
Ipsiusque plebis studia & vota in se convertit.
Bonis omnibus sui desiderium relinquens,
Obiit nonis Februarii anni Domini M.° DCC.° VI.° ætatis LXX.°
Episcopatus XL.° cardinalatus IX.°

Inverso postea sepulcrali lapidi inscriptum: *Hic jacet eminentissimus D. D. Petrus du Cambout de Coislin S. R. E. tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio presbyter cardinalis, episcopus Aurelianensis, magnus Franciæ eleemosynarius, regiorum ordinum commendator. Obiit nonis Februarii anno Domini M. DCCVI. ætatis LXX. episc. XLI. card. IX.*

Post Petrum cardinalem, Michael le Pelletier ex ecclesia Andegavensi, ad quam promotus fuerat anno 1692. translatus est ad Aurelianensem regia schedula 3. Aprilis 1706. sed cum ante pontificias acceptas bullas, initamque possessionem obierit fistula Parisiis 9. Augusti anni ejusdem, ætatis anno 45. de eo in episcopis Andegavensibus dicere supersedemus.

CV. Ludovicus Gasto. FLEURIAU

Carolo Fleuriau Turonensi & Francisca Guillemin altera conjuge parentibus natus Parisiis Ludovicus Gasto die 15. Junii anno 1662. fratrem habuit natu majorem Josephum Johannem Bapt.

ANNI CHRISTI

Fleuriau dominum d'Armenonville regiorum A sigillorum custodem. Canonicus primum Carnotensis fuit, abbas de Morellis mense Apr. 1687. & mense Julio thesaurarius Sacræ capellæ Parisiensis, doctor theologus 4. Februarii 1689. episcopus Adurensis 29. Martii 1698. Aurelianensis vero die 14. Augusti 1706. eademque die abbas sancti Johannis Ambianensis. Bullas obtinuit 15. Novembris, & regi sacramentum dixit die 24. Decembris anni ejusdem. Carolus Fontaine des Montées decanus ejus nomine possessionem ap-
1707. prehendit 5. Januarii 1707. Ipse vero solenniter ingressus die prima Martii liberavit 854. reos carceribus inclusos. Invenit eadem die in atrio B cathedralis priorem Curiæ-Dei, qui protestatus est eo quod episcopus pro more decessorum suorum ad abbatiam prius non venisset. Propter infirmam valetudinem calceatus contra decessorum morem ingressus est. Sublatis a sacramenti formula exemtionibus, immunitatibus & libertatibus, quæ ante senatus consultum anni 1674. usurpabantur, juravit se conservaturum privilegia
1711. sancti Aniani. Transegit anno 1711. die 20. Maii cum Carolo de Beauclerc barone d'Ascheres ratione cujusdam census dicti *Goutiere*, quem episcopo debebat, qua transactione postea barones de Sully & de Cherai usi sunt. Adfuit comitiis C
1715. cleri Gallicani anno 1715. Novæ hospitii generalis capellæ primum apposuit lapidem 4. Septembris anni ejusdem, quam in honorem sancti Caroli benedixit, & 28. Octobris filiabus recens catholicis emit domum novam, quas cum aliis jam institutis aggregavit. Capellæ vulgo dictæ *des Aides*, primum posuit lapidem 31. Maii
1719. 1719. Coadjutorem sibi adscivit Nicolaum Jo-
1723. sephum anno 1723. cujus in gratiam cessit ab-
1730. batiam sancti Johannis Ambianensis anno 1730. Rituale edidit anno 1726. breviarium recudit
1731. anno 1731. & missale anno 1732. Castri Mag-
1732. dunensis labentes ædes refecit. Inchoatas a Petro D decessore seminarii ædes consummavit. Denique morum integritate, erga pauperes liberalitate & vigilantia pastorali commendatus, obiit in sua
1733. diœcesi die 9. Junii 1733. annos natus 71. solenniterque die 15. humatus est in ecclesia cathedrali prope decessorem, ubi hoc legitur epitaphium : *Hic jacet Ludovicus Gasto Fleuriau d'Armenonville episcopus Aurelianensis, exspectans resurrectionem mortuorum. Sedit annos XXVI. menses IX. dies XXIV. Obiit Aurelianis die IX. mensis Junii anno Domini M. DCCXXXIII. ætatis LXXI. Orate pro eo.*

Tom. 1. col. 1172.

CVI. NICOLAUS JOSEPHUS. DE PARIS.

Francisco de Paris toparcha des Contes & de Gasville regi a secretis & Maria Magdalena Fleuriau Ludovici Gastonis sorore parentibus natus est Parisiis Nicolaus Josephus 14. Aprilis 1680. Fuit primum canonicus Carnotensis, tum permutato prioratu sancti Michaelis Cenomanensis, archidiaconus Pitiverensis in ecclesia Aurelianensi 24. Decemb. 1709. insequenti avunculi vicarius generalis die 8. Augusti 1710. & crastina die canonicus ad 7. Junii 1717. Juris utriusque laurea insignitus est in academia Aurelianensi die 10. Junii 1713. Comitiis cleri Gallicani adfuit die 25. Octobris 1715. Ab avunculo coadjutor accitus, a rege designatur 10. Februarii 1723. Romæ admittitur in consistorio publico 30. Augusti anni ejusdem, sub titulo episcopi Europeæ. Bullis donatus 20. Novemb. sacro inungitur oleo Dominica Quinquagesimæ 27. Februarii 1724. in ecclesia cathedrali ab avunculo, adstantibus Carnotensi & Ebroicensi episcopis. Ecclesiam monialium Visitationis in honorem sancti Josephi benedixit 19. Aprilis 1727. Abbatiam sancti Johannis cedente avunculo obtinuit anno 1730. quam cum prioratu sancti Johannis de Valletta Telonensis tenet. Ludovico Gastone defuncto, possessionem per procuratorem iniit 15. Junii 1733. Regi sacramentum apud Compendium dixit 24. eorumdem anni & mensis. Ecclesiam suam solenniter ingressus 2. Martii 1734. liberavit 1150. carceribus inclusos. Hujusce solennitatis ritus & cærimonias videsis in Diurno Gallico mensis Aprilis illius anni. 1734.

DECANI AURELIANENSES.

AURELIANENSIS ecclesiæ decanus a capitulo eligitur, & ab episcopo confirmatur. Huic dignitati annexus est major archidiaconatus. Decanorum seriem ex variis instrumentis E ac monumentis contexuimus, ac præcipue ex annalibus D. D. de la Saussaye, Guyon, le Maire, Sammarthanorum, quibus illustrandis non parum D. Polluche contulit, vir in antiquitat. Aurelian. versatissimus, qui quæcumque ad rem nostram collegit, humanissime nobiscum communicavit.

I. S. Theodemirus abbas Miciacensis circa annum 550. canonicus primum atque etiam decanus Aurelianensis ecclesiæ fuisse creditur a nonnullis ex Letaldo monacho Miciacensi in libro miraculorum sancti Maximini seculo primo Benedict. pag. 600.

II. Valinus ex eodem fonte innotescit decanus Aurelianensis. Vir egregius ab Ermenthæo episcopo missus est, qui ortum Jacob inter abbatem & monachos Miciacenses dissidium compesceret circa annum 940. Ibid. pag. 605.

III. Erfredus I. Odolrici episcopi temporibus occurrit anno 1026. in tabulario ecclesiæ sanctæ Crucis. Subscripsit chartæ Odolrici episcopi pro Evurtianis anno 1027. Chart. XI. col. 492.

IV. Radulfus I. decanus sanctæ Crucis sigillum apposuit suum chartæ Odolrici episcopi pro monasterio de Columbis anno 1028. Chart. XI. col. 497.

V. Erfridus

V. Erfridus II. ex præcentore decanus ratam habuit donationem factam ecclesiæ sancti Aniani anno 1038.

Hist. ecclesiæ S. Aniani prob. p. 58.

Chart. XIII. col. 494.

VI. Rotbertus subscripsit chartæ Isembardi episcopi pro canonicis Carnotensibus. Hujus temporibus & consensu Isembardus decano quosdam granorum reditus, quos hactenus super bonis capituli percipiebat, subtraxit.

VII. Haimo ex præcentore decanus jam præerat capitulo, sedente Isembardo, post cujus obitum Haderici successoris sacramentum excepit anno 1063. jurantis privilegia capituli se servaturum. Testis memoratur in quadam charta Silvæ majoris nomine Tescelini, quæ data est mense Januario anno VII. regis Philippi I. cujus diplomati pro monachis sancti Martini Parisiensis subscripsit, horumque ecclesiæ dedicationi interfuit anno 1067.

Ch. XIV. col. 495.

VIII. Cardinalis post annexas a Rainerio ad preces canonicorum decaniam mensæ capitulari, ejusque loco decano præbendam, a canonicis ex archidiacono electus est decanus, quem confirmavit Rainerius die 6. Junii anni forte 1069. at certe non anno 1072. ut lego in quodam catalogo, ubi additur Cardinalem vixisse tres annos ab hac electione, quæ prima est decani facta a capitulo ex concessione episcopi.

IX. Joscelinus abbas incerti loci, juxta Rainerii donationis decretum, de qua supra, electus a canonicis, annulum passus est Evrardum, cui Rainerius episcopus decanatum divendidit. Unde graves episcopum inter & canonicos ortæ querelæ, ad summum pontificem Alexandrum II. a canonicis delatæ sunt, qui decanatum a canonicis prius datum confirmavit, Evrardumque anathemate perculit, & honoribus ecclesiasticisque officiis interdixit. Spreto Alexandri fulmine Evrardus, Rainerii favorem multa pecunia aucupatus, Joscelinum spoliavit, dignitatemque retinuit. Recrudescentibus post obitum Alexandri canonicorum querelis, Gregorius VII. successor Evrardum de injuriis Aurelianensi ecclesiæ illatis objurgatum ad se in proximum sanctorum Omnium festum vocavit datis literis calendis Martii 1075. Insequenti Rainerio præcepit idem pontifex ut Joscelinus decanatum, abbatiam suam, aliaque mobilia & immobilia, quæ Evrardus surripuerat, in pace possideret, mense Aprili 1076. Alia ad Richerium Senonensem archiepiscopum lib. IV. epistola IX. mandat IV. nonas Novembris 1077. ut Joscelinum & Evrardum ad Romanam synodum secum adducat, interimque Evrardus decanus remaneat, Joscelinus vero qui multa sua pro reparandis ecclesiæ bonis expenderat, quidquid ante litem tenebat, tenere permittatur. Quid tum postea factum sit ignoramus, nisi forte quod Evrardus episcopi sui vestigiis hærens & favore utens, jussa pontificis floccifecerit, decanatumque retinuerit.

X. Helgaudus decanus erat anno 1080. quo tempore quædam Rainerius episcopus Cluniaco donata concedit charta quadam, quæ spectat prioratum Pontis, vulgo *sur Sence*, qui est pons monachorum. Asservatur in tabulario Cluniacensi, anno XX. Philippi regis data.

XI. Atto successit Johanni episcopo altare sancti Laurentii de Orgeriis quietum monachis de Caritate concedenti anno 1091. mense Febr. Philippi regis anno 32. ex chartulario Cluniacensi, ubi subscriptiones leguntur, quæ in chartulario sanctæ Crucis desiderantur.

XII. Sanctio subscripsit diplomati Philippi regis confirmantis donatam Cluniacensibus abbatiam Mauzacensem anno 1095. Vide tomi 2. Galliæ nostræ instrumenta col. 110. Factus est postea ex decano episcopus, ut diximus.

XIII. Hugo I. testis nominatur in charta Radulfi domini de Balgenciaco canonicis regularibus ecclesias beatæ Mariæ, S. Firmini & Vosonensem liberas concedentis, sub Johanne episcopo circa 1104. Ratum habuit donum a Johanne episcopo monachis sancti Petri Carnotensis factum anno 1111. Huic & Ulgrino archidiacono & capitulo Aurelianensi scripsit Ivo Carnotensis episcopus epistolam 194. ut Reginardum Canardum parochianum suum ab ipso excommunicatum pro excommunicato haberi facerent. Ad ecclesiam Laudunensem assumtus est anno 1112.

Ch. XXV. col. 503.

Chart. XIX. col. 499.

XIV. Stephanus I. de Garlande Guillelmi toparchæ de Garlanda & de Livriaco Franciæ dapiferi quartus filius, clero primum destinatus, electus episcopus Bellovacensis adhuc juvenis circa annum 1100. adversarium expertus est magni nominis virum Ivonem episcopum Carnotensem, qui datis ad legatos summi pontificis ipsumque Paschalem II. literis ejus nominationi obstitit; at vir industrius & seculari præditus sapientia, ut legitur in chronico Mauriniacensi, cum multis ecclesiasticorum bonorum reditibus, tum familiaritate regis, quam sic habebat, ut ei potius a quibusdam diceretur imperare quam servire, temporali felicitate supra ceteros mortales nostris temporibus efflorebat. Fuit enim archidiaconus Parisiensis, decanus sancti Samsonis in urbe Aurelianensi, sancti Aniani & sanctæ Crucis, quo nomine subscripsit anno 1113. duabus chartis Johannis episcopi, uni pro monachis Cluniacensibus apud sanctum Petrum Pitiverensem, alteri pro monialibus de Fonte-Ebraldi in hospitali sanctæ Magdalenæ degentibus. Eodem exeunte anno defuncto Gaufredo Bellovacensi episcopo, ad Paschalem summum pontificem scripsit Stephanus, ut Galonis e Parisiensi ad Bellovacensem ecclesiam translati ipse sumeret locum, suisque huic favit hac vice literis Ivo Carnotensis episcopus, sed frustra: votis enim Stephani non obsecundavit summus pontifex. Stephano decano & capitulo Aurelianensi anno 1115. Daimbertus archiepiscopus Senonensis dedit duo altaria apud Fontanas & Ulmetum. Archidiaconus Parisiensis Stephanus construxit Parisiis ecclesiam S. Aniani in vico Columbæ de consensu episcopi & capituli Parisiensis an. 1120. divisamque præbendam & assignatam portionem suam feodi de Garlanda contulit duobus clericis, qui inde dicti sunt canonici sancti Aniani, quique assumuntur hodie ex

Chart. XX. col. 500.

Chart. XXI. col. 501.

corpore musices juxta ætatis prærogativam. Dedicationi ecclesiæ Mauriniacensis adstitit anno 1120. Subscripsit chartæ Johannis episcopi ecclesiam sancti Sigismundi monachis Miciacensibus concedentis an. 1122. Sigillum quoque apposuit
Ch. XXII. col. 501. suum chartæ fundationis monasterii Curiæ-Dei anno 1123. Succinit anno 1126. Johanni episcopo Miciacensibus partem in ecclesia de Hardon cedenti. Nominatur adhuc in charta, qua Johannes episcopus Aurelianensis Heliæ antecessor, fidem facit Vinbaldum Rufum & Hugonem Chevreensem ejus nepotem, aliosque proceres decimas quasdam in loco, qui *Centri* appellatur, dimisisse ad opus fratrum Tironensium. Sub his temporibus Stephanus præter ecclesiastica beneficia summos etiam in republica magistratus exercuit: Franciæ enim cancellarius ab anno 1106. regis rebus anno 1118 per obitum fratris sui Anselli præfectus est, privatissimusque principis consiliarius, cujus arbitrio Gallicanum regebatur imperium. Defuncti anno 1120. alterius germani Guillelmi in locum suffectus est Franciæ dapifer, diaconusque militiæ simul post regem ducebat principatum. Ecclesiasticorum hæc & civilium munerum mistura, religiosorum aliquot virorum hujusce temporis bilem movit, ac præcipue S. Bernardi, qui epist. 78. num. XI. ad Sugerium abbatem de Stephano sic loquitur: *Cum honores non paucos, sed quantos nec canones nisi inviti patiuntur, teneat in ecclesia, unus tamen, quem & in palatio assecutus est, magis gloriatur ex nomine, quam ceterorum quolibet appellari. Cumque sit archidiaconus, decanus, præpositusque in diversis ecclesiis, nihil horum tamen tam eum quam regis delectat vocari dapiferum.* Hac forte inflatus dignitate oblitusque sui, dapiferatum, quem jure possidere se dicebat hereditario, Amalrico de Monteforti transmisit anno 1127. cui matrimonio neptim suam conjunxerat. Hujus occasione cum inter regem & Amalricum stimulante Stephano grandis emersisset altercatio, & quia Adelam reginam frequentissimis sibi reddiderat infensam molestiis, Stephanus depositus ab honore, pulsatur a curia, nec revocatur, priusquam dignitatem dimisisset, qua relicta, cum Ludovico rege filioque ejus Philippo reginæ opera in gratiam ante annum 1131. rediit, cancellariique munus repetiit usque ad annum 1137. quo Ludovico rege defuncto, aulæ pertæsus Stephanus, Aurelianos secessit, ibique vitam egit, ut ita dicam, privatam, solo decani sanctæ Crucis titulo insignitus. Hoc enim anno ut decanus saltem, non
Ch. XXVI. col. 504. jam ut cancellarius subscripsit chartæ Heliæ episcopi fundantis prioratum sancti Iterii Soliacensis. Hujus favore, si non industria, episcopus post cessionem Heliæ electus est Manasses fratris ejus
Chart. XXVIII. col. 506. filius anno 1146. cujus instrumento præbendarum ecclesiæ Aurelianensis anniversaria XIII. cal. Nov. anni ejusdem concedentis subscripsit Stephanus. Denique cum domos suas in usus pauperum & multa alia beneficia eleemosynæ sanctæ Crucis contulisset, annos natus 70. obiit anno
Hist. sancti Martini a Campis pag. 518. saltem 1148. ut probatur ex charta Manassis episcopi quædam monachis S. Martini a Campis

A donantis pro remedio animarum patrui sui Stephani & suæ, calend. Junii 1148. decano nullo. Memoratur in antiquo S. Crucis martyrologio ad diem 2. Junii; in obituario vero S. Victoris Parisiensis ad 14. Januarii: sed quænam sit dies, quinam annus ejus obitus, certo non constat. Defunctus apponitur ad patres suos in tumulo domus Garlandæ in prioratu de Gornaco ad Matronam.

XV. Simon I. ex præposito decanus jam anno 1149. subscripsit chartæ Manassis episcopi ecclesiam de Bono-Nuncio a Simone de Balgenciaco receptam Majori monasterio cedentis. Sigillum
B quoque apposuit duabus ejusdem chartis anno Ch. XXXII. col. 510.
1150. pro ecclesiis sancti Aviti & sancti Evurtii. Occurrit adhuc annis 1151. & 1153. in chartis Curiæ-Dei, quo ultimo nullus erat decanus, sicut nec anno 1154. ut constat ex charta Manassis Ch. XXXV. col. 512.
pro canonicis S. Verani Gargogilensis in appendice. Quo forte tempore orta lite inter episcopum & capitulum defuncto decano, ad episcopumne an ad capitulum pertineret jus eligendi decani, & ad quem vacantis decaniæ fructus pertinerent, Manasses recognovit electionem decani ad capitulum semper pertinuisse, sicut & fructus decaniæ vacantis, non tamen archidiaconatus decaniæ an-
C nexi, ita Sausseyus annal. pag. 449.

XVI. Johannes I. decanus una cum capitulo transegit cum Herberto Vasleto de Silvula sita inter nemus Arpini & Puteolum anno 1155. regnante Ludovico anno XVIII. episcopatus Manassis anno IX. Occurrit anno 1157. in chartulariis Miciacensi & Ederensi. Insequenti legitur testis Manassis episcopi capellam de Coboliis chrismalem instituentis anno 1158. Subscripsit chartæ ejusdem de terris datis Fratribus Jerosolymitanis anno 1160. Occurrit in chartulario Magdunensi anno 1161. Huic quoque adscribi posse videtur subscriptio Johannis chartæ Manassis episcopi de
D pace inita inter abbatem Miciacensem & Burchardum de Magduno anno 1163. licet in charta anni ejusdem ejusdemque episcopi quædam Bono-Nuncio apud Gehonam conferentis legatur in fine, decano nullo. Sed Johannesne primus, an alter cum M. Aurelianensi episcopo datis ad Ludovicum VII. literis regem admonuit in proximo singulari certamine pugnaturos duos milites e suis cognatis, ut rex obstaret?

XVII. Johannes II. de Catena decanus occurrit anno 1165. in duabus chartis Manassis episcopi, cujus erat consanguineus. Utrum jam præesset capitulo nescitur, cum Theobaldus comes
E Blesensis ecclesiæ sanctæ Crucis gistum in villa Ch. XXXIX. col. 515.
Noëmio relaxavit anno 1164. cujus beneficii memores canonici huic & patri ipsius anniversarium concesserunt. Nominatur in charta Manassis Chart. XL. col. 516.
Bono-Nuncio dantis præbendam in ecclesia sancti Petri Puellaris anno 1166. Testis eodem judicii lati a Guillelmo Carnotensi electo de ecclesia S. Petri Castridunensis. Testis & in literis Manassis episcopi quædam Miciacensibus confirmantis an. Chart. XLI. col. 517.
1167. & pro compositione controversiæ inter Evurtianos & monachos de Ponte, sicut & in aliis

Ch. XLII. col. 517. ejusdem anni datis x. calendas Januarii, quibus unitur S. Nicolaus de Landa Vado-ulmi ordinis Præmonstratensis. Anno eodem 1167. Johannes a nobili viro, quem a morte & exsilio eripuerat, bona capituli usurpata revocare conatus, multis vulneribus in capite confossus interiit, cujus ut deploraret necem, episcoporumque ad regem querelam deferret Stephanus abbas sancti Evurtii ab archiepiscopo Senonensi jussus, regis indignationem movit. Hujus infensi gratiam ut ipsi conciliaret, rogavit altera post epistola Guillelmum a Campania potentem virum, qui electus est Carnot. episcopus anno 1165. Johannes autem antequam decanus in ecclesia Aurelianensi, fuerat archidiaconus Soliacensis, & post Sigaloniæ, quo tempore Archembaldi subdecani necis auctorem fuisse circa annum 1133. suspicatur Mabillonius. Quid simile innuere videtur Stephanus epist. 1. *At si quæ in eo terreni contagii maculæ inhæserunt, totum delevisse credimus & abstersisse dolores mortis, qui eum circumdederunt, Dominici corporis & sanguinis sacramentum*, &c. Post Johannis obitum Manasses episcopus Aurelianensis ab ipso sæpe olim rogatus, amplum concessit pro salute animæ ejus Miciacensibus privilegium an. 1168. eodemque anno Evurtianis ecclesiam sancti Georgii de Marogilo pro Johannis anniversario.

Steph. Tornac. epist. 1. & 2.

Not. ad S. Bernardum col. 160.

XVIII. Hugo II. de Garlande Manassis episc. fratris filius, cum adhuc esset adolescens, præbendam in ecclesia Aurelianensi obtinuit, inde subdecanus, electus est anno 1167. decanus, quo nomine occurrit anno 1168. in chartis ejusdem pro Miciacensibus, Curia-Dei, canonicis sancti Evurtii, & prioratu Marolii in Bosco, 1169. in charta ejusdem, & 1170. pro prioratu de Vado-ulmi. Querelam cum capitulo habuit cum monachis de Bonavalle super quibusdam terris, quæ de feodo S. Crucis erant, quos conciliavit Willelmus archiepiscopus Senonensis anno 1171. Occurrit eodem in donatione Manassis episcopi facta eleemosynæ sanctæ Crucis de molendino Hardreti, & in conventione inter abbatem sancti Maximini & rectorem ecclesiæ sancti Albini super novalibus, & in instrumento quod spectat leprosariam sancti Hilarii. Reperitur annis 1172. & 1174. in tabulis sancti Aviti. Anno 1175. subscripsit emtioni factæ villæ de Mamonville a fratribus nosocomii Aurelianensis & anno 1176. chartæ pro prioratu sancti Donatiani. Legitur ejus nomen in tabulis Evurtianis anno 1177. in donatione census vinearum de Gargogilo. Consensit eodem ut ecclesia Firmitatis-Abreni fieret collegiata. Subscripsit chartæ Manassis Evurtianis oratorium donantis anno 1178. Donatam ecclesiæ sancti Evurtii a Ludovico rege ecclesiam S. Donatiani subscriptione sua approbavit an. 1179. Occurrit an. 1180. in charta Manassis pro Floriacensibus, & in confirmatione consuetudinum pro monialibus sanctæ Magdalenæ in loco hospitii 1182. Motam inter archidiaconum Soliacensem & capitulum Gargogilense diremit litem anno 1185. Hugonis ad preces Philippus rex ecclesiæ Aurelianensi concessit jus in ecclesia sancti Petri in Semita lata ad

Ch. XLIII. col. 518.

Ch. XLV. col. 520.

A anniversarium suum & patris Ludovici an. 1187. Occurrit anno 1188. in chartulario Evurtiano. Anno 1189. dicitur abbas sancti Petri virorum in chartulario sancti Petri. Occurrit 1190. in Nivernensi. Memoratur in instrumento, quo Petrus de Graceio veniam petit capitulo pro injuriis, quas ipsis intulerat, anno 1191. Huic & Manassi capicerio Gilo de Loriaco & fratres concesserunt anno 1192. quidquid habebant in ecclesia de Chillevra. Una cum capicerio Magdunensi concessit anno 1193. ut in ecclesia Magdunensi circa majus altare loco candelarum deinceps cerei accenderentur. Electus arbiter cum Bertero
B abbate sancti Evurtii & Lancelino Balgenciaci tulit anno 1195. sententiam secundum Aurelianensem episcopum adversus Lancelinum abbatem sancti Maximini in causa synodi diœcesanæ. Subscripsit chartæ Anselli de Garlanda pro Hermeriensibus mense Julio 1197. Factum anno sequenti episcopum Aurelianensem diximus.

XIX. Fulco I. de cujus consensu & capituli jura decanatus Hugo episcopus adnectit capitulo anno 1198. decanoque concedit terram Ardoni, præbendam unam, &c. Querelam habuit cum Miciacensibus, quæ sopita est anno 1201. Cum W. thesaurario sancti Frambaldi regis ad sedem
C apostolicam nuncius dicitur in literis Innocentii III. ad ipsum regem anno 1202. de regis Francorum matrimonio. Eodem quamdam cum capitulo sancti Aniani servorum fecit divisionem mense Februario.

XX. Philippus cessit anno 1204. presbytero hospitalis sancti Sergii partem reditus hujusce hospitalis.

XXI. Henricus I. anno 1205. memoratur. Idem forte est ac

XXII. Hervæus I. decanus Aurelianensis, qui concedit G. priori & monachis de Caritate quidquid tenet apud Joviniacum & apud villam sancti
D Lucii anno 1210. mense Februario, ex tabulario de Caritate.

XXIII. Fulco II. legitur decanus in charta anni 1205. in archivo sancti Aniani. Memoratur in literis capituli Aurelianensis de tallia panis & vini, quam habet rex in Burgo novo an. 1209. mense Novembri. Chartæ ecclesiæ S. Maximini ann. 1210. 1211. 1213. 1215. & 1216. nomen hujus decani præferunt, & 1214. scheda magni pastoralis Parisiensis.

XXIV. Lebertus diversimode scriptus, vel sola initiali litera L. vel male lecta R. unde Robertus, vel etiam Lambertus, occurrit anno 1218. in
E chartulario Floriacensi. Cum capitulo S. Crucis dissidia quædam habuit, super quibus Honorius III. anno pontificatus secundo misit bullam. Idem pontifex annexam decano præbendam integram approbat, modo intra annum ad ordinem presbyteratus promoveatur; plures enim tantummodo fuerant diaconi. Anno 1220. cum Manasse episcopo tulit sententiam super lite quæ inerat inter abbatem & dominum Balgenciaci. Occurrit anno 1221. in tabulario sancti Evurtii. Judex a summo pontifice delegatus controversiam inter monachos

Tironenses & presbyterum de Autolio finivit anno 1223. Homines capituli in territorio Stampensi manumisit mense Februario 1224. Curiam & officialem habebat mense Martio 1225. Memoratur an. 1230. in tabulario sancti Aviti, 1233. & 1235. in Miciacensi, 1237. in chartulario sancti Aniani, 1239. in archivo archiepiscopi Bituricensis, & 1240. mense Aprili in tabulario capituli. Plures supersunt hujus epistolæ ad regem & episcopos scriptæ. Dominicanum institutum amplexus est Lebertus, ut colligitur ex sententia data mense Augusto 1243. a Petro abbate sancti Georgii de Nemore & Leberto Dominicano, quondam decano Aurelianensi, inter Simonem toparcham & Girardum abbatem Balgenciaci.

Anecd. t. 1. col. 914.

XXV. Manasses de Nanteuil de Garlande Hugonis episcopi ex fratre Ansello nepos fraterque Eustachiæ de Nanteuil, memoratur decanus in compromisso capituli & Stephani abbatis S. Evurtii die Lunæ ante Purificationem 1240. Dissidium habuit cum canonicis S. Evurtii pro *installatione* abbatis, quod terminavit Guillelmus episcopus Aurelianensis an. 1244. Subscripsit eodem anno mense Decembri testamento Gaufridi capellani sancti Aviti. Anno 1245. Innocentius IV. ad eum direxit decretalem, quæ est in Sexto ad cap. VI. *de Sententia excommunicationis.* Occurrit in tabulis Evurtianis mense Julio 1248. Nominatur quoque hoc anno mense Septemb. in literis compositionis cum rege pro quibusdam nemoribus, uti fidem faciunt chartophylacii Parisiensis acta. Arbiter sententiam tulit 1249. inter capitulum sancti Petri virorum ex una parte, occasione ecclesiæ parochialis sancti Lupi, cujus patronatus ad decanum & capitulum sancti Petri pertinebat, & inter moniales de Calceata ex altera parte, deditque eidem capitulo præbendam quam in eo obtinebat. Juxta hanc sententiam Guillelmus episcopus eodem anno has moniales in loco sancti Lupi instituit. Manasses quondam decanus defunctus memoratur anno 1252. in chartulariis S. Crucis & sancti Aviti. De eo in necrologio sancti Petri Puellaris: *XVI. calendas Decembris obiit Manasses de Nantolio venerabilis memoriæ Aurelianensis ecclesiæ decanus.*

Ch. LXXIII. col. 535.

XXVI. Terricus archidiaconus Belsiæ assensit dono, quod Hugo de Brissiaco miles frater ejus fecit beatæ Mariæ Magdalenæ Castridunensi anno 1238. Insequenti archidiaconus adhuc sententiam arbiter tulit. Memoratur autem decanus anno 1252.

XXVII. Odo II. de Bussi Guillelmi episcopi cognominis coævus & forsan consanguineus, & vicarius generalis, ex subdecano jam dicitur decanus anno 1253. Occurrit in chartulario Miciacensi annis 1254. 1257. & 1258. Provisor simul domus sancti Lupi venditioni a monialibus factæ assensum præbuit mense Octobri 1259. Defunctus memoratur die 13. Julii in necrologio sanctæ Crucis.

XXVIII. Johannes III. de Mauvoisin e nobili apud Normannos prosapia dominorum de Rosni, decanus Aurelianensis obiit 31. Augusti 1265.

A XXIX. Guillelmus I. d'Issi e pago Aurelianensi oriundus, electus decanus confirmatus est a Roberto episcopo anno 1265. Arbiter electus est inter monachos sancti Nicasii & commune villæ sancti Hilarii prope Betignivillam anno 1276. Hujus ad preces abbas & monachi de Altovillari in diœcesi Remensi, ecclesiæ sanctæ Crucis partem præcipuam reliquiarum S. Helenæ concesserunt anno 1278. Cum Johanne abbate S. Theoderici Remensis approbavit donationem quatuor modiorum vini annui reditus super vineas de Cormisiaco anno 1293. apud Marlotum tom. 2. pagina 26. At certe male legit Marlotus; nam dissidentibus B de electione novi antistitis canonicis Atrebatensibus, Martinus IV. præfecit Guillelmum Aurelianensem decanum pontificatus anno secundo, quem ab O. Tusculanensi episcopo jussit consecrari. Obiit anno 1293. ut diximus tom. 3. col. 333. Post cujus obitum Milsendis de Baudrevilla, quæ in Belsia morabatur, fundavit annuas preces in abbatia de Vicinis pro Odone de Baudrevilla canonico Aurelianensi & Atrebatensi fratre suo, & pro Guillelmo de Issiaco episcopo Atrebatensi. In martyrologio sancti Aviti: *X. calend. Octobris obitus R. P. bonæ memoriæ Guillelmi de Issiaco quondam episcopi Atrebatensis.*

C XXX. Johannes IV. de Flagitiaco canonicus S. Quintini Veromanduensis, Aurelianensis decanus anno 1283. gravissimam cum civibus Aurel. litem habuit pro jure manus-mortuæ, quod sibi vindicabat decanus. Contendebat quippe omnia mobilia civium & locorum circumjacentium incolarum ad se pertinere cum intestati decedebant. Querelam tandem compositam summa 5000. librarum a civibus datarum confirmavit Egidius episcopus an. 1285. Johannes autem obiit 1287.

XXXI. Adam Rigaud electus est anno 1287. Biennio post sibi & successoribus acquisivit a Johanne de Mailli milite, domino de Villeromar D & de Josnis octo modios frumenti annui reditus ad mensuram Balgenciacensem, qui acciperentur super villam de Josnis & aliis locis ad eam pertinentibus, ex chartis ducatus Aurelianensis.

XXXII. Radulfus II. Grosparmi transegit cum Frederico episcopo super jurisdictione decani, ea lege ut suam episcopo cederet in civitate & toto decanatu jurisdictionem, episcopus vero decano solveret quotannis 200. libr. ex episcopio. Diploma datum idibus Augusti 1297. exstat in chartophylacio decanatus. Archidiaconus major Radulfus anno 1302. composuit cum capitulo Cleriaci & parocho sancti Andreæ, super juribus E visitationis & *deportus*, factus postea episcopus, ut diximus.

XXXIII. Aimericus de Cusorn 1312. querelam inter Rogerium episcopum & abbatem S. Petri Carnotensis, super procurationibus prioratus de Nidis arbiter definiit an. 1323. Hujus mentio fit in quibusdam actis anno 1332. Obiit juxta martyrologium ecclesiæ Aurelianensis an. 1344.

Pontius de Beynaco decanus Aurelianensis testis fuit homagii a priore sancti Cypriani Sarlatensis præstiti archiepiscopo Burdegalensi 12.

Decembris 1333. tom. 2. instr. col. 298. at videtur Aureliacensis monasterii fuisse decanus, cujus Petrus ejus frater erat prior.

XXXIV. Bertandus *al.* Bertrandus de Budos electus anno 1344. obiit 1354.

XXXV. Hugo III. de Fay canonicus erat & doctor regens in Universitate Aurelianensi, cum electus est decanus anno 1354. Insequenti litem habuit cum episcopo pro reparationibus. Eodem cum eo & capitulo instituit duas præbendas ad altare sancti Mamerti in subsidium canonicorum, qui non erant sacerdotes, aut suo non poterant officio fungi. Electus est episcopus anno ineunte 1364.

XXXVI. Hervæus II. des Roches 1365. de quo in necrologio sanctæ Crucis: *VII. idus Mart. obiit Hervæus de Rupibus decanus Aurelianensis.*

XXXVII. Johannes V. Fabri apud Lemovicas ortus, consanguineus germanus Gregorii XI. ex decano Aurelianensi promotus est ad episcopatum Tutelensem anno 1370. ex regestis Vaticani, ubi sic legitur: *Tutelensi ecclesiæ vacanti per obitum Laurentii episcopi providet Urbanus V. de persona Johannis decani Aurelianensis legum doctoris in sacerdotio constituti, apud Montemflasconem VI. idus Augusti pontificatus anno 7.* Vide episcopos Tutelenses tom. 2. col. 670.

XXXVIII. Stephanus II. de la Noix decanus erat anno 1385.

XXXIX. Petrus I. Regnier 1404.

XL. Simon II. 1415.

XLI. Petrus II. de Puival decanus 1418. erat nepos Gregorii XI. qui archidiaconus olim Soliacensis in ecclesia Aurelianensi fuerat, & Guillelmi cardinalis de Belloforti, pro quibus avunculis, pro se & animabus patris & matris suæ multa Petrus ecclesiæ Aurelianensi legavit in augmentum fundationis jam factæ.

XLII. Henricus II. Loppier supplicum libellorum magister, decanus erat Aurelianensis anno 1428. Una cum aliis legatis a Carolo VII. missus est postea anno 1442. ad Sabaudiæ ducem pacis ergo conciliandæ regem inter & Burgundiæ ducem.

XLIII. Johannes VI. de Vailpeau decanus anno 1435. eodem obiit.

XLIV. Johannes VII. de Vailli patris in eadem curia præsidis Johannis filius, in utroque jure licentiatus, senator Parisiensis, archidiaconus Thoarciensis in ecclesia Pictaviensi, & decanus Aurelianensis anno 1436. acquisivit a Cœlestinis de Amberto senioratum de Josnis, omnemque jurisdictionem, quam habebant super aliquot pagos ab hoc loco dependentes, quibus vicissim dedit Johannes de dominio decanatus 20. libras annui reditus super reditibus abbatiæ S. Maximini & sancti Samsonis. Electus Aurelianensis episcopus die 12. Januarii 1438. æmulum passus est Guillelmum Charrier qui causa vicit, ut diximus col. 1478. Electioni Guillelmi Chartier in episcopum Parisiensem factæ 4. Decembris 1447. præsens adstitit. Ipse vero decanatum ad annum 1475. retinuit, quo dignitate relicta recessit.

A Testamento an. 1486. condito legavit ecclesiæ sanctæ Crucis 508. libras annui reditus. Unde in necrologio sanctæ Crucis legitur: *II. calend. Julii processio pro fundatione nobilis ac magnæ auctoritatis & prudentiæ viri M. Johannis de Vailli in utroque jure licentiati, domini nostri regis consiliarii, decani hujus ecclesiæ.* Fere centenarius vixit, ut patet ex instrumento anni 1496. in quo sanctæ Crucis olim decanus præsens dicitur.

XLV. Guillelmus II. Compaing canonicus S. Crucis eligitur decanus die 25. Julii 1475. & confirmatur a Francisco episcopo. Chirographo dato die 12. Septembris 1476. persolutas

B sibi profitetur 40. libras cum 12. assibus & 6. denariis, debitas ob munia senatoris in suprema Galliarum curia adimpleta. Synodo Aurelianensi adstitit anno 1478. Canonicus quoque Parisiensis a Ludovico episcopo socius assumtus est Sabbato post *Lætare Jerusalem* 7. Aprilis 1480. pro visitando monasterio sancti Victoris. Obiit 1482.

XLVI. Johannes VIII. de Gui e quodam loco circa Aurelianensem silvam oriundus, decanus anno 1482. uno tantum anno hanc dignitatem obtinuit.

XLVII. Guillelmus III. Compaing alterius Guillelmi nepos, in suprema quoque Galliarum

C curia senator, Parisiensis canonicus & S. Aniani, electus fuit decanus Aurelianensis & confirmatus a Francisco episcopo anno 1483. Archidiaconatum Parisiensem vacantem per assumtum Franciscum Hallé ad metropolim Narbonensem postulavit anno eodem. Obiit 18. Septemb. 1484.

XLVIII. Christophorus de Brilhac Francisci Aurelianensis episcopi ex fratre nepos, senator Paris. canonicus S. Aniani, decanus electus est & confirmatus anno 1484. Ludovicum Ajasson in possessionem abbatiæ sancti Maximini misit anno 1489. tum pro suo jure, tum ab episcopo delegatus. Erat simul commendatarius abbatiarum

D beatæ Mariæ de Pontelevio & sancti Petri Carnotensis, quo nomine Miloni episcopo Carnotensi obedientiam promisit 26. Januarii 1491. Decanus adhuc dicitur cum ad ecclesiam Aquensem assumtus est idibus Maii 1503. per cessionem Andreæ cardinalis Lugdunensis electi Aquensis per obitum Philippi 13. Martii 1500. ex regestis Vaticani.

XLIX. Johannes IX. electus dicitur decanus an. 1499. quo forte jam cesserat Christophorus.

L. Ludovicus I. de Nossai canonicus sancti Aniani & archidiaconus Sigaldniæ, decanus electus, a Christophoro facto episcopo Aurelianensi

E confirmatus est anno 1505. Obiit 28. Julii 1510.

LI. Jacobus I. Lucas electus anno 1510. decanus, confirmatus est a Guillelmo abbate Curiæ-Dei vicario generali Christophori episcopi. Hunc Franciscus I. Francorum rex cum Dionysio Briçonnet episcopo Macloviensi & Antonio Raphin oratorem misit ad Leonem X. qui ab ipso peterent, ut B. Franciscus de Paula inter Sanctos adscriberetur, quod concessit pontifex an. 1519.

LII. Menaldus de Martres decanus Aurelian.

factus est episcopus Tarbensis anno 1514. & post Conseranensis anno 1524. Vide tomum primum coll. 1140. & 1239. Obiit an. 1548.

LIII. Guillelmus IV. du Costé, dictus Lateranus, abbas Bonæ-Requiei, decanus dicitur 7. Martii 1547. Querelam habuit cum archidiaconis Aurelianensibus, cujus occasione a senatu Parisiensi decretum est die 2. Januarii 1551. ut sancta decreta & constitutiones canonicæ in ecclesia Aurelianensi rite servarentur. Causa cecidit adversus decanum S. Aniani 14. Januarii 1558. cui a senatu concessum, ut in supplicationibus sancti Aniani decanus e regione decani S. Crucis procederet. Obiit anno 1565.

LIV. Jacobus II. Amiot abbas Bellosanæ & sancti Cornelii Compendiensis, decanus Aurelianensis electus est anno 1565. rogatu Johannis de Morviller episcopi. Ad ecclesiam Autissiodorensem promotus est anno 1570. ubi de eo plura.

LV. Andreas Musset Blesis oriundus, in utroque jure licentiatus, prior sancti Lazari & dominus de la Courtoisie-lès-marché-noir in parochia sancti Leonardi, electus decanus anno 1571. obiit 16. Augusti 1580.

LVI. Germanus Vaillant de Guelis canonicus Aurelianensis, præpositus Sigaloniæ in ecclesia S. Aniani, abbas Panispontis, & in suprema Parisiensi curia senator, electus est decanus 17. Augusti anno 1580. & episcopus 1586.

LVII. Godefridus du Pin abbas Cormeriaci & senator Parisiensis, decanus ab anno 1586. ad 1590.

LVIII. Franciscus I. des Vaux facultatis Parisiensis doctor theologus, & in ecclesia Aurelianensi concionator, electus decanus confirmatur a Johanne de l'Aubespine episcopo 23. Maii 1590. Omnia sua patrimonialibus demtis xenodochio Aurelianensi legavit, cujus in sacello sepeliri voluit, defunctus 25. Februarii 1596.

LIX. Franciscus II. Jamet canonicus Aurelianensis & officialis episcopi, necnon subdecanus & canonicus in ecclesia sancti Aniani, electus est decanus 27. Februarii anni 1596. & confirmatus a primate Lugdunensi 16. Aprilis, sedibus Aurelianensi & Senonensi vacantibus. Henricum IV. ad valvas ecclesiæ sanctæ Crucis 2. Julii 1598. excepit orationeque salutavit. Officialis quoque fuit & vicarius generalis Germani Vaillant & Johannis de l'Aubespine. Obiit 8. Aug. 1598.

LX. Carolus I. de la Saussaye filius Oliverii de la Saussaye & Margaritæ Alleaume, nepos vero Maturini de la Saussaye & pronepos Johannis de Morviller episcoporum Aurelianensium, natus Aurelianis anno 1565. theologiæ & juris utriusque doctor, socius Sorbonicus, regi a consiliis & eleemosynis, antea rector parochiæ sancti Petri in Semita lata in urbe Aurelianensi, præbenda donatus est in ecclesia sanctæ Crucis die 19. Junii 1595. Scholasticus anno 1596. Electus decanus die 10. Augusti anno 1598. a vicariis generalibus capituli Senonensis confirmatur die 13. Possessionem adeptus die 17. æmulum expertus est indultarium, quem majoris consilii decreto 19. Decembris evicit. Henricum IV. ecclesiam S. Crucis introeuntem excepit 25. Junii 1599. Jubilæum Aurelianis celebravit an. 1600. Orationem in funere Henrici IV. regis habuit anno 1610. Comitiis generalibus Parisiis habitis delegatus adfuit anno 1614. & sermonem habuit de jure sedendi inter abbates commendatarios & decanos controverso. Annales ecclesiæ & episcoporum Aurelianensium Gabrieli Albaspinæo eodem dicavit anno, quicum magna habuit dissidia, unde forsan cum Maturino Simon rectore ecclesiæ parochialis sancti Jacobi Parisiensis, vulgo dicti *de la Boucherie*, permutavit anno 1615. Postea canonicus ecclesiæ Parisiensis, obiit 21. Septembris 1621.

LXI. Maturinus Simon presbyter Andegavensis, utriusque juris ac theologiæ doctor, rectorque parochiæ sancti Jacobi Parisiensis, permutatione facta cum Carolo XIV. cal. Martii 1615. decanus Aurelianensis receptus est die 13. Junii anni ejusdem. Scripsit de pœnitentiæ ritu in veteri ecclesia adversus Petavium celeberrimum Jesuitam. Defunctus die 29. Aprilis 1627. sepultus est in sacello beatæ Mariæ virginis albæ.

LXII. Dionysius Boucher facultatis Parisiensis doctor & præco verbi Dei disertissimus, jam canonicus sancti Aniani, canonicusque & scholasticus Aurelianensis, electus decanus anno 1627. obiit 16. Februarii 1629.

LXIII. Ludovicus II. de Menou Caroli domini de Mantelan & Franciscæ Viau de Chanlivaut filius, prior Grandimontensis in Pictavia, & S. Aniani, vulgo *le Jallard,* canonicus sanctæ Crucis & sancti Aniani, electus Aurelianensis decanus anno 1629. obiit 25. Septemb. 1648. anno ætatis 44.

LXIV. Carolus Meusnier Parisinus philosophiam professus anno 1628. laurea doctoris & socii Sorbonici insignitus est anno 1630. cujus domus historiam Latine scripsit, quæ inibi asservatur. Aurelianos vocatus a Nicolao de Nets, inter canonicos hujus ecclesiæ ab eo 5. Octob. 1633. adscriptus est, cujus cum successive archidiaconus Pitiverensis & Belsiæ, & cantor fuisset, electus est, confirmatus & admissus decanus 26. Septembris 1648. Officialis triumque episcoporum vicarius generalis totam diœcesim summa cum laude gubernavit. Comitiis cleri Gallicani deputatus Parisiis adstitit anno 1650. Ipsius studio & opera prodierunt 1642. rituale, & synodicon anno 1664. Defuncti 20. Junii 1667. corpus sepultum in choro cathedralis ante stallum decani, cor vero in ecclesia Ursulinarum, quarum præcipuus jure ac merito audit benefactor.

LXV. Johannes X. de Fourcroi presbyter Noviomensis, Parisiensis doctor & socius Sorbonicus, canonicus & succentor ecclesiæ Aurelianensis, ejusdem electus decanus mense Junio an. 1667. obiit 20. Martii 1684. sepultusque est in majore cœmeterio inter pauperes, quibus omnia sua mobilia legaverat.

LXVI. Claudius Clement canonicus &

cantor, decanus electus est die 23. Martii 1684. confirmatusque a Petro episcopo, receptus est 29. ejusdem mensis. Obiit 22. Octobris 1691.

LXVII. Stephanus III. Barré presbyter Bituricensis, doctor Parisiensis & socius Sorbonicus, canonicus ecclesiæ Aurelianensis, successiveque archidiaconus Sigaloniæ & cantor, decanus electus est die 27. mensis Octob. anni 1691. quo vicarii generalis episcopi a die 20. Novembris munia obivit. Defunctus est die 30. Julii anni 1705.

LXVIII. Carolus III. Fontaine des Montées Aurelianensis, natus 23. Julii 1663. doctor theologus e societate Navarrica 8. Augusti 1689. urbis Aurelianensis consiliarius, inde in suprema B curia Parisiensi senator 16. Aprilis 1698. canonicus Aurelianensis 24. Februarii 1692. decanus electus die Martis 4. Augusti an. 1705. receptus est die XI. Septembris. Fuit vicarius generalis Petri du Cambout episcopi a die 20. Decembris anni ejusdem, quo defuncto, anno 1706. die 6. Februarii vicarius generalis a capitulo dictus est, sede vacante. Vicarius quoque generalis Ludovici Gastonis Fleuriau episcopi Aurelianensis, cujus nomine episcopatus possessionem iniit 5. Jan. 1707. hoc obivit munus a die 28. Aprilis 1709. ad annum 1711. quo sponte cessit. Litem habuit cum episcopo Aurelianensi hoc anno 1711. super C nominatione archipresbyteri, quæ alternis vicibus episcopo & decano ut prius adjudicata est, ita ut prior nominaret decanus. Officialis a capitulo nominatus est die 5. Maii 1714. Ad ecclesiam A Nivernensem promotus a rege 27. Aug. 1719. dignitatem in manibus episcopi & capituli dimisit 31. Octobris anni ejusdem. Ecclesiæ Aurelianensi donavit anno 1701. crucem argenteam, quæ defertur in processionibus, & anno 1716. 6. Junii candelabrum ornatum tribus coronis argenteis situm in medio chori. De eo opportunior in episcopis Nivernensibus dicendi erit locus.

LXIX. Jacobus III. Alleaume præcedentis consanguineus, presbyter Aurelianensis, doctor & socius Sorbonicus successiveque in ecclesia Aurelianensi canonicus, pœnitentiarius & cantor, decanus electus die 8. Novembris 1719. & ab episcopo die 9. confirmatus, possessionem eadem die adeptus est. Obiit die 25. Januarii 1729.

LXX. Franciscus III. Mauduison presbyter Aurelianensis, doctor Parisiensis & socius Sorbonicus, ex archidiacono Sigaloniæ decanus electus die 29. Januarii 1729. ab episcopo confirmatus, possessionem iniit. Obiit die 20. Novembris 1731.

LXXI. Gabriel de Mareau presbyter Aurelianensis, canonicus S. Crucis & archidiaconus Belsiæ, decanus electus die 26. Novemb. 1731. confirmatus ab episcopo die 6. Decembris, possessionem est adeptus die 12. sequenti, obiitque die 8. Junii 1735. legata capitulo bibliotheca.

LXXII. Stephanus Eduardus Colbert presbyter Tolonensis, jam vicarius generalis Nicolai Josephi episcopi a die 15. Junii 1734. decanus electus est die 13. Junii anno 1735.

DE ABBATIIS DIŒCESIS AURELIANENSIS.

FUere quoque sicut in plerisque Galliæ ecclesiis, ita in diœcesi Aurelianensi nonnulla monasteria, quorum vel sola supersunt nomina, vel D quæ a primævo defecerunt statu. De his more nostro nunc primum agendum.

I. S. Avit. *Avitus abbas Carnoteni pagi, quem Pertensem vocant . . . . recedens a corpore, honorifice apud Aurelianensem urbem humatus est* 17. Junii anni circiter 530. *super quem fideles christiani ecclesiam construxerunt.* Hæc Gregorius Turonensis lib. de Gloria confessorum, cap. 99. qui ejusdem ecclesiæ meminit lib. 8. hist. Francorum, cap. 2. Hanc Childebertus rex anno 531. adversus Gothos Hispaniam incolentes bellum parans amplissimam ex vilissima ædificaturum promisit. Hæc illa est basilica, quæ cella & monasterium in diplo- E matibus regiis, abbatia clericorum in epistolis Stephani Tornacensis vocatur. A Normannis enim juxta nonnullos pessumdata, canonicos postea monachorum loco suscepit, & deinceps fovit. A præstationibus archiepiscopi Senonensis & episcopi Aurelianensis, licet de ejus mensa, immunis semper fuit, sicut & ab exactionibus regiis ab anno 1388. Ab Anglis basilica, claustra, aliaque ædificia regularia diruta sunt anno 1428.

Monasterii sancti Aviti archimandrita erat Ayefredus sanctæ Crucis Aurelianensis didascalus, ad quem frater Odoramnus monachus conqueritur, quod a suis sodalibus maledicta & opprobria sustineat. Petri capellani sui abbatis S. Aviti & Johannis decani ad preces nonnulla concessit Ludovicus anno 1142. regni sui VI. ex chartul. sancti Aviti. Ecclesiæ sancti Aviti præbendarum Ch. XXXIII, col. 510. annualia anno 1150. largiti sunt Manasses episcopus & abbas, Johannesque decanus, qui anniversarium fundavit in dicta abbatia pro se & anima Petri capellani fratris sui anno 1175. ibidem.

Gaufridus abbas testis est ex parte canonicorum S. Aviti anno 1202. ex eodem chartulario.

Denique anno 1670. Petrus du Cambout episcopus Aurelianensis præbendas hujus ecclesiæ, quæ de jure erat episcopi, seminario adjunxit. Constabat tum decano, capicerio, canonicis decem & capellanis quatuor. Ecclesia vero & ædificia anno 1710. funditus diruta sunt, ut novum superstrueretur seminarium.

Nobilis Aurelianensis Lifardus post exactam II. S. Lifard. in foro juvenilem ætatem annos natus 40. fit clericus, tum disciplinæ regularis sub Maximino abbate in Miciacensi monasterio juxta nonnullos positis tyrociniis, Urbicio comite petiit Montem Magdunum quinque passuum millibus ab Aurelianis versus Blesas dissitum, quem Vandali destructo veteri castro in solitudinem redegerant,

Ibi ad fluvium Malvam cellam construxit & A discipulos aggregavit. Qui cum obitus sui diem cognovisset, Urbicium advocavit, eique regiminis sui curam coram omnibus tradidit. Urbicius defuncto anno 565. Lisardo ab episcopo confirmatus, monasterii fabricam sublimius erexit. Huic Hilridus abbas pro restauratione nonnulla assignavit prædia regnante Carolo rege. Celebre erat ineunte seculo IX. monasterium, ut patet ex statuto Theodulfi Aurelianensis episcopi 29. *Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum mittere in ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lisardi, aut in ceteris de hiis cœnobiis, quæ* B *nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi nos concedimus.* Monasterii Magdunensis in diplomatibus meminere Francici reges Carolus, Hugo, Ludovicus & Robertus, cujus anno 37. Odolricus episcopus præbendam in monasterio S. Lisardi Magdunensis monachis Miciacensibus cessit. Paulo post in ecclesiam collegiatam conversum fuit, quæ Saussseyo teste modo habet canonicos 20. & capellanos multos, dignitates quatuor, decanum, cantorem, succentorem & capicerium. Monachis jam successerant anno 1068. canonici, quibus Philippus I. vicaturam Audoëni villæ concessit. Anno 1105. e tumulo in quo C primum sepultus fuerat Lisardus, in novam, quæ tunc dedicata est, ecclesiam translatus est, ibique conditus cum Urbicio & Theodemiro, quorum in ecclesia Magdunensi coluntur reliquiæ.

III. S. JEAN. In præcepto Caroli regis ad Jonam episcopum Aurelianensem inter possessiones ecclesiæ Aurelianensis recensetur abbatia sancti Johannis prope muros civitatis Aurelianensis, quam postea ab eadem ecclesia abstractam, datamque in benefi- (Chart. VI. col. 486.) cium Hugoni cuidam militi, anno 975. Hugo Francorum dux & marchio ad preces Arnulfi episcopi de consensu Hugonis militis eidem ecclesiæ restituit. Adhuc memoratur in præceptis D Hugonis & Roberti regum ad Arnulfum episc. Aurelianensem. Quo autem in loco sita fuerit hæc abbatia, nec instrumenta docent, nec ulla modo in civitate superest ecclesia sancto Johanni sacra.

IV. BONNE-NOUVELLE. In Aurelianensis urbis meditullio vetus exstat sanctæ Mariæ cœnobium, cui S. Mariæ Puellaris antiqui nomen, paulo recentiores de Bono-Nuncio, quidam utrumque simul conjunctum indiderunt. Illud in regio non solum fisco, sed etiam palatio conditum probant sequiorum regum præcepta, probarunt artifices, cum locandis anno 1668. fundamentis alte egerentes humum, veteris palatii vestigia, saxa, materiam, cupreos tum argen- E teos nummos repererunt. Monasterii primariam originem Roberto regi frustra tribuunt Aurelianensis historiæ scriptores. Non enim primus condidit Robertus anno 1021. sed ædes instauravit, & villas restituit. Longe antiquiorem sapit originem, si, ut opinatur Mabillonius, beata Maria de Bono-Nuncio alia non est a basilica sanctæ Mariæ, quam Johannes Floriacus construxit & Fulcaldus abbas regebat, cui moriens Leodebodus abbas sancti Aniani multa legavit. Unum obest quod primitus sanctimoniales puellæ inibi Deo sese mancipasse videntur, Puellaris autem nomen virorum cœnobio traditum fuisse non est verisimile. Hæc abbatia forte jam vivente Ludovico Pio parthenon esse desiit, saltem Carolinis temporibus a primigenio statu desciscens, in canonicorum collegium anno 840. evaserat, quibus Carolus Calvus dedit aliquam terræ portionem in villa Luventii anno regni primo. Loci post canonicorum invectionem præpositi non raro abbatum, tum decanorum, seu præpositorum & rectorum nomen usurpabant. Præfederunt autem diu clericorum cœtui decani, postquam locus ille venit in militum potestatem, qui uxorati licet, non solum abbatis nomen hereditario jure a regibus, qui supremos se abbatiarum dominos ferebant, delatum tenebant, verum etiam loci reditus ad nutum, etiam pietatis intuitu, nec minus tuta conscientia distribuebant. Sic Gaufredus & filius Petrus abbatiam B. Mariæ Puellaris, quæ dicitur Boni-Nuncii, per donum Odonis regis tenebant. Eodem jure seculo XI. hæc abbatia ad Gaufredum Borellum spectabat, qui propter illatas canonicis Boni-Nuncii clades, ab Ivone Carnotensi, cujus in diœcesi primaria ejus ditio sita erat, & a Johanne Aurelianensi episcopis excommunicatus fuit. Simon Balgenciaci toparcha, ad quem majores longo tempore jus in abbatiam Boni-Nuncii hereditarium transmiserant, illud omne protinus abjicere meditatus, abbatiam valde minoratam, & ad nihilum fere redactam, ab Hugone milite Aurelianensi, qui eam ab ipso in feudum tenebat, abstulit, & per manus Manassis Aurelianensis episcopi Majoris monasterii monachis ex toto dimisit anno 1149. Donationem paulo post confirmarunt Manasses episcopus, qui monachorum recens invectorum pia (Ch. XXXI. col. 509.) studia quamdiu vixit semper fovit, Eugenius III. Engelbaldus Turonum archiepiscopus, & Ludovicus VII. Vix hominem exuerat Manasses, cum monachos expellere tentarunt canonici sanctæ Crucis: at contra bullas Lucii & Urbani III. obmutire coacti fuerunt. Anno 1240. ære alieno ac paupertate sic gravatus erat locus, ut prior ac monachi Domino servientes ibidem vix possent ex ipsius facultatibus sustentari. Anglicanis postea bellis ac tempestatibus non parum attritæ Boni-Nuncii monachorum res. Aurelianensi urbe potiti anno 1567. Calvinistæ ecclesiam diruere, monachisque fugatis chartas & documenta igne consumserunt. Per priorem Carolum du Pont non stetit quominus Augustinianis religiosis cederet prioratus, quem Franciscus Brachet alter prior monachis congregationis sancti Mauri cessit anno 1653. Majoris ut monasterii novum collegium Aurelianis excitaretur in locum collegii Parisiensis Jesuitis divenditi. Sic titularis dignitas abrogata anno 1673. ac loci titulus omnesque reditus in monachorum cœtum refusi. Monachi vero in possessionem Boni-Nuncii inducti cœnobium a fundamentis excitarunt, illudque deinceps firmis ac ornatis ædibus, quæ regulari conveniunt instituto, nobiliter instructum perfecerunt.

Veterem

V. SAINT SAMSON. Veterem sancti Symphoriani abbatiam intra muros Aurelianenses sitam, rem paternam, cum duabus ecclesiis sanctæ Lætæ & sancti Sulpicii in suburbio positis, canonicis S. Samsonis in eadem urbe degentibus, largitus est Hugo comes Parisiensis & marchio Aurelianensis mense Maio anno VII. Rodulfi regis, unde postea S. Symphoriani & S. Samsonis abbatia audiit, quam Philippus I. Francorum rex Parisiensibus sancti Martini a Campis canonicis concessit anno 1067. His ad preces Stephani de Garlanda decani consuetudinem *astagium* dictam impertivit Ludovicus rex anno 1108. Filius ejus Ludovicus VII. adductis e Jerosolyma fratribus de Monte Sion, ecclesiam sancti Samsonis, ubi erat canonia secularis, decedentibus canonicis, in perpetuum habendam donavit anno 1152. quo tempore Philippus ejus frater decanus erat sancti Samsonis, ut in Gallicanis partibus sancti illius ordinis plantatio aliqua foret. Horum institutum juxta sancti Augustini regulam approbavit Adrianus papa bulla data anno 1158. salva institutione de præbendis secularium canonicorum ab Eugenio facta fratribus Jerosolymitanis de Monte Sion, & fratribus ecclesiæ sancti Samsonis dedit Herveus de Virzione anno 1175. locum de Fraamer situm in confinio ecclesiarum de Clermont & Brienni. In ea autem ecclesia fratres de Monte Sion Domino sunt famulati ad annum 1519. quo ad meliorem vivendi formam adducuntur & coguntur bulla Leonis papæ X. & præcepto Francisci I. a qua iterum cum deflexissent, ecclesia ac prædia jussu christianissimi regis Jesuitis cessere an. 1617. sub annua pensione. Biennio post Jesuitæ ecclesiæ domusque possessionem iniere 14. Martii 1619. illucque collegium transtulere.

[Margin: Chart. IV. col. 484. — Hist. sancti Martini pag. 12. — Chart. XXXIV. col. 511.]

VI. S. PIERRE-EN-PONT. Ecclesia sancti Petri, quæ olim sancti Petri Virorum, postea de Ponte aut de Puncto nomen habuit, a Diopeto Aurelianensi episcopo seculo IV. condita perperam traditur a Saussëyo, ut in ea viri sacrum regenerationis lavacrum susciperent; a monachis enim, seu canonicis sic dicta videtur, ut distingueretur ab ecclesia sancti Petri Puellaris, in qua degebant virgines Deo sacratæ. Melior forte causa est aliorum monachos ibi initio degisse credentium, hospitioque susceptum fuisse sanctum Maurum in Gallias seculo VI. advenientem; in urbe enim ecclesia sancti Petri erat, in qua Maurus & socii, Fausto auctore, per dies decem mansere. Qui stant pro monachis, cœnobium mediante seculo IX. a Danis cum aliis urbis Aurelianensis solo æquatum volunt, resarcitumque eodem finiente seculo canonicis cessisse. Et certe seculo X. medio Herluinus Hugonis magni cancellarius, abbasque canonicorum sancti Petri de Puncto, ablatas ab Uticensi basilica sancti Ebrulfi reliquias jussu ducis in ecclesia sua deposuit, cujus translationis festum quotannis recolunt canonici sancti Petri Dominica prima Augusti. Monasterium quoque seu cella S. Petri Virorum in præceptis Caroli Calvi, Hugonis, Ludovici & Roberti regum Franciæ vocatur, quæ inter abbatias clericorum seculo XII. recensetur

A in epistolis Stephani Tornacensis; unde quis forte non immerito colliget, vel monasterii, cellæ & abbatiæ nominibus donata olim, tam canonicorum, quam monachorum collegia, vel, quod verosimilius videtur, hæc postea accommodata fuisse asceteriis in quibus prius degerant monachi, aut in quibus instituti postmodum canonici. Pag. 75.

Licet de mensa episcopi ecclesia sancti Petri immunis semper fuit a procurationibus, tam episcopi Aurelianensis, quam archiepiscopi Senonensis, sicut immunis a præstationibus regiis, seu curribus & equis ad exercitum regium mittendis declarata fuit senatus consulto dato anno 1388. apud Saussëyum lib. 14. num. 22. Ibidem.

B

Decano & capitulo sancti Petri ab antiquo suberat ecclesia S. Lupi in suburbio Aurelianensi, quam sanctimonialibus de Calceata cesserunt anno 1249. sub certis conditionibus, quas in probationibus leges. Ch. LXXIII, col. 535.

A Diopeto quoque Aurelianensi episcopo, ut ecclesia sancti Petri pro viris, sic sancti Petri Puellarum pro puellis baptizandis conditam non majori fide tradit Saussëyus, cujus denominationis originem melius deducit Rodulfus Glaber a collegio sanctimonialium virginum, quæ primitus inibi Deo deservierunt. De hoc parthenone intelligendum videtur, quod in vita sancti Eucherii legitur de germanis ejus sororibus, quæ vitæ sanctitate præcellebant seculo VIII. in cœnobio sanctarum monacharum tum sito juxta urbem Aurelianensem. Monialibus seculo X. exeunte successere canonici, quibus præerat Rainaldus I. decanus, cujus tempore contigit in hac ecclesia celebre Crucifixi lacrymantis miraculum a Glabro relatum, cujus memoria hodieque Dominica post festum sancti Johannis Baptistæ celebratur. Hujus miraculi ergo, ut credere par est, ad preces Arnulfi episcopi prædicto Rainaldo & canonicis plures abbatiæ ecclesias & villas dedit Robertus rex XIX. calend. Januarii anno regni 16. Eodem currente seculo anno nempe 1022. Eribertus capitale scholæ in ecclesia sancti Petri tenens dominium, ut hæresiarcha damnatus est, & igni traditus. Abbatiam interim, clericorum dictam apud Stephanum Tornacensem, pro decessorum more tenebant ab episcopo, cujus juris erat, viri seculares atque etiam conjugati. Sic Guido regis camerarius abbas sancti Petri Puellaris vocabatur anno 1111. in charta Johannis episcopi, qui abusum in ecclesiis sibi a Domino commissis ut corrigeret, hanc abbatiam quæ in manu laïcali diu fuerat, Zachariæ ejusdem decano dedit & concessit, rege id ratum habente anno 1125. Hiccine est Zacharias sancti Petri Puellaris abbas, cujus assensu Fulco decanus terram in Calceata Dunensi censualem fecit anno 1161? Manasses quoque Aurelianensis episcopus dicitur abbas S. Petri Puellaris, quia forte titulus abbatis post obitum Zachariæ ad episcopos Aurelianenses transierat, quo sensu abbatia dicitur esse de mensa episcopi in epistolis Stephani Tornacensis. Quo enim alio nomine monachis Boni-Nuncii ad preces Alexandri papæ quartam præbendam in

[Margin: VII. S. PIERRE-LE-PUELLIER. — C — D — Ch. XXIV. col. 503. — E — Chart. XL. col. 516.]

ecclesia sancti Petri Puellaris concessisset anno 1166? Alius tamen est Manasses episcopus, si non fallant notæ chronologicæ, a Manasse abbate sancti Petri Puellaris, qui cum Hugone ejusdem decano anno 1190. nonnulla dedit Arnulfo, qui contentionem inter hospites regis de Codreio & ipsorum hospites de Concisa per duellum penitus sustulerat: at postea nullum abbatem reperimus. Abbatia sancti Petri immunis quoque semper fuit a procurationibus archiepiscopi Senonensis & episcopi Aurelianensis, & a præstationibus regiis ab anno 1388.

VIII. L'ABBAYE AUX NONNAINS-LÈS-LORRIS.

Extabat seculo XII. juxta Loriacum sanctimonialium de Chaumontesio dictarum abbatia, quibus anno 1163. Ludovicus rex Francorum totius panis, quem Loriaci postmodum tam ipse quam successores sui & tota curia comederent, decimam concessit. Quis autem hujus abbatiæ fundamenta jecerit, chartæ non docuere; at excidit a multis annis, modoque grangia est, quam possident hactenus hospitii Aurelianensis sanctimoniales ordinis Fontis-Ebraldi.

ELENCHUS ABBATIARUM

Quæ hactenus suam retinuere dignitatem, licet ex iis prima a statu regulari jam pridem defecerit.

ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Sanctus Anianus, abbatia secularis, *S.t Aignan.*
Miciacus, *Micy.*
Floriacus, *Fleury.*
S. Lupus, *S.t Loup,* feminarum.

ORDINIS SANCTI AUGUSTINI.

S. Evurtius, *S.t Euverte.*
Balgenciacum, *Baugency.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Curia-Dei, *la Cour-Dieu.*
Vicinæ, *Voisins,* olim *Vesines,* feminarum.
Locus B. Mariæ, *Lieu Notre-Dame,* feminarum.

SAINT AIGNAN.

SANCTUS ANIANUS.

Sita est ecclesia sancti Aniani ad orientalem Aurelianensis civitatis plagam, olim in suburbio, modo intra septa urbis. Subobscura sunt ejus crepundia, & quem auctorem habuerit incompertum, sic autem quod extabat jam finiente seculo quarto sancto Petro ad Boves sacra. Hujusce fundamenta posuisse Diopetum antistitem Aurelianensem conjicit eruditus Hubertus in antiquitatibus historicis ecclesiæ regalis sancti Aniani, non probat, quanquam ex historia sancti Baudelii & ex actis sancti Aniani episcopi compertum est hanc ecclesiam jam seculo quarto inter præcipuas civitatis Aurelianensis ecclesias annumeratam fuisse, cum in ea sepultus fuerit defunctus anno 453. sanctus Anianus, a quo S. Aniani postea nomen sumsit. Quandonam in ea monachi instituti fuerint prorsus ignoratur, certe post fundatam Miciacens. abbatiam; nullus enim ante Euspicium & Maximinum his in partibus in monastica floruit disciplina, sed ante Floriacensem, cujus auctor

A sancti Aniani abbas nobis primus innotescit Leodebodus, ac proinde jam florebat ineunte seculo septimo. Quam regulam tunc temporis sequerentur Sananianenses, haud facile patet, nec ulla nos docent veterum monumenta; at ex ipso Leodebodi testamento invicte, ni fallor, probatur finiente seculo VI. aut saltem ineunte septimo jam inibi viguisse Benedictinam. Cum enim Leodebodus sancti Aniani abbas Floriacensis monasterii fundamenta locaverit, in quo monachi juxta regulam sancti Benedicti & statuta domni Columbani consistere deberent, mediante fere seculo VII. & ad novum cœnobium incolendum Sananianenses B monachos miserit, prope necessarium est in Sananianensi monasterio jam Benedictinos Deo famulos fuisse. Quo pacto quove anno id contigerit, non liquet: ex actis autem S. Bathildis certum est hanc per Seniores in præcipuis basilicis sanctorum Dionysii, Germani, Medardi, S. Petri, D. Aniani, S. Martini, vel ubicumque ejus potuit notitia pertingere, pontificibus seu abbatibus suadendo præcepisse per epistolas, ut sub sancto regulari ordine fratres in ipsis locis consistentes degere deberent. Unde saltem secul. VII. mediante constat, aut institutam aut restitutam fuisse in Sananianensi cœnobio regulam Benedictinam, in C quo viguit saltem ad seculum IX. ut conjicere par est, quo Theodulfus abbas sancti Aniani, & episcopus Aurelianensis regularem observantiam restituit in Floriacensi, Miciacensi, aliisque diœcesis Aurelianensis monasteriis. Quo enim pacto pro restauranda disciplina in aliis cœnobiis tantum laborasset pius præsul, neglecto eo cui præerat cœnobio? Sane in statutis suis apud Sausseyum editis num. 29. presbytero qui voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in ecclesia S. Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut S. Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in D ceteris cœnobiis, quæ ad regendum concessa erant, dat ei licentiam id faciendi. Sedente ergo Theodulfo monachos fovebant, & quos? nisi Benedictinos, monasteria S. Aniani, S. Benedicti & sancti Lifardi, in quibus simul & pietatis amor & literarum studia florebant. Demum cum seculis VII. & VIII. in Sananianensi cœnobio monachi sacra fecerint, iisque jam in occidente regula Benedictina una vigeret, quidni & in Sananianensi, cum alia eam diœcesis Aurelian. observarent monasteria, non viguit? Quousque in eo obtinuerit nec facile patet. Ex Ansegisi codicillo elicitur finiente seculo VIII. aut ineunte IX. Sananianenses canonicos appellatos E fuisse. Sic tamen olim & monachos audivisse probant bene multa veterum testimonia & indiscriminatim canonicis monachorum & monachis canonicorum nomina supposita fuisse. Ita sane canonici vocantur Sananianenses in præceptis Caroli Magni & Ludovici Pii, quæ refert Hubertus inter probationes historiæ ecclesiæ sancti Aniani pag. 74. & 75. nisi forte in autographis loco *monachis* & *monachorum*, ut nonnunquam contigit, supposita fuerint verba *canonicis* & *canonicorum*.

Suos quoque passa est manes ecclesia sancti

Aniani. A Carolo Magno instauratam Normanni concremarunt anno 865. Igne iterum consumta cum tota urbe est anno 999. Ast aliquanto post magnifice eam relevavit Robertus rex, & consecrari ab episcopis fecit 14. Junii 1029. Basilicæ hujus a Roberto ædificatæ dimensiones explicat Helgaldus: *Habet*, inquit, *ipsa domus in longitudine toisas 42. in latitudine 12. in alto 10. fenestras 123.* Postea describit altaria 19. pleraque argento puro, auro optimo, lapidibusque pretiosis decorata. Inter cetera, quæ rex Robertus huic ecclesiæ dedit, commemorat quinque signa, quorum unum mirabile continebat duo millenaria metalli & 600. libras, *cui imprimi jussit signum baptismi de oleo & chrismate facti, sicut ordo deposcit ecclesiasticus, & ut vocaretur Robertus, attribueret Spiritus sanctus.* Magnificam ipsi Aurelianenses destruxerunt ecclesiam anno 1370. ne a Roberto Kanolle Anglorum duce, qui totam circumquaque vastabat regionem, devastaretur. Restituta a Carolis V. & VI. urbem obsidentibus Anglis anno 1428. adhuc excisa fuit. A regibus subsequentibus de integro exstructa, denuo consecrata est ab archiepiscopo Arcadiæ 28. Augusti 1509. Denique Calvinistarum æstu navi defuncta est ecclesia, quæ restituta non fuit. Capitulum, prima Aurelianorum collegiata, quod ad Romanam sedem nullo medio olim pertinebat, episcopo Aurelianensi subjectum fuit Parisiensis senatus consulto 4. Junii 1674. Abbatibus regularibus qui huic inclyto præfuerunt asceterio, successere reges Franciæ, hisque duces Aurelianenses, sub quibus rexerunt decani. Horum & illorum seriem accipe.

ABBATES.

I. LEODEBODUS sanctitate, scientia, divitiis pollens & gloria, inquit Helgaldus, egregia morum probitate decorus, claraque de stirpe genitus, ut Aimoinus ait, in diebus Chlotarii Francorum regis patris Dagoberti senioris, pater monasterii S. Aniani electus est, & postea cœnobio Floriacensi initium dedit, cui & plura prædia cessit testamento facto mense Junio anno 2. D. Chlodovæi Francorum regis II. de quo plura apud Helgaldum, Adrevaldum, Aimoinum, Hugonem & alios. Quo anno vixerit haud novimus, sic autem quod in fata cesserat anno circiter 660. tum cum Floriacum asportata sunt ossa S. Benedicti de Cassino monte, teste Adrevaldo. Eo denato, tepuit & forte defecit observantia regularis in Sananianensi cœnobio, quam reviviscere petiit per Seniores, præcepitque per epistolas Bathildis, ex citato vitæ fragmento apud Bollandum. Leodebodo abbati quidam sanctum Aigulfum sufficiunt postea Lirinensium abbatem, at inficiatur Hubertus, & quidem bene: acta tamen ejus apud Surium sic habent: *Monachi civitatis Aureliæ odore vitæ Aigulfi affecti, ad eum pervenerunt postulantes, ut super eos pastoris officio per aliquot dies fungi dignaretur, quorum petitioni haud acquiescens, victus tandem obedientia & caritate, assensum præbuit, qui suscepti agens curam regiminis fratres suos ad promerenda vitæ æternæ gaudia monitis & disciplinis animabat regularibus.*

II. Fulco desinente seculo VIII. regebat monasterium S. Aniani, ad cujus petitionem Carolus Francorum rex & Longobardorum stipendia & res monasterii canonicis jam ibidem Domino famulantibus confirmavit suo præcepto, apud Hubertum in probationibus pag. 74.

III. Theodulfus episcopus Aurelianensis & abbas sancti Aniani duo præcepta obtinuit a Ludovico imperatore pro teloneo de sex navibus & quibusdam prædiis & privilegiis. Idem episcopus in capitulari 19. monet presbyteros, ut consanguineos mittant in ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti instituendos.

IV. Liutbodus sedit mediante seculo IX. cum Carolus Calvus Francorum rex villam quamdam cum suis appenditiis cœnobio restituit.

V. Robertus I. dux Francorum, marchio & abbas secularis privilegium obtinuit ab Odone rege, duoque a Carolo data *XIII. calendas Junii indictione II. regnante Carolo rege gloriosissimo, redintegrante XVIII. largiore vero hereditate indepta III.* hic est annus 915. Robertus rex electus est anno 922.

VI. Hugo I. magnus filius Roberti omnes patris honores a Carolo Simplice impetravit. Abbas sancti Aniani concessit Reginaldo, ut ad sacros ordines promoveri posset anno primo imperii Caroli Crassi, quo tempore sancti Aniani monasterium seculari toga jam erat donatum. *Baluz. cap. tom. 2. col. 1498.*

VII. Hugo II. Capetus fit abbas denato patre, Francorumque rex creatur.

VIII. Robertus II. rex Hugonis filius, etiam abbas S. Aniani, construxit a fundamentis basilicam & cœnobium, ut narrat Helgaldus Floriacensis in vita ejusdem Roberti.

IX. Henricus primus Francorum rex & ipse in variis præceptis nomen abbatis sancti Aniani assumit.

X. Ludovicus Crassus Francorum rex sæpius abbatem sancti Aniani se vocat.

XI. Ludovicus Junior Francorum rex, memoratur abbas sancti Aniani in nonnullis præceptis; alii deinceps reges pro abbatibus se gessere, quibus Aurelianenses duces successere, sub quibus hi regebant

DECANI.

I. THEUTGRIMUS erat decanus, cum Agius Aurelianensis episcopus anno 855. canonicis sancti Aniani capellam ad exsequias & sepulturæ officia ex sumtibus propriis funditus instaurandi licentiam concessit.

II. Letaldus anno 1025. Miciacensi monasterio mansos terræ viginti censualiter donavit. Nonnulla quoque ecclesiæ S. Aniani largitus est.

III. Tedelinus de Miciacensibus monachis bene meritus est, quibus jubente Roberto rege, XVI. cal. Julii an. 1029. partem reliquiarum sancti Eusicii dedit. Subdecanus simul erat sanctæ Crucis.

IV. Robertus canonicus sanctæ Crucis &

decanus sancti Aniani obtinuit ab Isembardo episcopo altaria Tilletum, Sentiliacum & Ruttenum anno 1038.

V. Helias privilegium a Philippo rege abbate sancti Aniani consecutus est anno 1093.

VI. Stephanus I. de Garlande ecclesiasticis beneficiis impinguatus est. Decanus erat sancti Samsonis anno 1108. sanctæ Crucis 1113. sancti Aniani 1111. & 1114. cui ecclesiæ multa a regibus impetravit. Obiit circa annum 1148. Vide decanos sanctæ Crucis.

VII. Philippus Ludovici Crassi filius, frater Henrici monachi Cisterciensis, ejus disrupto quod primum contraxerat matrimonio, in sacerdotia successit. Hinc archidiaconus Parisiensis & decanus sancti Aniani post obitum Stephani statuta condidit de residentia canonicorum. Petro abbati de Buzeio terram ad arandum apud Herbiliacum concessit. Obiit anno 1161. & sepultus est in ecclesia Parisiensi, ut diximus tom. VII. col. 61.

VIII. Petrus I. Pisanus, magni vir nominis, maximaque apud Alexandrum III. gratia pollens, ab eodem in Galliam missus, ut Francorum animos ante eum præpararet, decanus sancti Aniani a rege effectus est, quo nomine apostolica fultus auctoritate, Guillelmo e regimine Pontisarensis monasterii ad Vizeliacense translato post obitum Pontii an. 1161. mense Oct. ejusdem monasterii curam commisit. Bulla pro exemtione ecclesiæ suæ ab Alexandro donatus est IV. idus Julii anno 1162. Querelam habuit circa id tempus cum Aurelianensi episcopo super exspoliatione ecclesiæ sancti Germani, quam terminandam commisit Alexander papa A. abbati sancti Benedicti, restitutamque ecclesiam laudavit literis datis Turonis IV. idus Junii. Cum Hugone decano sanctæ Crucis arbiter electus fuit discordiarum inter Manassem Aurelianensem episcopum & Andream Miciacensem abbatem super ecclesia S. Agili an. 1174. Nonnullorum permutationem fecit cum A. Francorum regina in villa de Caleio, quam confirmavit Alexander bulla data IV. nonas Maii pontificatus anno 16.

IX. Cadulcus Ludovici VII. clericus eique acceptissimus, vacante sede Bituricensi an. 1141. a quibusdam hujus ecclesiæ clericis expetitus, locum cedere coactus est alteri, cui cum rex terræ suæ introitum interdixisset, a summo pontifice interdicto subjacuit, Cadulcus vero omni ecclesiastico honore privatus est. Hanc forte ob causam ab eodem principe creatus est cancellarius. Sopitis postea dissidiis factus est ab ejus æmulo canonicus & archidiaconus Bituricensis, quo tempore missus est cum Theobaldo abbate sancti Germani Paris. in occursum Alexandri. Tandem successor Petri decanus S. Aniani bullam adeptus est a Lucio III. ad instar Alexandri III. VIII. calendas Julii anno 1183. Donata a Gaufrido presbytero in parochia sancti Martini testatur anno 1185. Donationem fecit parocho ecclesiæ Crucifixi, quam Philippus Augustus confirmavit anno 1192. Concessit an. 1197. canonicis residentibus præbendæ suæ reditus integros a die obitus ipsorum ad anniversarium.

X. Guillelmus I. Philippi Augusti capellanus, decanus sancti Aniani memoratur in tabulario ecclesiæ annis 1201. & 1203. Servos quosdam sancti Aniani manumisit anno 1206. Bullam ab Innocentio papa obtinuit an. 1207. Immunitatem ecclesiæ adversus Manassem episcopum acriter tutatus est. Delegatus a summo pontifice capitulo sancti Martini Turonensis asseruit jurisdictionem in parthenonem Bellimontis.

XI. B. Reginaldus I. ex oppido sancti Egidii in Occitania oriundus, jus publice Parisiis docebat, cum ad preces capituli decanus S. Aniani factus est anno circiter 1212. quo & sequentibus reperitur ad annum 1217. Hoc autem cum Manasse Aurelianensi episcopo ejus familiari ad visitanda sacra loca profectus, ordinis Dominicani amplectendi cogitationem Romæ suscepit. Reversus Parisiis obiit & sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ de Campis, ubi primum sedem habuere Dominicani, quibus successere Carmelitanæ moniales. Memoratur Reginaldus 18. Aprilis in martyrologio Gallicano.

XII. Thomas 1228.

XIII. Henricus decanus anno 1237. Cum Terrico archidiacono Aurelianensi arbiter sententiam tulit inter capitulum & homines suos de Sintilliaco, Ruano & Tilliaco anno 1239. Querelas habuit cum comite Blesensi Hugone de Castellione super juribus in silva Boloniæ, pro quibus terminandis permutaverunt ann. 1244. & 1245. mense Februario.

XIV. Stephanus II. de Montfort senator Parisiensis & decanus sancti Aniani adstitit sacramento, quod Blanchæ Francorum reginæ præstiterunt Parisienses anno 1251. mense Junio de servanda urbis pace. Confirmavit cum ceteris consiliariis privilegium sancti Martini a Campis an. 1252. de hospitibus suis. Adfuit inquisitioni factæ anno 1258. pro Guillelmo de Andusia. Adstitit translationi corporis sancti Aniani anno 1259. & judicio lato in senatu Parisiensi adversus abbatem Floriacensem & monachos de Silva Vicennarum die Purificationis anno 1260.

XV. Guillelmus II. de Crespy jam decanus an. 1273. dicitur clericus & notarius regis anno 1282. in archivis sanctæ Genovefæ. Querelam habuit cum capitulo, quæ, assertis decano collatione beneficiorum ecclesiæ & beneficiatorum hominiis, finita est anno 1286. Fuit cancellarius Philippi Pulcri ab anno 1293. ad 1296. custos ecclesiæ sancti Quintini in Viromandia an. 1295. archidiaconus Parisiensis anno 1299.

XVI. Odo de Crespy, cedente Guillelmo, decanus, dissidium habuit anno 1293. pro præpositura de Thilleio. Occurrit adhuc anno 1301.

XVII. Odoardus de Chambly e nobili familia in Bria editus, patrem habuit Odoardum de Chambly militem, qui castrum de Gandelus regi divendidit anno 1303. Ipse vero capellaniam fundavit in ecclesia sancti Aniani anno 1331. die Martis ante festum sancti Lucæ.

XVIII. Guillelmus III. Turpin magister requæstarum regii hospitii, decanus sancti Aniani

annis 1339. 1340. & 1349. male dicitur decanus Aurelianensis loco sancti Aniani 29. Julii 1346. in regestis D. de Gaignieres vol. 188. de Nobilibus. Factus est postea episcopus Andegav.

XIX. Guillelmus IV. d'Issy transegit cum capitulo super reditibus decanatus anno 1366.

XX. Johannes I. de Chery clericus regis & decanus sancti Aniani adstitit Hugoni ecclesiam Aurelianensem ingredienti anno 1366. Reperitur anno VIII. Urbani V. decanus sancti Aniani & secretarius ducis Biturigum. Regi fidem præstitit anno 1377. Querelam habuit cum capitulo, quæ ab arbitris definita est anno 1392. Præfuit ad 1412.

XXI. Johannes II. de Chomery anno 1412. ex Huberto, idem forte ac superior.

XXII. Johannes III. David consiliarius in Parlamento Parisiensi decanus Johanni successit. Heredem testamentique exsecutorem instituit fratris aut sororis filium Reginaldum Aubelin cantorem sancti Aniani.

XXIII. Petrus II. le Sauvage a consiliis ducis Aurelianensis, factus est decanus anno 1436. & præfuit ad 1454. Cancellarius simul fuit prædicti ducis.

XXIV. Reginaldus II. Aubelin Aurelianensis, filius Johannis Aubelin toparchæ de Favellis ex cantore anno circiter 1454. factus est decanus.

XXV. Joannes IV. de Cailleau ab an. 1463. ad 1479.

XXVI. Ludovicus I. de Villers nominatus decanus a Maria de Cleves ducissa Aurelianensi vice filii sui Ludovici ducis Aurelianensis 16. Martii 1479. possessionem per procuratorem iniit 18. Maii. Ipsi vero 31. Maii 1480. in propria persona recepto tradita sunt *zona deaurata, ensis deauratus, una gibessaria & calcaria deaurata & avis supra pugnum, ut moris est,* præstititque solita juramenta. Decani ædes de novo construxit. Factus est episcopus Bellovacensis.

XXVII. Jacobus I. Hurault filius Jacobi Hurault ærario regio præfecti, vacantem nuper per promotionem Ludovici Bellovacensis episcopi decanatum sancti Aniani obtinuit ab Aurelianensi duce, eodemque quo decessor ritu receptus est 20. Septembris 1497. Factus est episcopus Augustodunensis anno 1505. ut diximus tomo quarto col. 423. commendasque S. Benigni Divionensis & sancti Launomari Blesensis tenuit, ut diximus eodem tomo col. 75. & præsenti col. 1362.

XXVIII. Michael I. de Bucy nominatus a rege Ludovico XII. ritu solito receptus est 10. Maii 1505. archiepiscopusque Bituricensis electus est 25. Septembris ejusdem anni, quas dignitates tenuit ad mortem anno 1511.

XXIX. Jacobus II. Robertet protonotarius apostolicus, filius Florimundi Robertet baronis d'Alluye, a secretis & consiliis regum Caroli VIII. Ludovici XII. & Francisci I. possessionem iniit 6. Junii 1511. cujus per cessionem

XXX. Ludovicus II. Robertet germanus decessoris, regiis a secretis & consiliis, possessionem apprehendit 16. Junii 1516.

A XXXI. Jacobus III. Gaillard decanus 22. Februarii 1523. postea consiliarius in Parlamento Parisiensi.

XXXII. Gabriel Prevôt Isabellæ Jacobi sororis filius, admissus est 13. Febr. 1537. juxta ritum prius descriptum, per cujus obitum

XXXIII. Carolus Guillard regi ab eleemosynis, possessionem apprehendit die 8. Octobris 1546. ritusque a decessoribus usurpatos respuit, ut pote viro ecclesiastico parum congruentes. Permutavit cum Hieronymo du Mesnil præposito d'Auvers in ecclesia Carnotensi anno 1551. patruoque ejusdem ecclesiæ episcopo successit, ut
B diximus col. 1188.

XXXIV. Hieronymus du Mesnil abdicante Carolo ab Henrico II. nominatus, possessionem adeptus est 5. Octob. 1551. Canonicus quoque erat & archidiaconus Briæ in ecclesia Parisiensi, cùm omnibus ecclesiasticis dignitatibus Parisiensis senatus consulto spoliatus fuit 28. Sept. 1569.

XXXV. Jacobus Augustus de Thou, natus Parisiis anno 1553. 8. Octob. parentem habuit Christophorum protopræsidem in senatu Paris. a quo adolescens clero destinatus, decanus sancti Aniani a Carolo IX. renunciatus est die 4. Novembris 1569. possessionemque assecutus die 3.
C Decembris. Postea consiliarius clericus & magister requæstarum anno 1586. clericum exuit ut uxorem duceret. Hujus non est loci historiam tanti viri texere, de historia nostra & regno Gallicano tam bene meriti.

XXXVI. Christophorus Sanguin per cessionem Jacobi Augusti ejus consobrini a Catharina Medicæa ducissa Aurelianensi promotus est 20. Julii 1586. & possessionem apprehendit 2. Apr. 1587. Sequenti cessit anno 1597. simul canonicus Parisiensis & prior de Creton.

XXXVII. Nicolaus de Heere regi a consiliis & eleemosynis, decanus ingressus est 4. Februarii
D anno 1597. ac postea Balgenciaco donatus est. Deputatus ad comitia Parisiis habita anno 1614. gravi morbo detentus proficisci non valuit. Deputatus quoque est a clero provinciæ Senonensis ad comitia cleri Gallicani anno 1615. Obiit 23. Junii 1624. conditus in capella beatæ Mariæ. Defuncti laudes celebravit Jacobus Alleaume doctor Sorbonicus, parochus sancti Pauli Aurelianensis, oratione quam typis mandavit.

XXXVIII. Dionysius de Heere patruo successit, possessionemque adeptus est die 13. Junii 1624. ex Huberto. Biennio post germano cessit, factusque est consiliarius in Parlamento Parisiensi,
E magister requæstarum, &c.

XXXIX. Jacobus IV. de Heere Dionysii germanus, canonicus S. Aniani & commendatarius Balgenciaci, receptus est decanus die 6. Aprilis 1626. Obiit 5. Maii 1654.

Post Jacobum Alfonsus Delbene episcopus Aurelianensis a duce Aurelianensi designatus decanus sancti Aniani, haud indeptus possessionem, cessit in gratiam sequentis.

XL. Michael II. Houmain de Courbeville, Alfonso cedente iniit possessionem 17. Augusti

1654. Obiit 15. Maii 1677.

XLI. Michael Alfonsus Houmain de Courbeville Michaelis germanus a Philippo Aurelianensi duce renuntiatur decanus 20. Maii 1677. Defunctus est anno 1728.

XLII. Franciscus Rouxel de Tilly decanus S. Aniani possessionem indeptus est anno 1728. Cedentis episcopi Arausicani in locum a rege Ludovico XV. suffectus mense Augusto 1731. Romæ proclamatur 24. Septemb. proponiturque 19. Novembris, Luteciæ vero inauguratur 17. Februarii 1732. ab archiepiscopo Parisiensi, manus admoventibus episcopis Europeæ & Grassensi. Regi sacramentum dixit 19. eorumdem mensis & anni.

MICIACUS.

Mict.

ADDUCTIS e civitate Virdunensi Euspicio ejusque nepoti Maximino ineunte seculo VI. Chlodovæus Francorum rex, ut primum in diœcesi Aurelianensi ædificarent monasterium, largitus est Miciacum agrum tribus ab Aurelianis distantem milliaribus, fertilissimum juxta ac amœnissimum prope Ligerulum fluvium, qui quantus in ostio in Ligerim irrumpit, tantus e fonte oritur, navicularum ubique patiens, nullo unquam gelu astringitur, nec ullo ardore arescit. Miciacus solum habet uberrimum, ait Bertoldus in vita S. Maximini, vineis & pomiferis arboribus consitum, gratissimumque spectantibus ostendit habitandi locum vinearum atque silvarum circumsurgentium amœnitate; hinc inde vero suavissimo decurrentium murmure fluviorum, ac perinde remigum supra infraque navigantium creber, ut solet, discursus non minimam eidem loco accumulare gratiam consuevit. Captus amore loci Childebertus I. Chlodovæi filius monasterium forte inibi ædificavit, quod ut sancti Carilesi, fundasse legitur in chartulario illius asceterii. Opus brevi peractum tempore Eusebius Aurelianensis episcopus consummavit, dedicata basilica in honorem sancti Stephani protomartyris, sanctum Maximinum, cujus hodie nomine decorata est, diaconum consecravit & sanctum Euspicium abbatem præfecit. Sancti autem monachi præfatum locum incolentes paulo post odore famæ suæ religiosæ populum adeo resperserunt, ut more alvearii monasterium videretur; ex hoc enim inclyto asceterio prodiere & sanctorum fastis inscripti sunt, puta Euspicius, Maximinus senior & junior, Avitus, Lifardus, Leonardus, Urbicius, Agilus, Theodemirus, Viator, Lætus, Carilesus, Constantius, Framboldus, & alii illustres pietate viri. Exeunte seculo VII. cœpit devotio Miciacensis monasterii, & studium monasticæ disciplinæ tepescere, partimque cupiditate, partim hostica incursione ex Aquitaniæ impugnatione locus ad nihilum est redactus, ut nullus ibi manere posset monachus. Extracta hinc S. Maximini ossa, in ecclesiam, quam in agro juris sui extra urbem, sed muro vicinam & contiguam ecclesiæ sancti Aniani construxerat, transtulit Sigobertus Aurelianensis episcopus, ecclesiam dedicavit, propriis ditavit sumtibus, & Miciaco dedit: hæc est ecclesia abbatiæ titulo solo in diplomate Roberti regis anni 1022. insignita. A multis seculis solo æquata fuit, ita ut quædam tantum illius appareant vestigia. Hanc confundas cave cum capella sancti Maximini, dicta de Allodio, quæ monachis Miciacensibus olim pro hospitio fuit, nunc vero parochialis est, cui unita fuit seculo XV. ineunte parochia sancti Martini de Atrio. Male actum, ut diximus, prius Miciacum resarcivere Theodulfus & Jonas Aurelianenses episcopi, quorum alter reliquias sancti Maximini Miciacum revexit, unde vetus loci appellatio in sancti Maximini vocabulum mutata est. Iterum direptum a Normannis seculo IX. Letaldus abbas restauravit. Monasterium postea invadit Benedictus quidam & deprædatur. Alter & melior Benedictus a Britannis adveniens de cœnobio bene meretur. Jacob item & Anno abbates dictum locum a dejectionis suæ vilitate evehunt. Ab Anglis seculo XIV. dira pertulit, & tandem a Novatoribus seculo XVI. fere solo æquatum, cessit ineunte XVII. monachis Fuliensibus congregationis beatæ Mariæ, qui in eo resarciendo operam omnem impenderunt. D. Johannes a Sancto Martino hujus sodalitii alumnus diuque monasterii Miciacensis asceta, vitas sanctorum Miciacensium toto volumine complexus est, quod *Sanctorale*, tribusque aliis chartas veteres & varios casus ac eventus dicti cœnobii prosecutus est, quæ *Promtuarium Miciacense* appellavit. His & illo in conficienda abbatum serie usi fuimus.

Chart. I. col. 479.

ABBATES MICIACENSES.

I. SANCTUS EUSPICIUS e Virdunensi civitate a Chlodovæo I. Francorum rege Aurelianos adductus cum Maximino, ibi donatur Miciaco & omnibus intra fluminum alveos ad fiscum regium pertinentibus, ubi celebre ædificatur monasterium, cui cum Maximinum nepotem præfecisset Euspicius, elapsis duobus annis post depositum onus pastorale obiit circa annum 511. Corpus ejus, curante Eusebio, episcopo Aurelianensi sepulturæ datur in ecclesia sancti Aniani, cujus e terra levati anno 1029. quædam reliquiæ Miciaco concessæ sunt. Chart. I. col. 479.

II. Sanctus Maximinus I. Euspicii nepos, ab Eusebio diaconus & paulo post presbyter factus, tandem abbas ordinatur post Euspicium, ad quem multi convolarunt etiam monachi, præsertim e Menatensi apud Arvernos monasterio Avitus & Carilesus. Post mortem quæ XVIII. cal. Januarii notatur sub annum 520. in antrum, ex quo immanem & pestiferum draconem ejecerat, delatum est ejus corpus sepeliendum, ut ipse præceperat. Sepulturam ejus ornavit Agilus prædives civis Aurelianensis extructa basilica. Inde tamen translatæ sacræ reliquiæ in aliam basilicam a Sigoberto episcopo Aurelianensi ædificatam juxta S. Aniani ecclesiam. Verum Jonas Aurelianensis episcopus easdem Miciaco restituit, unde monasterio nomen sancti Maximini. Has postea cum reliquiis sancti Theodemiri & sociorum Neoterici seculo XVI. dissipavere. Sancti Maximini vitam habes Act.

sanctorum ordinis sancti Benedicti tomo primo pagina 580.

III. S. Avitus e Menatensi apud Arvernos monasterio una cum S. Carileso eremum petens, ad Miciacense divertit, ubi a sancto Maximino benigne exceptus, cellerariusque effectus est. Hunc aliquanto elapso tempore ob egregias virtutes sacerdotio honorari curavit Maximinus, sed arctioris adhuc solitudinis desiderio anhelans, Secaloniam petiit cum sancto Carileso, unde defuncto Maximino divulsus a fratribus in ejus locum suffectus est anno 521. Pauco admodum rexit tempore; unde difficile dictu est, nec mss. Gregorii Turonensis codices definiunt utrum abbas adhuc esset Miciacensis, cum Chlodomeri Aurelianorum regi Sigismundum Burgundionum regem interficere volenti prænunciavit interitum circa ann. 523. Abdicato enim Miciacensis monasterii regimine, in pagum Dunensem secessit, ubi etiamnum extat cœnobium sacrarum virginum nomine S. Aviti insigne, de quo in Carnotensibus fuse disseruimus.

IV. Sanctus Theodemirus S. Crucis primum canonicus & etiam decanus, ut multi autumant, inter suos bonæ vir gravitatis & magnæ reverentiæ, illuminata meritis sancti Maximini sorore, quæ diu cæca fuerat, in Miciaco sanctæ conversationis schema induit, & quantus vir Domini Theodemirus in sancta conversatione fuerit, finis edocuit, ait Letaldus monachus Miciacensis seculo x. abbas sancti Maximini. Quo anno migraverit incertum, sane ante sanctum Lifardum, cujus obitus incidit circa annum 565. Lifardus enim Magdunensis abbas per quietem admonitus ad illius transitum accurrit, januamque ingressus, obvios fieri beatæ animæ angelos vidit, canticum istud psallentes: *Beatus quem elegisti & assumsisti, inhabitabit in atriis tuis.*

V. Sanctus Maximinus II. junior, S. Theodemiri ex sorore nepos, in cœnobio Miciacensi factus monachus, postea in locum avunculi demortui suffectus est a sancto Lifardo, & dum advixit, curæ gregis sibi commissi, ut pote disciplinam patrum secutus, strenue invigilavit, ait Letaldus.

Qui post Maximinum, an etiam aliqui præfuerint per longum temporis spatium, ignoratur. *Cum hæc multis mansissent ætatibus,* inquit Letaldus, *cœpit devotio Miciacensis cœnobii, & studium monasticæ vitæ amolliri, & partim cupiditate, partim Aquitanica Waifarii ducis impugnatione grassante, cœnobium fere solo æquatum fuit & adeo annullatum, ut nemo ibi posset manere monachorum, sed habitacula eorum aut essent diversoria secularium & feminarum, aut stabula equorum & passiones canum.* Theodulfus vero Aurelianensis episcopus, qui ineunte seculo nono sedebat, sanctum Benedictum Anianæ abbatem accersivit, qui per suos monachos Miciacense monasterium restauravit, missis primum duobus & postea bis duodenis; ast qui post restaurationem ibi præfuerint, nos latet usque ad Druclesindum.

VI. Druclesindus a Ludovico Pio imperatore facultatem obtinuit habendi tres naves per Ligerim aliaque flumina, sexto idus Januarii anno primo imperii, indictione VIII. Christi 815. Ejusdem temporibus monasticum ordinem in Miciacensi monasterio a Jona episcopo restitutum, additamque ab eodem cellam sancti Maximini confirmarunt Ludovicus & Lotharius imperatores XIII. calendas Martii anno XIII. imperii Ludovici, indictione III.

Capitul. t. 2. col. 1406.

Chart. III. col. 481.

VII. Heriricus seu Henricus Ludovico Augusto notus, corpus sancti Maximini ex ecclesia, ubi illud Sigobertus episcopus collocarat, Miciacum referri impetravit anno 834. Huic circa annum 837. & Jonæ episcopo mandavit Ludovicus imperator, ut inquirerent de furto Aninsulensium quorumdam monachorum, qui fugisse sacra suppellectile asportata dicebantur. Hunc Letaldus Miciacensis monachus ordinis monastici cultorem ferventissimum appellat, regum & principum amicissimum, patrem venerabilis vitæ & prædicandæ auctoritatis. A Miciacensibus tamen molestatus, recessit loco, & ad Curbionense monasterium se contulit, ubi reliquum vitæ exegit.

VIII. Petrus I. præerat Ludovico Pio imperante anno 26. hic est 839. aut 840. quo Carolus rex Ludovici filius tres naves per diversa flumina confirmat mense Octobri anno regni 1. Occurrit idibus Septembris anno 20. regni ejusdem, indict. VII. in tabulis Miciacensibus. Hoc abbate adhuc sedente, aut paulo antea demortuo, gens Normannica vagina suæ habitationis egressa, monasterium sancti patris Maximini diripit, ut refert Letaldus.

IX. Amalricus I. obtinuit privilegium ab Odone VIII. calend. Septemb. anno regni primo, ex chartis authenticis D. de Gaignieres.

X. Fredricus nobilis clericus, cujus ope Wimarus monachus secundum seculi dignitatem clarus, regimen monasterii Miciacensis ambiens, consecuturum id sperabat, Trohannum episcopum ebriosum inter potandum coëgit sibi ipsi facere imaginariam donationem hujus abbatiæ, qua munitus, accedit ad monasterium, illudque invadit. Uterque tamen, scilicet episcopus & pseudoabbas, brevi pœnas immatura morte dederunt.

XI. Letaldus a monachis post mortem Fredrici Miciacum reversis eligitur abbas, vir nobilis & loci hujus alumnus, qui monitis exemplisque Odonis abbatis Floriacensis suos ad meliorem frugem revocare curavit. Vixisse usque ad annum 937. legitur in Promtuario Miciacensi.

XII. Theodericus Aurelianensis episcopus; cujus per obitum Letaldi in dominium devenit locus sancti Maximini, abbatia Miciacensi potitus, hanc in pristinæ dignitatis statum restituisset, nisi immatura mors obstitisset. Præfuit autem solum annis quatuor.

XIII. Ermenthæus, quem Fredrici pessimi abbatis fratrem colligere licet ex Letaldo monacho, Theoderico successit episcopus & abbas. Quanta vero sub eo dispendia passum sit cœnobium, vix dici potest. Benedictus enim ejus præpositus tot negotia facessiit Rothardo, qui tunc

monasterii procurationem gerebat, ut hic ad abbatem Bituricensis pagi, nomine Raimundum, haud dubie Regimundum Navensem S. Sulpicii abbatem confugerit asportatis omnibus pretiosioribus, præsertimque regum præceptis. Locum vacuum invasit Benedictus, ubi cum effrena licentia vivere cœpit. Quin etiam episcopus ejusdem consilio prædia cœnobii alia sibi vindicavit, alia suis partitus est militibus & locum triginta denariorum libris divendidit.

XIV. Benedictus venerabilis episcopus a Britannis adveniens, quem Letaldus sanctum, omnique gratia adornatum appellat, venalem abbatiam ab episcopo emit, sicque fit abbas, sed brevi tempore, cum in patriam, scilicet in Britanniam, paulo post reversus legatur. Sedit triennio ex Promtuario Miciacensi.

XV. Jacob Transmarinus abbas post aliquantulam moram in pago Bituricensi factam, Miciacum sexaginta librarum pactione ab Ermenthæo comparavit. Factus postea Leonensis sancti Pauli episcopus, Miciaci tamen usque ad vitæ terminum perseveravit, hoc est usque ad annum 950. Benedictus audita ejus morte, defuncti thesauris inhians, iterum Miciacum advolat, sed spe sua frustratus, inde discedere cogitur, nam Albertus & Azenerius nobiles viri, oblatis episcopo 20. libris, optimum præfecerunt abbatem qui sequitur.

XVI. Anno prius Gemeticensis monasterii rector institutus ab abbate sancti Cypriani Pictaviensis Martino, Miciacensibus præficitur ab Ermenthæo episcopo, procurantibus Alberto & Azenerio germanis. Ipsius prudentia in monasterio regularis ordo refloruit. Post triginta regiminis annos & amplius mortuus legitur 6. Januarii anni circiter 972. ejusque funus procuravit Ermenthæus episcopus Aurelianensis. Vide Mabillon. ad an. 973. num. 96. ubi signa ejus sanctitatis plurima declarantur. Inter cetera ejus corpus post annos 12. integrum repertum fuisse tradit Letaldus coævus scriptor, qui sub Annone vixerat.

XVII. Amalricus II. sancti Benedicti Floriacensis decanus, vir simplex, & boni testimonii, & secundum seculi dignitatem clarus, cum ab Ermenthæo episcopo Aurelianensi tunc temporis monacho apud Miciacum facto, abbate electo, oblatus ipsius in locum Hermenaldus fratribus minime placuisset, Annoni ab anno & diebus octo defuncto est subrogatus 14. Januarii anno 973. Insequenti Arnulfus episcopus, qui Miciacensibus adversus Hermenaldum faverat, concessit eis altaria.

XVIII. Constantinus, cui inscriptæ sunt duæ Gerberti Remorum antistitis epistolæ, quarum in una Gallicanis episcopis succenset, quod Arnulfi exauctorationis ab ipsis factæ eos pœnitere videretur, in altera exponit quid de legatione Leonis abbatis S. Bonifacii præsertim episcopis metuendum sit post depositum Arnulfum suffectumque Gerbertum, ac proinde scriptæ sunt ambæ circa annum 994. aut sequentem. Hiccine est Constantinus scholasticus Floriacensis Gerberti familiaris, ejusque studiorum socius, ad quem plures direxit epistolas? quas inter una exstat Constantini ad Gerbertum, qua in maximis rebus benevolentiam ejus acceptam gratulatur, oratque ut eam etiam in minimis præstare dignetur, jubeatque ut violentus quidam prædo Miciacensi cœnobio sacram suppellectilem, aulica tapetia, hisque similia restituat.

XIX. Robertus abbas sancti Florentii Salmuriensis, cœnobio etiam præfuit Miciacensi, quo nomine regium obtinuit diploma a Roberto *mense Aprili in conventu regio indictione XIV. sexto anno, postquam monarchiam regni Robertus rex gratia Dei sortitus est. Actum Aurel. civitati die Paschæ secundo.* Circa id tempus multa passus est a Miciacensibus propter monachum quemdam suum, quem ab eorum calumniis vindicabat, quicum e Miciaco expulsus est, facti ducibus Letaldo quodam monacho hujus loci non inerudito, qui abbatis officium præsumsit, & Constantino decano, viro quoque pro tempore docto. Finem tamen sortita videtur rixa illa: Robertus enim Miciaci defunctus est sexto idus Augusti anno 1011. post longam extasim, in qua cum sancto Maximino aliisque ejusdem loci sanctis patribus collocatus fuerat ex chronico Salmuriensi. Sanctitatis ejus fuere argumenta voces quædam canentium in ejus morte auditæ. Sepultus est in claustro juxta capitulum.

XX. Albertus I. Annonis abbatis nepos, ortus e nobilissimo genere Belismensi, ante monachatum ex legitimo matrimonio susceperat Arnulfum Turonensem archiepiscopum. Monachus Gemetici factus, sancto Petro allodium Dominæ Mariæ in pago Belismensi, quem ex materna hereditate habebat, donavit, ut nos docent ejus literæ Anal. Mabillon. tom. 3. pag. 441. Privilegia monasterii confirmari obtinuit a Roberto rege anno [Chart. IX. col. 491.] 1022. quando hæretici Aurelianis sunt damnati. Ad Johannem papam XIX. electum an. 1024. scripsit petens confirmationem donationis factæ a matrona Regina nomine. Hac in epistola, quam exhibet Mabillonius ad annum 1011. num. 57. agit de antiquitate sui monasterii, & numero 140. monachorum ibidem tunc Deo servientium. Circa annum 1025. transtulit reliquias sanctorum Maximinorum & Theodemiri in ecclesiam monasterii recens constructi. Eo quoque tempore mortuo Gausberto abbate sancti Juliani Turonensis, in ejus locum intrusus est Albertus ab Arnulfo archiepiscopo Turonensi ejus filio, indignantibus monachis se ab aliis accipere abbatem, cum ipsi aliis abbates dare consuevissent, inquit hujus loci chronographus. At post triennium recessit Albertus, qui capite nive dealbato jussus a rege interfuit dedicationi sancti Aniani anno 1029. hancque nactus occasionem aliquot sancti Euspicii primi abbatis Miciacensis reliquias a rege obtinuit XVI. calendas Julii. Mediam partem ecclesiæ [Chart. XII. col. 493.] sancti Pauli ab Arnulfo archiepiscopo impetravit circa annum 1030. Quinquennio post subscripsit literis Gilduini Senonensis archiepiscopi pro Floriaco mense Novembri 1035. datis. Ejus mortem notat Mabillonius ad annum 1036. XIX. calend. Februarii, ex Gemeticensi necrologio: ibi enim eum

eum sepultum putat in choro ad cornu epistolæ cum hoc epitaphio :

Hic jacet Albertus, quondam regalia spernens,
Prudens atque pius, tantum cœlestia cernens.
Mundi delicias cum regali ditione
Gemetica primus sprevit pro relligione,
Namque Dei forma monachorum venit amore.
Hic post sub norma pastorum fulsit honore.
Luceat ante Deum, careat magnoque dolore
Usque modo per eum Domini sunt dona valore.

Arnulfus ejus filius archiepiscopus Turonensis quædam contulit Miciacensibus pro remedio animæ patris sui D. Alberti abbatis, ex tabulario Miciacensi. Alberti temporibus Hervæus de la Porte ipsius ex sorore nepos, archidiaconus sanctæ Crucis & decanus S. Verani, fundavit prioratum B. Mariæ de Firmitate-Abreni, & dedit avunculo suo abbati, qui misit illuc monachos cum priore claustrali sub dependentia cœnobii Miciacensis. Ecclesiam vero tunc temporis dedicavit Isembardus episcopus Aurelianensis XVI. cal. Septembris.

XXI. Fulco I. successit Alberto. Hujus autem abbatis tempore & jam saltem anno 1036. miles quidam Suavis nomine, monasterio contulit ecclesiam seu cellam sancti Johannis Baptistæ apud Motam castellum pagi Cenomanensis, & ab episcopo Avesgaudo, qui hoc obiit anno, ejusque clero obtinuit immunitatem a synodalibus consuetudinibus. Exstant literæ Analect. Mabillonii tom. 3. pag. 302. in quibus Fulco venerandus describitur & capitis canitie dealbatus, nisi forte error sit pro Alberto.

XXII. Rodulfus subscripsit chartæ societatis ac fraternitatis initæ a congregatione sanctæ Crucis Aurelianensis & ab Isembardo episcopo Aurelianensi cum Cluniacensi familia & abbate S. Hugone. Vide Spicileg. tom. 6. pag. 454. & certe occurrit anno 1054. in chartis authenticis D. de Gaignieres.

XXIII. Fulco II. litem habuit cum Guntardo abbate Gemeticensi pro cella de Domna-Maria, quæ Gemeticensibus adjudicata est in placito Roberti de Belismo anno 1086. Charta exstat in Neustria Pia pag. 311.

XXIV. Christianus jam sedebat anno 1075. ex Mabillonio, qui laudat diploma Philippi regis confirmantis donationes Miciaco factas Aurelianis anno regni 17. Gaufrido episcopo Parisiensi cancellario. At vereor ne illud post Stephanotium laudet, qui citat fragmentorum suorum tom. XIV. in quo nihil simile reperitur. Christianus autem nominatur in charta Hervæi pravas consuetudines Miciacensibus remittentis per manum D. Christiani modo abbatis, quam Philippus rex cum Ludovico filio confirmavit anno regni sui 43. Christi 1101. Concilio Trecensi adfuit an. 1104. Adstitit anno 1105. dedicationi ecclesiæ sancti Lifardi a Johanne episcopo Aurelianensi peractæ. Qui quidem Johannes confirmavit mense Januar. anni ejusdem eidem abbati ecclesias de Firmitate-Huberti, canonicalem SS. Gervasii & Prothasii, & parochialem sancti Sulpicii, quas ei donaverat Sancio ejusdem castri dominus. Reperitur adhuc Christianus anno 1107. in tabulis Miciacensibus. Sub hoc abbate inita est societas precum inter Miciacum & Burgolium, cujus abbas Baldricus cessit sancto Maximino ecclesiam sancti Marcelli ultra Ligerim.

XXV. Garnerius, cujus tempore Ludovicus rex anno suæ ordinationis 3. laudat manufirmam de Roseriis cœnobio de consensu Guidonis Silvanectensis patris Guidonis & Guillelmi. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit. Huic quoque abbati cessit Beatrix Hervæi de Firmitate uxor ecclesiam sancti Sigismundi, quam postea confirmavit Johannes Aurelianensis episcopus charta quæ facta inibi dicitur anno 1122. tempore Garnerii abbatis.

XXVI. Stephanus ab anno 1116. sedit, quo Paschalis II. prædia & privilegia confirmavit bulla Stephano data Beneventi per manum Johannis cardinalis ac bibliothecarii, XVII. calendas April. indictione X. pontificatus anno XVIII.

XXVII. Albertus II. privilegium obtinuit a Ludovico rege anno 1121. Hervæus de Rurenovo ecclesiam d'Ardon ipsi concessit an. 1126. Eodem ab Hildeberto Turonensi archiepisc. impetravit, ut capellanum in ecclesia prope castrum sanctæ Mauræ monachi eligerent, ibique fideles sepelirentur.

XXVIII. Hugo, cui Johannes Aurelianensis episcopus concessit anno 1130. ecclesiam beatæ Mariæ de Vernone in Secalonia. Occurrit annis 1132. & 1138. in chartis authenticis D. de Gaignieres. Videtur defunctus anno 1139. quo Ludovicus rex ait se ad preces Hugonis S. Maximini bonæ memoriæ abbatis quamdam terram cessisse, quæ antiquitus sancti Maximini esse videbatur. At exstat ad eum bulla Innocentii II. data Laterani per manum Gerardi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii IV. idus Maii indictione VI. anno Incarnationis 1143. pontificatus vero XIV. qua cœnobio Miciacensi concessas possessiones & ecclesias enumerat & confirmat summus pontifex.

XXIX. Guillelmus I. subscripsit chartæ Guillelmi de Balgenciaco pro Burgo-medio an. 1149. Dedit anno 1150. ad censum Mauberto terram de Brocia Guiberti. Exstat bulla Eugenii III. ad ipsum, qua bona recensentur & confirmantur anno 1152. Pepigit anno 1155. cum Gaufrido Boniti pro molendino de Castellione. Permutavit anno 1157. cum Manasse episcopo Aurel. nonnullas ecclesias. Occurrit anno 1158. in chartis Pontileviensibus. Obtinuit anno 1166. a Manasse Aurel. episc. terram de Proëvilla. Circa id tempus Guillelmum a Miciacensibus interemtum nos docet epistola Alexandri III. apud Quercet. tom. IV. pag. 623. & tom. X. Concil. Labb. col. 1348. unde discimus tanti sceleris auctores in diversa monasteria retrusos fuisse, & honestos de religiosa domo viros assumtos, ibi positos ad reformandum cœnobium; quos Alexander III. commendat Ludovico VII. epistola 88. secundæ appendicis. Vide quoque epistolam Guillelmi abbatis ad Ludovicum Chart. XXXVII. col. 514.

VII. regem collectionis Quercetanæ tom. IV. pag. 739. & 766. Memoratur Guillelmus XIII. cal. Maii in necrologio Pontilevienſi.

Chart. XLI. col. 517. XXX. Gauterius, ad quem ſcriptis chartis Manaſſes anno 1167. confirmat medietatem eccleſiæ ſancti Pauli in pago Dunenſi, & eccleſiam de Calvomonte in Secalonia, & anno 1168. tam pro ſalute animæ ſuæ, quam pro ſalute animæ Johannis decani, qui pro hoc ipſo ſæpe illum rogaverat, confirmat quidquid eis confirmaverat Johannes deceſſor. Ei Joſcius Turonenſis archiepiſcopus ceſſit iterum eccleſiam ſanctæ Mauræ. Notatur nonis Februarii in necrologio S. Petri Carnotenſis.

XXXI. Andreas obtinuit diploma confirmationis a Ludovico rege anno 1175. Poſſeſſiones monaſterii ejus tempore confirmantur ab Alexandro III. anno 1178. Suo vindicavit cœnobio anno 1179. curam domus Leproſorum in parochia ſancti Hilarii ultra Ligeritum. Compoſuit eodem cum Burcardo domino Firmitatis-Abreni juſſu Alexandri papæ excommunicato. Pepigit anno 1180. cum Gilone de Soliaco pro tallia hominum ſancti Maximini. Guido archiepiſcopus Senonenſis adjudicavit ei de mandato Lucii papæ anno 1182. præbendam, quam ab antiquo Miciacenſes in eccleſia ſancti Aniani habebant. Necrologio Silvæ majoris inſcribitur ejus obitus IV. calendas Martii.

XXXII. Lancelinus diverſimode legitur in chartis Jaucelinus & Laurentius. Reperitur annis 1183. & 1186. in chartis authenticis D. de Gaignieres. Aſſenſum præbuit ſuum anno 1184. ut Stephanus filius hominis ſancti Maximini fieret clericus. Johannem Balgenciaci dominum a duello avertit anno 1196. Permutavit anno 1198. cum Guillelmo de Capella.

XXXIII. Humbaldus quædam commutavit cum Roberto de Huſſello anno 1206. Eodem Bartholomæus archiepiſcopus Turonenſis eidem confirmavit eccleſiam ſanctæ Mauræ anno ordinationis 32. Pepigit anno 1209. cum Johanne de Balgenciaco pro juſtitia villæ de Gaudiaco, arbitris Helia S. Columbæ & Guillelmo ſancti Johannis Senonenſis abbatibus. Huic an. 1210. Urſio regis Francorum camerarius & dominus Merevillæ ceſſit id quod habebat apud Gontard. Querelam habuit cum Dionyſio Forſenato milite anno 1211. & cum Richerio de S. Sigiſmundo, quam ſopitam teſtatur Manaſſes epiſcopus anno 1213. & cum Hamelino epiſcopo Cenomanenſi pro prioratu de Mota, quam compoſuit Hamelinus abbas Vindocinenſis anno 1212. Obitus ejus adſcriptus eſt necrologio Silvæ majoris ad diem III. Idus Aprilis, cui conſentit Pontilevienſe, & idibus Aprilis in necrologio S. Petri Carnotenſis.

XXXIV. Johannes I. anno 1218. commutationem fecit cujuſdam cenſus cum Evurtianis & 1219. juxta ſtatutum concilii generalis auxit reditus preſbyterii de Maceriis.

XXXV. Franco ei ſucceſſit, qui liberalem ſe probavit erga Philippum epiſcopum Aurelianenſem. Hic, cum dominus rex de exercitu ſuo eum citaſſet, rogavit Franconem abbatem ut in tanto neceſſitatis articulo de quadriga una, vel de ſummario uno, vel de hoc quod ipſi placeret, ſibi ſuccurreret. Ipſe vero Franco abbas, inquit gratus epiſcopus, pro vera liberalitate ſua quadrigam unam cum tribus equis nobis liberaliſſime tradidit, datum anno Dom. 1224. menſe Junio. Idem præſtitit adhuc Franco Philippo epiſcopo anno 1234. menſe Junio. Pepigit cum canonicis ſancti Bartholomæi Firmitatis-Abreni ſuper quadam hoſtiſia de Rue in Calvomonte anno 1228. Precum & bonorum operum ſocietatem cum Matthæo abbate Pontilevienſi iniit anno 1230. Chart. XX. col. 419. Manumiſit & in libertatem aſſeruit quoſdam ſervos cœnobii cum regis conſenſu anno 1237. ſalvis tamen talliis & juſtitiis. Hoc circiter anno mortuus creditur. De eo necrologium Pontilevienſe: *IV. idus Auguſti obiit Franco abbas ſancti Maximini.*

XXXVI. Evrardus precum & ſuffragiorum ſocietatem iniit cum Stephano abbate S. Evurtii & cum Guillelmo abbate S. Vitoni Virdunenſis anno 1240. Eodem Guillelmo epiſcopo Aurelianenſi eamdem exhibuit humanitatem, præbendo quadrigam & equos, quam præſtiterat Philippo Franco. Eodem adhuc anno convenit cum hoſpitibus de Caſtellione. Obiit anno 1242. & quidem pridie calendas Junii, ex necrologio Pontilevienſi.

XXXVII. Bertherus manumiſit & in libertatem aſſeruit Guillelmum majorem ſuum de Vallibus ejuſque heredes anno 1242. Exinde fit Franciſcanus, quo nomine Fr. Bertherus de ordine Minorum quondam abbas Miciacenſis dicitur anno 1263.

XXXVIII. Adamus electus videtur anno 1256. quo Sabbato ante Ramos Palmarum G. epiſcopus Aurelianenſis regem deprecatus eſt, ut abbati ſancti Maximini electo regalia concederet. Bullam obtinuit ab Alexandro IV. anno 1258. Ch. LXXIV. col. 536. Commutavit anno 1266. terras de Clariaco cum Simone de Meleduno milite. Occurrit adhuc annis 1268. & 1270. Eo jubente confectum & compactum eſt chartularium, quod adhuc aſſervatur.

XXXIX. N. Monachi Miciacenſes eligendi abbatis a rege petunt facultatem anno 1274. Numquid is eſt electus abbas, quem ut confirmet, regem Philippum (Audacem nempe) orant monachi Miciacenſes, qui quamvis ſit juvenis facie, mente tamen ſenex erat, ex theſauro chartarum.

XL. Guillelmus II. de Alneto ex ſubpriore electus abbas, a Ferrico Aurelianenſi epiſcopo confirmatus eſt, cujus quoque electioni ut aſſenſum præberet, regem orarunt monachi S. Maximini anno 1297. ex theſauro chartarum. Hic eſt procul dubio Guillelmus, qui anno 1312. Miloni epiſcopo juravit obedientiam, & pepigit cum decano & canonicis S. Aniani, & occurrit adhuc anno 1320.

XLI. Johannes II. memoratur annis 1320. & 1322. Nonnulla pro bono monaſterii ſui regimine ſtatuit anno 1334.

XLII. Gualterius tanquam dilapidator bonorum

exagitatus est a fratribus, at pacem inter eos & concordiam conciliavit Johannes Aurelianensis episcopus an. 1358. Tunc decretum est ut novem monachi professi & tres novicii apud Miciacum Domino famularentur, *durante articulo hujus necessitatis propter guerras*, &c. Anno 1366. pascuagium in nemoribus de Maceriis vindicavit adversus Philippum de sancto Briccio.

XLIII. Julianus le Rolleur monachus & capicerius Miciacensis legitur abbas annis 1366. 1387. & adhuc anno 1401. quo diem clausit extremum, ex chronologia D. Hubert; verum

XLIV. Launomarus de Lisle decretorum doctor jam sedebat anno 1396. quo ex dono Ludovici ducis Aurelianensis hoc anno facto basilicam sanctæ Mariæ reparavit. Hiccine est abbas sancti Maximini, cui Johannes XXIII. scripsit x. calendas Julii anno pontificatus 2. pro confirmanda donatione loci de Oneyaco Paris. diœcesis, olim facta monasterio sancti Launomari Blesensis, & per imperatores Romanos confirmatæ?

XLV. Johannes III. de Mornai ex camerario Floriacensi abbas Miciacensis ab anno 1420. ad 1438. quo defunctus die XI. Novemb. & hoc anno vacasse sedes dicitur.

XLVI. Petrus II. Couhart ab anno circiter 1438. ad 1448.

XLVII. Robertus de Villequier sacræ theologiæ doctor anno 1448. ex pactis super nemore de Chaurenne ejusdem anni. Rexit usque ad annum 1455.

XLVIII. Johannes IV. d'Eschines simul abbas regularis Floriacensis & commendatarius Miciacensis cœpit administrare anno 1455. Literas dedit anno 1471. in quibus recensentur cœnobia societate precum cum Miciacensi juncta.

XLIX. Ludovicus Ajasson genere nobilis & in jure canonico baccalaureus denato Johanne eligitur abbas sexto calendas Maii 1489. Anno 1497. fundamenta posuit novæ basilicæ ac regularia ædificia resarcire cogitat. Delegatus ab Alexandro VI. bulla data 14. Jan. 1502. electum priorem sancti Samsonis confirmavit. Rexit fere usque ad ann. 1513. fitque abbas Exoldunensis, coactus Miciacum cedere Renato de Prie, sicque emendatur quod diximus tomo secundo col. 160. de Ludovico & Renato.

L. Renatus de Prie sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis fit abbas anno 1513. Obiit an. 1516. mense Septembri, simul episcopus Lemovicensis & Bajocensis, abbasque Miciacensis, Exoldunensis & Prateæ, ubi sepultus est.

LI. Johannes V. de Longueville commendam tenuit ad annum 1522.

LII. Franciscus I. de Moulins dictus de Rochefort præceptor Francisci I. ejusdemque magnus eleemosynarius a die 8. Octob. 1519. ad 1526. Miciacum habuit ab anno 1522. ad 1534. Nominatus episcopus Condomiensis, non obtinuit.

LIII. Petrus III. Palmier origine Neapolitanus, ex decano archiepiscopus Viennensis, abbas etiam Resbacensis, Miciaco præest ab an. 1534. ad annum circiter 1558.

LIV. Sebastianus de Laubespine hujus asceterii

A & aliorum non paucorum commendam obtinuit, simul Lemovicensis præsul. Præfuit autem annis 1558. & 1559. quo vel sequenti anno cessit.

LV. Franciscus II. Pic de la Mirandole eruditione celebris, commendam obtinet cœnobii Miciacensis ab anno 1560. quo die 14. Septemb. Regi fidem juravit pro præpositura de Vertano in diœcesi Nannetensi, ad annum 1563. Hujus tempore cœnobium ab Heterodoxis evertitur, ut refert D. le Maire in commentariis historicis de rebus Aurelianensibus.

LVI. Hippolytus d'Est S. Romanæ ecclesiæ cardinalis, archiepiscopus Lugdunensis, Miciacense

B asceterium moderatur ab anno circiter 1563. ad 1572.

LVII. Sacripante I. Pedoca Italus an. 1588. nepoti cedit.

LVIII. Sacripante II. Pedoca superioris nepos usque ad annum 1598.

LIX. Franciscus III. de la Rochefoucault filius Caroli comitis de Randan & Fulviæ Pic de la Mirande episcopus Claromontanus, commendatarius Trenorchiensis & sancti Porciani, Miciacensem quoque commendam obtinuit an. 1598. per cessionem, inquiunt, decessoris cognati. Ipsius temporibus & curis octo superstites mona-

C chi ordinis sancti Benedicti propter miserrimam conversationem e Miciaco ejecti, eorumque in locum substituti sunt monachi ordinis Cisterciensis congregationis Fuliensis qui, odore bonæ famæ, eximia prædicandi scientia ac vitæ austeritate præ ceteris religiosis commendantur in bulla Pauli V. hanc in rem data die 12. Octobris 1607, pontificatus anno III. Cardinalis factus ab eodem pontifice anno eodem exeunte Franciscus, de temporalibus transegit cum Fuliensibus prima Augusti 1608. Permutavit anno 1609. cum Antonio Rose episcopo Silvanectensi, cui cessit & ecclesiam Claromontanam & commendam

D Miciacensem. Hæc tamen translatio suum statim non videtur effectum sortita. Denique Franciscus factus est abbas commendatarius sanctæ Genovefæ Parisiensis, ut diximus in historia hujus abbatiæ tom. VII. col. 774. ubi de eo plura.

LX. Antonius Rose episcopus Silvanectensis & postea Claromontensis, commendam habet cœnobii Miciacensis ab anno 1610. ad 1613. Obiit 31. Januarii 1614.

LXI. Daniel de Vassan filius Zachariæ de Vassan & Magdalenæ Feret, consiliarius, eleemosynarius & præco regius, Miciacensis fit commendatarius, bulla Pauli V. an. 1613. Ludovico

E Filland monacho Floriacensi contulit 23. Nov. 1617. prioratum sancti Stephani. Memoratur 14. Februarii 1621. & 15. Septembris 1630. in duobus pactis matrimonialibus. Nepoti cessit, defunctus 1643.

LXII. Carolus de Vassan Danielis nepos, eo cedente fit abbas anno 1642. Jam erat regis eleemosynarius & decanus B. Mariæ de Cleriaco. Hoc legitur ejus epitaphium in ecclesia Miciacensi: *Hic jacet Carolus de Vassan presbyter, ex nobili familia de Vassan, abbas hujus ecclesiæ per XXV. annos, sua pietate erga Deum, caritate in proximum,*

& eleemosynis præsertim in pauperes magis quam nomine notus & insignis. Quam canonicus & fidelis dispensator fuerit redituum abbatiæ ex ipsius testamento disce, in quo heredes nullos agnovit paucorum quæ vivus distribuere non potuit, quam ecclesias & pauperes territorii abbatialis & domesticos. Quam vivus pietatem coluit, eam moriens ad ultimum vitæ spiritum exhibuit, quem Deo reddidit 29. Aprilis anno Domini M. DCLXVI.

LXIII. Nicolaus Gedoin commendam obtinet anno 1665.* Superior Ursulinarum sancti Clodoaldi Parisiensis ibidem translationem sancti Eutiqui martyris celebravit mense Junio 1668. Edictum Parlamenti obtinuit anno 1671. quo sibi stallum in choro ceteris eminentius construere licitum fuit. Obiit Parisiis 10. Junii 1692. in hospitali generali, ubi habebat hospitium.

* *f.* 1166.

LXIV. Hieronymus du Faur de Pibrac ab Aurelianensi duce præsentatus, Miciacensem commendam a rege obtinuit 23. Augusti anno 1692. qua cessit, ad Floriacensem traductus 24. Decembris 1706.

LXV. Augustinus Emmanuel de Grouches de Chepi filius Augustini marchionis de Chepi ex Anna Maria Charreton de la Terriere, fit abbas 24. Decembris 1706.

FLORIACUS.

FLEURY, *al.* SAINT BENOIST-SUR-LOIRE

FLORIACUS, qui prius Vallis-aurea nuncupabatur, olim vicus fisci regii, octodecim passuum millibus seu septem leucis supra Aurelianos, ab ineunte Chlodovæi Junioris principatu, medio circiter VII. seculo, nobili monasterio insignis est. Ejus auctor extitit Leodebodus abbas S. Aniani, tunc extra muros Aurelianenses positi, qui Floriacum dato rure paterno Attiniaco a Chlodovæo II. comparavit. Quo autem anno id actum sit, facile non est definire. Testamentum Leodebodi datum est anno secundo Chlodovæi regis, qui coincidit in annum 639. sed quominus hunc annum certo assignemus pro fundatione Floriacensis monasterii, obstat certus annorum numerus attributus unicuique abbati ad Theodulfum in manuscripto codice Baluziano. Ab anno enim 639. ad 818. quo abbatia Floriacensi spoliatus est Theodulfus, non reperiuntur 184. anni, quibus sederunt quatuordecim primi abbates, ex laudato codice. 2.° Si ex anno 1005. quo scribebat Aimoinus, auferantur 385. anni, quibus 30. primi sedere abbates, restat annus 620. quo ex Aimoini computo fundatus est Floriacus. Sed nec hæc computandi ratio cum Theodulfi exilio, nec cum translatione reliquiarum S. Benedicti, nec cum itinere Carlomanni conciliari potest. Error itaque manifestus est in computis Aimoini & ms. codicis. Melius itaque standum opinioni Mabillonii, qui vult veteres illos auctores sat non intellexisse annos regum Meroveadum, dicendumque Floriacum conditum [a] anno secundo Chlodovæi regis, ut legitur in testamento Leodebodi auctoris, translatisque sancti Benedicti reliquias eodem sedente rege. Comparato Floriaco Leodebodus ibi mox

a Floriaci fundationem ad annum 652. assignat chronicon Alberici.

A duas basilicas cum monasterio condidit. Prima & princeps initio fuit basilica sancti Petri, unde monasterium principio S. Petri appellatum. Minus præcipua sanctæ Mariæ, quæ ob translatas in eam sancti Benedicti reliquias basilicæ S. Petri prælata est, majorque dicta, ac deinde sancti Benedicti nomine insignita, uti & monasterium, cui vocabulum Floriacense super Ligerim additum est. Sæpe sanctus locus appellabatur, sanctaque ecclesia, in quam feminis olim negatus fuit aditus. Primi qui Floriacum incoluere monachi, sub regula sancti Benedicti & D. Columbani militarunt, ut constat ex testamento Leodebodi: ut quid enim B ardens Mummoli ad arcessendas e Monte Cassino S. Benedicti reliquias studium, nisi quia ut patrem æque ac legislatorem habebant? Harum ob prærogativam reliquiarum summi pontifices, episcopi, reges, principes & alii nobiles benemulti monasterium Floriacense privilegiis, bullis, diplomatibus, chartis, prædiis, juribus & prærogativis insignierunt plurimis. Sic Galliæ cœnobiorum caput monasterium constituit Leo VII. sic tam caput quam membra a lege tum diœcesana, tum metropolitana exemit Romanus pontifex, Gallicanis annuentibus episcopis. Abbatem quoque, quem principem ac primatem super ceteros regni abbates C declarat, si accusatus, tantum a concilio provinciali, vel a solo summo pontifice judicari posse, & a quocumque episcopo, prout voluerit, benedici statuit & ei benedictionem generalem in suis ecclesiis dandi privilegium indulget, vultque ut ad sacros ordines percipiendos ejusdem loci fratres quem voluerint episcopum advocent, nec ulli episcoporum, nisi invitato, aut saltem de consensu abbatis totiusque congregationis, in monasterio missas celebrare, ordinationes facere, capellas, ecclesias & cœmeteria ab ipso dependentia & polluta reconciliare liceat. His insuper privilegiis cautum est ut a nullo nisi a summo pontifice D monasterium, monachi cum familia, neque nisi de ejusdem mandato speciali subditi cœnobio excommunicentur, conceditque illis facultatem in communi interdicto divina officia celebrandi & eligendi abbatem secundùm regulam S. Benedicti. Episcopi & canonici Aurelian. antiquitus præbendam in ecclesia sua Floriacensibus concesserunt, qua gaudent etiamnum, probantibus iisdem canonicis. Pietate haud dissimili Floriacensium rationem habuere reges nostri, qui monasterium illorum regalis fundationis liberumque ab omni exactione declararunt, concesso tam in Floriacensi fisco, quam & in aliis monasterii villis temporali dominio.

E Ad monasterii decora quod attinet, floruit tum pietate, tum literarum studiis: pietate, cum illud pii homines ac sancti complures secessu ac præsentia sua illustrarint, quos inter sancti martyres Aigulfus, Abbo, 60. monachi cum famulis, & sancti confessores innumeri. Literarum vero studiis: *Scholæ enim*, inquit Johannes a Bosco, *quondam* [a] *adeo insignes atque celebres in cœnobio Floriacensi habebantur, ut scholasticorum in eis numerus plus quinque millibus recenseretur. Hi didascalis*

Bibl. Flor. pag. 302. a

a Jam celebres erant seculo IX. quarum fit mentio apud Theodulfum.

suis muneris honorarii gratia pro candelis edictisve in Parisiensi academia nostra ætate classium moderatoribus exhiberi consuetis, bina manuscripta, eo quod necdum typographica ars emerserat, offerebant volumina, quorum numerositas locupletissimam Floriacensem conflarat bibliothecam, quam annis Domini 1561. & 1562. diritas Calvinistica inæstimabili literariæ rei jactura diripuit, dissipavit, laceravit. Tota tamen dissipata non est: curis enim Petri Daniel utcumque collecta per manus in Vaticanum tandem transiit. Sed heu! proh dolor! hereditas nostra versa est ad alienos. Hinc est quod multi ex tam antiquo & celebri musæo scriptores in oblivione sepulti jacent. Hi tantum e ruinis emersere Theo- B dulfus, Odo Cluniacensis, Gausbertus, Constantinus, Adalbertus, Adrevaldus, Adelerius, Abbo, Aimoinus, Andreas, Rodulfus Tortarius, Hugo a S. Maria, Girardus, Helgaldus, Clarius, Witbertus, aliique anonymi plures. Non solum viris scientia ac pietate claris, verum etiam episcopis & abbatibus hinc oriundis, & episcopis, ac regni primatibus ad monasticam vitam admissis illustris est Floriacus, quales sunt Rodulfus & Gauzlinus archiepiscopi Bituricenses, Odo Severus archiepiscopus Cantuariensis, Theodulfus episcopus Aurelianensis, Vulfaldus Carnotensis, Oswaldus primùm Wigorniensis, deinde Eboracensis, Jo- C hannes de Turre cardinalis, Aigulfus abbas Lirinensis, Germanus primus abbas Ramesensis in Anglia, Amalricus abbas sancti Maximini Miciacensis, Amalbertus abbas sancti Florentii Salmuriensis, Felix abbas sancti Gildasii Ruithensis, &c.

Dilapidationes quoque a Normannis, incendia & deprædationes passum est ut cetera monasterium Floriacense. Calvinistarum furorem sensit labefactatumque est, donec rebus serenatis Gallicana Exemtorum congregatio meliorem rebus formam certe figuram allatura, locum subiit, cui cumulum adjecit adnitente cardinale Richelio reformata S. Mauri congregatio, quæ non solum D corpori sancti Benedicti thecam ornatissimam & lampadem jugiter ardentem exhibuit, sed & sarta tecta diligenter instauravit.

Floriacensium abbatum catalogum ex Annalibus Aurelianensibus Caroli Saussеyi maxima ex parte desumserunt Sammarthani: nos vero ex chartis monasterii undique collectis, plerisque editis, aliisque venerandæ antiquitatis monimentis seriem nostram contexuimus, & ab instrumentis jam editis de novo edendis abstinuimus.

ABBATES FLORIACENSES.

I. RIGOMARUS primum inter abbates Flo- E riacenses locum obtinet in indice annorum 900. vulgato a Stephano Baluzio, cui consentit Aimoinus in historia Francorum, sic loquens: *Leodebodus adunatis quibusque nobilibus, vel etiam Deo servire cupientibus, abbatem instituit nomine Rigomarum, qui quinquennio expleto ex hoc transiens mundo successorem accepit Mummolum.* Aimoinus autem librum de vita vel actibus abbatum scripserat, ut ipse testatur in vita sancti Abbonis. Nil igitur obstat quod idem ipse in carmine de transla- A tione sancti Benedicti, atque Adrevaldus ejusdem loci monachus primas sancto Mummolo deferre videantur. Cum enim de translatione S. Benedicti, cujus auctor Mummolus sermonem instituerent, illius maxime rationem iniere, prætermisso Rigomaro, qui tanti operis incentor ac conciliator non fuerat. Rigomarus autem regiminis habuit annos quinque.

II. Sanctus Mummolus generis nobilitate, pastorali sollicitudine & insigni pietate clarissimus etiam apud seculi sui auctores, ex abbatia sancti Aniani Floriacensis electus dicitur in breviario ms. sanctæ Crucis apud Burdigalam; sed nihil eum æque commendat, ac corporis sancti Benedicti translatio facta post Leodebodi obitum ab Aigulfo monacho ejus loci circa annum 654. temporibus Chlodovæi filii Dagoberti, cui quidem e Cassino monte translationi non Gallicani solum auctores seculi VII. ac sequentium cum chronicis ac calendariis vetustissimis, sed ipsi quoque Itali, Germanique scriptis suis fidem & auctoritatem conciliant. Præter vulgatam translationis hujus historiam legendus auctor antiquissimus in Analect. tomo IV. editus, qui hactenus in Ratisponensi codice annorum 900. latebat apud sanctum Emmerannum, ex quo Mummoli pietas, sacerdotium, aliaque optima studia commendantur. Sacra Benedicti ossa in Floriacensi sancti Petri basilica ad tempus reposuit, dum congruus eisdem locus in basilica sanctæ Mariæ pararetur, in quam die 4. Decemb. deportata sunt. Reperta tum cum altare majus instauraretur, inscriptio est, ex qua pene intelligitur olim sanctum Mummolum fundamenta jecisse ecclesiæ, licet utramque Adrevaldus Leodebodo conditori acceptam referat. Constat inscriptio Romanis characteribus a Mummoli ætate nihil alienum ferentibus in hunc modum: MUMMO .... FIERI JUSSIT IN AMORE S̄TĀE MARIAE ET S̄TI PETRI. Baluzianus index Mummolo 30. regiminis annos tribuit. Sepultus traditur Burdigalæ in ecclesia monasterii S. Crucis, uti docet ejus epitaphium, ubi Mummolenus appellatur: *Hic requiescit bonæ recordationes humilis Christi Mummolenus, qui vixit annus circiter septuagenta, apud quem nullus fuit dolus malus, qui fuit sene ira jocundus. Hoc est, accepit transitum sub die VI. idus Augustas, ubi fecit Augustos dies septem anno V. regnum Domini nostri Chlodovæi regis.*

Hunc dum in Hispaniam voti causa tenderet Burdigalæ mortuum tradunt in monasterio sanctæ Crucis. Forte in illas partes profectus fuerat ad ordinandum proximum Regulæ monasterium, quod ante Normannorum tempora Floriacensibus subjectum fuisse instrumentum ejus restitutionis docet. Certe parum differunt Mummolus & Mummolenus, eodemque die consignatus legitur obitus Mummoli abbatis in pervetusto Floriacensi martyrologio ante annos 600. scripto his verbis: *VI. idus Augusti Burdegalis depositio sancti Mummoli abbatis*, quo die in illa urbe uti & apud Floriacenses ejus memoria festive celebratur. Elogium

ejus historicum extat tom. 2. Actorum Sanctorum A ordinis sancti Benedicti.

III. Leodardus Mummolo successit ad decennium, ex indice Baluziano.

IV. Ido I. per annum & dimidium præfuit, ex eodem indice.

V. Auderannus sex tantum mensibus.

VI. Flatbertus tribus annis.

VII. Adalbertus per annos 29.

VIII. Geilo annis 19.

IX. Medo Pipino regi corpus quidem sancti Benedicti denegavit, supremo numine votis ejus ac monachorum lacrymis non sine prodigiis obsecundante, sed aliquot ejus reliquias Casinatibus B cessit. Aurelianis parvulam ædem construxit in secretiori loco, ut tum erat, quæ abbati & monachis in necessariis rebus agendis aptissima foret habitatio, teste Adrevaldo qui vivebat circa annum 850. Modo paroecialis est, sanctus Benedictus de Reditu vulgo nuncupata. Per annos 21. suos egregie rexit Medo.

X. Radulfus aut Rodulfus I. a Rahone, quem Carolus Magnus Aurelianensibus præfecerat, quo facilius locum & ejus bona pervaderet, ad mortem destinatus est. Conceptum scelus ne perficeret comes prohibetur a sancto Benedicto, inquit Adrevaldus cap. 18. Post 19. regiminis annos C quievit.

XI. Ido II. forte Dodo notatus in necrologio ad VII. calendas Octobris, novem annis præfuit.

XII. Magulfus seu Magnulfus laudatur ab Alcuino epigrammate 160. ob cameram ad usum fratrum legentium constructam cum vicino oratorio, unde non immerito colligit Mabillonius præter claustrum junioribus forsan destinatum fuisse aliquibus saltem in monasteriis conclave ad lectionem. In posteriori carmine idem commendatur ob comparatam mensam, id est, aram, quam sancto Benedicto dicaverat, tametsi basilica, in qua posita erat, patronum habebat S. Petrum D apostolum cum sancto Benedicto. Rexit per annos 16. & obiit XV. cal. Sept. ex Floriacensi necrol.

XIII. Fulradus per annum & dimidium.

Deotimus desideratur quidem in indice Baluziano, sed recensetur a Sammarthanis & Saussayo post Medonem, de quo supra, quo autem fundamento, silent. Hunc forte annumeravit Aimoinus 30. abbatibus, qui a fundatione ad annum 1005. Floriaco præfuerunt, alioquin Deotimo omisso, 29. tantum supererunt abbates. Episcopum Aurelianensem aliquando Deotimum fuisse superius diximus.

XIV. Theodulfus a Carolo Magno Aurelia- E nensibus episcopus & Floriacensibus datus est abbas. Eo sedente Floriacensibus scholis habitus est honos. Abbatia, quam tenuerat per annos 19. & dimidium, spoliatus est anno 818. ut diximus in episcopis Aurelianensibus, unde quæ ad eum spectant repetenda.

XV. Adalgaudus, idem haud dubie cum Adalcalo vel Adalcalco hactenus vulgato, in locum Theodulfi suffectus est, cum hic tum abbatia tum episcopatu privatus fuisset, ac in exsilium ejectus ob conjurationem in Ludovicum Augustum, qua notatus ab æmulis fuerat. Privilegium obtinuit ab imperatore anno V. sexto calendas Augusti indictione XI. 818. quo teloneum de quatuor navibus a Pipino concessum & a Carolo confirmatum asserit, & disertis verbis exprimit sancti Benedicti corpus Floriaci quiescere.

XVI. Boso I. abbas a fratribus electus, ab Hilduino abbate sancti Dionysii sociorumque martyrum & S. Sebastiani ab Eugenio papa donatas accepit reliquias, ea lege ut festum Sanctorum quotannis apud Floriacum celebraretur. Adfuit concilio Senonensi an. 833. cui primus omnium abbatum subscripsit. Privilegium anno 834. a Gregorio IV. obtinuit, ut primus inter abbates Galliæ foret. Ab Odone comite Aurelianensi non prædiorum solummodo tulit detrimenta, sed & ipsum sequi armatum coactus est adversus Matfridum Lotharianarum partium fautorem, quem Ludovicus Aurelianensi comitiva privaverat. At pleraque monasterii prædia per vim ablata recuperare studuit, accepto præcepto Ludovici Augusti IX. calendas Septembris anno imperii 22. indictione XIII. Imperatori eidem addictissimus Wormatiensi conventui adfuit anno 836. in quo nefarium abdicationis Augusti decretum est rescissum. Commissum sibi ad custodiam Ebonem a Remensi sede dejectum ad Lotharium adduxit, cui obviavit apud Ingulenhaim anno 840. & apud Wormaciam publicæ synodo coram exhibuit. Literis Aldrici archiepiscopi in concilio Senonensi eodem subscripsit anno. Supremos vitæ dies absolvit XII. calendas Septembris, ex necrologio. Bosone abbate Adrevaldus scriptor jam Floriaci monachus erat.

XVII. Bernardus I. nobilissimi vir generis, Floriaci abbas concilio Suessionensi apud sanctum Medardum interfuit anno 853. Eodem corpus sancti Benedicti Normannorum Aurelianos primo invadentium furori subtraxit. Bonogilensi adstitit synodo anno 855. eodemque Carolus Calvus Venilone Senonensi archiepiscopo, Agio Aurelianensi & Hildegario Meldensi episcopis, & Bernardo Floriacensi abbate missis & auditis, Floriacensi coenobio prædia distracta restitui præcepit. Rex idem eidem monasterio multa bona ad preces Bernardi Floriacensis abbatis regia auctoritate concessit IV. cal. Junii, anno regni 20. Christi 859. Multa quoque alia largitus est, inter cetera sacerdotale indumentum, quod ex capella fratris sui Lotharii abstulerat, dum ex bello reverteretur Fontanetico, necnon duo vasa aurea cum evangelii textu subtili operis diversitate fabricato. Anno 862. Bernardus adstitit conciliis Pistensi atque Suessionensi, & subscripsit privilegio sancti Dionysii. Ultimos sui regiminis decurrebat soles, cum anno 865. levare iterum corpus S. Benedicti coactus est propter alterum Normannorum adventum, qui spoliatum monasterium combusserunt.

XVIII. Sanctus Rodulfus II. ex abbate, seu potius ex monacho sancti Medardi Suessionensis archiepisc. Bituricensis, non unius coenobii conditor, vivente etiam Bernardo Floriacum tutandum

suscepit a Carolo rege, a quo præcepti Ludovici Pii ejus genitoris confirmationem obtinuit anno 846. tertio calendas Novemb. cum in Floriacensi monasterio degeret Carolus. At cum abbatiam contra canones occuparet, id ita abnorme visum est patribus concilii Tullensis apud Saponarias anno 859. ut legamus canone seu capitulo XI. *Tandem postulavit humiliter generalis synodus se ad terram usque prosternens ante Carolum regem, & Rodulfum Bituricensem archiepiscopum obsecrans & adjurans per crucem & Christi sanguinem, ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat, qui præfatam abbatiam irregulariter retinebat, ratum & inconvulsum servare studerent.* Abbatia cesserit necne, quis scit? sic opinatur Mabillonius. Vide quæ de Rodulfo diximus tomo 2. col. 27.

XIX. Theotbertus Bernardum excepit anno saltem 876. quo Echardus comes Childebrandi filius una cum Richilde conjuge villam Patriciacum in pago Carolensi cum appendicibus variis in pagis cedit, ubi defuncto apud Floriacum Echardo habitationem sibi statuerunt monachi, in qua delatis a Floriaco sancti Benedicti reliquiis ecclesiam in honorem beatæ Mariæ & sancti Benedicti construxerunt. Ad Theodebertum Johannes papa VIII. dum Trecis synodum ageret, literas dedit anno 878. quibus canonica abbatum electio sanciebatur. De eo luculenter Adelerius in Adrevaldi miraculorum appendice. Ex chartulario Patriciaci sedebat adhuc anno 885. quo restitutum Patriciacum excepit. Cella Floriaco subjecta conventualis ad nostram usque ætatem fuit. Theotbertus monasterii sui ædes universas atque basilicam crebris Normannorum infestationibus violatas, uti ferebant tempora, restituit.

XX. Girbertus anno 890. quædam prædia in Cisa & Floriaco recepit a Wulfardo Patriciacensi cellæ adjungenda, anno Odonis 2. ex Perardo. Carolus Simplex longe plura Floriaco dimitti restituique imperat anno regni VII. redintegrationis III. verbis usus in diplomate regia majestate dignis, quæ rebelles ac contumaces parum moverunt.

XXI. Milonis nudum nomen ferunt indices quidam ante, ceteri perperam post Lambertum. Hic forte fuit comes, qui se loci dominum bellica vi constituit.

XXII. Lambertus sedit ab anno saltem 907. quo commutationem quamdam fecit cum Adalgualo viro illustri mense Novembri anno XV. Caroli Simplicis. Permutavit quoque cum Hugone priore Anziaci anno XVI. ejusdem regis, & cum Rothardo nobili viro anno secundo Rodulfi regis. Sollicitum ejus animum ac pium in suos laudat Aimoinus in miraculis, ubi monachos ad tutiora se loca cum corpore S. Benedicti contulisse, & Rainaldum *regem* Normannorum divinæ ultioni subjacuisse dicit ob cladem monasterio turpiter illatam, dum Normanni variis illud incursionibus pessumdabant. Mortuo Lamberto, monachi a tramite regulæ multum aberrarunt, docente Johanne monacho in vita Odonis, ita ut Heliziardus comes illustris pia fraude pro se abbatiam Floriacensem a Rodulfo Francorum rege petierit & impetraverit, quam mox Odoni Cluniacensi reformandam tradidit, a quo ipse monachus effectus est.

Lamberto Anselmum, Bernardum & Maynardum aliqui substituunt, at ex Aimoino

XXIII. Sanctus Odo *egregiæ sanctitatis vir Lamberto carnis sarcina exonerato aliquanto interjecto tempore* e monasterio sancti Geraldi Auriliacensis eductus, ab Heliziardo aliisque duobus comitibus Floriacensi per vim prælatus est asceterio anno 930. obnitentibus contra armatis monachis, qui post Lamberti mortem a pristinis moribus sic desciverant, ut illorum facinora probri & insaniæ notarentur. Sapientia vero, animi mansuetudine, sanctique viri humilitate fracta eorum contumacia, paulatim regulæ S. Benedicti assuescere cœperunt, tunc in plerisque monasteriis neglectæ & fere penitus obliteratæ, unde alter loci institutor merito habendus Odo. Perhonorificam a Leone VII. obtinuit bullam, qua laudatur ob stabilitam in monasterio Floriacensi, quod *est quasi caput ac primas omnium cœnobiorum*, regularem disciplinam v. idus Januarii 938. Eumdem in finem scripsit idem pontifex archiepiscopis & episcopis Franciæ. In tantum autem sub eo abbate fama cœnobii Floriacensis crevit, ut non modo laïci & canonici, sed etiam episcopi relictis omnibus ejus monasterium peterent, vitamque monasticam amplecterentur. Quin etiam ex illo monasterio multæ soboles eductæ sunt ad instaurandam aliis in locis ac provinciis strictiorem observantiam, e quorum numero fuit Arigaudus, quem Odo in Senonensi sancti Petri monasterio suffecit in locum Samsonis abbatis. Inde etiam Tullense sancti Apri, Carnotense sancti Petri, & ut paucis multa complectar, pleraque Angliæ monasteria regularis vitæ accuratam normam acceperunt. Societatem iniit Odo cum monachis Solenniacensibus & S. Martialis mense Februario anno sexto Ludovici regis, indictione XV. Obiit anno eodem 942. quarta decima die ante Decembrem, tametsi Floriacense necrologium diem ejus supremum notat XI. cal. Februarii. Legendus in bibliotheca Floriacensi Odonis sermo de sancto Benedicto. Vitam ejus scripserunt Johannes monachus Cluniacensis tribus libris, & Nalgodus etiam Cluniacensis alumnus. De eo nos quoque nonnulla prælibavimus tomo IV. col. 1123.

XXIV. Archembaldus prius præpositus Cluniaci, post Odonis mortem electus est abbas ex literis societatis inter Floriacenses & S. Martialis monachos initæ. Quanta eo præsidente Floriacensium fuerit religio, docet imprimis Frodoardus, cum in historiæ libro IV. scribit regulam monasticam ipsius opera in Remigiano monasterio restitutam circa ann. 945. Hujus ad preces Achardus Lingonensis episcopus ecclesiam S. Petri in villa Diesia cœnobio Floriacensi concessit anno 948. Theobaldus Blesensium comes an. 950. summis ab eo precibus aliquot Floriacenses monachos

accepit, qui instaurato Salmuriensi cœnobio sancti Florentii regulæ normam inveherent. His accessit Hersendis Veromanduorum comitissa, quæ Cadröem Scotum Floriacum direxit, ubi Erchemboldus vir magnæ religionis præerat. Ab eo Cadröes monasticis regulis addictus, postea Valciodorensis, tum Mettensis abbas fuit. Præfuisse legitur tempore Agenaldi abbatis Gorziensis seculo v. Benedict. pag. 549.

XXV. Vulfaldus *bonæ indolis*, inquit Johannes in vita Odonis, *sub eo abbate adhuc juvenis, Archembaldo monasterialis regiminis metas attingenti jam vir venerabilis succedit.* Sedebat jam anno 951. ex charta Ragenfredi Carnotensis episcopi in chartulario sancti Petri. Is Alveum abbatem cum 12. monachis post tres annos Carnotum revertentem comitatus est. Floriacum vallo murisque cinxit anno 953. Huic capellam beatæ Mariæ super fluvium Adro & prædia in villa Malniaco contulit Rotbertus vicecomes anno quinto Lotharii regis. Mabbonem Leonensem episcopum Floriaci cum corpore sancti Pauli venientem excepit, vesteque monastica indutum ex Aimoino suis accensuit. Crescente nominis ejus fama, Odo Cantuariensium episcopus, quo monasticum vigorem in Anglia restitueret, Oswaldum nepotem misit Floriacum, unde sanctissimis excultus disciplinis reversus in patriam, Dunstano episcopo religionis ubique restituendæ socium se indefessumque adjutorem præstitit, fuitque postea episcopus Wigorniensis & episcopus Eboracensis. Abbonem quoque qui Vulfaldo puer traditus a parentibus fuerat, Oylboldo permittente Ramesensi novello gregi erudiendo præfecit, qui Dei cultu ibi propagato Floriacum rediit, ut mox dicemus. Anno 962. vir Deo carus & omni populo Vulfaldus Carnotensi ecclesiæ præfectus est, ut diximus col. 1111.

XXVI. Richardus prius Patriciacensis cellæ præpositus, ut censet Mabillonius, Vulfaldum factum episcopum mox excepit. Percipiacum mansum a Guntrude matrona anno 964. in gratiam Letaldi obtinuit. Huic Lotharius Francorum rex tria dedit præcepta, quorum duo priora anno regni XIII. indictione X. postremum anno XXI. Christi 974. forte post alterum Floriaci incendium: *Bis enim voracibus flammis*, inquit Aimoinus, *absumitur cœnobium, secundo anno 974. flagrat incendio. At procurante venerabili Dei cultore Richardo in pristinum statum intra trium spatium annorum revocatur.* Eodem Lotharii regis anno XXI. VI. idus Septemb. indictione III. ab ineunte mense ducta, Adelelmus miles nobilissimus S. Benedicto dedit insignem crucem argenteam, vultu nostri Salvatoris qualiter pro nostris reatibus in ea impietate Judæorum appensus fuit insculptam. *Quin etiam ad illuminationem ejusdem vivificæ venerandæque Crucis do*, inquit, *quoddam juris mei prædium in pago Senonico situm, vocabulo Villaris dictum, cum ecclesia honori B. Mariæ dicata, &c. pro remedio animæ meæ & senioris mei inclyti Francorum ducis Hugonis, quin & pro genitore meo Roberto & genitrice mea nomine Berta, & pro Burchardo seu & aliis parentibus meis. Actum Parisiis in nobilium conventu publico.* Subscribunt cum Adelelmo Hugo dux Francorum, Odo comes, Adela comitissa, Milo comes filius ejus, & alii. Non parvi est momenti hæc charta ad dignoscendas principes ejus ævi familias. Interfuit Richardus funeri abbatis Miciacensis Annonis anno 972. ex Letaldo. Willelmus Sanctionis filius, Burdigalensium comes ac totius Vasconiæ dux cum fratre suo Gumbaldo episcopo Vasatensi anno 978. audita fama religiosæ vitæ Floriacensium, monasterium Squirs seu de Regula situm ad Garumnam eis regendum restituit. Herbertum Soliacensem toparcham, qui monasterii prædia invaserat divinæ vindictæ nequicquam admonuit Richardus. Hanc ille mox expertus, Floriaci sepelitur. Hæc aliaque de Richardo scribit Aimoinus, cui Tortarius in historia translationis S. Mauri martyris Floriacum succinit, Richardum magnum, decus abbatum & lampadem clarissimam patrum appellans. Excessit e vita an. 979. XIV. calendas Martii, cui mox suffectus est

Chart. v. col. 485.

XXVII. Amalbertus benignus natura, benignior humilitatis sibi insita mansuetudine. Richardo defuncto, a fratribus electus, Floriacensis cœnobii regimen a Lothario Ludovici filio suscepit, ut notat Aimoinus, qui ab Amalberto in tenera ætate habitum monasticæ religionis accepit. Salmuriensi monasterio præerat, cum ad Floriacensis regimen est admotus, tanta utriusque loci religionis & animorum consensione, ut eis simul unus sufficeret Amalbertus abbas, cui anno 979. prima die ordinationis ejus in regem Ludovicus Carolinorum postremus, vivente patre Lothario, diploma Compendio palatio regis cessit, quo parentis & avi privilegia confirmat. Hoc igitur anno, volente Lothario, tenelli regis auspicata fuere regni principia brevi exitu. Amalberto Benedictus VII. confirmavit mense Novembri indict. IX. an. pontificatus VII. id quod Arnulfus & Ermenthæus Aurelianenses episcopi Floriaco concesserant. Cella S. Caprasii de Pontonis a Torto seu Arefasti vicecomite Tarticensi condita Amalberto concessa fuit. Obiit III. idus Aprilis anno, ut videtur, 985.

XXVIII. Oylboldus vir secundum seculi dignitatem genere ac moribus clarus, ad prælationem Floriacensium fratrum electione & regia principis Lotharii ascendit donatione. Pia sollicitudine, tam spiritales quam temporales, subditorum procuravit utilitates. Huic pro vinea apud Böariam cum Arnulfo Aurelianensi episcopo litigandum fuit, quod abbates Floriacenses ditioni solummodo regiæ parentes, subjectionem qua ipse ultra modum delectabatur, nequaquam ei ad ipsius voluntatis dependerent nutum. Abbonem monachum in Angliam misit, petentibus Anglis quemdam virum sapientem, qui Anglicanos monachos pietate & literis informaret, atque regulæ sancti Benedicti documentis imbueret, quam sanctus Gregorius per prædicatores a se missos Anglorum gentem olim docuerat. Abboni proficiscenti magnificum itineris apparatum contulit. In literis quibus post biennium illum in patriam revocat Floriacensem

Floriacensem se Dei præscientia dicit abbatem. Sacram supellectilem auxit ex Aimoino, privilegiorumque confirmationem obtinuit ab Hugone Capeto anno regni primo, Christi 987. quo rebus humanis exemtus est.

XXIX. Sanctus Abbo Aurelianis Læto & Ermengarde honestis parentibus natus, ab iisdem puer in Floriacensi cœnobio scholæ clericorum ecclesiæ S. Petri obsequentium literis imbuendus, tum Vulfaldo abbati ejus magisterio erudiendus solenniter traditus est. Tantos brevi in literis & virtute progressus habuit, ut per aliquot annos sub abbate Richardo monasterii scholæ præfectus fuerit. Majora dein affectans, Parisios, Remos atque Aurelianos profectus, sapientiæ magnitudine cunctos prævivit coætaneos. Postulantibus igitur Anglis aliquem sibi sapientum Floriaci concedi virorum, Oylboldus abbas non imperiosa auctoritate, sed mansueta verborum lenitate Abbonem adduxit, ut ad instruendas Anglicanas mentes divina atque humana qua pollebat insigniter sapientia, ire non recusaret, magnificumque ei proficiscenti contulit apparatum. Intra duorum annorum spatium aliquot monachos in Ramesensi monasterio scientia imbuit literarum, gratiamque regis Angliæ & familiaritatem Oswaldi & Dunstani Eboracensis & Cantuariorum archiepiscoporum sibi conciliavit, a quorum altero magnifica excepit munia sancto Benedicto deferenda, ab Oswaldo vero presbyteratus gradum cunctaque huic gradui congrua ministeria est adeptus. Expleto biennio, ab abbate Oylboldo revocatus, ejusdem defuncti in locum a saniori fratrum parte, æmulo nescio quem major, electus est Abbo, quibus assensum præbuit Hugo Capetus anno 988. Tanta virtus super candelabrum posita aliorum admirationem, aliorum invidiam concitavit. Infensum inter ceteros tulit Arnulfum Aurelianensem episcopum, qui duplicem ab eo exigebat subjectionem, unam quæ episcopis canonice debetur, alteram clientelarem, quæ subditorum est erga dominos, a quibus illi beneficia tenent. Utramque denegabat Abbo, eo quod Floriacense cœnobium prærogativa gauderet imperialium & regiorum, qua Romano pontifici in spiritualibus, regi vero soli in temporalibus subjectum erat. Qua de re Arnulfus, etsi aliunde sapiens, ipsi semper infensissimus fuit; unde factum est ut episcopi satellites eumdem virum Dei Turones ad festivitatem sancti Martini properantem noctu aggressi, gravibus affecerint contumeliis, quibusdam ejus ministris ad necem usque vulneratis. Satellitibus quidem pepercit vir Dei, verum alii morte repentina intercepti, alii in rabiem versi perhibentur. Arnulfus quoque de castro Everæ Arnulfi episcopi nepos apud Everam malas consuetudines & assiduas rapinas nomine advocati & vicarii accipiebat in odium Abbonis, qui ab Hugone rege anno 993. indict. VI. anno regni VII. diploma obtinuit, quo propter servitium, quod tunc temporis ab episcopo rex exigebat, quædam apud Everam nepoti ad vitam seu ipsius, seu avunculi concessit. Arnulfus adhuc tragœdiæ in conventu apud sanctum Dionysium motæ anno

A 995. causam Abboni tribuit. Hoc enim anno habitus est episcoporum conventus in monasterio S. Dionysii Parisiensis, ubi non de fide, sed de decimis actum, quas non laïcis tantum, sed etiam monachis auferre moliebantur episcopi. Causam monachorum vehementer defendit Abbo, cujus oratione commoti quorum hic intererat, in apertum tumultum eruperunt. Episcopi perterriti fugerunt, qua trepidatione aucta est procella. Ex præsulibus Seguinus archiepiscopus Senonensis qui præerat, fugiens, securi percutitur, & luto conspurcatur: quarum ut invidiam turbarum a se amoliretur Abbo, apologiam suam publicavit B scribens ad Hugonem & Robertum reges, quod opus regiis typis e codice Pithœano vulgatum est. Romam jam semel petierat Abbo ecclesiæ suæ privilegia renovaturus, sed cum pontificem turpis lucri cupidum reperisset, ad sua redierat. Paucis vero elapsis annis audivit erectum apostolicum decus per quemdam imperialis sanguinis virum totum virtutibus & sapientia compositum, scripsit continuo anno 996. ad L. abbatem S. Bonifacii Romæ, quicum in concilio Remensi anno 995. necessitudinem contraxerat, ut ipsi in obtinenda privilegiorum confirmatione collaboraret. Anno sequenti ad Gregorium V. a Roberto rege missus C est, qui regno anathema comminatus fuerat, eo quod Arnulfus archiepiscopus Remensis indicta causa sede sua privatus & carceri mancipatus fuisset. Gregorium in finibus Spoletanorum offendit Abbo, ab eoque perhonorifice exceptus est, privilegiisque apostolicis donatus indict. XI. mense Novembri, pontificatus anno 2. thymiamateque & planeta, qua inter missarum solennia uteretur. Reversus Abbo Arnulfum, cui in concilio Remensi anno 991. defensor inter alios datus fuerat, & maxime favebat, e custodia subductum sedi restituit, palliumque illi a papa directum reddidit. Circa id tempus Robertum regem Bertæ per-D fracte adhærentem dure increpavit. Eo sedente incendium Floriacensis domus miro modo extinctum est. Altaris beatæ Mariæ tabulam auream ab Oylboldo construi cœptam perfecit, duasque circumjacentes laminis argenteis vestivit. Sextum decimum regiminis agebat annum, cum profectus est in Vasconiam, ut Regulense juris sui monasterium ordinaret. At cum tam illi quos tunc in primo reliquerat itinere, quam hi quos in eorum locum misit, a Vasconibus lacessiti locum deseruissent, Vasconiam repetere ipse coactus est, ubi orta Francos inter & Vascones rixa, sanctus abbas qui eos sedaturus advenerat, a quodam satellite E lancea vulneratus obiit 13. Novemb. anno 1004. & triduo post quia interemtus fuerat, cum vestimentis & inlotus, & quia innocens, in interioribus cryptæ lapideo tumulatus est sarcophago. Hujus mortem ultus est Bernardus dux Vasconiæ, seditiosos alios suspendio, alios flammis tradens, omnemque illam possessionem Regulæ, quæ ante in lite invadentium erat, sine lite monachis Francis S. Benedicti paravit vindicandam. Abbonis vitam descripsit Aimoinus Floriacensis monachus ultimæ peregrinationis comes, qui &

Mabillonius consulendi de operibus, quæ scripsit Abbo, ad annum 1004. num. 51. & seq. necnon tom. 2. Analect. pag. 337. & seq. ubi de quibusdam Abbonis operibus antea minus notis loquitur. Epistolas ejus edidit Franciscus Pithoeus anno 1687. Monachi Floriacenses Abbonis mortem his verbis dolent encyclica quadam epistola: *Pervenit gladius doloris usque ad animam, dum deploramus pro sanctæ religionis studio dominum & abbatem nostrum Abbonem excessisse a seculo, coronatum martyrio, qui Vasconum gladiis felix promeruit feliciter beatorum martyrum socius fieri, cujus animæ contagia vestra oratio abstergat.* Pro martyre enim est habitus & cultus pro more horumce temporum, ut qui innocentes vitæ scelerisque puri temere & injuste necabantur, pro martyribus reputarentur. Multa quoque ante & post mortem patravit miracula, quæ refert Aimoinus, qui inter plurimos ejus discipulos primas tenet. Hunc Glaber, *reverentissimum ac venerabilem*, Anonymus Dervensis, *maximæ prudentiæ virum* appellant. Non dissentiunt Helgaldus in Roberti vita, Fulbertus in epistola 12. quæ sic inscribitur: *Pleno virtutis & gratiæ circumfuso carissimo patri Abboni.* In salutatione illum appellat, *o sacer abba, o magne philosophe.* In concilio Lemovicensi II. dicitur Abbo *florentissimus philosophus, omni divina & seculari auctoritate totius Franciæ magister famosissimus.* Hujus meminere Sigebertus in viris illustribus, Trithemius in chronico Hirsaugiensi, & alii.

XXX. Gauzlinus Hugonis Capeti *filius Manzer*, seu nothus, ex Ademaro Cabanensi, *tametsi sub Abbone monachum voverat*, & ætate, religione & disciplinis clarus habebatur, vix tamen admissus fuit ob defectum natalium. At prævaluit Roberti regis auctoritas anno 1005. quo huic Aimoinus duos inscripsit libros de miraculis sancti Benedicti, Adrevaldum & Adelerium Floriacenses monachos prosecutus, quibus adjecit Tortarius ea quæ sub Henrico rege patrata sunt. Felicem monachum in Aremoricam misit anno 1008. petente Gaufredo duce, ut illius provinciæ monasteria bellorum injuriis vastata instauraret. Circa id temporis concilio septem episcoporum Drovensi adstitit, ubi nonnulla a monachis Dolensis monasterii usurpata obtinuit. Non minus ei quam decessoribus suis contendendum fuit cum Fulcone episcopo Aurelianensi, qui cum Floriacum monasterium sibi subjicere volens, venisset, in fugam versus est. Habito itaque concilio Senonensis provinciæ, privilegium Floriacense igni tantum non traditum, Gauzlinus etiam de consilio Fulberti a Fulcone Chart. VIII. col. 490. excommunicatus est; unde ira accensus Johannes XVIII. spreto quem ad hoc opus in Gallias miserat episcopo Bi. archiepiscopum, episcopum & abbatem Romam vocat, præsumtionis suæ rationem reddituros, hancque in rem Roberto regi scripsit, ut vocatos Romam mitteret. Quid inde acciderit, non liquet. Anno 1013. Dacberto Bituricensi archiepiscopo successor a Roberto rege datus Gauzlinus, abbatiam non dimisit, ea semper usus in suorum ac loci commoda. Consecratus autem archiepiscopus, cum continuo propria sede a Gaufrido Bituricensi vicecomite pulsus fuisset, Romam petiit, ubi omnium sibi admirationem conciliavit ob eruditionem & facundiam, quæ maxime enituerunt in oratione quam ad populum in Capitolio habuit. A Benedicto VIII. episcopalis benedictionis pallio donatus est, bullamque ab eo obtinuit Gaufrido vicecomiti directam, ut honorifice ad proximum sancti Johannis festum archiepiscopum reciperet, sin minus, excommunicationem minatus est. Redux Gauzlinus Gaufrido absoluto calendis Decembris cathedram Bituricensem ascendit, quam nondum ascenderat mense Novembri anno 1016. quibus consecratus est Geraldus Lemovicensis episcopus Pictavis apud sanctum Hilarium. Fructuariensis monasterii libertati a Willelmo abbate Divionensi assertæ subscripsit an. 1017. Querelam habuit circa 1018. cum Fulberto Carnotensi episcopo, de qua diximus in Tedfrido abbate Bonævallis. Concilio Airiacensi adstitit an. 1020. Biennio post 1022. Roberti regis 35. Hugonis filii 6. in anniversario ipsius nativitatis exorta apud Aurelianos hæresi nefanda, illuc accessit Gauzlinus, ubi confutatis hæreticis ignique traditis solennem in conventu generali fratrum emisit professionem sic: *Sanctas synodos VI. quas universalis & mater ecclesia confirmat, confirmo.* Anno 1026. apud Floriacum ecclesiæ sancti Andreæ & beati Petri, necnon & monasterium igne sunt consumta, quæ intra biennium restituit Gauzlinus anno 1027. indictione x. Reliquias S. Dionysii reverenter accepit prima Octobris 1029. Sancti Michaelis turrim altissimam exstruxit. Inter alia munificentiæ specimina thuribulum aureum, aquilam æneam, tabulas item & columnas æneas chorum ambientes elegantissimo opere conflavit, subsellia tum abbatis, tum priorum marmore porphyritide decoravit, Dominici sudarii partem haud exiguam aurea theca per urbem in Ascensionis die ferenda inclusit. Hinc Helgaldus in vita Roberti regis eum *in dando & accipiendo satis honorabilem virum, splendidum mundo abbatem, merito sanctis Deo conjunctum operibus, pollentem scientia spiritali simul & humana*, commendat. Doctrinam ejus satis probant Roberti regis ad ipsum ipsiusque ad Robertum epistolæ de sanguine, qui in Aquitaniæ finibus pluerat, utramque videsis apud Chesnium tomo IV. ubi etiam Fulberti ad eumdem habentur epistolæ de subjectione erga episcopum Aurelianensem. Ad annum 1030. pervenit Gauzlinus, non solum extollendus ob ecclesiæ suæ curam diligenter adhibitam, verum etiam ob fidem Henrico regi minorenni præstitam, cujus inaugurationem Constantia parens male affecta differre animo destinabat. Tandem cum diœcesim suam inviseret Gauzlinus, gravi gutturis arreptus incommodo, apud Castellionem occubuit, cujus præpositus Arnaldus, qui post eum biennio monastici regiminis officio functus fuerat, annum exilii nonum tunc agens, mortem Floriacensibus fratribus ipse veniens nunciavit. Inde Gauzlinus, ut ipso vivens præceperat, Floriacum deportatus est, ubi ad dexterum altaris beatæ Mariæ latus sepelitur,

sepulcroque inscripti hi versus:

Gauzline pater, spes inclyta, præsul & abba,
Junctus Floriaco conderis ecce solo.
Lætitiæ palma quorum cor condecoratur
Mœstitiæ mœstis ora rigas lacrymis.
Quo pietas, bonitas, dilectio sancta, recedis!
Quo moriens terris, splendide pastor, abis!
O dolor & luctus miseris semper renovandus,
Dum tua non nobis se facies dederit.
Te recipit tellus octavo Martis in idus,
Et tibi commissum linquis ovile solum.
Attamen orbati quo possunt pectore poscunt,
Ut careas pœnis omnibus atque malis.
Vir celebris, sapiens Gauzline, cui dulce vocamen,
Perpes cum sanctis en requies tibi sit.

Obiit autem venerabilis Gauzlinus abba Floriacensium & archipræsul Bituricensium anno Dominicæ Incarnationis millesimo XXVIIII. indict. XII. anno autem sui regiminis XXV. porro a restauratione templi IIII. VIII. idus Martii, media Quadragesima Dominica, ipsius noctis prima conticinii hora, pergens ad Dominum, cui omnia vivunt per secula seculorum, amen. Hæc ferme omnia desumta sunt ex codice Floriacensi num. 592. qui e bibliotheca reginæ Sueciæ in Vaticanam transiit, sicque refellitur interpretatio, quam Mabillonius alteri epitaphio invento in codice 98. Floriacensi tribuit, in quo Gauzlinus octavis Martis fenestris, & quidem mense Septembri, ut in necrologio, obiisse dicitur. Hîc jacturam bibliothecæ Floriacensis lugere liceat, in qua credere par est multa sepulta esse documenta, quæ ad historiam nostram plurimum conferrent.

XXXI. Azenarius primum inter Grammaticos detritus, & post in palatio, tum Jerosolymam profectus, denique factus monachus, & jubente rege Roberto Masciaci in solo Bituricensi abbas, postmodum Floriaco post Gauzlinum præfuit, retenta Masciacensi prælatura. Adfuit concilio Lemovicis de sancti Martialis apostolatu habito anno 1031. Huic anno 1035. mense Novemb. Gilduinus archiepiscopus Senonensis altaria quædam indulsit. Quo fit ut in dubium revocari debeant characteres chronici literarum Henrici regis anno tertio regni sui canonicis sanctæ Crucis Aurelianensis Fontanas in pago Stampensi concedentis, quibus cum Arnulfo Turonensi archiepiscopo & Gervasio Cenomanensi, Hugo abbas S. Benedicti Floriacensis subscribit. Nam recentior fuit Hugo, & insolitum erat primis Capeticis regibus aliunde subscriptiones accersere, illis solis qui tunc in palatio versabantur regni proceribus ac principibus viris ad subscribendum adhibitis, dum seculo XII. id juris majoribus regni officialibus præcipuo jure tributum est.

XXXII. Theobaldus I. ex priore Diaci Lingonensis diœcesis factus abbas, interfuit anno 1040. dedicationi ecclesiæ Vindocinensis.

XXXIII. Rainerius itidem prior Diaci ex Rodulfo Tortario, mox ut abbas factus est, prioris

A dignitatis memor, sancti Mauri martyris reliquias aliquot Diacum transtulit. Anno 1059. interfuit inaugurationi Philippi I. Francorum regis, in qua primum ab abbate sancti Remigii locum inter abbates tenuit. Obiit 7. Decembris ex necrologio Floriacensi, XV. calendas Januarii in Benigniano, & quidem anno 1060. Præter Tortarium etiam Hugo Floriacensis ejus meminit in libro miraculorum.

XXXIV. Hugo I. ex præclara Francorum lampade originem trahens, inquit Tortarius, & juveniles adhuc agens annos, dum magnificus vellet haberi, multa juveniliter gessit, quæ ipse
B narrat cap. 5. de miraculis S. Benedicti. Hujus etiam meminit capitibus 11. & 36. Gauzbertus miles anno 1065. ei cedit ecclesiam S. Mariæ de Kadelata super fluvium Lupæ in pago Wastinensi, cum consensu domini sui Rodulfi comitis, pro animabus Attonis patris sui & Erdiburgis matris, chartamque obtulit Philippo regi & Balduino comiti subscribendam. Huic etiam subscribunt cum Anna regina & Mainardo archiepiscopo Senonensi Paganus & Wido Gauzberti fratres, Hatto filius Joscelini, Gauscelinus dominus Chalevraci & episcopi quatuor cum officialibus regis. Anno sequenti Philippus ipse Fran-
C corum rex Hervæum militem Floriaco infestum Hugoni abbati conciliat. Datis literis subscribunt Evrardus miles cum Hugone de Puteolo fratre ejus, Hugo de Claromonte, Baldericus constabularius cum Ingenulfo primicerio fratre ejus. Memoratur adhuc Hugo in charta, qua Guillelmus dux Normanniæ & Angliæ rex monasterio Floriacensi ecclesiam & prædium sancti Jacobi de Beuvron, quæ Richardus & Robertus antecessores ejus contulerant, auxit, & aucta in perpetuum confirmavit an. 1067. Concordiam eodem anno iniit cum Guidone consuetudines in terra sancti Benedicti exigente in prioratu Stampensi. Hugo
D VI. idus Aprilis locum habet in necrologio.

XXXV. Guillelmus I. subscripsit diplomati Philippi regis donatam villam de la Chapelaude monasterio S. Dionysii confirmantis anno 1067. Cum Gilone domino Soliacensi transegit pro terra de Castellione supra Ligerim anno 1070. Philippi regis 12. regiminis primo. A Philippo rege præceptum obtinuit, quo Floriacensium possessiones in vicaria Pitverensi a commendationibus aliisque consuetudinibus malis eximit anno 1071. Stampensem sancti Medardi ecclesiam a Philippo rege accepit eodem anno, quo Hugo Pitverensis castri miles Floriacensibus dedit ca-
E strum Villare, ut ibi cellam construerent. Subscripsit diplomati Philippi regis monachis S. Maglorii anno 1072. fundationem prioratus Montisfortis confirmantis. Bullam accepit eodem anno ab Alexandro III. qui pontificatus anno 12. ob debitam erga sacras sancti Benedicti reliquias Floriaci asservatas venerationem, abbati Floriacensi primum inter Gallicanos abbates locum tribuit. Anno 1075. Hugo Trecensis episcopus de consensu sui capituli & confirmatione Richerii Senonensis archiepiscopi, Roberti Carnotensis, Rainerii

Aurelianensis, Gaufredi Autissiodorensis episcoporum, & Stephani comitis, Philippo Francorum rege regnante; Guillelmo abbati duo altaria largitus est, ut sanctum Benedictum patronum & intercessorem acquireret. Huic quoque an. 1078. concessa fuit ecclesia sanctorum Gervasii & Protasii extra muros urbis Aurelianensis ad Orientalem plagam sita. Nominatur in charta Philippi regis an. 1080. regni 19. qua confirmat donum Theoderici viri præpotentis, scilicet terram de Lescurio, & quamdam ecclesiam. Idem annus XXII. Philippi regis dicitur in concilio Sanctonensi, quo Floriacensi confirmatum fuit Regulense coenobium. Guillelmo temporibus Richardi Bituricensium archiepisc. ejusque hortationibus, Bernardus miles, cognomine Fulgur, cum uxore & natis, & Gilduinus miles cesserunt ecclesiam in villa Valliacensi super Saldriam & aliam ecclesiolam. Cum Oderisio cardinali, abbate Casinensi precum ac suffragiorum communionem pepigit. Laudatur a Tortario, quod ecclesiam beatæ Mariæ partim vetustate, partim incendio demolitam, instauraverit, ossaque sancti Benedicti e theca lignea in aliam capsam transtulerit, notatus in necrologio ad III. idus Februarii, aut VII. idus Octobris anni 1080.

Ch. XVII. col. 497.

XXXVI. Veranus, cujus in manus Augerus de Marcha rotunda monachum professus dedit alodium de Guileragas cum molendinis in Drot anno 1080. Per aliquanta annorum curricula regimen obtinuit Floriacensium, quartanisque per sex menses adustus febribus, precibus sancti Benedicti sanatus est. Ecclesiæ instaurationem a Guillelmo inchoatam continuavit. Decretum Burchardi Wormatiensis episcopi describi curavit, cujus in fronte hi de Verano leguntur versus:

Abbatum lumen Veranus tale volumen
Fecit conscribi, dat Benedicte tibi.
Excubat insomnis, grex ut sibi creditus omnis
Integer & maneat, & vitiis careat.
Scribere Brochardum fecit, non pandere tardum
Ecclesiæ nodos justitiæque modos.
Semper honorari debet, semper generari,
Qui decorat propriam cultibus ecclesiam.
Quisquis Zorobabel sequitur, conjungitur Abel.
Hic holocausta facit, hic quoque templa jacit.
Istius exemplum sequeris, condis quia templum
Regi magnifico fœnore non modico.
Quod te rex regum qui dat moderamina legum,
Consummare velit. Dicere finis erit.

Obitus ejus in necrologio Floriacensi consignatur VIII. idus Septembris. Jacet in claustri parte Septentrionali, secus ecclesiæ limen, medius inter Guillelmum proximum decessorem & Heliam abbates, cum hac inscriptione:

In Christo vivas, in pace, Verane, resurgas.

XXXVII. Joscerandus pietate & eloquentia singulari commendatus, abbatis officium strenue executus est. Huic Hervæus dynasta Giomacensis annuente Philippo primogenito, vectigal seu pedagium vini, lignorum & cujusvis annonæ concessit anno 1087. Ejus pietati refert acceptum Tortarius, quod eo regente miro modo ab incendio liberetur Floriacense monasterium, flammis jam maxima ex parte oppido assumto anno 1095. Defunctus VII. idus Aprilis sepultus est in claustro inter capitulum & ecclesiam, cujus epitaphium in pariete legitur, quod locum hic meretur:

Nomen, forma, sinus, sermo, scientia, virtus* * al. manus.
In Joscerando, Christe, fuere tuo.
Iste tibi vixit, tua pastor ovilia rexit
Dignus pro meritis solvere vincla gregis.
Quis vel quid fuerit Romano claruit orbi,
Quare fucato non eget eloquio.
Idus septenas, Aprilis aprice, tenebas,
Cum subiit celsi dindyma celsa poli.

His consonat Tortarius, qui in cap. 27. libri miraculorum Joscerandum *beatæ memoriæ virum* appellat.

XXXVIII. Simon a Pascali II. redituum ac privilegiorum recensionem & confirmationem assequitur quarto nonas Decembris anno pontificatus IV. Eodem anno 1103. arbitro Philippo I. Francorum rege concordiam iniit Simon cum Hugone Gregarii super quibusdam collibertis. Id quod decessor inchoaverat, perfecit, chorum nempe & latera duo. Gemmis insuper pretiosisque lapillis thecam auream decoravit, ut magis sacra Benedicti ossa ornarentur. Verum jam obierat, cum anno 1107. nunc 1108. nempe XIII. cal. Aprilis referente ms. codice, assistentibus Ludovico VI. rege designato & Johanne Aurelianensi, ac Humbaldo Autissiodorensi episcopis, cum maxima cleri & populi multitudine translatum fuit sanctissimum corpus sancti Benedicti e metallino quodam & cupreo scrinio, in quo prius, ut creditur, depositum fuit, quando allatum fuit de Casino monte, in feretrum auro gemmisque cura Simonis abbatis fabricatum. Sub ejus disciplina florebant Rodulfus Tortarius, qui librum de miraculis sancti Benedicti sæpe laudatum scripsit, & Christianus haud minoris eruditionis monachus. Simonem iisdem cum anonymo verbis laudat Clarius in chronico S. Petri Vivi ad ann. 1107. qui vitæ ejus supremus fuit. Jacet in claustro.

XXXIX. Boso II. ex priore cujusdam cellæ Floriacensis factus est abbas XIII. calend. Februarii 1108. Eodem anno mense Augusto Philippum regem Francorum in basilica Floriacensi sepelivit, eique annuas dicavit preces, quarum intuitu Ludovicus VI. cum ex Philippi parentis voto, tum amore ductus in S. Benedictum, prædia multa, reditus & immunitates concessit datis literis, quibus subscribunt Walo Parisiensis, Johannes Aurelian. Humbaldus Autissiodor. Hervæus Nivernensis, Manasses Meldensis, Hubertus Silvanect. episcopi, Guillelmus comes Nivernensis, Rodulfus Dolensis, Gauffridus Exoldunensis, Rodulfus de Balgenciaco, Guido de Puteolo & alii novem. Eodem anno XV. cal. Nov. accepit Boso a Leodegario Bituricensi

archiepiscopo ecclesiam de Corcoë, ea lege ut capellam de Tauvigniaco Andreæ abbati Casalis Benedicti cederet. Anno 1109. Ludovicus rex cum publice resideret in capitulo S. Benedicti, quamdam familiæ suæ ancillam nomine Mattheiam filiam Gisleberti majoris, quam debito servitutis & ex dono maxime Bosonis Floriacensis abbatis possidebat, ejusdem assensu cum benevolentia totius capituli sibi commissi excussis denariis regio more in præsentia eorum libertati donavit. Clarius in chronico tradit concilium anno 1110. in monasterio Floriacensi celebratum a Richardo sedis apostolicæ legato. Huic aderat Leodegarius archiepiscopus Bituricensis, qui hoc anno testatur venisse se Floriacum, atque honorifice susceptum esse ab abbate ejusdem loci Bosone & fratribus, in quorum capitulum cum venisset, suscepta societatis eorum communione, assensit petitionibus eorum, ecclesiasque in diœcesi sua Floriaco subditas confirmavit. An. 1112. Ludovicus rex Matriniacensem curtem a Fulconis vicecomitis Vastinensis & Goscelini jugo liberam facit. Actum in conventu episcoporum & procerum apud Belnam habito. Anno 1119. Rodulfus archiepiscopus Remensis altare de Sorbonna beato Benedicto concessit, subscribentibus Odone abbate sancti Remigii, Hugone Altivillaris, Joffrido sancti Theoderici, Hugone S. Basoli, Harderico Mosomensi, Odone Orbacensi, Johanne sancti Nicasii, Duranno de Maurimonte cum aliis. Anno 1121. Boso cum Stephano abbate S. Johannis in Valleia, annuente Gaufrido Carnotensi episcopo, pepigit super decima de Ermentarvilla Ludovici regis anno 14. Adelaïdis reginæ 7. Quinquennio post Vulgrinus archiepiscopus Bituricensis Floriacensi cœnobio subdit ecclesiam de Venesimo. Celebris Floriaci conventus fuit anno 1130. cum Ludovicus rex, Adela regina, maximique regni principes illic Innocentium papam receperunt, referente Sugerio in vita Ludovici regis. Eodem anno Ludovicus rex prioratum B. Mariæ de l'Espinoi apud Castrum novum super Ligerim regio jure æternaliter possidendum Floriaco concessit.

Ch. XXVI. col. 504. XL. Ademarus ecclesiam S. Itherii Soliacensis ab Helia Aurelianensi episcopo de mandato summi pontificis consecutus est anno 1137. ut ibi monachos institueret, qui post annos fere 40. canonicis secularibus cesserunt, qui hactenus hanc retinent ecclesiam. Dono Ludovici regis, quod confirmat Henricus archiepiscopus Senonensis anno 1138. obtinuit ecclesiam de Lorriaco. Eodem petente, annoque eodem Albericus archiepiscopus Bituricensis ratam habet donationem ecclesiæ de Corcoë & aliarum factam Floriacensi ecclesiæ a Leodegario & Vulgrino archiepiscopis. Hac ætate præfuit Ademarus, qua multi nobiles etiam in regem contumaces bellum cum ipso gerere non dubitabant. Longe atrocius sæviebant in monasteria, quorum villas & reditus emungebant. Horum infestationibus Ademarus ut occurreret, cum apud Ludovicum regem, tum apud Hu. sedis apostolicæ legatum institit, ut illi regiis apostolicis-

A que jussis comprimerentur. Id passim indicant variæ literæ & fragmenta, quæ in Chesnii tom. IV. pagg. 423. 577. 613. & 658. habentur. Multa quoque passum fuisse damna Floriacum ex veteri membrana docemur, tum ob conflictationem cum Romanis legatis, tum ob vinearum per septem annos defectionem. Tandem per legatos depositus fuisse dicitur Ademarus.

XLI. Macarius nepos Alberici cardinalis & sedis apostolicæ legati ex monacho Cluniacensi & priore Longipontis, abbas Maurigniacensis, Floriacensis postea factus est cura legatorum pontificiorum, qui invenerant abbatiam B. Benedicti B in pernicioso statu positam tam monachorum levitate, quam pastorum assensu, ex Maurigniacensi chronico, & volebant eam juxta Cluniaci consuetudines innormare. Anno 1146. duas obtinuit ab Eugenio III. bullas, quibus concessa Floriaco enumerat & confirmat summus pontifex. Insequenti calendis Martii in capitulo singulis prioribus a monasterio dependentibus convenientem unicuique pro reficiendis & emendis bibliothecæ libris, imposuit summam annuatim solvendam, quam videsis biblioth. Floriac. pag. 410. Occurrit an. 1151. in charta Petri archiepiscopi Bituricensis pro cella sancti Palladii a Majori mo- C nasterio dependente. Cum diris calamitatibus attrita Gallia per integrum fere septennium fame, peste ac sterilitate laboraret, præter colonos ac concives suos quos alimentis recreabat, argenteam anno 1153. crucifixi figuram pondo 40. marcarum in pauperum usus vendidit, quibus 500. sæpius 600. quandoque 700. per diem stipem erogabat. Vixdum inde respirare cœperant Floriacenses, cum Ludovicus VII. iter in Palæstinam adornans, 500. & amplius marcarum summam ab abbate Macario exegit. Precibus ille calamitatumque suarum exhibitione vix tandem obtinuit, ut aliqua parte minueretur tam grave pondus sub- D sidii, cui cum solvendo par non esset, thuribulum aureum, aliaque vasa regi tradidit in manus, unde ipsius in Floriacenses crevit amor, quem ubique deinceps testatum fecit. Sic anno 1153. Macarii ad preces exactiones in terra S. Benedicti levari solitas interdixit, & indulsit hominibus villarum illarum, ut possent ferre testimonium. Henricus Æduensis episcopus anno eodem cedit ei ecclesiam de Domno Petro. Anno 1154. Ludovicus rex, furnos & alia prædia Loriaci concessa monasterio confirmavit. Eodem anno Macarius ope Petri archiepiscopi Bituricensis, Radulfi abbatis Casalis Benedicti, Rainaudi S. Sulpitii & aliorum E pacem confirmat cum Bernardo vicecomite Bruciæ Geraudi filio pravas consuetudines in villa Salensi remittente. Diploma obtinuit a Ludovico rege anno 1157. Consilio Hugonis archiepiscopi Senonensis, Theobaldi sancti Germani Parisiensis & Gir. sancti Petri Vivi abbatum terminavit anno 1159. litem inter Vizeliacense & sancti Luciani monasteria. Sed Macarii Floriacensiumque caritatem nihil magis probat, quam parthenonis sancti Remigii diœcesis Carnotensis dotatio anno 1160. facta tempore quo gravissimis ipsi angustiis

Ch. LXII. col. 335. premebantur. Rem fuse narrat Robertus episcopus Carnotensis in literis hoc anno datis, testatus se locum, qui dicitur S. Remigii, visitasse, ibique reperisse quasdam pauperculas moniales, quæ dono & concessione Macarii & monachorum Floriacensis ecclesiæ degebant in eleemosyna, mox rogasse Macarium totumque Floriacense capitulum, ut beneficium illis impensum ampliarent. Annuerunt illi, adjectis prædiis & donationibus haud paucis, quas monialium nomine Robertus recepit ea lege, ut illæ annuum censum monasterio penderent, aliaque præstarent obsequia, quæ in charta fusius referuntur. Anno circiter 1161. Macarius cum Theobaldo sancti Germani a Pratis abbate Guillelmum abbatem Vizeliacensem comitatus est cum a suis solenni exceptus est pompa. Ad eum S. Thomas Cantuariensis literas misit, quibus ecclesiæ sancti Andreæ donationem a Roberto episcopo Lincolniensi factam, prædia item a Rainulfo comite data confirmabat. Hugo præsul Rotomagensis itidem confirmavit ecclesiam sancti Petri de Sperreia, quam dono Gerardi Sagiensis episcopi acceperat Macarius, qui varia quoque cum nobilibus pacta iniit in angustiæ domesticæ levamen. Defunctus dicitur anno 1162.

XLII. Arraudus, Airaudus & Arraldus arbiter fuit electus ab Alexandro papa anno 1163. dissidii inter Manassem episcopum & canonicos S. Aniani. Privilegium eodem anno ab eodem pontifice consecutus est, quo bona monasterii & immunitates confirmat. Altero anno 1164. Alexander confirmat oblationes, quæ fiebant in ecclesia de Lorriaco. Eodem anno Gilo de Soliaco filius Archembaldi, consentientibus Hervæo & Johanne fratribus, boscum de Mesmairant Airaudo concessit. Chartam confecit anno 1167. qua Floriacenses incolæ videntur olim monasterio vectigales fuisse. Anno eodem Arraudo amico suo dedit Ludovicus rex piscaturam Ebræ ad vitam. Anno 1169. instante Sevino abbate de Vado-ulmi, postea priore de Capis, monasterium ejus ex jussione regis ultra quinque leucas a Floriaco semovet Manasses Aurelianensis episcopus ob loci sterilitatem, &c. Transegit anno 1170. cum Cisterciensibus Curiæ-Dei, & 1171. cum Willelmo Senonensi archiepiscopo. Nominatur anno 1172. in charta Gilonis domini Soliacensis, & 1172. & 1173. in diplomatibus Ludovici regis apud Lorriacum datis. Arraudi temporibus habitus episcoporum & procerum Patriciaci conventus anno 1173. in quo Willelmus comes Cabilonensis plura restituit cœnobio Patriciacensi. An. 1176. Manasses episcopus Arraudo licentiam dedit omnes parochianos S. Sebastiani pro sua decima panis & vini de burgo S. Benedicti communione privare, quoties ipsi monasterio injuriam inferrent. Anno 1179. Manasses Aurelianensis episcopus omnium ecclesiarum Floriaco subjectarum decimas ipsi permittit, & sequenti testatur se per 30. & amplius annos quibus episcopalem cathedram insedit, additis aliis 20. quibus eidem ecclesiæ ministravit in minoribus, longa experientia lectisque monasterii chartis & instrumentis comperisse Floriacenses ab omni

A Aurelianensis episcopi jure prorsus immunes. Ne autem frequens ad illos accessus, ordinationesque ac consecrationes a se amoris & caritatis intuitu ibidem factæ eorum libertati officerent, datis literis contestatur hæc omnia sibi per abbatem & monachos libere absque ulla jurium & immunitatum jactura licuisse, neque successoribus nisi pari libertate ac voluntate concedenda. Transegit Arraudus anno 1180. cum Guidone archiepisc. Senonensi. Diploma obtinuit a Philippo rege anno 1181. Hoc vel sequenti Simon de Monteforti domum suam de Sunicampo ipsi concessit. Huic quoque Alexander papa Soliacensem ecclesiam S. Itherii B ab Helia episcopo Aurelian. Floriaco subjectam approbavit, & S. Thomas Cantuariensis ecclesias conventuales sancti Andreæ de Mentinghis & Omnium sanctorum de Goltebi cum omnibus ab illustri comite Cestriæ Rainulfo & Roberto episcopo Lincolniensi datis Theobaldi decessoris more confirmavit. Ad eum scripsit Stephanus Tornacensis epistolam 47. ut ipsi viduam ejusque filium commendaret.

XLIII. Garnerius in prioratu de Kadelata duos instituit monachos, pro quibus multa multi largiti sunt anno 1183. Bullam obtinuit a Lucio III. nonis Novembris 1184. Theobaldus comes C Blesensis Floriaci burgenses ad solvendam decimam adegit anno 1185. Sed Garnerii præfecturam maxime commendant res circa Sevinum ex abbate de Vado-ulmi priorem de Capis ejusque congregationem gestæ. Extremis Ludovici Junioris temporibus Sevinus amore cœlestis patriæ cum sociis aliquot secessit in locum, Vadum Caparum, alias *Chapettes*, nunc *Chapes*, aut de *Capis* dictum. Hic eremiticæ vitæ studiis addicti, nomine bonorum hominum de Capis, seu de Vado Caparum Ludovico regi innotuerunt, quibus & subsidia de grangia sua Loriaci, maxime quando illic vel cum regina, aut ipsa absente degebat, largitus est. Hæc D omnia post parentis obitum Philippus Augustus rata habuit anno 1180. quibus etiam anno 1184. addidit totam decimam panis & vini, quod expenderet quandiu apud Vitriacum in Legio palatium moraretur. Anno præcedente Guido Senonensis archiepiscopus datis literis testatur Sevinum de Capis & fratres ejusdem loci se & ordinem suum & domum suam ipsius arbitrio permisisse, asserentes quod si forte aliquo tempore voluntatem habuerint ut ordinem suum mutent, & alium suscipiant, alium suscipere non poterunt, præter ordinem S. Benedicti super Ligerim. Actum apud sanctum Benedictum in domo abbatis. Id saltem E anno 1186. completum probante Urbani papæ III. diplomate ejus anni, quo dilectis filiis Sevino priori ecclesiæ B. Mariæ de Vado Caparum, &c. indulta bona confirmans, statuit imprimis ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem loco noscitur institutus ..... inviolabiliter observetur. Rei seriem melius exprimunt Garnerii abbatis literæ anni 1187. docentis eumdem Sevinum de Capis & alios fratres ibidem eremiticam vitam ducentes coram Guidone archiepiscopo promisisse, quod ad nullam religionem

transmigrarent, nec alicujus alterius ecclesiæ caput A suum facerent, nisi de ecclesia sancti Benedicti Floriacensis. *Tum memoratus*, inquit, *frater Sevinus, & alii fratres ad monasterium nostrum venientes, expetierunt ut in protectione & jurisdictione nostra eos & sua susciperemus. Quorum devotionem & benignitatem attendentes, ad petitionem insuper illustris regis Francorum Philippi sub tali tenore eos suscepimus, videlicet quod frater Sevinus & alii fratres clerici de Capis, professionem nobis fecerunt, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti, quodque similiter eorum successores clerici nobis semper facient: in choro monasterii nostri, & in refectorio, & in capitulo fratres clerici stallum suum habebunt, conversi vero ultimi man- B ducabunt in refectorio. Quandiu inter nos fuerint fratres, frocco nigro utentur, foras vero scapulare nigrum portabunt, tam laici quam clerici, in signum nostræ professionis, &c.* Nominatur Garnerius an. 1198. in charta Manassis archidiaconi Senonensis. Ab Innocentio papa delegatus cum J. magistro scholarum Aurelianensium, ut latam ab ipso inter Odonem Parisiensem episcopum & Johannem sanctæ Genovefæ abbatem de parochia S. Stephani de Monte sententiam exsecutioni mandaret VIII. calendas Januarii, pontificatus anno IV. mandatum apostolicum exsecutus est mense Martio 1201.
Chart. LIII. col. 524. & Junio 1202. Anno eodem pepigit cum Simone C de Montfort pro terra de Sunicampo. Dissidium habuit cum capitulo sancti Petri Virorum pro viridario sancti Benedicti, quod dimisso a canonicis viridario, sopivit Hugo Aurelianensis episcopus anno 1203. Reliquias sancti Benedicti cultiorem in thecam super altare majus reponi curavit per Petrum Senonensem archiepiscopum, Odonem Parisiensem, Manassem Aurelianensem, Willelmum Autissiodorensem, & Willelmum Nivernensem episcopos, cui solennitati interfuit S. Guillelmus Bituricensis archiepiscopus an. 1207. die translationis sancti Benedicti. Bullam obtinuit ab Innocentio IV. pontificatus anno 12. Socie- D tatem precum iniit cum Dalmatio abbate Casæ-Dei & Garnerio abbate Masciacensi. Decimas recepit anno 1209. ab Hugone Aurelianensium & Silvestro Sagiensium episcopis.

XLIV. Mauricius ipsiusmet electionis anno Manassem Aurelianensem episcopum, qui procurationes tam in monasterio, quam in villis petebat, iis privilegiorum intuitu nuncium mittere suasit, quod ipsius episcopi testantur literæ, quas Honorius papa III. bulla sua confirmavit. Plures etiam decimæ contra parochos Floriaco assertæ sunt ab officiali Senonensi, episcopo & archidiacono Parisiensibus, & decano Carnotensi judicibus aucto- E ritate apostolica delegatis anno 1211. Agnovit anno 1214. mense Aprili a D. Ludovico de Francia datam Floriaco domum de Chappes, ut ibi duo instituerentur monachi.

XLV. Bartholomæus memoratur in charta Reginaldi episcopi Carnotensis de decimis & nemore ecclesiæ de Sunicampo anno 1216. Literas accepit ab Honorio III. cum facultate redimendi de manu laïcorum decimas anno 1217. Eodem cum Tironiensibus suffragiorum communionem sancivit. Ecclesiam ab eo reparatam & perfectam testis est Honorius III. in bulla, qua indulgentias concedit in die dedicationis ejusdem, quæ celebrata est 26. Octobris 1218. Precum quoque societatem iniit anno eodem cum Garino abbate & Josaphatensibus. At illa multo nobilior, quam M. Bardunensis abbas in Anglia oblatam a Floriacensibus una cum pulvere corporis sancti Benedicti libens amplexus est datis literis amoris & obsequii testibus: *O utinam*, inquit, *thesaurus ille pretiosissimi pulveris B. patris vestri ac nostri Benedicti, cujus prærogativa donati & sanctificati estis, perpetuum fœderis illius testimonium sua missione concederet.* Deinde laudatis R. monachi Floriacensis ac prioris Mentinghensis in Anglia prudentia & religione, dolet quod is post res optime gestas eo tempore revocetur, quo tuendæ cellulæ Floriacensium pernecessarius erat. Nominatur Bartholomæus in charta Manassis Aurelianensis episcopi an. 1219. Honorius III. bulla data 1220. domos hospitales in fundo monasterii & a monasterio constructas Floriaco in perpetuum subjicit. Memoratur anno 1221. Bartholomæus in charta Anselmi de Botervillers. Transegit anno 1222. cum Galterio Carnotensi episcopo. Anno 1223. Honorius III. controversias quæ inter Manassem Aurelianensem episcopum, Galterum Senonensem archiepiscopum & monasterium Floriacense inerant de capellis oppidi Floriacensis & jurisdictione metropolitana archiepiscopi Bituricensis arbitrio commisit. Transegit Bartholomæus anno 1224. cum Simone Bituricensi archipræsule. Literis datis mense Augusto anni ejusdem declarat prioratum de Diaco esse de *garda* & defensione comitissæ Nivernensis. Anno eodem talliam hominum a monasterio dependentium ad 40. libras Paris. annuatim solvendas reduxit. Anno 1225. Willelmus Catalaunensis episcopus jus procurationis ei relaxavit. Anno eodem, sin sequenti, mense nempe Martio Ludovicus filius Guillelmi comitis Sacri-Cæsaris, qui tunc in Græcia degebat, Bartholomæo abbati permittit ea omnia in villa Castellionis super Ligerim, quæ Henricus dominus Soliaci eidem cesserat, aut accepta pecunia dimiserat.

XLVI. Victor innotescit ex charta episcopi Trecensis, in qua occurrit anno 1228.

XLVII. Johannes I. jam occurrit anno 1236. in chartulario Josaphatensi. Gregorius IX. usum mitræ & annuli permittit ei V. calendas Decemb. pontificatus anno 12. hic est 1238. Aliquot post mensibus, Februario nempe sequenti, Johannes cum Henrico Remensi archiepiscopo & Amalrico comite Montisfortis pepigit pro prioratu sancti Arnulfi, qui habebat usuarium in nemoribus sancti Benedicti apud Sunicampum. Composuit anno 1239. cum rege Ludovico. Nominatur in charta Guillelmi Aurelianensis episcopi anno 1243. die Lunæ ante Ascensionem. Literarum amantissimus multos codices describi bibliothecæque addi curavit. Sed & anno 1247. mense Aprili annuente monachorum cœtu statuta edidit, quæ Othoni Tusculano episcopo sedis apostolicæ legato

confirmanda ipse obtulit, prædiaque plurima impendit in studiosorum usus, volens ut tum monachis 12. in Aurelianensi prioratu sancti Gervasii literas excolentibus, tum aliis qui Parisios discendæ theologiæ gratia mitterentur, non solum ipse prioratus sancti Gervasii, sed etiam præpositura S. Benedicti de Regressu sita infra muros civitatis Aurelianensis, aliique proventus perpetuo cederent. Anno 1248. mense Junio Johannes e vivis abiit, postquam cum Ludovico rege compositionem firmasset.

XLVIII. Dionysius Theobaldi de Gien Regulæ prioris solennem excepit obedientiam anno 1248. De consensu capituli a Gaufrido de Capella Francorum panetario acquisivit villam de Bolliaco mense Januario 1249. nunc 1250. quo mense Octobri transegit cum Petro de Montigni pro decimis in parochia de Mazeriis. An. 1251. composuit cum Philippo archiepiscopo Bituricensi pro præsentatione vicariorum in capella, quam Stephanus de Sacro-Cæsare anno 1240. construxerat. Eodem anno cum ad Regulam misisset subpriorem, monachi mense Decembri declararunt prioris & subprioris sancti Petri de Regula institutionem ad abbatem S. Benedicti pertinere, ac proinde nihili facienda charta est anni 1250. de quibusdam censibus ad Floriacum super Ligerim fluvium pertinentibus, quæ sic incipit: *Fr. Jh. miseratione divina humilis abbas sancti Benedicti Floriacensis*, &c. laudata in chartulario fol. 42. Dionysius enim adhuc reperitur anno 1251. in charta episcopi Trecensis.

XLIX. Petrus I. de Turre nominatur in bullis Innocentii IV. datis VI. & X. cal. Aprilis, pontificatus anno X. Fœdus cum Girardo de Tigiaco armigero pepigit anno 1253. Insequenti cum priore & conventu pro anniversario Arnulfi abbatis Meledunensis convenit mense Junio an. 1254. Quædam acquisivit ad utilitatem monasterii, & monachis quamvis jam a primævo spiritu sanctæ regulæ non parum deflexis multa ex suo contulit, officiumque cellerarii in eorum favorem suppressit anno 1256. Biennio post a Johanne Præmonstratensium abbate Parisiis domum comparavit sitam inter ecclesiam sancti Stephani de Gressibus & muros urbis, anno 1258.

L. Theobaldus II. pepigit cum abbate & conventu Curiæ-Dei anno 1258. Reperitur anno eodem die Lunæ post cathedram sancti Petri in chartulario Patriciacensi. Adfuit translationi sancti Aniani Aurelianensis anno 1259. Statuta a Johanne ad promovenda studia condita confirmavit mense Martio 1260. Recognovit mense Martio 1261. prioratum Diaci Floriaco subditum esse de *garda* comitis Nivernensis, salvo tamen regis supremo dominio. Reperitur in regesto 31. chartarum thesauri regii anno 1262. mensibus Junio & Julio, & 1263. mense Aprili pro decima Vitriaci in Logia.

LI. Helias anno 1266. cum Michaele abbate sancti Martini Æduensis precum societatem paciscitur. Triennio post agit cum Gaufredo de sancto Clemente & Gaucherio de Corcellis militibus

A super custodia Amelotæ neptis eorum. Anno 1275. IV. nonas Januarii Petrus archiepiscopus Narbonensis ei dimisit prioratum de Vardiaco diœcesis Bellovacensis subditum Floriaco, cuilibet alteri pro arbitrio committendum. Anno 1285. vivere desiit, sepultus in claustro a parte navis ecclesiæ cum hoc epitaphio:

Resta, ne fugias, lege, lector, quis sit Elias.
Nobilis, & patriæ clarus, & ecclesiæ.
Ergo precum Domino similis vice conditionis
Ut mercede Dei subveniatur ei.

B Heliæ frustra Saussëyus cum Sammarthanis Petrum, Bartholomæum & Heliam alterum proxime sufficiunt.

LII. Guillelmus II. ex nobili genere d'Artenay electus est a monachis, qui eligendi abbatis facultatem anno 1286. a rege petierant. Interfuit tum cum anno 1287. Egidius episcopus Aurelianensis primum in nova sanctæ Crucis ecclesia lapidem posuit. Beatricis Drocarum & Montisfortis comitissæ clientelam Parisiis excepit anno 1289. die Dominica ante Natale Domini absque præjudicio pro successoribus. Ei Philippus de Mornai clericus filius fratris Petri episcopi Aurelianensis domum
C suam apud Ussonem dedit anno 1292. Insequenti paciscitur cum oppidanis Castri novi prope Ligerim de juribus prioratus ejusdem villæ, & anno 1296. pro decima villæ Castellionis ad Lupam. Capitulum generale habuit anno 1299. in crastino Adventus S. Benedicti, in quo inter cetera statutum, ut deinceps non amplius quam 45. monachi Floriaci residerent propter facultatum insufficientiam. Anno 1303. nonnulla assignavit apud Bolinvillam celebrando anniversario. Eodem anno die Lunæ post Ascensionem Domini suis testatur literis sibi & monasterio persolutas fuisse 2200. libras Parisienses ob damna nemoribus suis
D illata pro ædificando Castro novo super Ligerim, unde animam regis, reginam & eorum liberos absolvit & liberat.

LIII. Petrus II. de Giri Beatrici comitissæ Drocensi & Montisfortis clientelam ob infirmitatem remisit, ut constat ex literis, quibus illa testatur anno 1306. multa sub Floriacensis monasterii clientelari obsequio possidere. Hanc autem anno 1307. excepit apud Planay. Nicolaus titulo sancti Eusebii cardinalis legatus anno 1308. in festo sancti Michaelis apud Floriacum hospitatus est. Anno 1311. Simon Bouchon & Margareta ejus uxor se suaque humili devotione offerunt
E Petro abbati & monasterio Floriacensi, quos recipit in fratres. De Petro interpretamur quod legitur in charta fundationis prioratus d'Hennemont ordinis Vallis-scholarium prope sanctum Germanum in Laya, factæ a Petronilla de Giriaco domicella reginæ Franciæ Johannæ Navarræ anno 1308. mense Martio: *Item anniversarium pro remedio & salute animarum Fr. Petri de Giriaco abbatis sancti Benedicti super Ligerim, & Fr. Simonis de Giriaco prioris sanctæ Celinæ Meldensis, fratrum meorum.*

LIV. Guillelmus III. Iolandis ducissæ Britanniæ & comitissæ

& comitissæ Montisfortis fidem clientelarem recepit pro dominio Sunicampi anno 1313. Paulo post Ludovicus X. Hutinus dictus Francorum rex altam & bassam justitiam apud Genabum vetus ad Floriacenses pertinere edixit. Communionem precum cum Hugone abbate & monachis S. Fidis Conquensibus sancivit an. 1314. Cum Bertrando de Gutto vicecomite Leomaniæ Clementis papæ V. germano pepigit anno 1317. pro quibusdam censibus & consuetudinibus, quas vicecomes petebat in terris sancti Benedicti. Inscribitur necrologio VI. idus Octobris.

LV. Petrus III. convenit cum Guillelmo de Diaco die Mercurii post Conceptionem an. 1329. Biennio exacto confert officium Sergentariæ. Occurrit anno 1335. in chartulario Josaphatensi. Prædia quædam instituendo anniversario deputat anno 1339. Insequenti agens in remotis Laurentium Patriciaci priorem vicarium generalem instituit.

LVI. Hugo II. cujus temporibus Simoni cuidam filio hortulani regiæ domus Castri novi super Ligerim Philippus rex suo edicto 17. Decembris 1343. monasterium aperit sub nomine monachi oblati. In remotis agebat anno 1345. Notatur in necrologio pridie nonas Septembris.

Sausseyo assentiri non licet, cum Johannem de Turre anno 1346. una cum Sammarthanis hoc loco abbatem Floriacensem constituit. Occasionem errandi dedit Johannes abbas alterius loci, qui non anno 1346. sed 1336. in chartarii fol. 104. legitur, male a nonnullis pro Floriacensi usurpatus.

LVII. Petrus IV. anno 1348. 21. Novemb. Petrum Narbonensem archiepiscopum invitavit ad corpus S. Mauri martyris, S. Sebastiani tibiam aliaque sanctorum ossa digniores in thecas transferenda. Desinente anno 1353. more Gallicano, id est, initio 1354. moritur Petrus; nam die 7. Martii anni 1353. Guillelmus Anselmi Senonensis ballivus proventuum, quos nomine regio seponendos jusserat, liberam monachis pastore destitutis, uti mos erat, facultatem permittit.

LVIII. Bernardus II. Rattier, cui & monachis suprema Parisiensis curia concessit, ut monasterium Floriacense & ejus membra a justitia ducis Aurelianensium eximerentur, quæ sub speciali protectione & regia custodia in perpetuum suscepit, unde Francorum regis Johannis diploma sub annum 1359.

LIX. Johannes II. de Turre, illustri apud Arvernos stirpe editus, ex Cluniacensi cœtu transiit ad Floriacenses, a quibus abbas factus, recepit ab Urbano V. literas Avenione datas VII. idus Januarii anno 1364. minis & fulgure plenas, si mandatum ejus parvipenderent, ut quartam partem capitis sancti Benedicti, osque brachii dextri pro cœnobio sancti Germani apud Montempessulanum, quod exstruebat, ipsi largirentur. Huic Johannes & monachi morem gesserunt non sine anxietate & lacrymarum effusione. Regis Caroli V. mandatum ad ballivum de Cepeio obtinuit contra detentores & usurpatores bonorum monasterii anno 1369. Hunc Gregorius papa XI. anno 1372. 6. Junii cardinalium numero adjunxit. Obiit Avenione 15. Aprilis 1374.

LX. Geraudus Paute *al.* Panté, ex abbate sancti Eligii Noviom. factus est Floriacensis a Gregorio XI. ut constat ex sententia lata ab episcopis Autissiodorensi & Tarvanensi adversus Geraudum a sancto Eligio ad Floriacum translatum, qui bona sancti Eligii retinuerat, quæ restituenda decernunt episcopi an. 1372. Quadriennio post N. Barreau gubernator Aurelianensis significat Floriacensibus Geraudo ad Majus monasterium translato, institutum a se nomine regis œconomum temporalium Floriaci 17. Aprilis 1376. Jam abbas Majoris monasterii Geraudus S. Benedicto dedit mitram pretiosam, & monachis 200. francos auri, qui ei viventi missam de Spiritu sancto, defuncto vero anniversarium vicissim spoponderunt die 3. Martii 1382.

LXI. Bernardus III. de Lestrange memoratur in donatione Laurentii Rigomier de rebus ad se pertinentibus jam anno 1374. ex schedis monasterii. Defunctus dicitur anno 1380.

LXII. Johannes III. de la Chambre legitur abbas Floriaci ab anno 1380. ad 1403. Cum Raimundo Cluniacensi abbate convenit de spoliis cujusdam prioris, qui utriusque fuerat monachus.

LXIII. Bego de Murat leviori de causa a cardinali de Salusse pridem excommunicatus, a cardinali Pisano in extremis ad cautelam absolutus est die 7. Aprilis anno 1413. quo obiit.

LXIV. Radulfus III. de Chartres abbatiæ suscepit moderamina anno 1414. ex tabulario, in quo ab eo facta legitur locatio de castellania sancti Benedicti Fr. Stephano du Boutier camerario 28. Maii 1421. ea lege ut monachos 24. hic aleret camerarius.

LXV. Ludovicus I. de Passac æmulum passus est Petrum, qui dicitur Dei & apostolicæ sedis provisione abbas circa annum 1426. Ludovicus autem rexit ad 1435.

LXVI. Johannes IV. de Bouvielle, an de Bouville? male de Havrellis in editis, dignitati quam per annos 33. retinuerat, novennio ante mortem cessit. Obiit autem apud castrum Lupæ die 23. Novembris 1477. unde delatum corpus apud Floriacum, sepelitur ad meridionalem ecclesiæ partem sub lapide affabre elaborato, ubi legitur: *Cy gist noble seigneur reverend pere en Dieu Monseigneur Jehan de Bouvielle licentié en theologie, en son vivant abbé de S. Benoist sur Loire, lequel regna abbé l'espace de XXXIII. ans, & trepassa à Chastillon sur Loin le jour S. Clement XXIII. Novembre l'an M. CCCCLXXVII. Priés Dieu pour lui.* Hic annorum 33. quibus præfuisse dicitur, ut constet numerus, amovendi inde Petrus qui ad annum 1459. & Hugo qui anno 1465. præfuisse dicuntur. Hos cum Johanne de præfectura tunc temporis contendisse, & pro veris abbatibus agnitos fuisse credibile est, dum interim Johannes aulæ forte gratia & favore niteretur.

LXVII. Johannes V. d'Eschines, aut d'Essesines, vel d'Eschelines regularium postremus, cujus

tempore supremus Parisiensis senatus edixit 17. Februarii 1471. ut monasticus ordo in Floriaco lapsus in ferventiorem statum revocaretur. Erat simul abbas regularis Floriacensis & commendatarius Miciacensis anno 1471. Biennio ante mortem cessit. Defunctus anno 1488. sepultus est in basilica coram altari beatæ Mariæ.

LXVIII. Johannes VI. de la Tremoille sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, episcopus Pictaviensis, archiepiscopus Ausciensis, Floriaci primus commendatarius reperitur in procuratione ab ipso data die 7. Julii 1486. ad temporalia hujus monasterii administranda. Protonotarius tantum erat apostolicus, cum ad hujus dignitatis apicem calculis monachorum sibi gradum fecit. Regi fidem juravit XI. Octobris 1489. Jura monasterii fortiter defendit. Quid in hunc locum contulerit clamant vel ipsi lapides ædificiorum monasterii, fornicum ecclesiæ multarum & capituli. Mediolani mense Junio obiit anno 1507. Cor in ecclesiam Franciscanorum ibidem delatum, corpus vero in æde collegiata beatæ Mariæ castri Toarcensis in Pictonibus depositum est.

LXIX. Stephanus de Poncher senator & episcopus Parisiensis, Franciæ sigillorum custos, demum Senonensis archipræsul XI. Julii 1508. Ludovico XII. annuente a monachis electus, regi sacramentum fidelitatis præstitit 4. Novembris 1507. Ejus monachorumque mutuis expensis odeum ecclesiæ constructum fuit. Domum abbatialem aliaque ædificavit. Lugduni defecit 24. Februarii an. 1524. annos natus 78. quo mortuo Franciscus de Poncher fratris ejus filius a monachis postulatur & eligitur: at ille causa cadens, sequenti cedere coactus est.

LXX. Antonius I. du Prat cardinalis, Franciæ cancellarius, Albiensis, Senonensis & Meldensis pontifex, a Ludovica de Sabaudia Francisci I. parente, tempore regis captivi rectrice, abbas reluctantibus monachis factus est anno 1525. Post cujus assumtionem, adhuc reclamantibus monachis, jussu regis jam liberi & Floriacum ingressi turris sancti Michaelis partim destructa est. Statim idem rex castrum & arcem Castillonii super Ligerim subfodi fecit & dirui. Antonius autem sanctuarium lapide marmoreo, jaspideo & porphyretico ex Italia expensis suis allato ornavit, & fornicem seu arcum triumphalem ex lapide d'*Apremont* construxit pro sacris capsis tam S. Benedicti, quam aliorum Sanctorum. Multas etiam tam in locis regularibus, quam in dominiis refectiones curavit, apud castrum gentilitium de Nantouillet exstinctus 9. Julii 1535.

LXXI. Antonius II. Sanguin cardinalis de Meudon, magnus Franciæ eleemosynarius, ex Aurelianensi episcopo archiepiscopus Tolosanus die 7. Augusti 1535. cardinali du Prat successit. Anno sequenti de ejus licentia majus altare ecclesiæ Floriacensis sub nominibus beatæ Mariæ, sancti Benedicti & S. Antonii a D. Petro Rouilly episcopo Ebronensi consecratum fuit 19. Octob. Antonii & monachorum ad preces oppidum S. Benedicti a Francisco I. mutatur in urbem anno A 1542. Antonius autem archiepiscopatus Tolosani procurationem accepit anno circiter 1550. & Floriacensi dignitati renunciavit. Denique rebus humanis Luteciæ exemtus 1559. 22. Decemb. ibidem sepulturæ traditur in templi Vallis-scholarium sacello beatæ Mariæ.

LXXII. Odetus de Coligni cardinalis de Chastillon, episcopus Bellovacensis & archiepiscopus Tolosanus, commendam obtinuit 7. Febr. 1551. vi bullarum Julii III. cujus electioni adfuerat, & tenuit fructus, licet jam anno 1562. a fide defecisset, ad annum 1569. quo Romæ damnatus, omnibus beneficiis Parisiensi senatus-B consulto 19. Martii spoliatus est. Bona omnia monasterii dilapidavit, & per Aventinium domus suæ præpositum cuncta basilicæ aurea, argentea & gemmata vasa plurimis cum aureis argenteisque sacrorum evangeliorum atque epistolarum codicibus, pretiosissimis crucibus, thuribulis & candelabris, sacram insuper sancti Benedicti capsam auro, gemmis & argento contextam diripuit, dimissis reliquiis D. Antonio Foubert priori, qui eas multa prece ab Aventinio impetratas in arcula lignea secretissimo ædis abbatialis loco occuluit, una cum duobus ossibus sancti Sebastiani. Verum disparem corpora sanctorum Frogentii, Mauri, C Pauli, Tenestinæ habuerunt sortem, quæ comminuta, sparsa, conculcata, ac in ignem conjecta, in cinerem redacta a militibus principis Condæi item Calvinistæ. Eorum quippe capsas fregerunt, Calvinisticas conciones in choro basilicæ habuerunt, aquilam æneam in medio chori positam, quatuor majores columnas æneas majoris altaris, omnes campanas cum pretiosissima ecclesiæ supellectile abstulerunt, intacto abbatiali palatio, non monasterio; omnia siquidem pene manuscripta diripientes, quæ non lacerarunt, Petrus Daniel apud Aurelianos forum celebrans Floriacensisque prætor, ab iis vilissimo emit pretio: unde D in Petavii & Bongarsii, tum electoris Palatini & Christinæ Suecorum reginæ, ac tandem Vaticani rem transiit insignis illa Floriacensis bibliotheca.

LXXIII. Ludovicus II. de Lorraine cardinalis de Guise, commendatarius ab anno 1569. vicarium generalem habuit annis 1570. & 1571. Hoc autem anno 17. Julii & 17. Decemb. datæ exstant literæ, quibus ab officiariis regis proventus monasterii locati, probant Ludovicum honoris gradus, non fundorum mercedes habuisse. Quocirca post regium pacis edictum abdicat; & quia Hugonoti a privilegio clericali jam antea ipso jure depositi, omnium suorum beneficiorum E catholici alicujus nomine capaces declarantur, & pro Odeto & pro Admirallio Colinæo, cui ecclesiasticos proventus Odeti inde veneno, ut fertur, sublati, rex ad annum concessit, suffectus est sequens.

LXXIV. Paulus du Mesnil archidiaconus Briæ in ecclesia Parisiensi, vacantem per cessionem cardinalis de Guise commendam Floriacensem obtinuit bullis Romæ datis 14. Dec. 1571. quo nomine occurrit in schedula quadam anno 1572. 24. Maii, quæ in tabulario reperitur. At insulas

abbatiales non multo post amisit. Nam occiso A Admirallio cum aliis multis die 24. Augusti ejusdem anni sancto Bartholomæo sacra,

LXXV. Claudius Sublet regi ab eleemosynis & consiliis brevi interposita mora præfuit 8. Sept. 1572. quemadmodum fidem faciunt plura documenta in tabulario asservata. Eo postulante statuta est reformatio hujusce domus 1576. & unio ejus ad congregationem Gallicanam Exemtorum 16. Augusti 1588. Ligneam & deauratam thecam pro ratione temporis sumtibus suis exstruendam curavit, & in eadem S. Benedicti ossa recondi mandavit, quod & factum est die 22. Maii 1581. Exstinctus est anno exeunte 1583. vel B ineunte 1584. Nemora quamplurima divendidit.

LXXVI. Carolus d'Orleans Caroli IX. Francorum regis ex Maria Touchet Aurelianensi filius naturalis, reperitur commendatarius 17. Julii 1584. & 6. Februarii 1586. quo tunc Parisiis morabatur in collegio Majoris monasterii. In temporalibus monasterii aliter quam oportebat, egit, ipsorum magis invasor ac eversor, quam custos. Anno 1601. Carolus secularis abdicavit, factus dux Engolismensis.

LXXVII. Achilles de Harlay dominus de Sancy, Nicolai Harlæi baronis de Maulia ærario præfecti & Burgundiæ progubernatoris filius & C Mariæ Moreau, Floriacensis commendatarius reperitur 8. Junii 1602. cujus vicarius generalis in Floriacensi monasterio memoratur an. 1604. Johannes Foubert præpositus ejusdem cœnobii, in bibliotheca Floriacensi pag. 238. quæ Lugduni opera Johannis a Bosco Cœlestini anno 1605. primum e latebris emersa, ac antiquariorum usui exposita fuit. Sedit Achilles ad annum 1606. De eo plura in episcopis Maclovienfibus.

LXXVIII. Jacobus le Ber sancti Iterii Soliacensis canonicus & cantor, possessionem Floriaci obtinuit 30. Januarii 1606. reluctantibus monachis. Is enim abbas nomine tenus, quam sub ejus D nomine Maximilianus de Bethune primus dux Soliacensis a rege impetrarat, abbatia potiebatur, qui anno 1616. cum successore de abbatia egit.

LXXIX. Guillelmus IV. Fouquet de la Varenne regi a sanctioribus consiliis, episcopus Andegavensis, abbas Athanacensis, &c. memoratur commendatarius Floriacensis 7. Junii 1616. in charta, & in diplomate Ludovici XIII. mense Octobri anni ejusdem. Fato functus est 10. Januarii 1621.

LXXX. Johannes Armandus du Plessis cardinalis de Richelieu Lucionensis episcopus, Floriaci adiit possessionem XI. Augusti 1621. cujus E tempore prioratus de Stampis de consensu monachorum Cartusiæ Aurelianensi 19. Aprilis 1624. unitur. Monasterium in silvis du Trefond Johannes Armandus multum deprædatus est anno 1626. Monachorum ingratiis de ipsius licentia inducitur reformatio congregationis S. Mauri anno 1627. Johannes autem obiit 4. Decembris 1642. sepultura donatus Parisiis in sacello Sorbonico. Quam inopem in rebus & facultatibus & quasi consumtam invenerant reformati, quasi de novo reædificant, ornamentis instruunt plurimis basilicam, alienata revocant non pauca. Johanni autem non statim successor datus est, vacavitque sedes aliquantulum. Hæc mora liti ansam præbuit inter Armandum Johannem Baptistam de Vignerod nepotem Johannis cardinalis regio donatum diplomate, & Ludovicum Barbier ab Aurelianensi duce designatum. Ducis enim est nominare abbates omnes Aurelianenses. Illius ergo dono

LXXXI. Ludovicus III. Barbier de la Riviere sat humili natus loco, fortunato quodam ingenio præditus, Floriaci possessionem adeptus est die 2. Martii anno 1644. factus postea Lingonensis episcopus, ut diximus tom. IV. col. 640. An. 1663. Johannes d'Estrades quondam Condomiensis episcopus, qui relicto episcopatu solitudinem Floriacensem per quinquennium præ ceteris elegerat, reliquias sancti Benedicti in pretiosam thecam transtulit. Parisiis fato corripitur Ludovicus anno 1670. 30. Januarii. Post cujus obitum sedes fere sex mensibus vacavit.

LXXXII. Raimundus Berengarius de Lorraine, dictus d'Harcourt, parentes quippe habuit Henricum comitem d'Harcourt & Margaritam du Cambout de Coislin, ab Aurelianensi duce abbas nuncupatus, primo per Majoris consilii decretum in possessionem realem inductus est, secundo bullas accepit prima Decembris 1675. & tenuit commendam ad annum 1679.

LXXXIII. Philippus de Lorraine Melitensis eques, dictus Princeps de Lorraine, ex resignatione Raimundi germani anno 1679. abbas Floriacensis ab Aurelianensi duce designatur, & 17. Novembris anni sequentis excipitur. Exstruxit de novo ædes abbatiales, quas multum ampliavit & ornavit. Terram de Sunicampo in censum domino d'Armenonville monachis probantibus dedit. Adversus Floriaci incolas summos exantlavit labores ac pericula adiit. Obiit in palatio regio Lutecia 8. Decemb. 1702. ætatis 60. etiam abbas sancti Johannis de Vineis, S. Petri Carnotensis, sanctæ Trinitatis de Tironio, & ordinis sancti Spiritus eques torquatus creatus anno 1688.

LXXXIV. Harduinus Rouxel de Medavy de Grancey filius Jacobi cognominis Franciæ marescalli & Catharinæ de Monchy, doctor Sorbonicus & Sapientiæ Romæ, primus erat Aurelianensi duci ab eleemosynis, abbas Balgenciaci, Reliquiarum & Pruliaci, cum ab eodem duce præsentatus 31. Decembris 1702. a rege nominatur 5. Jan. 1703. proponitur Romæ 17. Novembris 1704. possessionemque adipiscitur die Natali Domini anni ejusdem. Vulneratus die 7. Septembris anni 1706. in obsidio Augustæ Taurinorum, cum ducis Aurelianensis lateri adhæreret, die crastina obiit.

LXXXV. Hieronymus du Faur de Pibrac ex clara Fabrorum Tolosanorum familia, doctor theologus, præco verbi Dei disertissimus, decanus ecclesiæ Bajocensis ejusdemque episcopi vicarius generalis, superior Carmelitarum monialium Franciæ, magister capellæ ducis Aurelianensis, hujus ad præsentationem, relicto quem ab an. 1692. in

commendam tenebat Miciaco, Floriacensis nominatur commendatarius in vigilia Nativitatis Domini anno 1706. Possessionem apprehendit die 13. Augusti anni ejusdem. Longævus obiit.

LXXXVI. Daniel Josephus de Cosnac filius Johannis de Cosnac toparchæ d'Espeyreve ex Maria Gabriele Teresia Faucon de la Jugie, præpositus primum metropolis Aquensis vicariusque generalis archiepiscopi, a provincia Viennensi ad generalia cleri comitia deputatur anno 1725. tum ab Aquensi anno 1726. Laurea doctoris apud Navarram eodem anno decoratur 14. Septemb. Translatum Carolum Gaspardum Guillelmum de Vintimille du Luc ab Aquensi ad Parisiensem B metropolim secutus, novæ diœcesis ab eodem factus est vicarius generalis mense Sept. 1729. Tum decanus S. Germani Autissiodorensis apud Parisios receptus est 9. Decembris sequentis, ejusdemque canonicus mense Novembri 1730. A provincia Parisiensi ad generalia cleri comitia deputatur 1730. Magister oratorii regii mense Junio 1732. cessit 1739. Nominatus a rege 23. Maii 1734. episcopus Diensis, cedente Gabriele patruele, qui & ipsi jam anno 1719. commendam Orbisterii cesserat, Romæ proclamatus est 9. Julii & propositus 24. Septembris 1734. Sacratus est 24. Octobris in sacello seminarii sancti Sulpicii C Parisiensis ab archiepiscopo Viennensi, adstantibus episcopis Atrebatensi & Aurelianensi, & die 31. regi fidem dixit Versaliis. Die autem eadem qua factus est episcopus Diensis, renunciatus simul est commendatarius Floriacensis. A provincia Viennensi, qua Diensis episcopus, ad generalia cleri Gallicani comitia deputatus est anno 1740. Insequenti Viennæ obiit exeunte Augusto 1741. annos natus 43.

LXXXVII. Alexander Milon episcopus Valentinensis, renunciatus est a rege commendatarius Floriaci 25. Octobris 1742.

S. Loup.

SANCTUS LUPUS.

Parthenon sancti Lupi originem traxit a mulieribus pœnitentibus, Filiabus Dei vulgo nuncupatis, Aurelianis simul commorantibus, quibus Ludovicus rex & Blancha regina dederunt (Ch. LXVII. col. 530.) anno ineunte 1235. tria arpenta vineæ in clauso juxta capellam sancti Aniani, in via quæ ducit in Burgundiam. Cum autem his in vineis non (Ch. LXVIII. col. 530.) possent ædificare, alia duo arpenta mulieres emerunt anno eodem ab abbate S. Petri Carnotensis in censiva & parochia S. Paterni, ad exstruenda ibi domum & oratorium. Nondum autem erant moniales, quippe quibus adhuc nubere licitum E erat; at paulo post album induerunt, dictæ moniales albæ de Vinea B. Mariæ, forte a nomine vineæ quam emerant, in literis Ludovici regis, qui do- (Ch. LXX. col. 533.) navit eis 168. arpenta terræ in renda de Chantolio anno 1237. & in charta ab ipsis confecta anno 1246. quæ sic incipit: *Priorissa & moniales domus monialium, quæ Vinea beatæ Mariæ nuncupatur.* Vinea autem illa forte in via, quæ eadem est ac calceata, sita erat: moniales enim de Calceata dicuntur a Guillelmo Aurelianensi episcopo, qui A ecclesiam sancti Lupi nunc in burgo Burgundiæ sitam cum omni jure in ecclesia & claustro a decano & capitulo sancti Petri Virorum obtinuit, monialibusque de Calceata ut locum aptum & (Ch. LXXIII. col. 535.) habilem ad habitandum largitus est anno 1249. Inde postea dictæ sunt, ut etiamnum dicuntur, moniales sancti Lupi. Habitum religionis jam susceperant ab anno 1237. priorissisque parebant moniales, at quod præcise institutum sequerentur, ignoratur. Ex bulla Johannis XXII. anno 1332. liquet has fuisse ordinis sancti Benedicti: at in bullis Pauli III. & sequentibus Cisterciensi adscribuntur. Aliæ in votorum nuncupationibus Benedictinas, aliæ Cistercienses se appellant. Attamen abbates Cistercienses pro superioribus nusquam agnoverunt, Cistercienses ritus nusquam secutæ sunt, & a Cisterciensibus nusquam gubernatæ sunt, sed sub decanis Aurelianensibus S. Crucis semper fuere usque ad Radulfum Grosparmi, qui jus suum episcopo cessit anno 1297. a quo tempore sub episcoporum Aurelianensium potestate semper fuere. Regulam autem Benedictinam ab initio cum constitutis abbatissarum tenuerunt, & etiamnum tenent. Itaque vere sunt & reputari debent moniales albæ ordinis sancti Benedicti. Anglorum quoque & Calvinistarum furorem expertæ sunt, ut ceteræ urbis ecclesiæ; hinc orta domus parvi sancti Lupi in urbe ipsa, quo quædam ex illis confugerunt, & sedem fixerunt ad annum 1685. quo Ludovica Carlotta de Chastillon tertia abbatissa disgregatas moniales revocavit, domumque laïcis locavit. Prioratus enim in abbatiam erectus (Chart. LXXVII. col. 543.) est ab Urbano VIII. 30. Novembris 1639. de consensu regis & Gastonis ducis Aurelianensis. Priorissarum & abbatissarum catalogus ex instrumentis hic est.

PRIORISSÆ.

I. Margarita I. mense Decembri 1246.

D II. Matthæa vendidit mense Octobri 1259. Radulfo Liger domum Vineæ B. Mariæ, seu de Calceata. Vendidit & canonicis S. Evurtii domum Dominica post Dominicam *Lætare* 1279. nunc 1280.

III. Johanna 1280.

IV. Michaelis I. 1289.

V. Petronilla I. venditionem facit anno 1321.

VI. Agnes 1330.

VII. Margarita II. la Garelle vel Garault, mense Novembri 1355.

VIII. Isabella I. du Prat 1360.

IX. Adelina des Chasteliers e familia nobili in Belsia 7. Martii 1379. (1380.)

X. Isabella II. de la Flotte Sabbato post Purificationem B. Mariæ 1388. & 10. Julii 1398.

XI. Margarita III. de Bussola 1403.

XII. Petronilla II. Appensée 27. Maii 1404. prima Aprilis 1418. & 16. Julii 1420. Dicitur non ita pridem defuncta in charta data 14. Martii 1447. nunc 1448.

XIII. Robina Appensée, si priorissa, non anno 1435. ut vult le Maire, sed post Petronillam anno 1447.

XIV. Peretta Ogier annis 1456. 1457. 1468. 1476. 1479.

XV. Simonis I. de Mausabre 1485. 1486. 1508.

XVI. Simonis II. Sainx jam monialis an. 1489. & priorissa 1517. 1518. 1523. 1525. cessit in gratiam sequentis libello supplici ad summum pontificem, in quo monialem se dicit Cisterciensem: summus quoque pontifex in bulla hanc Cisterciensem supponit, quo fundamento prorsus ignoratur, nisi quod albis ab initio induebantur moniales sancti Lupi. Eadem ratione licet ecclesia S. Lupi ab anno 1249. aliud sortita non fuisset nomen, at quia ecclesiæ Cistercienses omnes beatæ Virgini dedicatæ sunt, suam quoque eadem priorissa vocat ecclesiam B. Mariæ in Vineis, alias S. Lupi.

XVII. Michaelis II. Godard possessionem ritu solito iniit 30. Januarii 1540. nunc 1541. Johannem de Tigni promovit anno 1551. ad parochiam sancti Lupi vacantem per defectionem præcedentis. A christiana quoque religione ipsa defecit an. 1562. & quæcumque potuit, abstulit. Obiit anno 1576. heredemque ex asse instituit Johannem Godard equitem dominum du Bois de Villers fratris ipsius filium.

XVIII. Catharina de Launay, si priorissa, non anno 1561. ut vult le Maire.

XIX. Ivona de Foyal 15. Novembr. 1564. & 24. Januarii 1567. modo 1568. obiit 1579.

XX. Maria I. de Thinville seu Thiville, obiit 1579.

XXI. Marquisia de Varennes, quæ professa creditur monialis sancti Aviti Castridunensis, ad sanctum Lupum accessit 28. Julii 1570.

XXII. Philippa de l'Hospital filia Aloisi de l'Hospital domini de Choisy ex Ludovica de Poisieux, ad sanctum Lupum accessit prima April. 1575. Obierat ante 22. Julii 1597.

XXIII. Gabrielis I. de l'Hospital præcedentis germana, præerat ante 22. Julii 1597.

XXIV. Francisca Allegrain monialis sancti Lupi & priorissa ante 29. Januarii 1600. Reperitur adhuc annis 1612. & 1613.

XXV. Maria de Guerard præerat 28. Julii 1616. In charta data 26. Septemb. anni ejusdem dicitur non ita pridem priorissa, & certe munus abdicavit, & obiit 1641.

XXVI. Genovefa de Baudry anno eodem obiit, quo possessionem iniit.

XXVII. Gabrielis II. de l'Aubespine soror Gabrielis episcopi Aurelianensis, ex priorissa S. Lupi facta est anno 1630. abbatissa Regalis loci prope Compendium.

ABBATISSÆ.

I. MARIA Anna de Cochefilet Andrea de Cochefilet de Vaucelas equite torquato comite de Vauvineux, & Elisabeta de l'Aubespine Guillelmi filia ac Gabrielis episcopi Aurelian. sorore parentibus, Madriti in Hispania patre inibi legatione fungente nata, de fonte sacro ab Anna tum Hispaniarum infante, dein Ludovici XIII. conjuge, suscipitur. Postea in parthenone Pontis-
A Dominarum monialem induit & vovet. Cedente vero matertera fit priorissa sancti Lupi, Romæque admittitur 11. Octobris 1630. Possessionem adepta est 21. Decembris anni sequentis. Prioratum in abbatiam erigi curavit ab Urbano VIII. 30. Novembris 1639. cujus possessionem nacta est 19. Julii 1640. Ædes abbatissæ ædificavit, translataque est mense Aprili 1647. ad Bellummontem prope Turones.

II. Maria de Lenoncourt filia Antonii de Lenoncourt domini de Marolles, de Poligny, &c. ex Maria d'Angennes de Rambouillet, monialem vovit in parthenone Jotrensi anno 1623. Posses-
B sionem sancti Lupi iniit 12. Septembris 1647. Fundamenta locavit hospitii Aurelianensis anno 1655. Benedictionis munus ab episcopo Aurelianensi in abbatia sua accepit 12. Novembris 1656. Durante principum bello, Aurelianos secedere coacta est. Monasterium prudenter administravit & erexit, sororibusque suis exemplo magis quam generis claritate præluxit, defuncta Aurelianis non sine sanctitatis opinione 23. Decembris 1683.

III. Ludovica Carlotta de Chastillon nata Francisci de Chastillon & Magdalenæ Franciscæ Honoré anno 1657. habitum induit monasticum
C in Parisiensi beatæ Mariæ de Lætitia parthenone. Adhuc erat novicia, cum a rege nominata est abbatissa S. Lupi prima Julii 1684. Possessionem iniit 26. Julii 1685. Revocavit anno eodem moniales e domo, quam apud Aurelianos inhabitabant, dicta *le Petit Saint Loup*: at cum anguste habitarent, solo incrementum attulit, murisque illud circumcinxit, infirmarum domum construxit, reditus adauxit, exemploque potius quam verbis præfuit. Defuncta die 15. Febr. 1711. annum agens 54. sepelitur in cœmeterio, ut præceperat.

IV. Maria Olympia de Chastillon filia Alexii Henrici marchionis de Chastillon equitis torquati,
D ex Maria Rosalia de Brouilly de Pienne, monasticen moderante amita professa est apud sanctum Lupum, cui defunctæ ex priorissa majori successit nominata die 14. Augusti, possessionemque iniit 2. Novembris 1711. ab episcopo Bajocensi N. de Lorraine benedicta. Sapienter gubernavit, molestiis & ærumnis per totam vitam conflictata. Sororibus suis multum flebilis occidit apoplexia trium dierum 2. Aprilis 1731.

V. Gabrielis Jubert de Bouville nominata a rege 12. Aprilis, possessionem nacta est 20. Junii 1731.

E

SANCTUS EVURTIUS.

SAINT EUVERTE.

DEfunctus seculo IV. exeunte S. Evurtius Aurelianensis episcopus, sepultus est in agro Tetradii viri præfectorii in planitie 3. aut 400. passibus ab urbe Aurelianensi ad Orientem sita, ubi ædificatum oratorium in honorem B. Mariæ, quam cum sancto Evurtio patronam habuit usque ad seculum undecimum, quo & sequentibus solus sanctus Evurtius patronus audiit. Hanc ecclesiam jam inhabitabant canonici anno XV. Caroli Magni, qui plurima eis largitus est diplomate, quod licet

Chart. II. col. 480. adulteratum, in appendice tamen referre viſum eſt, tum quod nihil in eo niſi certum recitetur, tum quod in multis aliis chartis revocetur. Ex hac autem charta aliiſque quæ hanc ſubſecutæ ſunt liquet monaſterium ſancti Evurtii ab initio ad matrem eccleſiam pertinuiſſe, eccleſiæ Aurelianenſis membrum & de menſa epiſcopi fuiſſe, cujus epiſcopi Aurelianenſes abbates & erant & dicebantur. Una eſt e quatuor clericorum abbatiis in civitate Aurelianenſi memoratis in epiſtola 58. inter epiſtolas Stephani Tornacenſis pag. 75. videlicet ſancto Evurtio, ſancto Petro Virorum, ſancto Petro Puellarum, & ſancto Avito. Pluribus jam donis pinguiores facti ſeculares canonici, eccleſiam ſuam augere meditabantur, ſed timor quem timuerunt, ne eccleſia ſic apparata monachis vel regularibus canonicis cederet, evenit eis: acciti enim ex abbatia ſancti Victoris Pariſienſis anno circiter 1140. ab epiſcopo, ut credere par eſt, Aurelianenſi canonici regulares, collapſam penitus in monaſterio ſancti Evurtii diſciplinam eccleſiaſticam reſtituerunt, & ordinem canonicum ſecundum regulam beati Auguſtini & normam fratrum ſancti Victoris inſtituerunt. Hi ſanctitate vitæ morumque honeſtate plurimos nobiles beneficos experti ſunt, comites Bleſenſes, dominos de Soliaco, de Balgenciaco, de Montepipello, Böelli, dominos de Huſſello, buticularios, &c. Ludovicus VII. donavit eis eccleſiam ſancti Donatiani anno 1178. Philippus Auguſtus cellam beatæ Mariæ de Francharto in nemore de Brieria anno 1197. Manaſſes Aurelianenſis epiſcopus prioratum de Vado-ulmi anno 1177. Jam eis conceſſerat anno 1146. præbendarum ſanctæ Crucis vacantium annualia, ea lege ut a die obitus canonici quotidiana per annum pro eo miſſa in eccleſia ſanctæ Crucis celebraretur.

Ch. XLVII. col. 521. Chart. L. col. 522. Ch. XLVI. col. 520. Chart. XXVIII. col. 506.

Præbenda etiam ab antiquo in eccleſia S. Crucis potiebantur, unde forte, ſive ob aliam quamlibet quam ignoramus cauſam, tenebantur infirmantibus capituli exhibere ſolatium & decedentibus præſtare ſepulcrum. Hujus rei gratia anno 1176. Hugo decanus & capitulum Evurtianos in partem vocarunt diſtributionum bis in anno in capitulo fieri ſolitarum canonicis, qui ad matutinos ſurgebant. Præterea cum eccleſia ſancti Evurtii eſſet de menſa epiſcopi & capituli membrum, hinc forte obtinuit mos, ut epiſcopi Aurelianenſes priuſquam urbem ingrederentur pro adipiſcenda eccleſiæ ſuæ poſſeſſione, eccleſiam ſancti Evurtii adirent, a qua ſolenni pompa ad baſilicam ſanctæ Crucis deducebantur mortuique in ea ſepelirentur. Id jam obſervabatur quoad ingreſſum ſeculo XII. ut etiamnum obſervatur. Sed tunc nulla erga epiſcopos Aurelianenſes, ſicut nec archiepiſcopos Senonenſes procuratione tenebantur Evurtiani. Hanc primus exegit Hugo electus anno 1198. a cujus temporibus in vigilia ingreſſus epiſcopi cum omni comitatu jacent in abbatia ſancti Evurtii.

Steph. Tornac. epiſt. 280. Epiſt. 58. Epiſt. 277. Epiſt. 58. 268.

Multis quoque caſibus pluries defuncta hæc abbatia, poſt excidium ſemper renata eſt. A Normannis ſeculo IX. deſtructa, combuſta ſeculo XII. poſt introductos Victorinos ab Anglis ſeculis XIV. & XV. ſolo æquata, muris urbis quibus incluſa fuit ſub Ludovico XI. protecta videbatur. Ceterarum adhuc urbis eccleſiarum ſortem experta eſt, quæ ſeculo XVI. a Calviniſtis funditus everſæ ſunt. Reſpirante demum bellis religioſis Gallia, curis Caroli Fougeu d'Eſcures commendatarii & magnificentia Henrici IV. e ruinis relevata eſt. Denique acciti anno 1636. canonici regulares congregationis Gallicanæ ædes & diſciplinam renovarunt.

Abbates ſeculares non loquimur, quibus ab initio obnoxium ſancti Evurtii monaſterium, a decanis gubernabatur. Agius dicitur abbas ſancti Evurtii in diplomate Caroli Magni. Joſcelinus decanus ſubſcripſit chartæ Odolrici anno 1027. Regularium abbatum ſeriem ex inſtrumentis eruimus. *Chart. II. col. 480. Chart. XL. col. 492.*

ABBATES.

I. ROGERIUS primus regularium abbas quinquennio poſt electionem reliquias ſancti Evurtii invenit, quarum inventionem Frehero abbati ſancti Audoëni ſignificavit literis apud Martennium. Mendum irrepſit in anno aſſignato in bulla qua Eugenius III. ſancti Evurtii bona confirmat data Rogerio, ubi loco 1114. legendum 1147. Inſequenti papæ ad exemplum Ludovicus rex Rogerium abbatem diplomate regio dignatus eſt, in quo ſancti Evurtii poſſeſſiones eodem tenore ac in bulla recitat. Subſcripſit anno eodem Rogerius chartæ regis ejuſdem pro Aurelianenſibus, bienniоque poſt 1149. literis Simonis de Balgenciaco pro Burgo-medio. Reperitur in chartulario Miciacenſi anno 1150. quo Manaſſes epiſcopus chartam dedit poſtulantibus Rogerio abbati & fratribus ſancti Evurtii. Obtinuit ab Adriano IV. & Alexandro III. bullas ejuſdem tenoris ac bulla Eugenii III. Memoratur anno 1158. in chartis Pontilevienſibus. Permutando a Ludovico VII. obtinuit an. 1163. Toarvillam in parochia de Sebonvilla in Belſia. Invitatus a ſummo pontifice ad concilium Turonenſe, Erviſum abbatem ſancti Victoris conſuluit 1164. Controverſiam habuit cum priore Pontis-monachorum & Stephano Cluniacenſi abbate, quam arbitri diremerunt anno 1167. Manaſſes epiſcopus & Johannes decanus. Hoc autem vel ſequenti ceſſit in gratiam Stephani, cujus canonici regularis eſt epiſtola 17. ad Rogerium abbatem ſuum.

Anecd. tom. 1. col. 413. Ch. XXIX. col. 507. Ch. XXX. col. 508. Chart. XXXVII. col. 514.

II. Stephanus I. Aurelianis anno 1135. natus eſt. A puero in eccleſia Aurelian. nutritus, ſcholaris Petrum poſtea cardinalem ſancti Chryſogoni ſocium habuit. Poſt modum in eccleſia S. Evurtii ſub regulari diſciplina religioſam vitam profeſſus eſt anno ſaltem 1158. forte etiam 1153. Abbati facto an. 1168. Manaſſes epiſcopus & Herbertus archidiaconus dederunt eccleſiam de Marogilo pro anniverſario Johannis Aurelianenſis decani, cujus obitum cum provinciæ epiſcoporum nomine regi defleſſet Stephanus, hujus indignationem incurrit. Quædam permutavit cum Andræa abbate ſancti Maximini anno 1175. Vineas huic largitus eſt anno 1176. Manaſſes epiſcopus ad preces nepotum ſuorum Hugonis decani ac Manaſſis capicerii.

Epiſt. 46. 59. 191. 274. 282. Epiſt. 1.

Huic Petrus Aniciensis episcopus & ejus successoribus abbatiam de Dôa reformandam concessit. Basilicæ ipse suæ incendio consumtæ fuit insignis reparator. Ut sumtus ad tantum opus necessarios comparaect, misit quosdam e canonicis suis ad vicinas urbes, qui tunc, ut moris erat, secum deferrent reliquias sancti Evurtii, quarum intuitu fideles eleemosynas suas largirentur templi ipsius reparationi impendendas. Factus est anno 1176. S. Genovefæ Parisiensis abbas, postea episcopus Tornacensis, unde dictus est Stephanus Tornacensis, ut diximus tomo 3. col. 215. & tomo superiori col. 720. Hujus habes opera edita a R. P. Claudio du Molinet canonico regulari congregationis Gallicanæ anno 1679.

Ep. 8. & 9.

III. Rogerius idem cum priore Rogerio, cujus quondam abbatis ad preces Ludovicus VII. univit capellam sancti Stephani ecclesiæ S. Hilarii anno 1176. & dedit Evurtianis ecclesiam S. Donatiani an. 1178. quam Philippus rex confirmavit anno 1183. Rogerio & fratribus laudavit Alexander papa domum de Vado-ulmi, quam dedit eis Manasses anno 1178. Subscripsit cum Harduino abbate Balgenciaci chartis Manassis episcopi anno 1180. & Petri Böelli pro sancto Evurtio anno 1182.

Ch. XLIV. col. 519. Ch. XLVII. col. 521. Ch. XLIX. col. 522. Ch. XLVI. col. 520.

IV. Hugo quondam abbas sancti Evurtii interfuit anno 1191. pactis initis inter Stephanum S. Genovefæ & Guillelmum Caroli-loci abbates, ex chartulario sanctæ Genovefæ.

V. Bartholomæus idem sane ac B. qui cessit toparchis de Boleto terram de Tribus-fontibus anno 1187. Permutat cum sancto Dionysio anno 1192. Donum Curiæ-Dei factum significat anno 1193. Denique B. Bartholomæusne an Berterus, arbiter fuit cum A. abbate Balgenciaci & Hugone decano anno 1195. inter episcopum Aurelianensem & abbatem sancti Maximini.

VI. Berterus, quo regente, cum refriguisset regularis disciplina, senibus exclusis & exulantibus, juvenibus vero dominantibus, Hugoni episcopo scripsit anno circiter 1199. Stephanus Tornacensis, ut vitia quæ in ecclesia sancti Evurtii pullulaverant, emendaret, & Berterum abbatem reprehendit ob ejus incuriam, quia indisciplinatos aut corripere non audebat, aut corrigere nesciebat. Vide Stephani Tornacensis epistolam 281. qui aliquot alias ei scripsit.

Epist. 280.

VII. Vulgrinus jam præerat mense Octobri anno 1200. Reperitur anno 1203. in tabulario Bonæ-vallis. Donationem fecit anno 1208. Arbiter fuit anno 1213. inter fratres Militiæ sancti Marci & priorem sancti Vincentii inter Vineas. Anno 1215. mense Maio litem sopivit pro decima de Abeto ipsum inter & Widonem juniorem de Bonodio & Landricum filium ejus burgensem de Lorriaco. Anno 1220. mense Octob. Johanni de Aurelianis & heredibus concessit, ut prior de Hussello singulis diebus in capella de Montepipello missam, & festis matutinos & horas celebraret per se vel canonicos suos, & priori dedit quosdam reditus. Nonnulla acquisivit, quæ libera ei concessit Philippus Augustus an. 1222. Societatem iniit cum Herveo abbate Burgi-medii anno 1224. Pepigit cum capitulo sancti Aviti anno 1225. eodemque anno conciliavit auctoritate apostolica canonicos sanctæ Genovefæ & Philippum de Riis.

VIII. Herbertus mense Aprili 1235.

IX. Gervasius mense Decemb. 1235. arbiter fuit pacis inter priorem Franchardi, Odonem de Alona militem & alios super quatuor modiis bladi, &c.

X. Johannes I. mense Martio 1240. donat priori & fratribus de Franchardo libertatem capiendi de domina de Boterna & heredibus, 12. denarios census annui.

XI. Stephanus II. compromissum fecit cum Manasse decano & capitulo S. Crucis die Lunæ ante Purificationem 1240. Societatem fecit pro communione precum ac bonorum operum cum Evrardo abbate Miciacensi. Dissidium habuit cum capitulo sanctæ Crucis anno 1247. cujus arbiter fuit Guillelmus de Bussy episcopus. Societatem confirmavit cum Burgo-medio anno 1265.

XII. Laurentius anno 1287. interfuit cum Egidio episcopo & Guillelmo abbate Floriacensi, cum primus lapis impositus est constructioni ecclesiæ sanctæ Crucis.

XIII. Guillelmus I. fœdere & societate conjungitur cum Burgo-medio anno 1288. Occurrit adhuc 1295. die Jovis post festum sancti Bartholomæi, & anno 1297.

XIV. Bernardus præerat temporibus Rogerii episcopi.

XV. Guillelmus II. cujus precibus canonici sanctæ Crucis sancto Evurtio domum & hortum concesserunt anno 1338. Idem forte cum G. qui reperitur 28. Decembris 1347. in authentico.

XVI. Petrus I. Gueniot aut Queniot, occurrit annis 1381. 1387. 1388. 1397. A rege deputatus est pro clero in civitate & diœcesi Aurelianensi super negotio subsidiorum belli, ut patet ex ipsius chirographo die 3. Martii 1396.

XVII. Johannes II. Bidouin benedictus fuit a Guidone de Prunelé Aurelianensi episcopo anno 1408.

XVIII. Adam de Tretainville 1422. 1425.

XIX. Johannes III. de Tretainville 1432. 1448.

XX. Petrus II. Chereau 1458. A cardinali Bessarione deputatus fuit anno 1472. ut capellam S. Nicolai Balgenciacensis in parochiam erigeret. Occurrit ad annum 1475.

XXI. Carolus I. de Blanchefort filius Guidonis ex Johanna de Layre memoratur anno 1488. In literis Caroli VIII. datis anno 1496. dicitur protonotarius apostolicus, canonicus Sacræ capellæ Parisiensis, commendatarius S. Evurtii & Victoriæ, quo nomine occurrit ad annum 1508. Factus est episcopus Silvanectensis anno 1510.

XXII. Philippus Pot annis 1513. 1522.

XXIII. Ludovicus Chantereau mense Sept. 1527. Obiit episcopus Matisconensis 1531. ubi vide tom. IV. col. 1093.

XXIV. Odetus de Coligni cardinalis de

Chastillon nominatus 10. Octobris 1531. bullas A obtinuit 13. Aprilis 1533. indultumque omnia ab ipso dependentia beneficia conferendi libere anno 1534. confirmatum 1536.

XXV. Franciscus I. du Bourg protonotarius apostolicus, per cessionem Odeti cardinalis abbas sancti Evurtii nominatur mense Octobri 1537.

XXVI. Franciscus II. du Bourg filius Antonii du Bourg Franciæ cancellarii ex Anna Henard, episcopus Rivensis, commendatarius S. Georgii de Bosco & Exoldunensis, commendam quoque sancti Evurtii obtinuit anno 1541. Ejus bona fisco addicta fuere senatus-consulto die Mercurii ultima Julii 1560. donec reformationi assensissent B canonici. Obiit 17. Septembris 1568.

XXVII. Michael Viole filius Johannis domini d'Aigremont senatoris Parisiensis, nominatus est anno 1566. vir rara eruditione cum pietate singulari conjuncta, quam scriptis multiplicibus illustravit, præcipue instructus. Edidit plura sacrarum literarum monumenta, & in iis quæ lucem non viderunt luculenta commentaria in vetus Testamentum, sex libros de arcanis numeris & temporibus, de anarchia Gallica, hierarchia & monarchia ecclesiastica, & alias lucubrationes. E vivis excessit Aurelianis tumulatus in æde S. Evurtii cum effigie ad vivum expressa & epitaphio: *Hic* C *situs est reverendus in Christo pater Michael Viole hujus cœnobii religiosus abbas, ubi cum præfuisset XXVI. annis, summo bonorum omnium luctu Aureliæ 71. annos natus animam Deo reddidit die Maii XIV. M. DXCI.* Ibidem in pariete duo leguntur versiculi:

Hæc tam grata bonis facies, Violæ, perenni
Laude, sed in scriptis mens rediviva viget.

XXVIII. Claudius Sain 1600. 1602.

XXIX. Carolus II. Fougeu Descures, Aurelianensis succentor ecclesiæ, regi a consiliis, commendam sancti Evurtii nominatus obtinuit anno D 1609. Abbatiam quoque Castri Nantonis tenuit. Adfuit comitiis cleri Gallicani anno 1615. Vigili cura & industria destructam ab hæreticis basilicam regum munificentia instaurari impetravit. Defunctus ætatis anno 62. die 18. Septembris 1630. jacet in chori dextra parte sub epitaphio.

XXX. Jacobus le Coigneux clericus Parisiensis, Jacobi præsidis in senatu Parisiensi filius ex Maria le Cerisier, bullis obtentis cal. Decemb. 1630. possessionem iniit 19. Februarii 1635. Assensum præbuit ut crearetur pensio 500. libr. e mensa abbatis in favorem N. de Turin.

XXXI. Franciscus III. le Coigneux dominus E de Bachaumont præcedentis germanus, Parisiensis senator & clericus, pontificiis munitus bullis IX. calendas Martii 1645. possessionem adeptus est 25. Augusti 1647. Cessit anno 1664. in gratiam sequentis.

XXXII. Dominicus Larcher ortu Lotharingus, presbyter Tullensis, bullas obtinuit V. idus Januarii 1664. possessionemque iniit 2. Aprilis 1665. Obiit mense Maio 1684.

XXXIII. Nicolaus de Graves diaconus Paris. canonicus honorarius ecclesiæ metropolitanæ, jam abbas B. Mariæ de Peyriniaco diœcesis Aginnensis ab anno 1683. commendatarius sancti Evurtii a rege nominatus prima Septembris anno 1684. bullis a pontifice donatur VI. cal. Martij 1685. Possessionem apprehendit 10. Julii 1694. Obiit 13. Decembris 1738. Parisiis annum agens 81.

XXXIV. Timoleon Carolus Gouffier editus dominis de Thois, presbyter & canonicus Parisiensis a die 9. Martii 1728. nominatus fuit a rege abbas sancti Evurtii mense Aprili 1739.

BALGENCIACUM.

BAUGENCY.

Ecclesia beatæ Mariæ in urbe Balgenciaci ad Ligerim ad occasum sex leucis ab Aurelianis distans conditur primum in castro Balgenciaci a toparchis hujus loci, ut credere par est, desunt enim chartæ & instrumenta, illicque jam divinis vacabant canonici anno 1033. quorum ad preces Landricus de Balgenciaco a servitute exemit prædia, quæ canonici sancti Evurtii apud Husseium habebant anno 3. Henrici I. Horum abbas, idem forte ac advocatus & dominus, Lancelinus de Balgenciaco ecclesiam S. Sepulcri in cœmeterio canonicorum sitam monachis Vindocinensibus dedit, quam canonici illis calumniati sunt die 4. Junii 1081. Canonicis quoque iisdem decimam de Crissel Lancelinus, hortosque de Rotheaus Haadeberga parentes Radulfi dederunt. At canonici illi erantne regulares, abbative parebant, & quandonam paruere? hîc cœcutit oculus. Sub regula sancti Augustini jam militabant fratres, abbatique suberant, tum cum Radulfus de Balgenciaco ecclesias beatæ Mariæ, sancti Firmini & Vosonensem, quas injuste dominabatur, liberas & quietas iis cessit anno, ut videtur, 1104. in concilio Balgenciacensi, præsentibus nempe Richardo cardinali Romano, Daimberto Senonensi archiepiscopo, Ivone Carnotensi, & Galone Parisiensi episcopis. Hanc immunitatem postea confirmarunt tum Radulfus charta ad id data, tum Johannes Aurelianensis episcopus sigillo chartæ apposito & instrumento dato anno 1126. ex quibus duabus chartis erui posse videtur priorum canonicorum loco canonicis regularibus ab ipso substitutis liberam & quietam ecclesiam B. Mariæ constitutam fuisse a Radulfo, quam ipse & antecessores male possederant. Præter toparchas de Balgenciaco inter benefactores hujusce ecclesiæ numerantur domini de Joiaco, de Taverso, Philippus & Archembaldus Berruyer, Robertus de Carnoto, domini de Firmitate Huberti & Naberti, de Alumpna, de Veneciaco, Johannes de Aurelianis dominus Montispipelli, senescalli de Villaribus, domini de Lorgiis, Odo Chabot, Johannes de Chastillon, &c.

Ch. XVIII. col. 498.

Ch. XXV. col. 503.

Ch. XXIV. col. 503.

Multa ab Anglis passa est abbatia seculo XIV. plura ab hæreticis an. 1562. Hanc denique solo fere æquarunt tres commendatarii seculo XVII. ineunte. Ab his & illis damna ut sarciret illata Nicolaus de Heres, canonicos regulares congregationis Gallicanæ accivit, qui disciplinam regularem revocarunt, ædesque labentes renovarunt. Horum prior R. P. Roux superstites chartas humanissime

humanissime nobiscum communicavit, ex quibus A hanc abbatum seriem confecimus.

ABBATES.

Ch. XVIII. col. 498. I. RAINARDUS memoratur in charta Radulfi I. domini de Balgenciaco.

Ch. XXVII. col. 505. II. Joscelinus, cui Innocentius II. bullam confirmationis bonorum monasterii concessit die 6. Ch. XXXI. col. 509. Martii 1139. subscripsit chartæ Simonis de Balgenciaco ecclesiam beatæ Mariæ de Bono-Nuncio cedentis Garnerio abbati Majoris monasterii anno 1149. alterique ejusdem Simonis chartæ hoc ipso anno datæ pro Burgo-medio.

III. Gunthelinus subscripsit an. 1149. chartæ B Simonis de Balgenciaco pro Burgo-medio. Memoratur anno 1150. in chartis Miciacensibus & Bellimontis Turonensis. Reperitur annis 1156. Chart. XXXVII. col. 514. & 1158. in chartis Pontislevii.

IV. Rogerius 1160.

V. Harduinus I. anno circiter 1168. in literis quippe Manassis episcopi pro anniversario Johannis decani interfecti. Subscripsit ejusdem chartæ pro sancto Solenni Blesensi anno 1180.

VI. Rainaldus cum Rogerio abbate & Bertherio priore sancti Evurtii subscripsit literis Lancelini de Balgenciaco declarantis Petrum Böellum cessisse sancto Evurtio omnia jura apud Uxellum C anno 1182.

VII. Aubertus reperitur anno 1194. Insequenti cum B. abbate sancti Evurtii & Hugone decano sanctæ Crucis arbiter fuit inter Henricum de Dreux episcopum, & abbatem S. Maximini.

VIII. Gaufridus I. anno 1201. Venditionem factam a Raginaldo Bodelli confirmavit an. 1202. Occurrit adhuc annis 1203. & 1204. quo permutavit cum Hamelino Vindocinensi.

IX. Theobaldus Aimerico abbati Eleemosynæ decimam cedit anno 1208.

X. Girardus de Vezinis, ipse est, ut videtur, qui de consensu concanonicorum a Guillelmo D Ch. LXXI. col. 533. Aurelianensi episcopo electus est abbas salvo jure ecclesiæ Balgenciacensis mense Novembri 1240. Prima nominis litera designatur G. 24. Martii 1242. Querelam habuit cum Simone de Balgenciaco, quam diremerunt arbitri Petrus abbas sancti Georgii de Nemore, & Lebertus ex ordine Fratrum Prædicatorum quondam decanus Aurelianensis, mense Augusto 1243. Occurrit anno 1254. in chartular. Miciacensi, 1255. & 1256. in chartis Burgi-medii.

XI. Stephanus abbas Balgenciaci, totusque conventus societatem inierunt cum Guillelmo abbate S. Georgii de Nemore diœc. Cenomanensis, E ea lege ut alterutrius conventus abbas eadem auctoritate in alterutro potiretur monasterio proprio absente abbate, & ut canonici utriusque ecclesiæ reputarentur canonici, precesque mutuas funderent, Sabbato post sanctam Luciam anno 1293.

XII. G. memoratur 23. Aprilis 1306. Prædictam societatem cum O. abbate sancti Georgii confirmavit. Vocatur Guichardus a Bernerio.

XIII. Gaufridus II. societatem iniit cum canonicis Blesensibus Burgi-medii anno 1336. Præfuit capitulo generali in monasterio B. Mariæ in Cavea celebrato 1340. & mense Mart. 1343.

XIV. Guillelmus 1350. apud Bernerium.

XV. Jacobus I. 24. Febr. 1351. A Philippo duce Aurelianensi obtinuit 4. Martii 1367. facultatem muniendæ abbatiæ ab Anglis vastatæ. Declaravit 10. Octobris 1384. infirmariam aliaque loca quæ ad vallandam abbatiam insumserat, ad ipsos pertinere.

XVI. Gaufridus Clement ab anno 1423. die 23. Octobris ad 1451.

XVII. Jacobus II. Doulce literas fraternitatis concessit Maturino Rabire 14. Januarii 1456. nunc 1457. Occurrit adhuc 1458. & sequentibus. Obiit ineunte 1472.

XVIII. Florentinus Cornierau *al.* Cormerau, ex priore sancti Firmini electus abbas 1472. cujus precibus cardinalis Bessarion legatus in Gallia commisit Petrum sancti Evurtii abbatem, ut parochia sancti Firmini a capella sancti Nicolai separaretur, hæcque in parochiam erigeretur. Occurrit in chartis ab anno 1472. 22. Aprilis ad 18. Febr. 1481. modo 1482.

XIX. Johannes Chabot e familia nobili, ut videtur, in Belsia, ab anno 1482. nunc 1483. 22. Februarii ad annum 1494. 19. Aprilis.

XX. Guillelmus I. de Berry ab anno 1499. 3. Julii. Adsuit comitiis primorum Aurelianensium 22. Octobris 1509. Occurrit adhuc 17. Aprilis 1529.

XXI. Guillelmus II. de Morainville e familia nobili & antiqua apud Aurelianos, e sacrista ab anno 1517. electus abbas, occurrit in chartis ab anno 1531. 29. Aprilis ad annum 1549. 10. Maii. Regularium postremus obierat die prima Decembris 1549.

XXII. Antonius I. Coutel reginæ Medicææ ab eleemosynis, primus commendatarius ab anno 1551. 21. Junii ad annum 1577. 4. Maii. Æmulum passus videtur Johannem Patouillet electum forte a capitulo.

XXIII. Stephanus Petit 13. Julii 1580.

XXIV. Hilarius Bobé.

XXV. Jacobus III. Coutel occurrit an. 1584. cujus bullæ in acta relatæ tantum sunt 7. Januarii 1588. Cum autem adversus regem sese confœderasset, in reditus abbatiæ regia injecta manus est anno 1590. Regi fide jurata, reditus illi restituti sunt 18. Junii 1591. Sedit pacifice ad annum 1602. quo in gratiam germani cessit.

XXVI. Antonius II. Coutel cessione Jacobi factus abbas, confirmatur a rege 11. Aug. 1602. & a summo pontifice 17. Decembris. Iniit possessionem 23. Maii 1603. Lacessitus a fratre Jacobo, octo bullas obtinuit ad priorum confirmationem. Occurrit in chartis annis 1605. & 1609. Cessit sequenti 20. Junii 1611.

XXVII. Petrus I. Potin cessione quoque Antonii abbas, bullis pontificiis munitus, possessionem per procuratorem adeptus est 8. Octobris 1614. Occurrit adhuc anno 1616. Abbatiam

cum duobus decessoribus simul dilapidavit.

XXVIII. Nicolaus de Heere nobilis Aurelian. regi ab eleemosynis & decanus sancti Aniani, commenda potiebatur 29. Augusti 1622. Canonicos regulares congregationis Gallicanæ advocavit. Defunctum diximus col. 1525. Nicolaum die 23. Junii 1624. sepultumque in basilica sancti Aniani in sacello beatæ Mariæ.

XXIX. Jacobus de Heere patruo successit. Canonicos regulares admisit an. 1642. Decanus quoque sancti Aniani per cessionem Dionysii germani, obiit decanus & abbas 5. Maii 1654.

XXX. Rogerius d'Estampes filius Jacobi d'Estampes marchionis Firmitatis-Imbaldi, equitis torquati & Franciæ marescalli, ex Catharina Blancha de Choiseul-Praslin, canonicus Lugdunensis, commendatarius Balgenciaci erat a die 3. Octob. 1654.

XXXI. Petrus II. l'Allemant de l'Etrée filius Petri, aquarum & silvarum præfecti in ducatu Aurelianensi, & N. True, occurrit anno 1682. Clero valedixit anno 1690.

XXXII. Harduinus II. Rouxel de Medavy, de quo diximus in Floriacensibus, Balgenciaci possessionem iniit anno 1690. obiitque 8. Septembris 1706.

XXXIII. N. de Castagnieres de Chateauneuf consiliarius clericus in senatu Parisiensi, nominatus 24. Decembris 1706. obiit mense Novembri 1708. etiam abbas Varenarum.

XXXIV. Johannes Baptista de Sonning licentiatus in theologia, duci Aurelianensi erat ab eleemosynis, a quo præsentatus, nominatur a rege in Natali Domini anno 1708. Possessionem adeptus est anno 1709. & obiit mense Augusto 1730.

XXXV. Nicolaus Gedoyn nobilis Aurelianensis, canonicus Sacræ capellæ Parisiensis, unusque e XL. viris academiæ Gallicanæ, ex academia quoque humaniorum literarum & inscriptionum, nominatus mense Novembri 1730. possessionem per procuratorem iniit 1731.

CURIA-DEI.

LA COUR-DIEU.

CIstercienſium monachorum fama illectus Johannes II. Aurelianensis, horum examen e Cistercio in suam diœcesim accivit, & collocavit in silva Aurelianensi sex leucis ab urbe versus Orientem in parochia Ingranniæ, in loco dicto Curia-Dei, quem ædificata abbatia ingressis

Ch. XXII. col. 501. monachis exeunte Aprili anno 1118. dedit eis anno 1123. cum aliis nonnullis de assensu capi-

Ch. XXIII. col. 502. tuli, quæ rex Ludovicus VI. quibusdam adjectis confirmavit anno eodem. Hoc autem a dono cum postea resilire vellet capitulum, inquieta ingenia

Ch. XLVIII. col. 522. compescuit Lucius III. pontificio diplomate Curiæ-Dei bonis assertis. Hujus exemplum secuti sunt Philippus Augustus & episcopi Aurelianenses, Ma-

Chart. LII. col. 523. nasses, Henricus an. 1196. Hugo 1201. Manasses 1213. & Philippus 1221. qui jam consecratus antequam Aurelianos solenniter ingrederetur, ad Curiam-Dei accessit, cujus possessiones confir-

A mavit. Inde forte, & quia ab episcopo fundata fuerat abbatia, in qua sibi suisque procurationem reservaverat, nata consuetudo, quæ jam obtinuerat anno 1357. ut episcopi Aurelianenses a Curia-Dei ingressum solennem auspicentur.

Præter Franciæ reges, duces & episcopos Aurelianenses, de Curia-Dei bene meriti sunt Petrus de Curtiniaco ibidem sepultus, toparchæ de Sully, de Baugenci, de Corbeil, de Donjon, de Pithiviers, d'Ascheres, d'Orleans, de Longueu, de Montliard, Buticularii, &c. Sed quid non imminuerunt hæretici seculo XVI. aliaque post deterior adhuc pestis? ita ut mirum, quod post tot clades

B abbatia in dies renascatur.

Pluribus aliis initium dedit Curia-Dei, Loco-regio & Oliveto in diœcesi Bituricensi, Sacræcellæ in Senonensi, & Valli beatæ Mariæ in Parisiensi.

Abbatum monasterii catalogum ex instrumentis aliisque monumentis eruimus, ut potuimus.

ABBATES.

I. AMALRICUS Curiam-Dei cum monachis Cisterciensibus ingressus est anno 1118. A Johanne episcopo & capitulo Aurelianensi donatus est anno 1123. loco ipso Curiæ-Dei, aliis- Ch. XXII. col. 501.

C que prædiis. Obtinuit anno eodem a Ludovico rege diploma pro confirmatione bonorum monasterii. Ch. XXIII. col. 502. Decimam Fracti-putei accepit anno 1126. a Rainaldo de Vergeriaco. Hoc abbate satagente, conditur monasterium Loci-regii in solo Bituricensi anno 1129. Obiit ex necrologio cal. Maii.

II. Robertus I. cui Johannes II. episcopus Aurelianensis defunctus circa ann. 1135. scripsit epistolam, cujus superest initium. Hujus temporibus conditur cœnobium Vallis beatæ Mariæ in diœcesi Parisiensi anno 1136. Inscribitur necrologio VIII. calendas Martii, ubi secundus abbas legitur.

D III. Petrus acquisivit a dominis de Pithiveris anno 1138. terram de Faverollis. Curavit construi anno 1144. Oliveti abbatiam. Obtinuit anno 1145. literas confirmationis a Ludovico VII. cujus regio diplomati in gratiam civium Aurelianensium subscripsit anno 1147. Eugenius III. bulla Petro data 8. Augusti anni ejusdem bona monasterii confirmavit. Transegit Petrus anno 1149. cum Ingranno de Stoëto. Pepigit cum Macario abbate Floriacensi pro litigiosis apud Faverollas. De eo legitur in necrologio: *XIII. cal. Julii obiit D. Petrus abbas hujus loci III.*

E Bernardus legitur abbas Curiæ-Dei anno 1148. in chartulario Obasinæ ex schedis Sammarthani nostri, at suspectus nimis videtur hic abbas, ut ei inter abbates Curiæ-Dei locus certo assignetur.

IV. Leodegarius I. seu Lotherius bullam obtinuit ab Adriano IV. anno 1154. tresque ab Alexandro III. annis 1159. 1162. & 1164. Chart. XXXVIII. col. 514. Anno 1155. Ludovicus rex monachis Curiæ-Dei in loco arido & inaquoso habitantibus indulsit, ut in vivario suo de Nibella piscarentur

uno die ante capitulum Cisterciense, & altero in A regressu a capitulo propter hospites. Leodegarius acquisivit an. 1162. partem decimæ Fracti-putei. Hujus ad preces Manasses episcopus Johannis II. chartam confirmavit, necnon donatum Brunivillare anno 1165. Sedebat adhuc anno 1169. quo Manasses vetuit ne abbatia infra quinque leucas circa Curiam-Dei ædificaretur.

V. Sevinus ex abbate beatæ Mariæ de Lencha legitur abbas beatæ Mariæ de Curia-Dei, cui anno 1169. dedit Manasses domum de Lencha cum appenditiis, quam confirmavit anno 1171.

VI. Leodegarius II. si tamen diversus a priore, donatus est a Manasse episcopo domo apud Pithi- B verim sita, anno 1173. In necrologio inscribitur VII. abbas, ubi legitur mortuus die 3. Octobris.

VII. Hugo I. monasterio Sacræ-cellæ Senonensi dedit initium anno 1181. Bullam obtinuit
Ch. XLVIII. col. 522. a Lucio III. adversus canonicos Aurelianenses, qui fundationi contradicebant, eo quod instrumento suum non apposuissent sigillum. Regium quoque diploma impetravit a Philippo Augusto anno 1188. Cum A. abbate de Barzella ab abbate Cisterciensi missus laudavit anno 1189. locum quem Fulco Ribola ad ædificandam abbatiam de Savigneio dare proposuerat. Eodem anno Archembaldus Soliacensis dominus, filius Gilonis C Curiæ-Dei confirmavit omnes consuetudines & pedagia ac telonearia animalium, porcorum & quadrigarum, ac liberum transitum per pontem Soliacensem, usumque in quibusdam silvis. De Hugone IV. abbate necrologium ad XII. calendas Novembris.

VIII. Hervæus memoratur in concordia inita cum abbate & conventu Floriacensi pro prædio de Charupello, inscriptus necrologio V. abbas XIV. calendas Septembris.

IX. Hugo II. querelam habuit cum capitulo sancti Aviti, quam terminavit mense Augusto 1209. Cum W. episcopo Autissiodorensi arbiter D fuit anno 1213. inter Manassem Aurelianensem episcopum & abbatem Floriacensem designatus litera H. Obiit XVII. calend. Junii, quo die sic in necrologio: *Obiit D. Hugo abbas II. hujus loci VI.*

X. Willelmus I. jam anno 1215. memoratus, occurrit anno 1217. in tabulis beatæ Mariæ de Valle. Pepigit anno 1218. cum abbate & conventu Floriacensi, super molendinis apud Fontanellas.

XI. Robertus II. querelam habuit anno 1219. cum canonicis Aurelianensibus, qui monachis Curiæ-Dei usum denegabant in silvis capituli. Cum A. abbate Callovii sententiam tulit anno E 1220. adversus abbatem Clarevallensem, qui monialium de Friestor visitationem ambiebat in præjudicium abbatis Morimundi.

XII. Martinus I. Robertum sequitur in ms. codice, & dicitur abbas octavus in necrologio.

XIII. Giroldus reperitur anno 1231. in charta Barbelli. Hic ille forte est G. qui occurrit 1223. mense Februario, & 1224. mense Octobri in regesto 31. thesauri chartarum.

XIV. Nicolaus sedebat annis 1234. & 1241. mense Novembri. Cum W. Ursi-campi & Bernardo Frigidi-montis abbatibus arbiter fuit querelæ inter abbates Mortui-maris & Vallis beatæ Mariæ, mense Maio 1242.

XV. P. significat mense Julio 1243. venditionem factam capitulo Aurelianensi ab abbate & monachis Oliveti.

XVI. Guarinus litem habuit an. 1250. cum abbate sancti Evurtii, quam arbitri dijudicarunt Guillelmus episcopus & duo canonici Aurelianenses, quorum sententiam ratam habuit Guarinus anno 1252. Tumulatur in capitulo, dictus nonus abbas in necrologio ad III. calendas Januarii.

XVII. Henricus I. hunc excepit in obituario decimus abbas ad XIV. calendas Junii. Transegit cum abbate Floriacensi de terra Charupelli mense Octobri anni 1270. Sepultus est in capitulo cum inscriptione.

XVIII. Simon abbas undecimus in necrolog. ad IX. calendas Octobris, cui nonnulla ceduntur ex chartis anno 1272.

XIX. Gaufridus XII. abbas numeratus in necrologio, jam præerat anno 1274. Obiit autem anno 1280. V. idus Julii, tum ex necrologio, tum ex inscriptione sepulcrali.

XX. P. abbas Curiæ-Dei occurrit in charta abbatiæ de Bello-visu anno 1282.

XXI. Johannes I. de Jargolio, quod cognomen e Jargoliensi oppido natus sortitus est, pater immediatus abbatis Vallis beatæ Mariæ in diœcesi Parisiensi approbat pactum initum inter Johannem abbatem Vallis & abbatem sancti Maglorii de domibus sitis Parisiis in jurisdictione sancti Maglorii, Dominica post Nativitatem B. Mariæ anno 1317. Occurrit adhuc in chartis an. 1318. Decimus tertius abbas mortuus legitur in necrologio XVII. calendas Maii. In lapide sepulcrali, ubi 24. annos rexisse legitur, indistincte notatur obitûs annus sic: *M. CCC.... IV. mense Aprili.*

XXII. Guillelmus II. ratam habuit an. 1340. capellam fundatam præcedenti ab Adamo Bardilly toparcha de Pithiveris, in ecclesia Curiæ-Dei. Obiit anno 1347. die sancti Gregorii. In mortuorum libro dicitur abbas XIV. ad V. idus Martii.

XXIII. Johannes II. quo sedente an. 1349. moriuntur ex fratribus 17. monachi professi, 4. novicii & 4. conversi intra paucos menses, ut notatur in codice ms. Definitor erat in capitulo generali 1357. In necrologio inter abbates locus XV. ei assignatur.

XXIV. Stephanus I. abbas XVI. in necrolog. ad calendas Martii.

XXV. Henricus II. abbas XVII. ibidem ad V. idus Septemb. cujus loco in codice ms. habetur Thomas.

XXVI. Johannes III. Solas licentiatus in decretis 5. Octob. 1401. & 12. Maii 1416. inter abbates XVIII. ad calendas Octobris.

XXVII. Bertherius le Puart occurrit 26. Febr. 1420. & 16. Julii 1442. Idem forte est ac

Bartholomæus XIX. abbas defunctus VIII. idus Maii, ex necrologio.

XXVIII. Stephanus II. de Milly 2. Novemb. 1453. 4. Septemb. 1456. & 13. Junii 1460. notatus in necrologio ad non. Januarii XX. abbas.

XXIX. Stephanus III. Marchant anno 1462. visitat monasterium Vallis B. Mariæ, & Petrum hujus loci abbatem rationem villicationis suæ reddere cogit. Occurrit anno 1463. in charta Stamedii, 1467. in tabulario Landesii, & 1472. in archivo Belli-visus. Reperitur adhuc 26. Febr. anni sequentis ineuntis. Necrologium ejus mortem signat V. calendas Januarii, eumque dicit fuisse abbatem XXI.

XXX. Johannes IV. le Royer a die 19. Septembris 1473. ad 27. Aprilis 1478. De eo in necrologio: *XII. calendas Augusti obiit domnus Johannes XXII. abbas Curiæ-Dei, magister in sacra pagina e gente de Royer natus, baccalaureus.*

XXXI. Gislebertus de la Place 24. Julii 1479. 27. Aprilis 1496. & 1501. Interfuit comitiis generalibus ordinis Parisiis celebratis anno 1493. Dicitur abbas XXIII. in obituario, ubi mors ejus notatur XI. calendas Octobris.

XXXII. Guillelmus III. Chauvin sedebat 9. Junii 1503. Vicarius generalis Christophori de Brilhac episcopi Aurelianensis, confirmavit electum a capitulo Aurelianensi decanum Jacobum Lucas anno 1510. Occurrit adhuc anno 1515. in charta Oliveti. De eo hæc necrologium: *XII. calendas Augusti obiit venerabilis domnus Guillelmus XXIV. abbas Curiæ-Dei. Vir prudens & litteratus, vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus instituitur a domino Christophoro de Brilhac Aurelianensi episcopo, anno M. DX.*

XXXIII. Johannes V. Boyvin prior Pithiverensis, regularium Curiæ-Dei abbatum postremus electus circa annum 1520. 16. monachos duosque ducens novicios, Johannem d'Orleans episcopum ecclesiam Aurelianensem solenniter ingredientem 30. Maii 1522. excepit. Veneno sublatus 20. Julii 1537. in medio capituli humatur cum epitaphio.

XXXIV. Guillelmus IV. de Vallery commendam tenuit 10. Novemb. 1538. 15. Martii 1539. 8. Julii 1540. & 1541.

XXXV. Marcus de l'Espinasse baro d'Artoin & de Maulevrier, occurrit commendatarius 1546. & 4. Novembris 1547.

XXXVI. Martinus II. de Beaune libellorum supplicum magister reginæque matris deductor, abbas erat 29. Novembris 1556. & 22. Junii 1560.

XXXVII. Reginaldus de Beaune abbas Bonævallis & Molismi, successiveque episcopus Mimatensis & archiepiscopus Bituricensis & Senonensis, commendam quoque Curiæ-Dei tenuit 8. Sept. 1565. & 22. Februarii 1596. Sub ejus temporibus Novatores monasterium vastaverunt, ipse quoque bonorum monasterii partem maximam alienavit.

XXXVIII. Fiacrius Picard doctor in theologia,

A regiusque concionator, occurrit commendatarius 15. Novembris 1601. 10. Februarii & 12. Julii 1602. 13. Nov. 1603. 30. Aprilis 1610. A fide catholica extorris factus est. Æmulum passus est Petrum de la Gair vel de la Gaye equitem, custodum corporis defuncti fratris regis præfectum, commendatarium a rege designatum, qui reperitur 16. Maii 1600. 22. Februarii 1601. & 6. Maii 1617. Iisdem temporibus Philippus de Sureau eques, dominus des Marais commendam quoque deglutiebat, cujus nomine Lazarus de Semezai eques, dominus de Lumeau, locum tenens ducis Soliaci nonnulla conduxit 7. Aprilis

B 1607.

XXXIX. Carolus Hotman filius Caroli baronis de Rougemont & Mariæ Boulart, laïcus commenda quoque potitus est, ut constat ex actis XI. Aprilis 1617. 12. Februarii 1620. 7. Jan. 1632. 17. Junii 1634.

XL. Leonorius d'Estampes de Valançay episcopus Carnotensis, multorum aliorum cœnobiorum abbas, Curiam-Dei quoque tenuit, nominatus a rege 19. Decembris 1634. Cessit sequenti sub pensione annua 3600. librarum.

XLI. Nicolaus Franciscus Brulart de Sillery studio literarum operam dabat in collegio Na-

C varræo, cum per cessionem decessoris nominatus a rege, & summo pontifici commendatus est 27. Julii 1635. Reperitur adhuc 21. Octob. 1636. 3. Julii 1637. & 8. Julii 1638. Commendas quoque de Pelicia, S. Basoli & de Jardo tenuit. Curiam-Dei pro prioratu permutavit cum sequenti.

XLII. Ludovicus Nicolai filius N. Nicolai de Presle deductoris reginæ Annæ Austriacæ, nominatus a rege 27. Julii 1650. obiit prima Decembris 1675.

XLIII. Jacobus Franciscus Minot de Merille filius protocubicularii Philippi fratris Ludovici XIV. puer adhuc commendam obtinuit & habuit

D a die 13. Aug. 1676. ad diem 15. Julii 1680. Attamen abbatia ab œconomis adhuc administrabatur 2. Septembris 1678. forte ob infantiam nominati, qui fuit adhuc abbas de Brana.

XLIV. Johannes VI. Fages doctor Sorbonicus, summus ærarii ducis Aurelianensis inspector eidemque ab eleemosynis, abbas nominatus anno exeunte 1680. vel die 2. Februarii 1681. obiit Monspelii 2. Febr. 1730. ætatis anno 89.

XLV. Jacobus Bonne Gigault de Bellefonds regi ab eleemosynis, canonicus & præpositus S. Martini Turonensis, vicarius generalis archiepiscopi Turonensis, doctor Navarræus 18. Maii

E 1724. nominatus mense Mart. 1730. Curiæ-Dei possessionem per procuratorem obtinuit mense Julio 1731. Defuncto Petro Guillelmo de la Vieuville episcopo Baionensi 30. Junii 1734. successit a rege renuntiatus 8. Octobris 1735. Proclamatus Romæ mense Januario 1736. inunctus fuit a cardinali de Polignac in ecclesia Noviciatus Dominicanorum Parisiensium, assistentibus episcopis Lactorensi & Condomiensi 25. Martii 1736. Regique sacramentum dixit 31.

ejusdem mensis. Post obitum Jacobi de Forbin A
de Janson defuncti 13. Januarii 1741. translatus est ad metropolim Arelatensem 24. Aug. 1741.

In scriptis ducis Aurelianensis adversus monachos Curiæ-Dei die 12. Julii 1712. cardinalis de Lorraine legitur abbas hujus cœnobii. Quis sit autem cardinalis ille de Lorraine, & quonam reponendus loco nescimus, quippe cujus nullum superest vestigium.

Voisins, olim Vesines.

B. MARIA DE VICINIS.

Chart. LIV. & LVII. col. 515. & 516. Ch. LVIII. col. 516. Chart. LX. LXI. & LXII. col. 517. & 518.

EREMITIS seu Bonis-hominibus ecclesiam beatæ Mariæ de Nemore apud Buciacum anno 1213. tenentibus successere moniales Cister- B
ciensis ordinis, quæ cum ob loci importunitatem & aquarum penuriam ibi abbatiam ædificare non possent, ad locum de Veisins in parochia sancti Agili, tribus leucis ab urbe versus Occasum, ipsis ab Hervæo Cheneaux donatum translatæ sunt a Manasse Aurelianensi episcopo, qui quidquid ab Eremitis fuerat occupatum, ipsis concessit, quibus postea addidit bona canonicorum in capella sanctissimæ Trinitatis apud Hiemvillam institutorum, qui locum cedere monachis ibidem tunc temporis degentibus coacti fuerant. Novella monialium domus jam apud Veisins erat constituta anno 1215. mense Augusto, quo & sequentibus plures C
ipsis factæ sunt donationes a toparchis de Baugenci, du Puiset, d'Orleans, de Prunelay, de Bellovillari, de Magduno, de Faverollis, de Luniaco, de Bermenvilla, de Loriaco, &c. Has confirmavit Honorius III. bulla data Laterani XIII. calendas Aprilis 1219. libertates ordinis Cisterciensis eis largitus. Vix dum ædificatus erat parthenon, cum ecclesiam construere opere sumtuoso meditatæ sunt moniales. At cum præ inopia non possent, Gregorius IX. bulla 20. Junii 1230. fideles provinciæ Senonensis hortatus est, ut cum domus esset de novo fundata, monialibus ad opus suum opem & operam præstarent. Monitis pontificiis D
morem gessisse non videntur fideles: ecclesia enim nusquam fuit absoluta: imò seculo XIII. ecclesiam & domum deprædati sunt nebulones, solo æquarunt Angli seculo XV. monialesque in urbem ad domum quam a fundatione habuerant, secedere coegerunt; Neoterici quoque has de fortunis omnibus deturbarunt, ita ut post tot calamitates ad extremam paupertatem redactæ, amplius non subsisterent, ni abbatissas posteris seculis nactæ fuissent, quæ pristinum parthenonis decus, tam in ædificiis quam in disciplina regulari restaurarunt. Harum series ex Instrumentis hæc est.

(Ch. LXIV. col. 518. — Ch. LVIII. col. 516. — Ch. LXIII. col. 518.)

ABBATISSÆ.

E
I. FLANDRINA, quam e domo de Plessiaco ortam suspicamur, Bartholomæique hujus nominis sororem, vulgo creditur prior abbatissa, cujus & Manassis Aurelianensis episcopi ad preces, Reginaldus Carnotensis episcopus novellæ domui monialium Cisterciensium apud Veisins constitutæ donatam a Radulfo Potet decimam bladi in villa de Leuvilla confirmavit mense Augusto 1215.

(Chart. LIX. col. 517.)

II. Elizabet electa obedientiam promisit Roberto Aurelianensi episcopo. Obierat anno 1277.

III. Isabellis I. creditur abbatissa, quæ sedebat anno 1277. cujus nomen ignoratur: Isabellis quippe in quibusdam chartis reperitur.

IV. Margarita I. præerat Sabbato post festum apostolorum Petri & Pauli an. 1306. Statim electa obtinuit a Clemente V. rescriptum pro restitutione avulsorum parthenonis bonorum. Huic idem pontifex an. 1308. Majoris monasterii abbatem pro bonorum ac privilegiorum conservatore assignavit. Pepigit anno 1312. cum Johanne de Ponte-monachorum super campi-parte de Bonneville.

V. Agnes I. du Fresnay præfuit ab anno 1314. ad 1319. quo efflavit animam.

VI. Helissendis I. de Corvoy 1320.

VII. Maria I. præerat anno 1331. die Veneris ante festum sancti Johannis Baptistæ.

VIII. Helissendis II. sedebat anno 1333.

IX. Johanna de Montpipeau nobili genere, filia erat Gaufridi domini de Montpipeau, qui fundavit anno 1335. capellaniam in monasterio, ubi uxor ejus Heloissa sepulta est, ipseque sepulturam elegit. Johanna sedente, cum Angli cœnobium devastassent, nec sacris pepercissent ædibus, Johannes Aurelianensis episcopus concessit indulgentiam opem ferentibus ad loca sacra resarcienda anno 1372.

X. Isabellis II. de Saint Mesmin memoratur in instrumento 1375.

XI. Guillelmeta I. Lourcelle seu potius Ourceau, germana Roberti Ourceau militis, præsidebat annis 1377. 1378. 1380. 1381.

XII. Guillelmeta II. la Bouelle seu Boyau, filia Radulfi Boyau domini Husselli, præerat annis 1397. 1398. 1400.

XIII. Margarita II. de Charnay primo regiminis anno a Carolo Francorum rege anno regni 21. *salvæ gardiæ* obtinuit literas datas Parisiis 27. Augusti 1401. Occurrit adhuc 31. Dec. 1402. inde forte translata ad Locum B. Mariæ.

XIV. Agnes II. de la Porte erat abbatissa de Vicinis anno 1413. cum in capitulo generali Cisterciensi ab abbatibus desolati Thesauri, statim atque vacaturus fuerit, abbatissa ipsa destinata fuit. Anecd. tom. IV. col. 1561.

XV. Petronilla du Tertre, quam dicunt ex moniali Aquæ in diœcesi Carnotensi, electam abbatissam de Vicinis anno 1407. memoratur 1417. 1420.

XVI. Florentia de Boissy reperitur abbatissa annis 1429. 1431. 1440. 1445. 1446. & 1449. quo paciscitur cum Petro de Poinville milite. Liberari a solvendo rotagio obtinuit decreto ducis Aurelianensis 7. Novembris 1457.

XVII. Ludovica I. de Brilhac neptis Francisci, germanaque Christophori episcoporum Aurelianensium, præerat anno 1475. Translata est ad Locum beatæ Mariæ.

XVIII. Christina de la Brosse sedebat annis 1477. 1482. 1484. 1485. 1486.

XIX. Jaquelina de la Brosse superioris forsan

neptis, parthenonem moderabatur annis 1492. 1497. 1503. 1504. Obiit 31. Dec. 1508.

XX. Ludovica II. de Boisviller, *alias* de Ferriere, electa a quatuor tantum e decem monialibus 4. Januarii 1509. adversus æmulas confirmata est ab abbate Eleemosynæ Gentiano vicario generali Jacobi abbatis Cisterciensis. Sedebat adhuc 30. Januarii 1512. & 3. Maii 1514. Paulo post cessit; non tamen defuncta videtur ante annum 1523.

XXI. Anna du Quartier prioris æmula, ut pote quæ a quatuor quoque monialibus electa prius fuerat, reperitur 11. Januarii 1516. 14. Maii 1517. 28. Januarii 1518. 5. Octobris 1520. Migrasse dicitur a seculo 1524. Exstat diploma Francisci I. Francorum regis anno 1517. quo sub regia tutela suscipit cœnobium.

XXII. Maria II. de la Chaussée ultima a monialibus electa 9. Martii 1524. Memoratur in chartis ab anno 1529. ad 1552. Decennio post obiit anno 1563.

XXIII. Susanna de la Chaussée amitæ a rege suffecta anno 1563. Pontificium diploma a Pio IV. obtinuit 23. Octob. indulgentias concedente fidelibus, qui ecclesiam de Vicinis visitarent. Ejus temporibus jubet Carolus Francorum rex inquiri de prædiis cœnobii Vicinensis bellorum causa aut ablatis aut viliori pretio datis, quæ cœnobio restitui mandat, dato præcepto anno 1564. Susanna rexit ad 15. Maii 1571. quo ex libera ejus cessione

XXIV. Jaquelina II. de la Chaussée regimen obtinuit ad 1574.

XXV. Margarita III. de Mothaise renuntiatur abbatissa mense Augusto 1574. Occurrit a die 15. Novembris 1577. ad 12. Septemb. 1596. Obiit 30. Septembris 1597.

XXVI. Maria III. de Halen per cessionem amitæ uno ante ipsius mortem mense pontificio donata diplomate, alias a summo pontifice per obitum obtinuit bullas, quia priores per incuriam Margaritæ suum non sortitæ erant effectum. Æmulam passa est Catharinam de Grentemesnil, quæ bullis quoque munita fuit, sed post Mariam, unde orta inter utramque lis, quæ definita est 16. Martii 1599. in gratiam Mariæ, quæ anno præcedenti pollicita erat obedientiam D. Edmundo a Cruce Cisterciensi abbati. Occurrit adhuc Maria anno 1599. 19. Maii, 21. & 29. Sept.

XXVII. Maria IV. d'Aubourg de Porcheu monialis de Villechasson, regio diplomate donata 22. Februarii 1599. cum præcedenti per annum litigavit, & obtinuit mense Septembri 1600. Reperitur in chartis ab anno 1601. usque ad 22. Junii 1625. Mors ejus annotatur ad annum 1628.

XXVIII. Dionysia d'Aubourg de Porcheu superioris germana, quam ad Vicinas secuta fuerat, defunctæ successit & obiit 1635.

XXIX. Ludovica III. de Berre de Castelbayart monialis sancti Ausonii Engolismensis, possessionem iniit 29. Julii 1635. Ædes & disciplinam

A instauravit. Obiit anno 1640.

XXX. Magdalena Pezé monialis Paracliti Ambianensis, a Ludovica accersita, monasterio priorissa & noviciis præficitur. Defuncta vero abbatissa, successit a monialibus postulata, a Gastone duce Aurelianensi præsentata, & a rege nominata. Possessionem nacta est 24. Januarii 1641. Ad alteram vitam migrasse dicitur anno 1649. Alibi tamen lego Magdalenam quondam abbatissam anno 1674. ex actis.

XXXI. Francisca de Dampont monialis de Vicinis, parthenonis regimen init 3. Februarii 1650. Occurrit annis 1651. & 1652. in chartis

B authenticis D. de Gaignieres. Obiit anno 1669.

XXXII. Maria Henrica de Fiennes nominata 31. Octobris 1669. init possessionem die 5. Februarii an. 1671. & rexit ad annum 1678. quo regiis & pontificiis literis transfertur ad abbatiam S. Remigii prope Villare ad collum Retiæ.

XXXIII. Maria V. *al.* Anna Bouchu Johannis Baptistæ Bouchu baronis de Lessart protopræsidis in senatu Burgundiæ, & Eleonoræ de Montholon filia, votis nuncupatis 23. Sept. anno 1657. in cœnobio Thesauri diœcesis Rotomagensis, assumitur ad regendum Vicinensem parthenonem literis ducis Aurelian. datis 12. Julii 1678. & regis 8.

C Augusti, pontificiaque Innocentii XI. bulla data VI. idus Septembris, quibus munita possessionem adit 23. Decemb. anni ejusdem: a quo tempore cœnobium a Novatoribus multa damna passum, multo alieno ære oppressum, a regulæ observatione nonnihil devium restaurare satagit. Obiit anno 1708. 5. Aprilis, ætatis 72. professionis 50. regiminis 30.

XXXIV. Margarita IV. de Villelongue filia gubernatoris Maceriarum in Campania, monialis Gaudii diœcesis Venetensis, nominata 2. Julii 1708. ad præsentationem ducis Aurelianensis, possessionem iniit 9. Octobris anni ejusdem.

D

LOCUS BEATÆ MARIÆ.

LIEU NOTRE-DAME près Romorentin.

Fundatur parthenon Cisterciensis in honorem beatæ Mariæ virginis 14. leucis ab Aurelianis versus Austrum, a Romorentino vero una tantum leuca versus Septentrionem, in parochia de Lantheneio, in paterno solo ab Isabella comitissa Carnotensi filia Theobaldi I. comitis Blesensis & Carnotensis, & Aliciæ de Francia, ab anno 1218. quo per obitum Theobaldi II. nepotis sui comitatum Carnotensem obtinuit ad ann. 1222. quo alteris cum Johanne domino Oisiaci nuptiis nupsit, forte anno 1221. post obitum primi sponsi Sul-

E picii de Ambasia. Novella enim adhuc dicitur plantatio in charta Johannis & Isabellæ plurima subsidio indigentibus monialibus largientium, ut tenerent capellanum, qui pro ipsis & antecessoribus deprecaretur. Nec cessavit quamdiu vixit Isabella de monialibus bene mereri. Dona ab ipsa parthenoni facta plurimis diplomatibus laudavit rex annis 1235. 1244. & 1248. qui & ipse monialibus duos sextarios salis donavit an. 1242. Matris ad exemplum Mathildis filia domina de

Ch. LXV. col. 529.

Ch. LXXII. col. 533.

Ambasia plurima cœnobio concessit, & parentis fundationem confirmavit. Laudantur quoque inter benefactores Johannes de Chastillon comes Blesensis & uxor Alix, Johannes comes Vindocinensis & Petrus filius, domini de Firmitate-Huberti, le Bugle, de Romorentin, de Tracy, de Charnay, du Plessis, &c.

Plurima etiam ab Anglis, Calvinistis, aliisque viris nequissimis perpessæ sunt moniales, quæ parthenone bis destructo sedes quoque mutare coactæ sunt, a quibus per tempestatem avulsæ forte fuissent, ni munificentia tum regis, tum ducis Aurelianensis animos eis dedisset.

Hæ autem sunt abbatissæ Loci, quarum nomina ex instrumentis habuimus.

Abbatissæ.

I. Menna parthenonem regebat an. 1245. ut colligitur ex charta anni 1262. Hunc profitetur mense Decembri 1256. in tutela fuisse Isabellæ comitissæ Carnotensis, tum Mathildis comitissæ, nuncque esse sub patrocinio Johannis de Chastillon comitis Blesensis & Carnotensis. Eidem Johanni cessit anno 1261. mense Junio usagium, pasnagium & pasturam in silva de Briodem. Ipsa creditur M. quæ die Jovis post *Misericordiam Domini* 1270. ratam habuit latam ab arbitro Roberto Romorentini archipresbytero sententiam inter moniales Loci & presbyterum de Soëmio de decimis hujus ecclesiæ.

II. Johanna I. de Plainvilliers venditionem facit comiti Blesensi die Martis post festum sancti Johannis Baptistæ 1327. Cognata forte Gaufridi de Plainviller, qui Loco decimam dedit 1253.

III. Thyphania de la Lande reditum annuum a Johanne Blesensi legatum accepit die Martis post Pentecosten 1336. & decem libras Turonenses ab Hugone de Chastillon comite Blesensi legatas 9. Septembris 1343.

IV. Johanna II. Lauboine, Lanboine, Laubonie, Lanbonie, totidem enim modis legi potest, transegit cum comite Blesensi mense Maio 1379.

V. Margarita de Charnay translata, ut credere par est, e Vicinis, Loco præerat 9. Septembris 1407. Utrum cessio quam meditabatur in manu Ludovicæ de Charnay Loco esset profutura, ad inquirendum nominati sunt abbates de Claritate & de Campania in capitulo generali Cisterciensi anno 1439. celebrato. Vide Anecdot. tom. IV. col. 1595. ubi non dicitur an Ludovica successerit, necne.

VI. Johanna III. du Plesseis reperitur die 15. Februarii 1452. nunc 1453. 4. Junii 1466. & 4. Decembris 1470.

VII. Ludovica de Brilhac ex abbatissa de Vicinis Loco præerat 22. Novembris 1480. & 29. Januarii 1483.

VIII. Johanna IV. Rabotin filia Guillelmi Rabotin militis, toparchæ de la Garenne, & Gabrielidis d'Orleans de Rere, neptis Catharinæ d'Orleans dominæ de Bastarde relictæ Hugonis de

A Signy equitis, memoratur abbatissa Loci 28. Novembris 1489. die prima Maii 1504. Defuncta est ante 12. Aprilis 1510.

IX. Gabrielis Rabotin superioris neptis sedit a die 23. Novembris 1510. ad 30. Maii 1551.

X. Johanna V. Audet 1564.

XI. Johanna VI. de la Magdeleine Locum tenebat anno 1589.

XII. Gilberta de Damas Loci monialis professionem emisit 1588. Abbatissa moderatur a 25. Julii 1595. usque ad 18. Martii 1598.

XIII. Maria Hurault filia Jacobi Hurault toparchæ du Marais, libellorum supplicum magistri,

B & Mariæ Herbelot, fit abbatissa bulla Clementis VIII. data 18. Aprilis 1599. Obiit die 16. Novembris 1628.

XIV. Regina Maria Hurault Mariæ neptis & filia Renati Hurault du Marais ex Magdalena Olivier de Leuville, coadjutrix a rege nominatur 22. Martii 1625. Reperitur 19. Julii 1649. & 8. Augusti 1651. Obiit 19. Maii 1662.

XV. Anna de Beauvilliers filia Francisci de Beauvilliers ducis de Saint Aignan & Franciæ paris, equitis torquati, & Antoniettæ Servien, monialis professa parthenonis B. Mariæ de Angelis prope oppidum sancti Aniani, renuntiatur abba-

C tissa Belli-visus Bituricensis a summo pontifice 27. Aug. 1653. Possessionem init 6. Martii 1655. Unde translata a rege ad Locum 7. Junii 1662. obiit 1668.

XVI. Elisabet Anna Catharina de Beauvilliers Annæ superioris germana, coadjutrix primum abbatiæ de Gaudio prope Nemorosium anno 1653. sorori succedit abbatissa Loci a rege nominata 14. Maii 1668. Injunctas a superioribus pœnas in domo professionis cum subiisset, reversa ad Locum obiit anno 1691.

XVII. Maria Margareta du Raynier de Droué germana marchionissæ Stampensis, monialis Vir-

D ginitatis, a Philippo regis fratre præsentata, a rege nominatur Loci abbatissa 1. Novembris 1691. Benedicta fuit a D. Nicolao Larcher abbate Cisterciensi. Ob nimiam facilitatem cedere coacta, sequenti munus transmisit die XI. Octob. 1704. secessitque ad Guichiam, ubi die 5. Decembris anno 1710. defuncta est.

XVIII. Catharina de Gruel filia Petri de Gruel domini de la Frette, monialis beatæ Mariæ de Angelis prope oppidum sancti Aniani, nominatur abbatissa Loci a rege die prima Novembris 1704. Bullis munitur 19. Martii 1705. & obiit exeunte 1716.

E XIX. Teresia de Gruel Catharinæ germana, annos nata fere 80. nominatur a rege abbatissa 20. Novemb. 1716. & bullas accepit 19. Martii 1717. unde permutatione facta cum sequenti, transfertur ad Buxeriam Bituricensem a rege die 5. Januarii 1719. bullisque donatur 27. mensis ejusdem. Paulo post apud Buxeriam defuncta est.

XX. Margarita Francisca Solu de Villerault neptis M. Hoüel de Marainville abbatissæ Benedictionis-Dei Lugdunensis, ibidem monialis,

Buxeriæ abbatiſſa a rege nominata 19. Aprilis A 1710. permutavit cum Tereſia ſuperiore, & tranſlata fuit ad Locum bulla data 26. Januarii 1719. Benedictionis munus accepit ab archiepiſcopo Pariſienſi in eccleſia ſanctæ Magdalenæ Pariſienſis prope Templum, die 30. Julii anni ejuſdem. Obiit 18. Maii 1731.

XXI. Magdalena Solu de Villerault ſuperioris germana, monialis quoque Benedictionis-Dei, ſororem ſecuta abbatiſſam Buxeriæ & Loci, hujus coadjutrix a rege nominata die 3. Aprilis 1723. bullis donatur 25. Junii anni ejuſdem, poſſeſſionemque adepta 2. Auguſti, obiit 19. Septembris 1739.

XXII. Genovefa de Villegenou Pariſina, monialis ordinis ſancti Dominici Piſciacenſis Magdalenam excepit. Nominata a rege die 2. Febr. 1740. bullas accepit 7. Novembris, & poſſeſſionem nacta eſt die 24. eorumdem menſis & anni.

ECCLESIA MELDENSIS. MEAUX.

MELDI urbs Franciæ sub metropoli & Parlamento Parisiensi, decem leucis a Parisiis ad Ortum distans, Jatinum antiquitus dicta, nonnullarum Galliæ urbium sortita est fortunam, quæ proprio relicto nomine, gentis vocabulum mutuatæ sunt. Hanc in commentariis Julii Cæsaris frustra quæsieris. Primus Meldorum meminit qui non multo post Cæsarem florebat, Strabo. A Plinio dicuntur Meldi liberi, quibus verbis innuere videtur eadem non semper libertate potitos, Parisiensibus si non paruisse, ast aliquando permixtos fuisse. Ab uno Ptolemæo vocantur Meldæ, Meldi, Meldensis urbs, & Meledus a Gregorio Turonensi. Meltis etiam aliquando dicta est, unde Meltianus pagus; denique Miliciacum, sed corrupte, apud Nithardum. In vetustissimis provinciarum civitatumque Galliæ notitiis civitas Meldorum ultimo loco in Celtica seu Lugdunensi Senonia, quæ est quarta, ponitur, quia tunc ad sinistram, Celticamve fluminis Matronæ ripam, quo Celtæ seu Galli a Belgis dividuntur, apposita erat urbs: sed cum Theobaldus Campaniæ comes in adversam urbis partem amnem deflexisset, quæ prius ad sinistram, modo ad dextram in Gallia quæ olim Belgica, sita est, unde a quibusdam geographis Belgicæ attributa fuit. Contortum flumen duas in partes urbem dividit, quarum alia Aquilonem, Austrum alia respicit, hæcque fori, illa vero urbis retinet nomen. Regio urbis amœnissima, ac munitissima est, forumque rerum venalium amplissimum præ ceteris continet. Clarissimam hanc, situ loci aptissimam & opibus felicissimam vocat vitæ sancti Faronis auctor, in cujus insulæ spatiosissimo & amœnissimo ambitu circumerrat flumen Matrona. Sita est in pago Brigensi, episcopatu antiquo & balliviatu insignis. Antiquitatis urbis argumentum est viarum angustia, celebritatis vero amphitheatrum, quod olim habuit in loco, ubi nunc est monasterium beatæ Mariæ in Cavea, ut omnia fere capita gentium Galliæ, Lugdunensis etiam & Belgicæ, quæ stante in Galliis imperio Romano, exemplo urbis Romæ sua spectacula, suos ludos, sua amphitheatra habere voluerunt. Post Romanos peculiaribus paruit comitibus, a quibus transiit ad Austrasiæ reges. Hanc Heribertus Veromanduensis seculo decimo invasit, qui postea Trecensis quoque comes fuit. Ex adunatis his duobus comitatibus coaluit Campaniæ comitatus, qui Gallicanis tandem obtigit regibus.

Ad sacra quod attinet, religionis christianæ originem Meldi repetunt a B. Dionysio Galliarum apostolo. Cathedralis ecclesia olim Senonensis, nunc Parisiensis metropolis suffraganea, sub solius S. Stephani nomine primitus Deo consecrata ab undecimo saltem seculo, tum Mariam virginem Deiparam & sanctum Stephanum pro titulo & patronis habet. Capitulum constat decano, qui a capitulo electus confirmatur a summo pontifice, archidiaconis Franciæ & Briæ, cantore, thesaurario & cancellario totidem dignitatibus, succentore & theologo, & 38. canonicis, quorum octo semi-præbendati. E 240. parochiis, quæ numerantur in tota diœcesi, septem sunt in urbe & suburbiis. Plurimæ utriusque sexus, diversorumque ordinum religiosæ familiæ Deo famulantur. Sunt & abbatiæ, quarum post episcopos mentionem faciemus. Horum seriem & catalogum contexuerunt Sammarthani. Sed quid hæc ad historiam ecclesiæ Meldensis, quam curis & sumtibus eminentissimi cardinalis de Bissi scripsit D. Tussanus du Plessis monachus Benedictinus e congregatione sancti Mauri? Hanc, sat scio, elevare pluribus in locis tentavit auctor appendicis Morerianæ, qui Tussano nostro vitio vertit, quod a vero aberraverit, partibus studuerit, resque leviter perstrinxerit. *At carere debet omni vitio* (præsertim objecto) *qui in alterum paratus est dicere*, ait alicubi Tullius. Nec nos inficias imus historiam Meldensem non undequaque perfectam, suisque omnibus absolutam esse numeris. Sunt, ut in plerisque hujusce generis operibus, mala, sunt mediocria, sunt bona plura. Mala aliquot hac in nostra Gallia auctor ipse correxit, mediocribus lux alicunde affulgeat necessum est, bona maximo nobis usui fuerunt & adjumento ad historiam episcoporum nostrorum struendam. Denique instrumentis a Sammarthanis jam editis vix unum aut alterum addidimus; cetera in unum collecta habes tomo altero Meldensis historiæ.

EPISCOPI MELDENSES.

ANNI CHRISTI

I. Sanctus Sanctinus. A

Sanctum Dionysium Meldorum primum perinde ac Parisiorum episcopum annumerant nonnulli, fulti auctoritate Hildegarii in vita sancti Faronis. *A Walberto*, inquit, *post Gondoaldum nonus decimus ordo a sancto Dionysio primo antistitum in hac urbe fulsit*. Nec nos inficias imus S. Dionysium ab apostolica sede missum toti circumquaque regioni evangelium prædicasse apostolum, quo nomine civitatum Luteciæ vicinarum ab aliquibus primus dictus est episcopus. At Parisiensi sede a Dionysio assumta, ab altero auspicanda Meldensis ecclesiæ incunabula. Pro sancto Sanctino stant B
vulgati omnes catalogi, necnon hagiologia Turonense, Lemovicense & Virdunense. Verum discipulusne S. Dionysii, an Virdunensis episcopus fuerit, duplex quæstio est, quarum alia aliam excludit. Si enim discipulus sancti Dionysii, non fuit Virdunensis episcopus, qui concilio Agrippinensi anno 346. adfuit, & vice versa, si Virdunensis quoque episcopus fuerit, ut vero videtur simillimum, discipulus sancti Dionysii non fuit, qui secundo, aut saltem tertio seculo in Gallias advenit. Quominus discipulum sancti Dionysii asseramus sanctum Sanctinum, plura nos remorantur. 1.° Unus utrique ecclesiæ tum Meldensi, C
tum Virdunensi primusque episcopus est Sanctinus, unusque & idem in vetustis martyrologiis eadem die colitur 22. Septembris. 2.° In vulgatis catalogis pauciores a Sanctino ad Faronem numerantur episcopi, quam ut a temporibus S. Dionysii sanctum Sanctinum Meldensem episcopum repetamus. Tillemontius historiæ ecclesiasticæ tom. IV. nota 15. in vita sancti Dionysii Parisiensis propendet ad credendum sanctum Sanctinum sub finem seculi IV. Virdunensem episcopum fuisse, & initio seculi V. usque ad annum circiter 407. quo barbaris illic grassari incipientibus Meldos se recepit, illicque finem vivendi fecit, aut sane D
jam antea mortuum istuc deportatum fuisse, ne barbari sacris ejus reliquiis illuderent, indeque natam opinionem, quod Meldis episcopus fuerit, tametsi, inquit, nihil prohibeat duplicem admittere Sanctinum, quorum unus Meldis, alter vero Virduni sederit. De actis sancti Sanctini non est quod loquamur, quæ pro meris fabulis reputantur a viris eruditis.

Abbatiam olim in Meldensi urbe suo nomine habuit, ubi sepultus fuisse videtur: unde seculo XI. ineunte ejus reliquiæ translatæ sunt in monasterium sancti Vitoni Virdunensis, cujus ascetæ anno 1622. os Sancti ecclesiæ Meldensi donarunt, in E
qua summa veneratione asservatur. Habet quoque sanctus Sanctinus vicum sui nominis prope Brivam in diœcesi Lemovicensi, ubi eum jacere perperam credidit Baluzius in notis ad Galliam Christianam.

II. Sanctus Antoninus.

ANNI CHRISTI

De Antonino interdum dicto Antonio martyrologium Meldense hæc habet: *Pridie calendas Octobris civitate Meldis sancti Antonini episcopi & confessoris.*

III. Mansuetus.

IV. Modestus.

V. Acherus.

VI. Riolus.

VII. Promerus.

VIII. Primitus.

IX. Principius.

Meldensem perperam cum Suessionensi episcopo confundit Principium Severtius in chronologia episcoporum Lugdunensium.

X. Sanctus Rigomerus.

Natione Meldensis Rigomerus, *hostibus ecclesiæ austerus*, auctore Fulcoio Bellovacensi in vita S. Blandini, colitur 28. Maii. Sepultus primum creditur in abbatiola sui nominis in suburbio Corniliacensi, nunc est prioratus Cagiæ annexus.

XI. Crescentius.

XII. Anius.

XIII. Præsidius.

XIV. Promissus.

A Sanctino ad Promissum de Meldensibus episcopis præter nomina nihil in diptychis habetur exploratum.

XV. Medoveus.

Medoveus, qui & Medovechus, is esse creditur, de quo in vita sancti Leobini Carnotensis episcopi legitur: *Quodam tempore, dum B. Leobinus cum* Acta SS. Bened. t. 1. pag. 126.
Medeveo consacerdote a sæpedicto rege (Childeberto) *Parisius fuisset visitatus, & dies Paschæ vice pontificis illius loci defuncti episcopaliter transegisset*, &c. Subscripsit concilio Aurelianensi V. an. 549. 549.
Fuit unus e judicibus, qui Saffaracum episcopum Parisiensem condemnarunt, quorum judicium confirmavit concilium Parisiense secundum anno circiter 552.

XVI. Edenus.

XVII. Baudowaldus.

Quem Meldensem conjectat Brouverus in suis notis, Baudowaldum sic laudat Fortunatus libr. 9. cap. 8.

Summe sacerdotum, bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo, lumen amore meo:
Officiis venerande sacris, pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meo.
Florens in studiis & sancta in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.

ANNI CHRISTI

XVIII. Gondoaldus.

Vir Deo carus Gondoaldus non Eustasium, ut in Gallia quadripartita, sed Faram virginem
614. anno 614. veste monastica induit, ut legitur in vita sancti Eustasii abbatis Luxoviensis, & sanctimonialibus delegavit, ut in vita S. Faronis cap. 58. Concilio Remensi sub Sonnatio interfuit,
625. non anno 630. ut Sammarthani, sed potius 625. ut censent Labbæus, Cointius & Mabillonius.

Waldebertus vero, quem sancti Faronis germanum, & ante, seu post Faronem Meldensi ecclesiæ præfuisse volunt nonnulli, ex albo Meldensium episcoporum expungendus videtur. 1.° Enim e genere Sicambrorum ortus Waldebertus non erat frater sancti Faronis gente Burgundi. Quod autem frater dicatur in vita sancti Eustasii, non germanum sed monachum intellexit Jonas, ut cuilibet legenti sit obviam. 2.° Non fuit Meldensis episcopus ante Faronem Waldebertus. Jonas enim in vita sancti Eustasii non dicit Waldebertum Gondoaldo episcopo successisse, ut volunt, sed Eustasio Luxoviensi abbati: *Monasterium quoque virginum Christi supra paternum solum inter fluvios Mugram & Albam ædificat* (Eustasius) *fratresque qui ædificandi curam habeant, deputat; germanum puellæ Chagnoaldum, & Walbertum, qui ei postea successit, ut regulam doceant, decernit.* Deinde monasterio Luxoviensi præfectus Waldebertus, eodem quo Gondoaldus concilio Remensi adfuit anno 625. Denique Faro longe ante obitum Waldeberti abbatis dedicationi ecclesiæ Resbacensis interfuit jam episcopus, initio scilicet regni Chlodovæi junioris, & ipse Waldeberto superstes. 3.° Hildevertus, non Waldebertus Faroni proxime successisse in episcoporum indicibus, librisque exaratis, ac in officio ecclesiastico Meldensis ecclesiæ dicitur; alioquin septuagenario major in episcopum cooptatus fuisset Waldebertus: annos enim minimum triginta natus erat, cum monachis Luxoviensibus præfectus est, quos per annos quadraginta rexit usque ad 665. qui mortis ejus annus assignatur. Præterea Jonas in vita sancti Eustasii enumerans monachos Eustasii discipulos ad episcopales infulas evectos, Waldebertum silet. Sed neque Adso auctor vitæ sancti Waldeberti episcopum aliquando eum fuisse asserit. Nullum quoque de Waldeberto episcopo monimentum in ecclesia Meldensi superest, non tumulus, non reliquiæ: non denique memoria ipsa sacris ejusdem ecclesiæ fastis inscribitur, ullove cultu publico celebratur. In veteri calendario & in actis S. Salabergæ a Mabillonio laudatis Waldebertus abbas tantum appellatur, nunquam episcopus. Quod ad Pagium & Bailletum attinet, qui Waldebertum episcopum ab abbate distinguentes, illum ante Gondoaldum collocant, penes doctissimos viros sit fides.

Acta SS. Bened. t. 2. pag. 117.

XIX. Sanctus Faro.

Sanctus Faro, qui & Burgundo-Faro, quasi Faro Burgundus, Burgundis quippe editus nobilibus, Pipimisii in pago Briegio natus parentibus Agnerico, uno e proceribus aulæ Theodeberti regis Austrasiæ & Leudegunde, fratrem habuit Chagnoaldum episcopum Laudunensem, sorores vero sanctam Faram & Agnetrudim. Post multos annos pie ac sancte consumtos in aula Theodeberti primum, deinde hoc rege mortuo, Theoderici junioris & Chlotarii II. patris Dagoberti I. cujus & referendarius legitur in veteribus diplomatibus, Faræ sororis exemplo invitatus, quæ monasticam vitam amplexata fuerat, ecclesiastico ipse sese sociavit ordini, postquam Blidechildis, quam duxerat uxorem, sacrum accepisset velamen. Defuncto interea circa annum 626. Gondoaldo, Chlotario II. rege an- 626.
nuente, populoque petente, factus est Meldensis episcopus. Cum sancto Amando consecravit die 22. Februarii anno XIV. Dagoberti regis, altare monasterii Resbacensis, quod ejusdem regis jussu Audoenus construxerat. Elevationi corporum sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani adfuit IV. idus Junii 649. Subscripsit privilegio Lan- 649.
derici Parisiensis episcopi pro monasterio sancti Dionysii anno XVI. Chlodovei regis. Sigillum quoque apposuit suum privilegiis, quæ Emmo Senonensis episcopus concessit suburbanis sanctæ Columbæ & sancti Petri Vivi monasteriis anno III. Chlotarii regis, necnon privilegiis Berthefridi Ambianensis episcopi pro monasterio Corbeiensi VIII. idus Septembris anno VII. ejusdem regis, & Drausii Suessionensis episcopi in gratiam parthenonis beatæ Mariæ Suessionensis VI. calendas Julii anno X. Chlotarii. Suburbanum & ipse condidit monasterium sub titulo S. Crucis & sancti Johannis Baptistæ, Omniumque sanctorum, sibi quidem a seculo, episcopalisque muneris tumultu refugium, peregrinis vero, maxime Anglis & Scotis asylum & diversorium. Hic excepti ab eo Adrianus, cum Roma una cum Theodoro in Britannicam insulam jussu Romani pontificis anno 668. proficisceretur, Chillenus, quem ad Atre- 668.
batenses christiana fide imbuendos misit, & Fiacrius, cui aptum monasterio condendo tribus ab urbe Meldis milliaribus locum e suo concessit. Ibi quoque sepeliri voluit defunctus v. calendas Novemb. 672. quo die memoratur in martyrologiis 672.
Usuardi & Adonis. Sacras ejus reliquias e terra levavit anno 1140. Andreas abbas hujus monasterii. Surius ad diem 28. Octobris vitæ hujus sancti præsulis synopsim exhibet: Mabillonius vero seculo 2. Benedictino integram ejus vitam auctore, ut videtur, Hildegario Meldensi episcopo, regnante Carolo Calvo imperatore scriptam primus in lucem protulit, quam tamen mendis & erratis scatere tam Mabillonius, quam Cointius ad annum 672. demonstrant. Nec te moveat, quod Hildegarius Faronem inibi dicat fuisse episcopum vicesimum apud Meldos; id enim dicit Waldebertum inter episcopos recensens, nec minus peccat, quam cum ex male intellecta sancti Eustasii vita, Faronis Waldebertum & fratrem & successorem dicit.

XX. S. Hildevertus.

Ortu Meldensis Hildevertus, dictus Datlevertus

ANNI CHRISTI

in vita sancti Faronis, huic a patre Adalberto erudiendus traditus est, & sub ejus disciplina in monasterio, ut vero videtur similius, Resbacensi institutus. Ad episcopalem Meldorum cathedram Farone mortuo vocatur, in qua tam pie se gessit, ut honores sanctioribus debitos post mortem sit consecutus. Hunc tamen scribit Hildegarius tum ex imperitia divinorum dogmatum, tum ex invidia voluisse ædificare ingentis pompæ & magnitudinis basilicam in honorem S. Christi contra fidem sanam, juxta basilicam S. Crucis a sancto Farone exstructam; verum illam basilicam divino nutu sponte corruisse, ejusque auctorem in synodo ab episcopali officio suspensum fuisse, donec resipuisset. Et re quidem vera ita resipuit, ut sanctorum numero adscribi meruerit. Obiit Hildevertus VI. calendas Junii anno circiter 680. qua die ejus memoriam celebrat ecclesia Meldensis, sepultusque est in ecclesia, quam ipse sexto fere ab urbe Meldensi milliario ædificaverat in pago Vigneliaco. Non multo post ad ecclesiam cathedralem translatæ ejus reliquiæ, inde Gornacum Normanniæ oppidum haud ignobile ad Eptam fluvium seculo duodecimo advectæ sunt, ubi asservantur in insigni ejus nominis ecclesia, & coluntur a celebri canonicorum collegio.

XXI. Herlingus.

Ipse creditur Herlingus episcopus, qui subscripsit privilegio Agliberti Cenomanensis episcopi pro monasteriolo sanctæ Mariæ mense Junio anno XI. Theoderici regis. Illud habes Analect. Mabillonii tom. 3. pag. 204.

XXII. Sanctus Patusius.

Vita privatur ipso electionis die Patusius. Ecclesiam habet sui nominis in diœcesi Meldensi, ac festus ejus dies annua memoria celebratur die 3. Octobris.

XXIII. Sanctus Ebrigisilus.

Meldensis quoque Ebrigisilus, frater Agilbertæ Jotrensis abbatissæ, e monasterio virorum Jotrensi ad ecclesiam Meldensem assumtus, post mortem sepelitur in perantiquo & eleganti sancti Pauli primi eremitæ oratorio, quod in cœmeterio Jotrensis ecclesiæ parœcialis hactenus subsistit columnis marmoreis subnixum, unde levatum corpus an. 1627. in ecclesiam Jotrensem delatum fuit. Anniversaria ejus colitur memoria in monasterio Jotrensi & in tota diœcesi die 31. Aug.

Landricus vero fuit episcopus vel Metensis, aut Meldensis, seu alicujus regionis nominis haud absimilis. Metensem fuisse docet Bollandus nixus quatuor mss. codicibus vitæ sancti Landrici, ubi legitur: *Sic virtutum gradatim acceleravit iter scandere, ut in cathedra Metensis pontificii dignaretur eum Dominus sublimare.* Martyrologium Bruxellense sanctæ Gudilæ de eo habet: *XV. calendas Aprilis Mettis sancti Landrici Metensis episcopi & confessoris, qui filius fuit Vincentii & Waldetrudis, ac B. Gudilæ patronæ nostræ consanguineus.* In tertio quoque codice Balderici, quem vidit Colvenerius,

A additur ad marginem *al. Metensis.* At quominus Metensibus episcopis accenseatur, plurima obstant. Omittitur a Paulo diacono; in catalogo Metensium episcoporum desideratur; nulla ejus hac in ecclesia fit memoria; denique toto tempore, quo Metensem volunt episcopum Landricum, Metensem episcopatum occupabat Clodulfus, qui post annorum amplius 40. præfecturam decessit anno 694. Primus Colvenerius Meldensem scripsit ex duobus codicibus Balderici, quorum in tertio additur ad marginem *al. Metensis.* Hunc secuti Sammarthani, &c. at in catalogis Meldensium episcoporum nulla Landrici mentio, per diœcesim non

B colitur, in calendariis omittitur. Demum si abdicato prius episcopatu abbas Altimontis patri successit anno 660. ut diximus tom. 3. pag. 115. ex Annal. Hannoniæ pag. 111. & vult Johannes Columbi ex Jacobo Simone in vita S. Waldetrudis cap. 6. quando ergo episcopatum tenuit Meldensem, quem a S. Farone ab anno 626. ad 672. occupatum supra diximus? Unde Molanus ipse, qui Landricum inter episcopos Metenses annumeraverat in indiculo sanctorum Belgii anno 1583. postmodum in natalibus sanctorum Belgii editis anno 1590. movit dubium, quod non numeretur inter episcopos Metenses, & suspicatur

C fortassis solum fuisse coepiscopum ad infidelium conversionem, ut multi alii per ea tempora episcopi. Quominus Molano assentiar, obstant allatæ superius auctoritates; at si nulla esset alia, libentius crederem sanctum Landricum, sicut Pirminium, de quo mox n.° XXIX. episcopum fuisse in castello Meltis, cujus cum maxima sit cum Mettis & Meldis affinitas, facile fuit lectori loci alioquin obscuri haud satis scio, alterutrum pro Meltis legere, & notario scribere.

XXIV. Edoldus, *sive* Heldoaldus.

XXV. Adulfus.

D

XXVI. Ragaminatus.

Ragaminatus, seu Ragemarius idem forte est ac Ragnemundus, quo suadente scripta B. Agili abbatis Resbacensis vita secul. 2. Bened. pag. 315.

XXVII. Sigenoldus.

Dubium movet Cointius annon Sigenoldus, qui & Genoboldus, idem fortasse sit cum Sigibaldo Metensi episcopo. Dubio favent nominum & episcoporum & urbium maxima affinitas, sedisque ætas eadem. *Tom. IV. pag. 628.*

XXVIII. Erlaureus.

E

XXIX. Aidenerus, *vel* Achidenerus.

5 Sanctus Pirminius obtinuit sedem episcopatus in castello Meltis appellato, tempore quo Theodericus rex Francorum sceptra tenebat (ab anno 721. ad 737.) ubi tanto vigore, tantaque sapientiæ ubertate eloquiique dulcedine veritatis semina spargebat, ut quisquis eum audierat compunctionis rore debriatus, ad reddenda pietatis germina efficeretur fecundus, inquit Warmannus in ipsius vita, quam habes seculo 3. Bened. part. 2. pag. 142.

ANNI CHRISTI

Ex his plerique inferunt, inquit Mabillonius Annal. tom. 2. pagina 73. Pirminium in urbe Meldis, alii Mettis episcopum extitisse, reclamantibus utriusque loci indicibus ac monumentis, in quibus nulla mentio Pirminii episcopi occurrit, ut omittam infra utriusque urbis dignitatem esse ut castellum dicatur.

XXX. Romanus.

Ex monacho, ut creditur, S. Faronis Romanus factus episcopus Meldensis, nominatur in epistola xi. Zachariæ papæ ad diversos Galliæ & Ger-
748. maniæ episcopos scripta anno 748. Commemoratur in literis Pipini regis pro monasterio Prumiensi anno 763. cum Wlfranno ejus successore.

XXXI. Wlfrannus.

Monachus quoque sanctæ Crucis, nunc sancti Faronis, Wlfrannus factus Meldensis episcopus
757. subscripsit in conventu Compendiensi anno 757. privilegio, quod pro Gorziensi monasterio emisit Chrodegangus Metensis episcopus. Sigillum quoque apposuit suum literis Pipini regis pro fun-
763. datione Prumiensis monasterii anno 763. de qui-
765. bus supra. Conventui Attiniacensi anno 765. adfuit & subscripsit, & concilio Lateranensi sub
769. Stephano papa anno 769.

XXXII. Brumerus.

XXXIII. Hildricus.

Meldensem ecclesiam circa annum 800. regebat Hildricus, qui diu vixit, teste Hincmaro in epistola ad Carolum imperatorem, quam habes apud Surium ad diem 9. Octobris, sed perpetua infirmitate laborans, nihil egit, quod posterorum
823. memoriæ traditum sit. Devixit anno 823.

XXXIV. Hucbertus I.

Ex præcentore palatii, quod idem est ac regiæ musices magister, Hildrico suffectus est Hucbertus anno 823. testante Hincmaro in præfata ad Carolum imperatorem epistola, in qua sic eum alloquitur: *Quando in Franconofurt palatio nati estis, Hucberto præcentori palatii episcopium Meldensis urbis commissum est, ubi propter Hildrici ætatis prolixitatem & diuturnam ægritudinem, quædam ad scientiam & religionem pertinentia, necnon & ædificia, & cetera quæque necessaria neglecta invenit.* His suffragatur Hugo Flaviniacensis in chronico Virdunensi. An.
829. 829. cum Ebone Remensi, & Aldrico Senonensi, aliisque multis antistitibus solenni subscripsit instrumento Inchadi Parisiensis episc. villas quasdam ad stipendia canonicorum B. Mariæ, eorumque propellendam necessitatem attribuentis. Subscriptione ratum habuit privilegium, quod Aldricus Senonensis archiepiscopus concessit cœnobio S.
833. Remigii an. 833. Apud Theodonis villam Eboni Remensi archipræsuli sua confitenti crimina adfuit
835. anno 835. Concilio Vormatiensi adstitit anno
836. 836. Insequenti apud Carisiacum palatium subscripsit præcepto Ludovici imperatoris, quo querelæ Anisolensium monachorum adversus abba-
843. tem suum sopitæ sunt. Anno 843. in conventu Germiniaci Curbionensis sancti Launomari monasterii privilegia suo confirmavit chirographo. Ejus temporibus celeberrimum in ecclesia Meldensi trium provinciarum celebratum est concilium anno 845. xv. calendas Julii, ubi inter 845.
cetera interdicta sunt chorepiscopis munia pontificalia, & canonicorum vita communis præscripta. Senonensis sancti Remigii privilegium sua subscriptione confirmavit in concilio Senonensi anno, quem alibi expendemus. Concilio Parisiis *Annal. t. 2. pag. 668.*
anno 847. habito adversus Ebonem Remensem 847.
archiepiscopum interfuit. Parisiensi etiam iv. non Turonensi, anno 849. adstitit, in quo congregati 849.
præsules Nomenoium ducem Britannorum de variis arguunt criminibus. Synodo Murittensi adfuit anno 850. Suessionensi in monasterio sancti 850.
Medardi an. 853. eodemque Vermeriensi. Wan- 853.
delmarum clericum, qui cantilenam, seu cantandi peritiam optime a Teutgario magistro in sancti Dionysii monasterio didicerat, a Bodone Hilduini discipulo ad erudiendos discipulos suos factus episcopus obtinuit, eique abbatiolam S. Sanctini ejusdem urbis in beneficium dedit. Memoratur Hucbertus in chartulario Ferrariensi cum Aldrico metropolitano, apud Lupum Ferrariensem epist. 84. & Flodoardum lib. 3. cap. 11.

XXXV. Hildegarius.

E collegio monachorum sancti Dionysii in pago Parisiensi decimus sextus post Faronem per electionem assumitur & munere divino, necnon & liberalitate regis Caroli ad cathedram Meldensem evehitur Hildegarius, ut ipse testatur in vita quam scripsit sancti Faronis. Synodo Bonogilensi subscripsit anno 855. Cum Wenilone Senonensi 855.
archiepiscopo & Agio Aurelianensi missus est a Carolo rege anno regni ejus xvi. qui monachorum Floriacensium victui aliisque necessariis provideret, ex ejusdem regis diplomate. Æneæ Parisiensis episcopi ordinationi adstitit anno circiter 857. Memoratur in epistola synodica episcopo- 857.
rum e Carisiaca synodo missa ad Ludovicum regem Germaniæ sub annum 858. Hildegario 858.
& aliis inscribitur epistola episcoporum qui ad concilium Metense convenerunt anno 859. Con- 859.
venit eodem ad Tullense apud Saponarias. Adfuit cœtui præsulum ac procerum habito Aquisgrani anno 860. eodemque anno synodo Tusiacensi. 860.
In conciliis Pistensi & Suessionensi anno 862. 862.
nonnullis subscripsit privilegiis. Aquisgranensi ad- *Conc. tom 8. col. 727.*
stitit anno eodem. Intra id tempus Normanni, qui biennio ante e Gallia discessuros se polliciti fuerant, nullo datæ fidei respectu civitatem Meldorum de improviso primis noctis tenebris occupant, incendunt, cives trucidant, ecclesias diripiunt, polluuntque fœdissime. Anno 866. Hil- 866.
degarius adfuit conciliis Suessionensi, & Vermeriensi in quo consensit privilegio, quod Atrebatensi indultum est monasterio. Tricassinæ synodo adfuit anno 867. Insequenti synodum ipse sacer- 867.
dotum habuit in ecclesia sanctæ Celiniæ Meldensis anno 868. regni Caroli xxviii. indictione 2. 868.
xv. calendas Novembris, ubi inter cetera clericis

ANNI CHRISTI

suis præcepit, ut Theodulfi Aurelianensis episcopi decreta accurate observarent. Anno 869. adstitit
869. synodo alteri Vermeriensi, ubi accusatus Hincmarus Laudunensis episcopus sedem apostolicam appellavit, ibidemque Hildegarii nomen occurrit inter subscriptiones appositas præceptis quibusdam regiis pro Vedastino apud Atrebates monasterio & Carrofensi cœnobio. Eodem anno in concilio Pistensi Egili Senonensis archipræsulis donationem Senonensi sancti Petri monasterio indultam
871. cum ceteris confirmavit episcopis. Anno 871. in concilio Duziacensi adversus Hincmarum Laudunensem episcopum sententiam protulit. Silva-
873. nectensi anno 873. concilio adstitit, in quo exauctoratus est Carlomannus, quem ipse ordinaverat diaconum. In necrologio Sandionysiano Hildegarius episcopus 3. nonas Decembris obiisse legitur. Exstat ad eum epistola Hincmari de judicio Dei per aquam frigidam.

XXXVI. Ragenfridus.

876. Pontigonensi concilio subscripsit anno 876. Ragenfridus Meldensis episcopus, quem ad instar Sammarthanorum confundas cave cum Ragenfrido episcopo, cui epistolam 66. scribit Lupus abbas Ferrariensis, defunctus circa annum 862.

XXXVII. Segemundus.

Præpostero ordine in elenchis Meldensibus post Raganinatum collocatus Segemundus, memoratur in poëmate Abbonis de obsidione Parisiaca hisce versibus:

Lætus Odo . . . . . Francorum regna revisit.
Mœnia Meldis adhuc Danis stipantibus urbis,
Cui præsul residens in ea fuerat Segemundus.

887. Oppugnata quidem a Normannis anno 887. civitate Meldorum, captus & ipse Meldensis episcopus Segemundus.

XXXVIII. Ingelrannus.

Ingelrannus, seu Angelrannus, sic enim vocatur in concilio Remis habito pridie nonas Julii
900. anno 900. ubi Hervæi consecrationi adfuit, quicum & aliis episcopis anathemate percussit homines Balduini comitis Flandriæ, qui Franconem archiepiscopum interfecerant.

XXXIX. Hucbertus II.

Acta concilii Trosleiani in pago Suessionico
909. Hucbertus calculo suo comprobavit anno 909.

XL. Agonius.

Nescio cur hic episcopus omittatur in nupera ecclesiæ Meldensis historia, quem Sammarthani hic collocarunt.

XLI. Rothardus.

Rothardus, non vero Richardus, sic enim legitur in veteri indice Faroniano, & in literis Ludovici Transmarini regis, quibus præcipit, ut Rothardus Meldensis episcopus multa ecclesiæ Compendiensis bona, quæ ejusdem prius præpositus usurparat, cito restituat. Datum diploma Compendio regis palatio die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi indictione x. anno primo regnante Ludovico rege gloriosissimo. Hæc conveniunt anno 936. Præceptum habes apud Mabil- 936.
lonium, Diplomat. lib. vi. num. 135. pag. 569.

XLII. Gildricus.

Gildrici Meldensis episcopi nomen subscriptum legitur literis Transmari Noviomensis episcopi Berthæ Humolariensis abbatissæ altare S. Stephani in villa Humolaria concedentis in conventu procerum ac episcoporum Lugduni Clavati celebrato
anno Dominicæ Incarnationis 947. iv. idus April. 947.
indictione v. regnante Ludovico rege anno xii. Has Claudius Hemeræus edidit in Augusta Veromanduorum illustrata, & Mabillonius ad aliud, ut videtur, exemplar, in observationibus præviis ad translationem sanctæ Hunegundis seculo v. Benedictino pag. 213.

XLIII. Ageracus.

Dicitur in indice Faroniano Ageronus, quo,
vel decessore sedente, habitum anno 962. in diœ- 962.
cesi Meldensi duarum provinciarum concilium.

XLIV. Archanradus.

Synodum habuit in ecclesia Meldensi Archan-
radus, qui & Erchanradus, anno 986. 986.

XLV. Sanctus Gilbertus.

Augustæ Veromanduorum Fulchardo & Gilla nobilibus parentibus editus Gilbertus, a teneris inter canonicos sancti Quintini cooptatus fuit. Præclara indole Alberti Veromanduorum comitis gratiam sibi conciliavit. Ab Erchanrado Meldensi episcopo accitus, archidiaconus Meldensis efficitur, ipsique paulo post vita functo omnium suffragiis sufficitur, annuente Meldorum & Trecensi comite, qui publice apud Sparnacum coram clericis S. Stephani testatus est valde ipsi acceptum esse quod eum antistitem delegissent, qui jam in aula Alberti comitis consanguinei sui floruerat, & omnium votis ad infulas postulabatur. Ita quidem legitur in antiquo breviario Meldensi & apud Hemeræum in Augusta Veromanduorum illustrata, qui addit Hamenses Gilbertum civem suum esse, & in monasterio beatæ Mariæ ejus urbis canonicum aliquando egisse velle. Meldis quoque natum vult Gilbertum Plessæus noster nixus auctoritate Fulcoii in epitaphio mox afferendo. Gilbertus autem sic factus episcopus, subscripsit cum multis epi-
scopis chartæ Roberti regis datæ anno 998. pro 998.
immunitate monasterii sancti Dionysii Parisiensis. Præcepto quoque immunitatis ab eodem rege dato pro Milidunensi S. Petri monasterio sigillum
apposuit suum anno 1003. Primus episcoporum 1003.
mensam capitularem, clero petente, in duas partes distraxit, unam quæ in præsulis, alteram vero, quæ in canonicorum usus cederet, charta data iv.
idus Martii an. 1004. quibus canonicorum bona 1004.
confirmavit, pluresque ecclesias eis attribuit, inter quas recensetur abbatiola sancti Rigomeri.

ANNI CHRISTI

Synodo Calensi interfuit anno 1008. Interim A dum episcopale munus summa sollicitudine obire
1008. satagit, ultimo morbo correptus, quo excessit e vivis, Leothericum Senonensem & Fulbertum Carnotensem antistites ad se ut veniant hujusmodi verbis compellit: *Immortales habemus grates vobis, sacra capita, luminaque Galliarum, qui extremos amici veteris halitus vestra benedictione coronetis, qui vestrum collegam cum ipsa morte atque adversario insidiante vitæ cujusque calcaneo colluctantem salutari viatico recreetis, qui denique cadaver exangue tumulo*
1009. *christiano componatis.* Obiit Gilbertus anno 1009.
Bolland. 13. Febr. pag. 718. ex actis vitæ ejusdem, postquam in episcopatu annos 20. exegisset. Defunctus sepelitur in ecclesia B S. Stephani Meldensis ante altare sub gradibus absidis, multisque & frequentibus inclaruit miraculis, religiosa apud Veromanduos & Meldenses memoria celebratus. De eo monachus Autissiodorensis hæc habet: *Floruit hoc tempore Gilbertus Meldensis episcopus, vir eximiæ virtutis & gloria miraculorum insignis, cujus vita stilo clarissimo edita, multarum exempla virtutum viventibus & victuris per secula administrat.* Memoratur idibus Febr. in hagiologio beatæ Mariæ de Artosio ad Petram-foratam & Gavarum. Hoc quoque ei cecinit elogium Fulcoius Bellovacensis.

Magna parens effeta patrum te sancte parentem
Gisleberte tulit, quasi tunc reviviseeret alvus.
Sancta Sion sobolem sanctam fidissima nutrix
Hujus ecclesiæ regimen te pectore fovit.
Ergo tuis precibus, venerande patrone, tuere,
Quam dilexisti, quæ semper diligit & te.
Das vivis Martham, defunctis adde Mariam.

XLVI. MACARIUS.

E canonico Parisiensi episcopus Meldensis Macarius, duo altaria in episcopatu Meldensi Rosetum & Moretum Rainaldo episcopo, Alberico decano & canonicis ecclesiæ Parisiensis contulit XVI. cal. Februarii, regnante Roberto rege, anno episcopatus secundo. Dedicationi sancti Salvatoris Melodunensis adstitit cum Leotherico Senonensi & Rainaldo Parisiensi. De eo in necrologio Paris. *VI. cal. Januarii obiit Macarius præsul.*

Circa id tempus, forte post obitum Macarii, Lisiardus clericus Meldensem episcopatum invasit,
Fulbert. ep. 91. Odonis comitis, ut videtur, auctoritate munitus, at pervicisse non videtur: Fulbertus enim Carnotensis episcopus Robertum regem epistola 89. monet, quatenus Lisiardo mandet, ut cedat loco rebusque stulte pervasis; sin minus tam se quam suffraganeos dictum clericum excommunicaturos.

XLVII. BERNERUS.

Diplomati Roberti regis pro monasterio Co-
1028. lumbensi dato anno 1028. subscripsit Bernerus,
1029. qui insequenti præsens adstitit dedicationi ecclesiæ sancti Aniani Aurelianensis. Canonicis ecclesiæ suæ restituit terram de Berceio aliaque nonnulla, scilicet præposituram de Changeio & ecclesiam de sancto Martino.

XLVIII. DAGOBERTUS

Desideratur in indice Faroniano.

XLIX. GALTERIUS I. SAVEYR.

Galterius, dictus Saveyr, id est, Sapiens, quod disposuerat Bernerus, at morte præventus, adimplere nequiverat, fratribus cœnobii Lacellensis duo altaria donavit in villis Lacella & Vairat IV. calendas Aprilis 1045. Henrici regis anno XVI. 1045.
cujus placito pro monachis S. Medardi adversus Robertum Cociacensem subscripsit anno 1047. 1047.
ejusdemque diplomatibus pro cella sancti Aigulfi cœnobio sancti Petri Trecensis unienda, & pro canonicis Carnotensibus anno 1048. Eodem adstitit concilio Silvanectensi, ubi restitutum & confirmatum sancto Medardo castellum de Vico. Ab Henrico rege cum Wascelino de Chalinaco missus fuit anno 1050. in Russiam, ut Annam regis Gerisclonis filiam peteret in uxorem Henrici ipsius post prioris obitum, quod Russiæ rex gratanter accepit. Detectioni corporum sanctorum martyrum Dionysii & sociorum ejus in æde Saudionysiana adfuit an. 1053. Sacro Philippi I. regis an. 1059. interfuit, eodemque synodo Romanæ, ubi definita querela monachorum sancti Albini C adversus Vindocinenses, uno ex arbitris Galterio. Subscripsit diplomati Henrici I. regis pro restauratione sancti Martini a Campis anno 1060. 1060.
Memoratur in præceptis Philippi regis an. 1064. 1064.
pro monachis sancti Petri Senonensis, & 1066. 1066.
pro cœnobio sancti Nicasii. Interfuit dedicationi ecclesiæ sancti Martini Campensis & subscripsit diplomati Philippi regis pro eadem ecclesia anno 1067. 1067.
1067. eodemque anno literis ejusdem villam de la Chapelaude S. Dionysio donatam confirmantis. In concilio Burdegalensi anno 1068. lectæ sunt 1068.
ejus literæ, quibus testabatur causam de cella Credonensi in synodo Romana secundum Vindoci- D nenses adversus monachos sancti Albini a Nicolao papa fuisse definitam. Dedicationi sancti Quintini Bellovacensis adstitit anno 1069. Subscripsit in- 1069.
strumento Gaufridi Parisiensis episcopi pro monachis S. Germani a Pratis anno 1070. diplomati 1070.
Philippi regis anno 1071. in concilio Senonensi 1071.
confirmantis donatam ecclesiam sancti Andreæ ab Hugone Trecensi ascetis Cellensibus, eodemque anno præcepto Burchardi Corboliensis comitis pro ecclesia S. Exuperii. Inter concilii Parisiis anno 1071. habiti patres annumeratus subscripsit diplomati Philippi regis omnia bona ecclesiæ Compendiensis confirmantis. Concilio Senonensi E adfuit anno 1080. eodemque Meldensi, in quo 1080.
S. Arnulfus creatus est Suessionensis episcopus, amoto Ursione, & Lambertus Morinensis excommunicatus. Terram Morissarti Gauterio abbati & monachis Pontisarensibus circa id tempus approbavit. Subscripsit judicio a Philippo rege lato apud Pisciacum die 6. Januarii anno 1082. in 1082.
gratiam monachorum sancti Germani adversus Hugonem militem, cognomento Stavellum. Sigillum quoque apposuit suum chartæ Richerii archiepiscopi Senonensis ecclesiam sancti Baldi

ANNI CHRISTI

monasterio sancti Remigii ejusdem urbis concedentis anno XXIII. Philippi regis. Galterii obitus notatur XIV. calendas Novembris anni 1082. in chronico sancti Petri Vivi. In necrologio Meldensi commemoratur hoc modo: *IX. calend. Novembris obiit Galterius Savoirs Meldensis episcopus, qui dedit ecclesiæ B. Stephani ecclesiam S. Martini.* Fulcoius habet diem 20. Octobris in hocce epitaphio, ubi sepultum dicit in ecclesia majori, quam de novo construxerat:

Hic pius antistes situs est Galterus, honesta
Cui domus hæc mater, sponsaque salva fuit.
Quam ne pæniteat te clarum vota secundum
Rem pretiumque tulit glorificata viro.
Cum sit iners, inculta simul, cum nuda, venusta,
Erigit hanc quantum corpore, mente potest.
Hanc novat, hanc ornat, cultuque reformat & arte:
Hanc facit ecclesiam, diruta facta prius.
Octobris bis dena dies fuit exitus ejus:
Mæsta dies, qualis non fuit ante suis.

L. Robertus I.

Hebdomada post defunctum Galterium proxima, Hugo Diensis episcopus Romanæ ecclesiæ legatus, congregavit Meldis concilium & ordinavit ejusdem urbis episcopum Robertum abbatem ecclesiæ Resbacensis. Quod quia nec præsentibus, nec assentientibus Richerio metropolitano & comprovincialibus factum fuit, excommunicaverunt eum. Ita Clarius in chronico sancti Petri Vivi. (Spicil. t. 2. pag. 747.) Non statim tamen excommunicatus fuisse videtur, aut saltem latum ab episcopis anathema parvipendit Robertus: abbatiam enim sanctorum Petri & Pauli de consensu comitum Eboli de Ruceio, (Annal. t. v. pag. 645.) & Hugonis de Domno-Martino, quorum beneficiis parentum fundata fuerat, sed quæ tunc per habitantium incuriam dignitatem abbatiæ amiserat, monachis Majoris monasterii concessit anno 1082. indict. v. regnante Philippo anno XXIII. sui episcopatus primo, juxta ordinationem concilii, ut abbatiæ decem monachorum cellæ fierent, cellæque nuncuparentur, & Cluniaco, aut Majori monasterio subderentur. Hinc tot cellarum ab utroque monasterio dependentium repetenda origo. Hac autem in charta Robertus ab Hugone Diensi consecratum se dicit, qua formula usus est, forte quia a comprovincialibus excommunicatus erat. Memoratur in necrologio Resbacensi ad diem 27. Maii.

LI. Galterius II.

DE CHAMBLI.

Toparchis de Chameliaco editus Galterius, canonicus ecclesiæ Parisiensis, episcopatu Meldensi a Philippo rege donatus est, inquit Hugo Flaviniacensis, (Labb. biblioth. t. 1. pag. 259.) ut sacrationi, id est, benedictioni nuptiali cum Bertrada, cujus Trecensis episcopus esset operator, hic foret *consentaneus* & minister; hancque ob causam summi pontificis in offensam incurrit, at veniam uterque paulo post ex pœnitentia impetravit, compulsusque est archiepiscopus Lugdunensis datis a Roma sibi literis utrumque in com-

A munione suscipere & osculo. Utrum cum apo-
stolica sede rediisset in gratiam incompertum, tum
cum a Richerio archiepiscopo Senonensi ordina-
tus est anno 1085. IV. nonas Novembris, excom- 1085.
municato Roberto. Interfuit eodem anno concilio
Compendiensi, ubi subscripsit privilegio immu-
nitatis ecclesiæ Compendiensis. Confirmavit anno
1088. quidquid Majori monasterio apud Cur- 1088.
tem-Evraldi donaverunt Gauterus & fratres ejus,
qui monasterii homines hac concessione deve-
nerunt. Duabus chartis monasterii sancti Martini
a Campis anno 1088. pro parochiis sancti Petri
de Bondisio & sancti Andreæ de Balbiniaco anno
B 1089. canonicus Parisiensis & episcopus Mel- 1089.
densis subscripsit. Concilio Stampensi adsuit anno (Ivo epist. 12.)
1091. ubi Ivonem de ordinatione, quam a 1091.
summo pontifice acceperat, accusavit, conatus
Gaufridum depositum in statum pristinum revo-
care. Reversus postea in concordiam cum Ivone,
regis iram movit, cujus conjugium non laudavit,
quod ut nec post factum inconsulte approbaret,
huic auctor fuit Ivo epist. 16. Sigillum apposuit
suum chartis Gaufridi Parisiensis episcopi pro
monachis Majoris monasterii & Longi-pontis
anno 1094. Monachis sancti Martini a Campis 1094.
altare de Anetho donavit V. idus Martii anni non
C 1075. ut in historia Campensi legitur, sed 1095. 1095.
sic enim quadrant annus 36. Philippi regis, &
indictio tertia. Sanctionem Aurelianensem epi-
scopum cum Johanne Carnotensi & Guillelmo (Ivo epist. 54.)
Parisiensi præsulibus consecravit anno 1096. Eo- 1096.
dem Bernardo Majoris monasterii abbati confir-
mavit ecclesiam sanctæ Celiniæ & quatuor altaria,
necnon ecclesiam beatæ Mariæ de Curte-Evraldi,
& ecclesiam beati Jacobi Galliferi. Concilio Stam- (Ivo epist. 79.)
pensi interfuit anno 1099. Galterio circa annum 1099.
1100. scripsit Ivo Carnotensis epistolam 70. 1100.
ut moniales sanctæ Faræ, quæ corpora sua ad
turpes usus omni hominum generi prostituebant,
D ad meliorem frugem revocaret, & si id fieri non
posset, religiosis monachis locum & possessiones
committeret. Cum Milone Trecensi episcopo & (Gall. Christ. tom. 1. col. 54.)
Arnulfo abbate Latiniaci definivit Columbarien-
sem ecclesiam injuste a Resbacensibus ademtam
fuisse Conchensibus V. cal. Februarii anno 1101. 1101.
coram Adela comitissa, cujus Henricus comes
sponsus in Terram sanctam profectus erat cum epi-
scopis Laudunensi, Suessionensi & Parisiensi. Dedit
canonicis suis ecclesias de Nantolio & S. Sanctini.
Largitionem a se factam capitulo Parisiensi dimi-
diæ partis presbyterii ecclesiarum de Roseto &
de Moreto firmavit III. calendas Maii Philippo
E regnante, Stephano comite & Arnulfo decano
Meldensi. Arnulfo abbati Latiniaci dedit altare de
Oigniata, eodem Philippo regnante. Obiit VII.
cal. Aug. anno 1102. De eo in necrologio Mel- 1102.
densi ad diem 26. Julii: *Obiit secundus Walterus
Meldensis episcopus, qui dedit canonicis B. Stephani
Meldensis ecclesiam sancti Sanctini & ecclesiam de
Nantolio.*

LII. Manasses I.

Claris ortus natalibus Manasses, modestiisque
ornatus

ANNI CHRISTI

ornatus moribus, ex archidiacono electus episcopus anno 1103. accusatorem expertus est,
1103. cujus accusatio, cum ipse notatus esset infamia,
Ivo ep. 113. non est admissa, consecratusque est Manasses a
115. 119. Daimberto metropolita. Recensetur inter præsules, qui Parisios convenerunt IV. nonas Decembris
1104. anno 1104. pro reconciliando Philippo Francorum rege. Canonicis suis cessit VII. cal. Octobris
1107. anno 1107. episcopatus IV. pro anniversario suo & parentum, duas partes altarium de ponte Mucræ & de Kailli, aliaque nonnulla, quorum tertiam prius archidiaconus dederat, concedente Galterio
Chart. III. col. 548. II. episcopo. Abbatiam Cellæ-Briensis persecutionis imminente articulo destructam Guillelmo abbati Majoris monasterii aliaque nonnulla eodem anno concessit, regnante Philippo & filio Ludovico, principante Adela. Sacro Ludovici Crassi Aurelianis adstitit die Dominica 2. Augusti anno
1108. 1108. quo etiam anno subscripsit diplomati ejusdem regis pro Floriacensibus monachis, quibus multa ceduntur in remedium animæ Philippi regis patris Ludovici non ita pridem defuncti, ibique sepulti. Subscripsit eodem anno diplomati Ludovici VI. pro servis ecclesiæ Parisiensis. Adstitit
1109. anno 1109. synodo apud sanctum Benedictum ad Ligerim a Richardo pontificis legato convocatæ. Guidoni abbati Molismensi confirmavit an.
1112. 1112. ecclesias, quas in episcopatu Meldensi tenebat. Subscripsit chartæ fundationis sancti Victoris
1113. Parisiensis anno 1113. Adfuit Philippo Trecensi ecclesiam sancti Juliani apud Sesannam dedicanti
1114. anno 1114. Huic scripsit Ivo Carnotensis epistolam 251. ne inquietaret presbyteros Jotrensis monasterii, qui ægroto ex consuetudine post prandium vomenti dare viaticum non fuerant ausi.
1120. Obiit Manasses idibus Januarii anno 1120. quo die illius obitum in acceptorum beneficiorum memoriam recolunt Meldenses canonici.

Ex his liquet mendum irrepsisse in nomine Meldensis episcopi præsentis chartæ Ludovici VI. cellæ S. Germani in Laia factas a patre Philippo donationes confirmantis anno 1124. regni XVII. Adelaïdis X. Hanc edidit Martennius Amplissimæ collectionis tom. 1. col. 683. ex chartulario Columbensi. Exstat & in regesto chartarum 232. num. 82. in literis Ludovici XII. mense Augusto anno 1499. priores literas recitantis & confirmantis, & utrobique idem est error. Idem dicendum de charta Roberti episcopi Lingonensis inter instrumenta ecclesiæ Lingonensis num. XXVI. Galliæ nostræ tom. IV. col. 150. data an. 1101. ubi Burcardus tanquam præsens laudatur: ibi enim citatorum episcoporum nomina cum anno non quadrant.

LIII. BURCARDUS.

Burcardus, qui & Burchardus, Bulcardus & Brocardus, ex canonico Senonensi Meldensis episcopus creatus occurrit jam anno 1119. hic est incipiens 1120. in tabulis Nantogili Hilduini. Ecclesiam de veteri Creceio monachis S. Martini
1122. a Campis largitus est anno 1122. episcopatus 3.
1123. Canonicis suis concessit anno 1123. episcopatus quarto præbendam, quam Galterius antecessor ab Hersinde reclusa acceptam illis reddiderat, ad reparanda claustrum, refectorium, cellarium, &c. Anno 1124. abbatissæ Fontis-Ebraldi dedit altare 1124.
sancti Quintini de Fontibus. Synodo Senonensi interfuit anno 1127. Donata canonicis sancti 1127.
Martini Firmitatis-Galcheri confirmavit eodem anno, quo præsens memoratur in charta capituli Senonensis ecclesiam sancti Salvatoris Rainardo abbati sancti Johannis donantis mense Decembri. Adfuit & subscripsit Romæ judicio inter Stephanum episcopum Parisiensem & Theobaldum archidiaconum lato a delegatis Honorii pontificatus tertio. Hoc forsan in itinere diploma obtinuit ab Honorio, ut abbas Resbacensis, & abbatissa Jotrensis sicuti clerici harumce villarum & laïci Meldensi subjicerentur ecclesiæ. Donatæ a Johanne Aurelianensi episcopo Radulfo priori Cellensi ecclesiæ sancti Aniani de Biliaco anno 1128. indi- 1128.
ctione VI. præsens adfuit. Obtinuit a Theobaldo comite Campaniæ abolitionem pravæ consuetudinis, qua demortui episcopi mobilia capiebantur a militibus, ea tamen lege, ut præsule deinceps ab intestato decedente ea monialibus de Fontanis, aut, illis deletis, darentur infirmis seu leprosis Meldensibus; quam quidem concessionem approbavit Honorius bulla ad Burcardum data Laterani XVII. calend. Maii anni circiter 1129. Concessit anno 1132. canonicis sancti Johannis Senonensis 1132.
ecclesiam parochialem de Pisciaco & capellam Miræ-vallis. Testis eodem anno in charta Andreæ de Baldimento pro Latiniaco; testis & mense Decembri anni 1133. sententiæ latæ ab Henrico 1133.
Senonensi inter canonicos de Firmitate-Galcheri & monachos de Domo-Dei. Litem habuit cum filiis Grimoldi Hugone & Odone pro cudenda moneta Meldensi, quæ juris erat episcopalis. Id autem sibi vindicabant hereditario jure, contra vero Burcardus aiebat suos antecessores modo his modo aliis id curæ demandasse pro utilitate ecclesiæ. Sic vero lis est composita, ut indulserit episcopus Hugonem & Odonem quandiu viverent, monetam cusuros, quod officium ad eorum heredes minime transmitti posset. Migravit Burcardus a seculo anno 1134. pridie nonas Januarii apud 1134.
sanctum Victorem Parisiensem, ubi sepelitur juxta Thomam priorem hujus domus, ea inscriptione donatus:

Præsul hic, iste prior, confessor hic, isteque martyr.
Hic minor est meritis, ordinis iste gradu.
Burchardus Meldis pater exstitit, at prior hujus
Ecclesiæ Thomas, moribus ambo pares;
Juris amatores, morumque fuere magistri,
Cum pietate graves, cum gravitate pii.
Quos ratio, quos relligio, quos jungit honestas,
Hos titulus jungit, & situs ipse loci.

De illo in necrologio Meldensi ad diem 4. Januarii: *Obiit Burchardus sanctæ memoriæ Meldensis episcopus, qui pontificalem domum liberavit a consuetudine quam habebat in ea comes in morte pontificis, & alia multa beneficia ecclesiæ Meldensi*

ANNI CHRISTI

contulit, in cujus anniversario reddit capitulum decem solidos annuatim. In necrologio de Fontanis leguntur quoque hæc verba: *III. nonas Januarii transitus domini Burchardi Meldensis episcopi, sanctæ & bonæ memoriæ viri, qui multa beneficia contulit ecclesiæ beatæ Mariæ de Fontanis, & in vita ipsius fundata fuit, qui canonicam vitam ducens feliciter migravit ad Dominum, cujus corpus apud sanctum Victorem Parisius requiescit.*

Commendat hunc episcopum sanctus Bernardus in epistola 22. ad Humbaldum Lugdunensem archiepiscopum, ejusdemque meminit in epistola 42. ad Henricum Senonensem, nunc inter tractatus collocata, ubi quanta morum & consiliorum gravitate præditus fuerit, illud argumento est, quod ipsum cum Gaufrido Carnotensi consiliarium Bernardus Henrico gratuletur. Scripta enim de Burcardo, perperam de Manasse intellecta probat Mabillonius in nota ad epistolam 22.

LIV. MANASSES II.

Prioris Manassis Manasses alter nepos, ex archidiacono S. Stephani episcopus, terram de Noium monialibus de Fontanis datam approbavit anno
Chart. IV. col. 549. 1134. episcopatus primo. Ecclesiam B. Mariæ de Cagia, aliasque a capitulo Meldensi canonicis
1135. regularibus concessas confirmavit anno 1135. quibus & ipse dedit locum Gilini eremitæ defuncti. Confirmavit eodem anno ordinationis suæ secundo canonicis suis, quæ eis dederat Manasses decessor & avunculus, quibus addidit altaria de Tramis, de Congiaco, &c. Monachis S. Martini a Campis datam a Burcardo episcopo ecclesiam de Choisiaco concessit eodem anno. Controversiam inter ecclesiam S. Martini a Campis & Gauterium canonicum Meldensem super ecclesiam de Creceio terminavit, quam Theobaldo priori tradidit anno
1137. 1137. Cessit anno eodem ecclesiæ Calensi personatum de Mintriaco sub annuo censu 10. solidorum Meldensis monetæ. Ab Innocentio II.
1138. bullam accepit cal. Aprilis 1138. qua summus pontifex jus ei episcopale confirmavit in omnes abbatias, ecclesias & monasteria infra Meldensem episcopatum sita. Querelam habuit cum Risendi abbatissa Farensi super jurisdictione in parochia Farensi, quam Hugo Autissiodorensis & Gaufridus Catalaunensis judices ab Innocentio papa delegati convocatis abbatibus Simone Casiacensi, Natali Resbacensi, Guillelmo sancti Martini de Trecis, loco apud Sesannam partibus assignato ordinaverunt. Hanc autem ordinationem ratam habuit Manasses, calculoque suo comprobavit Innocen-
1139. tius papa, x. cal. Novemb. 1139. Possessiones ecclesiæ beatæ Mariæ de Monte-Gaucheri, & datam a Burcardo episcopo monialibus de Fontanis terram de Polinni eodem confirmavit anno.
1140. Insequenti adfuit concilio Senonensi, ubi Petri Abaëlardi errores iterum damnati; qua de re sanctus Bernardus scripsit ad Innocentium papam epistolam 337. nomine Henrici archiepiscopi Senonensis & Manassis. Hujus consensu Andreas abbas reliquias sancti Faronis a tumulo eodem anno levavit. Facta quoque hoc anno prima

A ecclesiæ S. Dionysii dedicatione, dedicavit Manasses oratorium S. Hippolyti. Ecclesiam S. Johannis de Malo-respectu cum appenditiis monachis Cluniacensibus confirmavit anno 1140. ordinationis 7. Theobaldo priori & monachis sancti Martini a Campis donata a Margareta de Marnoa per manum Burcardi episcopi in ecclesiis de Acia & de Marnoa laudavit anno 1142. iisdemque con- 1142.
cessas minutas decimas ecclesiæ sancti Martini de Veteri-Creciaco anno 1143. In altera dedica- 1143.
tione basilicæ sancti Dionysii anno 1144. con- 1144.
secravit aras sancti Barnabæ & sancti Georgii, sanctæque Gauburgis. Annus ordinationis ejus
B decimus illigatur cum anno Incarnationis 1145. 1145.
in tabulis Majoris monasterii. Guidoni abbati sancti Johannis de Vineis concessit anno 1146. 1146.
ecclesiam sancti Nicolai de Firmitate-Ausculfi, cui univit ecclesiam sancti Johannis Evangelistæ in eodem loco. Canonicis S. Martini de Firmitate-Gaucheri concessit anno 1147. ecclesias sancti 1147.
Martini & S. Romani, & quidquid eis Burcardus decessor dederat. Eodem anno benedixit Odonem primum S. Genovefæ Parisiensis abbatem cum Sugerio abbate sancti Dionysii, quicum permutationem fecit anno eodem, quo Parisiis Eugenius pontifex Meldos profectus est, ubi versabatur VI.
C calendas Julii, indeque nondum discesserat III. calendas mensis ejusdem. Manasses vero ecclesiæ Briensi factam eleemosynam laudavit an. 1149. 1149.
peregrinationis regis 3. episcopatus 15. Firmavit concordiam Meldensis ecclesiæ cum Jotrensi monasterio pro decima de Insulis, Hugone decano, per chartam Meldis subscriptam anno 1150. Me- 1150.
moratur anno 1151. in charta Joiaci. Testis do- 1151.
nationis Latiniacensibus factæ ab Henrico Trecensium comite anno 1152. Donatam leprosis Mel- 1152.
densibus a monachis de Radolio terram prope molendina de Fiblenis anno 1153. approbavit, 1153.
sicut & donata a Willelmo de Barris ecclesiæ de
D Cagia. Ecclesiæ de Collinanciis possessiones confirmavit anno 1154. Pepigit anno eodem cum 1154.
Ansello de Dongione. Eodem ob remedium animæ & recompensationem ecclesiæ B. Mariæ de Cagia, quam Meldenses canonici ad ponendos in ea canonicos regulares ipsi concesserant, presbyterorum præsentationem ad ecclesias de Joi & de Baano eis indulsit. Abbati Fossatensi tribuit decimam de Copevres anno 1155. Confirmavit 1155.
anno 1156. abbatissæ Calensi licentiam, quam 1156.
prius ei dederat pro decima Mintriaci. Querelam monachorum beatæ Mariæ de Valle cum Aalide de Bullensi sopivit anno 1157. Ecclesiam Silliaci 1157.
E eodem anno pro anniversario suo monachis de Nantolio dedit. Insequenti obiit IX. calend. Maii, 1158.
quo die notatur in necrologio Meldensi. Defunctus sepelitur in choro ecclesiæ Cagiensis ad latus dextrum majoris altaris cum hoc epitaphio circa effigiem lapidi sepulcrali insculptam: *In hoc loco & sub isto lapide fuit sepultus & jacet reverendus in Christo pater & dominus Manasses II. Meldensis episcopus, primus hujus cœnobii rector & fundator ad honorem Dei & sacratissimæ genitricis virginis Mariæ, qui in senectute bona migravit ab hoc seculo XXVI.*

ANNI CHRISTI

mensis Aprilis, anno Verbi Incarnati M. CLVIII. Ossa ejus mense Maio anno 1661. detecta, proceræ ejus staturæ argumenta, in medium chorum translata sunt.

LV. Rainaldus.

Rainaldus, mendose in Gallia quadripartita Genoldus, ex abbate Joiaci anno 1158. episcopus creatus, initam inter monachos Radolienses & canonicos S. Johannis de Vineis concordiam
1159. approbavit anno 1159. Radoliensis monasterii possessiones confirmavit, & ea quæ ipsi largiti fuerant canonici Meldenses in ecclesia Calliaci
1160. anno 1160. quo episcopatus tertio composuit cum priorissa de Fontanis super aqua molendini de Strepilliaco. Anno eodem literas dedit de satisfactione facta ab Alberto de Montemer pro illatis sancto Dionysio damnis. Huic eidem
1161. quædam confirmavit anno 1161. episcopatus 3. Eodem priorissæ Collinanciarum quæ die dedicationis ecclesiæ collata fuerant, laudavit. Dedit circa id tempus Radoliensibus ecclesiam de Dusiis. Compositionem factam inter capitulum ex una parte, & Theobaldum archidiaconum ac Simonem thesaurarium ex altera, ratam habuit. Denique testatur in Annalibus Benedictinis Ansellum de Dangiolio in extremis constitutum monasticum induisse habitum inter monachos sanctæ Celiniæ, quibus quædam donaria anno 1147. contulerat. Memoratur die 3. Maii in necrologio Meldensi, die vero prima in necrologio Joiaci, ubi creditur sepultus circa majus altare ad Septentrionem prope pulpitum sub duplici lapide, altero inferiori super terram, altero superiori super quatuor columnas lapideas erecto. *Tom. 5. pag. 186.*

LVI. Hugo.

Ex decano episcopus Hugo Hugoni metropolitano præstitit obsequium. Obitus ejus assignatur die 7. Septembris in necrologio Meldensi his verbis: *Obiit Hugo venerabilis Meldorum episcopus:* & in necrologio de Fontanis die 6. mensis ejusdem.

LVII. Stephanus.

DE LA CHAPELLE.

Parisiis ortus Stephanus, frater erat Gualteri de Villebeon & Capellæ in Bria, quæ Capella Gualteri dicebatur, Ludovici VII. & Philippi regum cambellani, & patruus Petri Parisiensis, Stephani Noviomensis, & Guillelmi Meldensis episcoporum, ac Gualteri junioris cambellani, quibus ex matre Avelina Nemorosii nomen gentile fuit. Senonensis primum & Parisiensis canonicus, tum ex cantore Meldensis episcopus creatus, jam sede-
1162. bat anno 1162. quo Alexander papa Honorii ad instar statuit, ut abbas Resbacensis & abbatissa Jotrensis, harumque villarum clerici & laïci Meldensi subjicerentur ecclesiæ, bulla Stephano data Turonis. Ecclesiæ suæ decori providens, succen-
1163. torem in cathedrali instituit anno 1163. Præsentationem presbyteri S. Johannis contra abbatem Resbacensem Stephano attribuit Alexander bulla data Turonis III. idus Junii. Altera data Senonis IV. nonas April. ipsi idem pontifex jus episcopale

A in monasterio & villa Resbacensi adjudicavit, abbasque Resbacensis obedientiam & subjectionem Stephano pollicitus est eodem loco. Discordantes Hugonem de Monte-Guillonis & Aubertum S. Genovefæ Parisiensis abbatem conciliavit anno eodem, & Philippo thesaurario Compendiensi regis fratri obsequii clientelaris, quod ipsi debebat gratiam fecit Stephanus, qui jus advocationis ecclesiæ & villæ Faræmonasterii in manu regis cessit XI. cal. Aprilis anno 1165. Eodem finem imposuit controversiæ, quæ inter ipsum & Henricum Trecensium Palatinum comitem erat de moneta, pro qua finienda confessus est comes *Chart. VI. & VII. coll. 552. & 553.* 1165.
B se deliquisse, quod monetam cudisset Meldensi similem, spoponditque se neque veram neque falsam deinceps facturum. Circa id tempus ab Alexandro III. una cum Senonensi archiepiscopo & abbate Vallis-secretæ deputatus est Stephanus, ut cum eis visitaret monasterium sancti Victoris Parisiensis, & exquireret vitam & mores abbatis Ervisii, bulla data Tusculani calendis Februarii. Concilio Bellovacensi adstitit anno 1166. ubi 1166.
excommunicati monachi Resbacenses episcopo & abbati rebelles. Decimam de Quinciaco emit eodem anno a decano & capitulo sancti Quiriaci Pruvinensis in festo sancti Quiriaci. Donata Rado-
C liensibus apud Dusiacum approbavit anno 1167. 1167.
Medietatem decimæ de Quinciaco canonicis concessit anno 1169. Ab Alexandro III. delegatus 1169.
anno 1170. duas villas adjudicavit monasterio 1170.
sancti Cornelii Compendiensis. Memoratur circa id tempus in charta Adelaïdis vicecomitissæ Firmitatis-Ausculfi pro Domo Dei Meldensi. Petro de la Chastre defuncto ad Bituricensem metropolim transfertur anno 1171. ut diximus tom. 2. 1171.
col. 54. qua postea abdicata, reliquum vitæ tempus cum Parisiensibus sancti Victoris canonicis regularibus exegit, apud quos devixit, sepultusque jacet cum epitaphio jam relato, cui subjunguntur
D hi versus:

Pax populi, clerique decus, patriæque patronus,
Stephanus hujus amor urbis & orbis obit.
Meldis episcopium, primatum Bituris, ortum
Parisius, tumulum continet iste locus.
Idibus hic Jani terris divisus & astris
Quæ dederat cælum terraque solvit eis.

De eo in necrologio Meldensi ad diem XIV. Januarii: *Obiit Stephanus bonæ memoriæ Meldensis episcopus, qui dedit canonicis B. Stephani medietatem decimæ de Quinci.* Hujus leguntur apud Johannem
E Sarisberiensem epistolæ aliquot pro S. Thoma.

LVIII. Petrus I.

Omissus a nobis Hugonem inter & Stephanum hunc sibi reposcit locum Petrus Stephani Tornacensis condiscipulus, qui ex archidiacono abbas, ex abbate Meldensis episcopus electus fuit, procurante imprimis Willelmo de Campania Theobaldi comitis filio Senonensi archiepiscopo. Hunc aliquanto post Alexander papa III. ob singularem doctrinam, ingentiaque merita tituli sancti *Epist. 46.*

ANNI CHRISTI
Chrysogoni presbyterum cardinalem creavit, & A
in Franciam legavit, anno, ut volunt, 1173. Car-
1173. dinalis & legatus Petrus Meldensem nihilominus
episcopatum retinuit, reditusque percepit, ita ut
nihil ad Willelmum archiepiscopum, ad quem
sede vacante pertinebant, inde perveniret. Qua
Conc. t. x. de re conquestus est apud summum pontificem
col. 1296. Willelmus, qui literis Ferentini datis VI. idus Sep-
tembris Petrum redarguit, quod in causa esset, cur
canonici electionem non auderent libere celebrare,
eique mandat ut archiepiscopo Senonensi Mel-
densibusque dicat canonicis, quod pro ipso non
dimittant, quin eidem ecclesiæ personam idoneam
provideant in episcopum & pastorem. Pontificis B
consiliis paruisse videtur cardinalis, alteriusque
electionis copiam fecisse ante annum 1175. quo
sedes vacabat die Dominica post octavas Pente-
costes, ex tabulario Jotrensi; nam

LIX. PETRUS II.

Petro Cellensi hunc debet ecclesia Meldensis
episcopum, quem Magistrum vocat, hoc est, do-
ctorem theologum in epist. 8. lib. 7. ad Willel-
mum Remensem archiepiscopum, cui sic gratu-
latur: *Meldensi ecclesiæ tres viros honorificentissimos,*
dominum scilicet cardinalem, magistrum Petrum &
Simonem archidiaconum vicissim assignasti Mendum C
Hist. univ. in epistola suspicatur Bulæus, triumque loco legen-
Paris. t. 2. dos duos, quia unus tantum Petrus reperitur in
pag. 369. catalogis Meldensibus. Sed quare catalogos ple-
rumque mancos & mutilos ope coætaneorum
scriptorum non liceret emendare? Attamen in
tanta rerum confusione repetere cogor sedem va-
1175. casse anno 1175. die Dominica post octavas Pen-
tecostes, ex tabulario Jotrensi.

LX. SIMON I.

Ex archidiacono Senonensi & thesaurario Mel-
densi creatus episcopus Simon, Willelmo Seno-
nensem adhuc sedem occupante, adstitit anno D
1177. 1177. idibus Maii elevationi reliquiarum & cor-
porum Sanctorum, quæ in ecclesia sancti Fram-
baldi Silvanectensi quiescebant. Querelam habuit
anno eodem cum abbate Fossatensi super electione
& institutione presbyteri de Cupeverso, quam
diremere J. Carnotensis episcopus sedis apostolicæ
legatus, & M. Trecensis. Donata monialibus de
1178. Nosforti eodem approbavit anno. Insequenti oc-
currit in chartulariis Joiaci & Calensi. Concilio
1179. Lateranensi adfuit 1179. pluresque ab Alexandro
papa obtinuit epistolas, quibus prohibebat sum-
mus pontifex, ne in episcopatu Meldensi alicui
liceret parochiam tenere, nisi qui eam admini- E
straret. Simoni episcopo XII. calendas Martii
indulgebat, ut posset in sua diœcesi abbatem, vel
abbatissam confirmare a majore capitulorum parte
electos, conventu non concordante, & ecclesiæ
Meldensis bona confirmabat. Memoratur anno
1181. 1181. in chartulario de Ecaliis. Cum Hervæo
abbate Majoris monasterii transegit de procura-
1182. tione in ecclesia S. Celiniæ an. 1182. ipsique 20.
solidi assignati, quoties festo interesset. Eustachia
abbatissa Jotrensis Simoni episcopo obedientiam

promisit, episcopaleque jus recognovit an. 1183. ANNI CHRISTI
& cum eo ope Willelmi Remensis archiepiscopi 1183.
transegit super benedictione abbatissæ & ordina-
tione clericorum. Juliacum canonicorum regula- Chart. VIII.
rium monasterium erexit in abbatiam, institu- col. 553.
tumque in ea abbatem confirmavit anno 1184. 1184.
Insequenti concordiam iniit cum amico Fulcone 1185.
abbate sancti Germani a Pratis super procuratione
episcopo debita, & præsentatione ecclesiarum de
Coilliaco & de Montriaco. Auctoritate pontificia
cum Nivelone Suessionensi episcopo composuit
eodem anno querelam canonicorum sanctæ Crucis
Aurelianensis in gratiam monachorum Majoris
monasterii pro ecclesia B. Mariæ de Bono-Nuncio.
Donatam domui sancti Lazari Meldensis terram
Conchiam confirmavit anno 1187. Ecclesiam 1187.
de Oisseriaco & canonicos, quos in ea instituerat,
a procuratione ipsi debita absolvit, & sacerdotem
in capella apud Marchemoi instituit XIII. calend.
Martii anno 1188. Ecclesiæ de Collinanciis do- 1188.
num factum a Landrico de Favolle laudavit anno
1189. Memoratur an. 1190. in tabulis S. Fidis 1189.
& S. Germani a Pratis. Nemus de Fago ecclesiæ 1190.
de Camero-fonte datum confirmavit anno 1191. 1191.
Occurrit an. 1192. in tabulario Caroli-loci. Ipse 1192.
est S. ut legitur in editione Stephani Tornacensis Epist. 182.
epistolarum a Pap. Massono, non vero Ans. ut apud Papyr. Mass.
Molinetum, qui Dominica in Ramis Johanni
abbati sanctæ Genovefæ Parisiensis benedictionis
munus impertitus est anno 1192. Exstat ejusdem
charta in chartulario sancti Martini a Campis de
decima de Anetho data anno 1193. Altare de 1193.
Lavana & præsentationem presbyteri ecclesiæ S.
Faronis dimisit anno 1194. Rescriptum accepit 1194.
a Lucio papa III. super residentia personatuum
in ecclesia Meldensi. Henricus comes Trecensis
concessit ei, quandiu viveret episcopus, partem
quam habebat in viaria de Strepilliaco. De Si-
in necrologio Meldensi die 7. Maii: *Obiit vene-*
randæ memoriæ Simon Meldensis episcopus.

LXI. ANSELLUS.

Nobilis Parisinus Ansellus, Philippi regis Au-
gusti aulicus, ut refert Egidius Paris apud Ches- Tom. 5.
nium, doctor in decretis & jure civili, a Michaele pag. 324.
archiepiscopo Senonensi consecratus, domui le-
prosorum Meldensi nonnulla concessit apud Vil-
lanolium instrumento dato Germiniaci mense
Julio 1197. Insequenti permutavit cum mona- 1197.
sterio S. Dionysii. Eodem anno 1198. Matthæi 1198.
decani totiusque capituli Meldensis assensu indulsit,
ut singulis annis in festo S. Celiniæ sive episcopus
adesset, sive non, hujusce domus monachi triginta
tantum solidos pro procuratione persolverent, sic-
que a convivantium tumultu liberi fierent. Eodem
in villa, quæ dicitur Caritas, synodum habuit
Michael Senonensis, in qua Rainaldus S. Martini
Nivernensis abbas & decanus majoris ecclesiæ
Populicana hæresi infecti de consilio Autissiodo-
rensis, Meldensis & Nivernensis episcoporum,
tum ab officio, tum a beneficio sunt suspensi.
Querelam habuit A. Meldensis cum Latiniacen-
sibus pro ecclesia de Oignia, quam præsentato a

ANNI CHRISTI monachis adjudicavit Michael Senonensis mense A
Decembri 1198. Abbatiæ Cameri-fontis dedit
1199. ecclesiam sancti Remigii de Congiaco an. 1199.
Eodem regi obsequentissimus latam a Petro Capuano legato apostolico interdicti in regnum sententiam ob illicitas Philippi regis nuptias exsequi
distulit, donec de Gallicanarum rerum statu certior factus esset pontifex. Testis fuit concessæ
Philippo regi ab Amalrico comite Glocestriæ
1200. civitatis Ebroicensis mense Maio anno 1200. Ab
Innocentio III. literas obtinuit anno pontificatus
1201. quarto adversus clericos & laïcos Resbacenses, qui
obsequi detrectabant literis directis ab eodem pontifice Odoni episcopo Parisiensi & abbati Latinia- B
censi, ut hac de re cognoscerent. Ad exemplum Petri Senonensis archiepiscopi dedit literas
1202. mense Januario 1201. nunc 1202. pro recipienda bulla Innocentii papæ de liberis, quos
rex Philippus Augustus ex Agnete susceperat,
legitimis reputandis. Odo Parisiensis episcopus &
abbas Latiniacensis ab Innocentio III. delegati x.
calendas Julii, pontificatus anno v. Ansello in
monasterio villaque Jotrensi jurisdictionem adjudicarunt, contumacemque abbatissam excommunicaverunt, unde graves utrimque discordiæ. Canonicos, annuente priore S. Martini a Campis,
in capella de Creceio instituit, nonnullaque ordi- C
navit mense Dec. 1202. Cum Philippo Bellovacensi, & J. S. Genovefæ abbate delegatus donatam mense Januario a Nicolao decano & capitulo
ecclesiæ Braiensis Blanchæ comitissæ Trecensi personatuum hujus ecclesiæ collationem confirmat
Parisiis mense Martio 1202. Cum comite Tre-
1203. censi homines permutavit an. 1203. mense Maio.
Ecclesiæ sancti Stephani concessit ecclesiam de
Changi mense Augusto. Eodem anno composuit
litem inter decanum & capitulum ex una parte,
abbatemque & conventum Juliaci ex altera, de
decima de Goella. Servos cum Henrico abbate
1204. sancti Dionysii permutavit anno 1204. Habitum D
est anno eodem concilium Meldense a Johanne
abbate Casemarii Cisterciensis ordinis, apostolicæ
sedis legato, ut inter Philippum Franciæ & Johannem Angliæ reges pax & concordia restituerentur. Querebatur Johannes vi occupatum a
Philippo Pictaviensem comitatum, violatumque
fœdus juramento sancitum, quo regionem illam
in feudum acceperat. Ne legatus rem definiret,
ad sedem apostolicam appellarunt Gallicani episcopi. Romam profecti Senonensis & Bituricensis
archiepiscopi, atque Parisiensis, Meldensis, Catalaunensis & Nivernensis episcopi. Dum Romæ
commoraretur Ansellus, cancellariam Meldensem E
a se anno 1201. institutam & ex propriis reditibus dotatam a pontifice confirmari curavit. Eodem forsan in itinere possessio jurisdictionis, salva
proprietatis quæstione, in monasterio ac villa
Jotrensi adjudicata Ansello est ab Innocentio v.
1205. calendas Februarii, pontificatus anno 8. Blanchæ
comitissæ factam venditionem a Radulfo de Mon-
1206. cuichet testatur mense Junio 1205. Insequenti
Guillelmus de Monasteriis dedit ei & successoribus quindecim modios seminaturæ de nemoribus
suis apud Grandem-campum. Eodem anno 1206. ANNI CHRISTI
ecclesiam sancti Nicolai de Moressart monachis
Pontisarensibus donatam approbavit, sicut & ecclesiam sancti Remigii datam a capitulo Domui-Dei mense Martio. De Ansello necrologia Meldense & Faræmonasterii ad diem 8. Junii, Camerifontis 6. Augusti; unde concluditur obiisse anno
1207. quo in chartulario Cagiensi Meldensis 1207.
dicitur vacare sedes. Sepultus est in monasterio
Sacri-portus, seu Barbelli in pago Melodunensi,
cujus in chartis sæpius occurrit. Laudatur his versibus Carolini Egidii Parisiensis:

Cum superexcellens legum jurisque peritus,
Ille inter proceres, intraque palatia magni
Nominis Ansellus, quem cum majoribus orbis
Meldis episcopio promovit gratia sensus.

Præsulis hujusce temporibus institutus in diœcesi
Meldensi ordo SS. Trinitatis, cujus recens erectam
apud Cervum-frigidum ecclesiam consecravit.

LXII. Gaufridus. DE TRESSI.

Meldensibus canonicis pro episcopo deligendo
duas in partes scissis, aliis cantorem Meldensem
eligentibus, aliis abbatem S. Genovefæ Parisiensis
postulantibus, utrumque reprobavit Innocentius
summus pontifex ob indiscretum & inordinatum
contra constitutiones canonicas attentatum processum, episcopisque Silvanectensi & Atrebatensi,
abbatique Latiniacensi mandavit, ut eum, qui
foret a majore parte electus, infra octo dies confirmarent, sin minus, præsulem eis dignum sufficerent, bulla data v. calendas Decembris, pontifi- *Libr. x.*
catus anno x. Aliquanto post electus est Gaufridus *epist. 163.*
de Tressiaco ortus de Puiseto in Bria ex canonico
& thesaurario, sed non statim consecratus. Hinc
conquestæ sunt moniales Jotrenses propter dilatam electæ Jotrensis benedictionem; quamobrem
electo Meldensi mandavit Innocentius, XIII. cal. *Libr. XI.*
Maii, anno pontificatus XI. ut decima quinta a sua *epist. 56.*
consecratione die electam benediceret Jotrensem. Thesaurarii sigillo, quia electus non habebat,
signat chartam mense Julio 1208. qua decimas 1208.
novalium parochiæ de Nigella de assensu Girardi
presbyteri ejusdem loci Stephano clerico de Praeriis, quandiu vixerit, salvo cujuscumque ecclesiæ
vel monasterii jure concedit possidendas. Electus
adhuc mense Octobri & thesaurarius nonnulla
circa matricularios ordinavit. Pepigit iisdem anno
& mense cum Blancha comitissa Trecensi pro *Chart. x.*
moneta fabricanda. Anno 1209. mense Maio *col. 558.* 1209.
nondum inauguratus fuerat, ut constat ex charta
Radulfi de Tremeliis, sed nec Augusto ex instrumento Petri Parisiensis episcopi & Hugonis ejusdem ecclesiæ decani Gaufrido electo adjudicantium jurisdictionem in villa & monasterio Resbacensi. Episcopus tandem decimam de Nigella Girardo abbati Barbelli confirmavit mense Novemb.
1209. & occurrit mense Martio in tabulis Caroli-loci. Decimam novorum *essartorum* in omnibus
ecclesiis, in quibus capitulum Parisiense antiquas
habebat decimas, ipsi concessit mense Novembri

ANNI CHRISTI

1210. Arbiter electus cum Michaele decano sancti Marcelli Parisiensis & fratre Guarino ortæ inter capitulum Parisiense & conventum sancti Germani a Pratis querelæ super jurisdictione spirituali in territorio S. Germani a Pratis sententiam tulit mense Januario 1210. Judicium quoque arbiter pronunciavit anno 1211. in gratiam monasterii sancti Dionysii adversus Blancham Trecensem comitissam. Transegit eodem anno & amicabilem compositionem habuit cum monachis Resbacensibus pro jurisdictione arbitrio R. abbatis S. Johannis de Vineis, G. decani & J. magistri scholarum Suessionensium mense Januario, ea lege ut abbas Resbacensis jurisdictionem exerceret in clericos & laïcos, præter crimina hæreseos, sacrilegii, contracti matrimonii & pœnitentias episcopo reservatas, cui & archidiaconis solveret sex modios ibernagii & avenæ in decima de Uciaco. Pacem iniit mense Februario cum Henrico de Monasteriis pro prioratu Grandis-campi. Publico diplomate sanxit anno 1212. ut canonicus decedens, aut aliqua de causa recedens post Pascha, si tamen in eo esset statu, ut pro residente haberi deberet, totius anni fructibus potiretur. Sigillo suo communivit eodem anno literas, quibus Quintianus presbyter de sancto Christophoro profitetur se dedisse capitulo Meldensi domum suam in eleemosynam. Statuit anno 1213. ut thesaurarius æque ac canonicus residere teneretur. Memoratur anno eodem mense Septembri in chartulariis de Fontanis & Victorino, cui cœnobio factam donationem de 600. jugeribus nemoris a Galchero de Castellione probavit. Sigillo quoque suo approbavit anno eodem 600. jugera nemoris Creciaci data monialibus S. Faræ a Galchero Sanpaulano comite. Denique anno 1213. sponte abdicato episcopatu arctius vitæ genus apud Victorinos amplectitur, permittente Innocentio III. Rigordi de gestis Philippi Augusti regis verba referre juvat: *Eodem tempore Gaufridus vir sanctissimus Meldensis episcopus episcopatui similiter renuncians, in monasterio sancti Victoris Parisius divinæ contemplationi sese arctius mancipavit. Qui inter alia sanctitatis opera, quibus viriliter insistebat, abstinentiam mirabilem & cunctis inauditam seculis observabat. Omni anno in Quadragesima & in Adventu Domini ter tantum in septimana cibum, potum vero nunquam sumere consuevit, in aliis vero temporibus comedebat & bibebat, sed raro & talia, quæ sua amaritudine & insipiditate vix aliquis hominum dignaretur gustare.* Hæc eadem magna ex parte refert Nangius ad eumdem annum. Ejus itidem meminerunt Johannes monachus in memoriali historiarum, & Vincentius Bellovacensis lib. 31. cap. 8. Rebus humanis exemtus est Gaufridus ex necrologio Victorino anno 1214*. VIII. idus Febr. quo die obitus in ecclesia Meldensi commemoratur. Ejus tamen anniversarius dies notatur in tabulis Victorinis pridie nonas Februarii, ubi vocatur Gaufridus de Pissiaco, sic: *II. nonas Februarii anniversarium solemne venerabilis memoriæ magistri Gaufridi de Pissiaco quondam Meldensis episcopi, qui de episcopatu suo ad nos veniens, & societatis nostræ frater effectus, privatam penes nos ducere vitam elegit.* Ita inter chartas Pisciacensis parthenonis apud D. de Gaignieres in bibliotheca regia.

* *id est*, 1215.

Margin years: 1210. 1211. 1212. 1213.

LXIII. GUILLELMUS I.

DE NEMOURS.

Vetusta e stirpe Nemorosii satus Guillelmus, filius quippe Galteri domini Capellæ in Bria & de Villebeon, Franciæ camerarii ex Avelina herede Ursionis Nemorosii toparchæ, Stephani prius Meldensis episcopi ex fratre fuit nepos, de quo Rigordus & Albericus ad annum 1214. *Gaufridus vir sanctissimus Meldensis episcopus episcopatui similiter renunciavit, & se Deo mancipavit, cui succedit Guillelmus cantor Parisiensis, & sic fuerunt tres fratres uterini simul episcopi, & sibi contemporanei, Stephanus Noviomensis, Petrus Parisiensis, & Guillelmus Meldensis, filii Galteri quondam Francorum camerarii, fratres Gualteri junioris & aliorum trium militum, viri satis virtute laudabiles, & in palatio regis præclari.* Guillelmus itaque electus ex cantore Parisiensi & canonico Carnotensi pactum initum inter decessorem G. quondam episcopum & Blancham comitissam de moneta renovavit & approbavit in crastino B. Johannis Baptistæ anno 1214. Paulo post consecratur Dominica post festum sanctæ Magdalenæ VI. calend. Augusti. Omnes decimas novalium in parochiis diœcesis Meldensis, in quibus antiquas habebant canonicis Parisiensibus mense Septembri ejusdem anni concessit, pontificatus anno primo. Anno eodem civitatem supposuit interdicto pro vadiis Meldensis ecclesiæ, quæ comitissæ præpositus detinebat, & restituit mense Martio 1214. nunc 1215. quo cum Blancha comitissa composuit de his quæ pertinebant ad mercaturam in mercato Sabbati, & de custodia villæ. Eodem anno cum Philippo Bellovacensi ab apostolica sede deputatus constitutionem Innocentii III. promulgavit, qua cavebatur, ne matrimonium Erardi de Brana cum Philippa secunda Henrici II. comitis Trecensis filia contraheretur. Galchero de Castilione comiti sancti Pauli ut in altari in domo sua de Creciaco celebrarentur divina permisit mense Maio 1216. Decimam novalium in parochia de Nigella Bartholomæo abbati Barbelli confirmavit mense Oct. Eodem anno Honorius III. constitutionem misit Guillelmo Meldensi episcopo XVI. cal. Januarii, pontificatus anno primo, qua cavetur ne clerici absentes, qui non militant in comitatu sui episcopi, donentur stipendiis, seu fructibus beneficiorum suæ ecclesiæ. Quod postea confirmatum fuit decreto senatus Parisiensis in favorem Johannis de Vieupont hujus ecclesiæ episcopi. Circa id tempus Guillelmus concordiam iniit cum monachis Pontisarensibus de ecclesia de Morestart, quam parochialem instituit. Anno 1217. mense Aprili Stephanus decanus & capitulum Parisiense anniversarium singulis annis celebrandum post obitum Guillelmi episcopi, qui eis dederat decimas omnium novalium in terra de Roseto perpetuo possidendas, constituunt. Compositionem inter moniales de Fontanis & magistrum Domus-Dei de Creciaco confirmavit mense Jul. Monachis

Margin: 1214. Chart. XL. col. 558. 1215. 1216. 1217.

ANNI CHRISTI

S. Germani a Pratis idem jus concessit in ecclesia Villæ-novæ comitis sancti Pauli, quod habebant in ecclesia de Ramervillers, qui vicissim Guillelmo cesserunt quidquid habebant in ecclesia de Esbliaco mense Octobri. Eleemosynam aliquot denariorum factam ecclesiæ sancti Stephani per Hugonem de Marolio militem approbavit mense Decembri. Petrus episcopus Parisiensis sacram militiam professus Willelmum episcopum Meldensem fratrem suum testamenti sui exsecutorem
1218. nominat anno 1218. qui adfuit IV. cal. Augusti elevationi corporum sanctorum martyrum Potentiani & Altini in ecclesia S. Petri Senonensis, ubi cum aliis episcopis ea in capsam transtulit. Literas dedit mense Martio de controversia inter abbatem Fossatensem & presbyterum de Coilliaco sopita. Mense eodem cum Blancha comitissa Trecensi compromissum fecit. Cum religiosis Cervifrigidi ipse & capitulum societatem ineunt IV.
1219. idus Augusti 1219. Capellaniam apud Pont-Mollein a Thoma de Vallibus milite institutam, cujus præsentatio ad priorem de Columbario per-
1220. tinet, approbavit mense Novembri anno 1220. Februario vero confirmavit jus patronatus ecclesiæ de Mauro Eustachiæ abbatissæ Faræmonasterii.
1221. Occurrit adhuc an. 1221. mense Julio. Sublatus e vivis XIV. calendas Septembris, jacet in abbatia Barbelli prope altare sub hoc titulo: *Anno Incarnationis Dominicæ 1221. sepultus est in hoc loco piæ memoriæ Willelmus Meldensis quondam episcopus, cujus anniversarium agitur XIV. cal. Septembris.* Huic dederat quatuor annulos aureos.

LXIV. AMALRICUS.

Ex archidiacono Meldensis episcopus Amalricus anno 1221. eligitur. Rogavit canonicos mense Decembri, ut adventante comitissa Trecensi, quæ ipsius homines incarceraverat, organa sua suspenderent. Justitiam canonicorum sancti Sanctini, quam archidiaconus ipse ecclesiæ Meldensi cesserat, episcopus confirmavit mense Januario. De ejus assensu fundata nuper capella de Crevecœur dicitur in instrumento anni 1221. mense Martio. Anno & mense iisdem donatam monasterio Barbelli decimam novalium apud Nigellam testatur a Stephano subdecano Carnotensi, qui eam a Gaufrido quondam episcopo Meldensi
1222. habebat. Memoratur adhuc mense Julio 1222. in charta Barbelli, & V. idus Januarii in necrologio. Post brevem admodum administrationem obiit apud sanctum Victorem, ubi sepultus quiescit. Notatur ejus anniversarium in necrologio sanctæ Genovefæ V. idus Januarii, & in Meldensi VII. idus ejusdem mensis, ubi dicitur canonicis sancti Stephani cessisse vadium 20. librarum, quas habebat in decima de Portu, & domum suam in vico Castelleti ante portam Domus-Dei, aliaque dona.

DE CUISI.

LXV. PETRUS III.

Milone de Cuisiaco & Agnete parentibus natus Petrus, archidiaconus primum Meldensis erat an. 1221. quo tempore Milo ipsius pater quindecim solidos annuos ecclesiæ de Camero-fonte dedit,

A ut ipse testatus est episcopus literis datis mense Februario anno 1223. qui nunc 1224. Galtero archiepiscopo Senonensi juravit obedientiam. An. 1223.
1223. cum præcipuis Galliarum episcopis synodo Parisiensi adversus Albigenses celebratæ adfuit & exsequiis Philippi Augusti pridie calendas Julii defuncti. Sancti Eustachii corpus in ecclesia sancti Dionysii visitantibus indulgentias eodem anno indulsit, & compromisit cum Th. comite Campaniæ in episcopum Aurelianensem & Blancham comitissam comitis parentem, super nonnullis articulis in festo S. Briccii. Pacem conciliatam inter ecclesiam de Noaforti & presbyterum de S. Pa-
B tusio laudavit mense Jan. Recensetur inter præsules, qui Turonis propter servitium regi debitum ad exercitum convenerant anno 1224. 24. Junii. 1224.
Querelas habuit cum Th. comite Campaniæ, pro quibus finiendis elegerunt arbitros B. episcopum Parisiensem & G. archidiaconum Briæ loco Ph. Aurelianensis & Blanchæ comitissæ, quos prius elegerant, spopondítque comes mense Septembri facturum se ut 433. libræ, sex solidi, octoque denarii solverentur Petro a quatuor viris, qui monetam Meldensem cudere debebant. Monachis Barbelli confirmavit mense Februario decimam novalium in parochia de Nigella. An. 1225. mense 1225.
C Maio Ludovicus VIII. intacto jure cudendi monetam constituit, ut episcopus Meldensis, quando novam cudere vellet veteri reprobata, teneretur ea de re quatuor menses antea regem certiorem facere, qui postea moneret suos subditos, ut quantocius a veteri moneta se liberarent, quod pollicitus est Petrus. Hominio, quod Robertus comes Branæ & Drocensis præstitit Meldis Th. comiti Campaniæ, adstitit eodem anno, & mense Augusto statuit cum capitulo capellanos ecclesiæ Meldensis, qui non forent sacerdotes, nihil percepturos. Querelam habuit cum abbatissa Jotrensi super subjectione monasterii, cleri & populi, quam
D terminandam commisit Romano cardinali sedis apostolicæ legato mense Octobri, qui exemtum declaravit Jotrense monasterium Novemb. Adfuit dedicationi beatæ Mariæ de Victoria VII. calendas Novembris anni adhuc 1225. Insequenti funda- 1226.
tioni monialium Cisterciensium in Domo-Dei de Ponte-Coliaci assensum præbuit, sicut & capel- Chart. XII. col. 558.
laniæ in domo Johannis de Barris apud Croiacum. Dedicationi ecclesiæ Longi-pontis interfuit anno
1227. Composuit eodem anno cum Theobaldo 1227.
comite, arbitro Auberto abbate de Cagia, pro debitis sibi in silva de Maant, juxta Columbarium, pro quibus dedit ei comes 120. jugera in eadem
E silva mense Maio. Quædam permutavit cum Gilone de Aciaco mense Julio. Cum H. abbatissa Jotrensi compromisit anno eodem mense Febr. super institutione magistri in leprosaria de Samerone in arbitros, qui sententiam secundum episcopum dixerunt an. 1228. mense Maio. Eodem 1228.
anno habita est Meldis synodus, in qua de Raimundi Tolosani comitis reconciliatione actum est. Philippus comes Boloniæ consensit mense Octobri, ut quoties inter episcopum Meldensem & Campaniæ comitem verteretur controversia,

ANNI CHRISTI

nec tuto posset episcopus Meldis morari, in castro
Domni Martini liberum posset habere perfugium
cum septem aliis e familia sua, & viginti aliis
in villa ipsa Domni-Martini. Mense eodem Petrus
nonnulla ordinavit circa Domum Dei de Nan-
tolio, sigilloque corroboravit compositionem fa-
ctam inter ascetas Pontisarenses & Elisabetam
de Cortrotram. Pactum inter Theobaldum comi-
tem & decanum Meldensem approbavit mense
Februario. Monachos quoque sancti Dionysii con-
ciliavit cum rectore ecclesiæ parochialis domus
1229. Cellæ in Bria mense Augusto 1229. Numerum
monialium in prioratu de Noaforti ad viginti
quinque auctoritate Honorii III. papæ prius muni-
tus reduxit. Translatæ abbatiæ Pontis-Dominarum
ad villam Rues consensit mense Febr. A comite
1230. Campaniæ requisivit anno 1230. ut Radulfum
magistrum Domus Dei Meldensis destitueret. Ec-
clesiam Radoliensem eodem anno cum Nicolao
Avenionensi dedicavit. Annum quoque 1230.
præferunt literæ Galteri Senonensis archiepiscopi,
P. Morinensis episcopi, Philippi sancti Audomari
decani, Renaudi sancti Faronis, Alberti de Cagia,
& Johannis Cameri-fontis abbatum, ex quibus
patet inter eos convenisse, ut quotiescumque epi-
scopus supposuerit interdicto civitatem Melden-
sem, & ab ipso fuerit requisitum capitulum, vel
per ipsum episcopum, vel per ejus literas, vel
per ejus certum nuncium, ut cesset in ecclesia
1231. cathedrali, cessaturum sit. Anno 1231. cum
Theobaldus comes pedagia ab hominibus epi-
scopi & capituli exigeret, interdicto supposita est
diœcesis, prohibitumque ne præsentibus seu co-
mite, seu ejus hominibus divina celebrarentur
officia die Lunæ post festum S. Barnabæ. Decla-
ravit mense Februario jurisdictionem in presby-
1232. terum de Gievres ad se pertinere. Anno 1232.
cum Theobaldo comite composuit super repara-
tione calceiarum Meldensium sub sigillo G. archi-
episcopi Senonensis apud Braium, die festo apo-
stolorum Simonis & Judæ. Anno eodem Domus-
Dei de Firmitate-Galcheri a Matthæo de Monte-
mirabili ejusdem civitatis domino fundata est,
concessumque Petro episcopo ejusque successori-
bus, ut magistrum in dicta domo constituerent.
1233. Anno 1233. die 2. Junii Parisiis sancti Antonii
de Campis basilicam cum Guillelmo Parisiensi, &
Guillelmo Cameracensi episcopis dedicavit. Que-
relam habuit cum ecclesia Jotrensi pro jurisdi-
ctione cœmeterii de Samerone, quæ ab arbitris
episcopo adjudicata fuit mense Augusto. Eodem
fundatam capellaniam in ecclesia de Fontaneto a
Rogero & Milone de Atiliaco laudavit. Electus
arbiter discordantes abbatissam Faræmonasterii &
priorem de Columbario super patronatu capellæ
de Vova conciliavit & priori adjudicavit in cra-
stino sancti Lucæ. Statutum Gaufridi decessoris
de residentia cantoris renovavit anno 1233. Ca-
pellam institutam a Joberto in Villa-nova comitis
1234. approbavit mense Martio. Anno 1234. corpus
sancti Fiacrii die festo SS. Trinitatis levavit, &
40. dies de injunctis pœnitentiis caput Sancti
ejusdem visitantibus postea anno 1237. mense

A Maio relaxavit. Fundatam capellaniam a Johanne
de Grangia in domo ipsius die 3. Maii laudavit,
aliamque in ecclesia de Cagia a Guidone de Cor-
nillon mense Octobri. Anno 1235. mense Aprili 1235.
compositionem inter Theobaldum regem Na-
varræ & capitulum Meldense laudavit. Querelam
habuit cum Th. comite Campaniæ, qui sibi arro-
gabat jus præsentandi magistrum leprosariæ Mel-
densis a congregatione electum, pro qua arbitros
eodem anno elegerunt. Anno 1236. cum G. 1236.
decano & capitulo instituit octo vicarios, qui
ecclesiæ Meldensi deservirent, iisque reditus assig-
navit die crastina Inventionis S. Stephani. Anno
B eodem in vigilia beati Laurentii composuit litem
inter abbatem Barbelli & presbyterum de Nigella,
circa decimam novalium. Querelam habuit cum
magistro leprosorum Meldensium, pro qua com-
posuerunt mense Octobri. Matrimonii pacta inter
Galcherum nepotem Hugonis de Chatillon &
filiam comitissæ Boloniensis adimpleta eodem
anno scripto significavit. Cum G. Parisiensi a
concilio provinciæ ad regem missus obtinuit pig-
nora capitulorum Senonensis, Aurelianensis & Au-
tissiodorensis pro exercitu regis, quæ rex tenebat,
mense Junio 1237. Eodem anno capellaniam in 1237.
silva de Maant a Johanne & Hugone de Quin-
C ciaco fundatam parochiam fecit, quam ecclesiæ
Cameri-fontis contulit mense Julio. Fundatur eo-
dem anno a Johanne de Busserolles milite capel-
lania de Busserolles, cujus patronatus episcopo
concessus est die Veneris post octavas S. Andreæ.
In capitulo generali mense Decembri cantoriam
Alermo fratri suo donavit, quem a residentia
capitulum liberum fecit. Attamen Petrus statutum
Gaufridi antecessoris de residentia cantoris reno-
vavit. Anno 1238. brachium sancti Quintini 1238.
martyris a Fulcone Meldensi cancellario Turonis
Meldos allatum est ex dono Juhelli Turonensis
archiepiscopi IV. cal. Junii. Eodem anno capella
D de Berigniaco a parochia de Levigniaco sejuncta
in ecclesiam parochialem a Petro erecta est de
consensu R. abbatis Loci-restaurati, cui patrona-
tus ab eodem concessus est mense Januario. Com-
bustioni Bulgarorum factæ apud Montrimert feria
VI. ante Pentecosten anno 1239. adfuit. Eodem 1239.
ratam habuit transactionem initam inter abba-
tissam Pontis-dominarum & Guidonem paro-
chum sancti Georgii de Colliaco. Cum G. decano
& capitulo nonnulla statuit mense Novembri
super residentia & *foraneitate* præbendatorum,
quæ approbavit Gregorius papa idibus Augusti,
pontificatus XIV. Statuta a canonicis pro bono
E ordine approbavit die Veneris ante Ramos Pal-
marum. Habitum est anno 1240. concilium Mel- 1240.
dense, in quo Jacobus Prænestinus episcopus de
Frederici imperatoris contumacia egit. Th. regem
Navarræ rogavit, ut Alermum cantorem in ho-
minem reciperet feodi, quod tenebat prius ab
episcopo Gilo de Cuisi miles frater ipsius apud
Plessetum, illudque feodum cantori cessit die
Jovis post festum apostolorum Petri & Pauli
anno 1241. Capellam fundatam apud Montan- 1241.
glaut Sabbato ante Ramos laudavit. Composuit
cum

ANNI CHRISTI

cum abbate de Tironio super visitatione facienda in prioratu sancti Sepulcri in Alemannia mense
1242. Junio 1242. Donationem factam Barbello a Renaudo de Plesseio milite approbavit mense Junio
1243. 1243. Domum-Dei Meldensem ordini sanctis-
1244. simæ Trinitatis dedit anno 1244. quo & adstitit elevationi corporum sanctorum martyrum Dionysii & sociorum pro salute regis Ludovici. Transegit eodem anno mense Julio cum monachis sancti Faronis pro procurationibus. Odo episcopus
1245. Tusculanus & apostolicæ sedis legatus an. 1245.
Anecd. t. 3. col. 889. XIV. calend. Martii Meldensem ecclesiam visitavit & nonnulla decreta sancivit. Pepigit Petrus mense Martio anni ejusdem cum abbate & conventu Resbacensi super officiali Resbacensi & præsentatione personarum ad parochias. Nonnulla statuit cum capitulo iisdem mense & anno super residentia & *foraneitate* præbendatorum ecclesiæ Meldensis, quæ approbavit Innocentius II. pridie cal. Maii, pontificatus IV. Jus & dominium Cameri-
1246. fontis confirmavit mense Maio 1246. Composuit
1247. mense Oct. 1247. cum Petronilla comitissa super piscatione in aqua de Trena. Petro archidiacono in Bria ejusque successoribus officialem concessit sub certis legibus, quas recenset Petrus archidia-
1248. conus instrumento dato mense Junio an. 1248. non vero 1288. ut legitur hist. Meldensis pag. 182. tom. 2. Franciscani a Blancha regina sancti Ludovici matre in urbe Meldensi eodem instituuntur anno, quo interfuit Petrus dedicationi Sacræ capellæ Parisiensis. Decimas novalium in silva de Meduntо dedit capitulo die Jovis post
1249. festum S. Nicolai hiemalis anno 1249. Statutum, quo anno 1229. numerum monialium de Noaforti ad 25. auctoritate apostolica reduxerat,
1250. renovavit mense Aug. 1250. Emit anno 1252.
1252. mense Maio a Simone de Augero milite XI. arpenta terræ in territorio de Vareddis, super quibus nonnulla dedit fratribus sanctissimæ Trinitatis apud Cervum-frigidum pro suo anniversario, & ad faciendum panem pro capitulo generali, quod ibidem anno quolibet celebratur die Dominica post Pentecosten. Concilio Parisiis habito a Gilone archiepiscopo Senonensi adstitit & subscripsit literis ejusdem ad regem Navarræ, die Veneris post festum sancti Martini hiemalis ejusdem anni. Custodia prioratus de Grandi-campo Petro nostro adjudicata est ab arbitris adversus Matthæum
1253. Montis-mirelli & Oisiaci dominum anno 1253. die Lunæ ante festum sanctæ Magdalenæ. Adfuit eodem anno concilio Parisiensi die Mercurii post festum sancti Martini hiemalis, de translatione capituli Carnotensis ad Meduntam, ex tomo VII. Ampliss. collect. Martenianæ, ubi loco B. legendum P. Decretum pronunciavit eodem anno de præeminentia decani super archidiaconum etiam tunc vicarium generalem. Mariæ de Plesseto de Placiaco licentiam dedit erigendi oratorii in domo sua mense Mart. Quædam prædia acquisivit annis
1254. 1253. & 1254. Designatur litera P. in chartu-
1255. lario Calensi anno 1255. quo post diuturnam administrationem obiit, neque synodo Parisiensi adfuit anno 1256. neque cum abbate de Cagia transegit anno 1257. ut Sammarthanis placuit. Illius obitum VII. idus Maii commemorant canonici Meldenses, 7. Aprilis necrologium S. Justi Bellovacensis, IV. vero Decembris Cameri-fontis his verbis: *Commemoratio piissimi viri Petri episcopi Meldensis, e familia dominorum de Cuisiaco in ecclesiam nostram liberalissimi, qui præter alia multa concessit ei parochiam de Meduntо, dictam de Alta-domo, cum minutis decimis anno 1244. & decimas omnium novalium factorum & faciendorum infra metas ecclesiarum de S. Suppleto, de Mongieo, de Cuisiaco, de Pleizeto domni Gillonis, de Pleizeto domni Hugonis, de Iverniaco anno 1223. diciturque ab aliquibus fundator noster. Obiit circiter anno 1252.* Et die 17. *Petrus episcopus Meldensis capellam in foresta de Maands in parochiam erexit, concessis minutis decimis anno 1244.*

LXVI. ALERMUS.

DE CUISI.

Frater fratri succedit, Petro Alermus ex cantore post germanum episcopus, qui electus confirmatus adfuit concilio Parisiensi habito anno 1255. die Martis ante festum sancti Arnulfi adversus homicidas Reginaldi de Spina cantoris Carnotensis. Memoratur eodem anno mense Novemb. in tabulario Meldensi. Instituendæ Domui-Dei de veteri capella sancti Nicolai & de domo canonicorum sancti Johannis assensum præbuit mense Maio 1256. Adstitit concilio Senonensi eodem 1256.
anno die Lunæ in vigilia sancti Petri ad Vincula de clericis bannitis & Jerosolymam missis propter cædem cantoris Carnotensis. Duo anniversaria fundavit mense Aprili 1257. unum pro patre, 1257.
alterum pro se & successoribus suis in ecclesia Cameri-fontis a parentibus & decessoribus suis ex parte fundata. Litigantes abbatissam Faræmonasterii & priorem de Pomosa conciliavit mense Maio. Hugoni abbati Cagiensi concessit mense Julio ut centum tantum solidos ob paupertatem procurationis ergo ei persolveret. Concessa a Guillelmo de Montegniaco ecclesiæ Cervi-frigidi approbavit mense Junio 1258. Johannes de Poen- 1258.
ciaco archidiaconus libellum ei supplicem obtulit die Veneris post nativitatem B. Mariæ, ut sibi liceret petere auxilium, pecuniarium scilicet, a presbyteris archidiaconatus sui. Consensit die Martis ante Ramos capellaniam ad altare beatæ Magdalenæ in ecclesia Meldensi de patronatu episcopi institui. Anno 1259. cum aliis episcopis 1259.
scripsit ad Ludovicum regem de restituendis ecclesiæ bonis, aut pia in opera convertendis. Capellam apud Fourferiacum a parochia de Oisseriaco separari, parochiamque fieri assensit mense Aug.
1260. Orta eodem anno discordia inter Aler- 1260.
mum & Theobaldum comitem super halis, quæ ab episcopo in foro Meldensi ædificatæ, ne clauderentur impediebat comes, G. Autissiodorensis episcopi, & S. thesaurarii Turonensis arbitrio permissa est die Dominica in Ramis Palmarum. Anno
1261. convenit episcopus cum comite magistrum 1261.
sancti Lazari Meldensis a fratribus electum ipsi pro confirmatione præsentatum iri. Cum capitulo concordiam iniit anno 1262. mense Julio, qua 1262.

ANNI CHRISTI

capitulum Meldense manus mortuas suorum ho- A
minum in villis episcopi morantium & deceden-
tium integre perciperet, episcopus vero hominum
in villis capituli morantium & decedentium. Inse-
quenti componit quædam dissidia cum capitulo,
cui dedit licentiam mense Augusto effodiendi lapi-
des in lapidicina episcopi. Dedit eodem anno
1263. 1263. abbati Cameri-fontis Domum-Dei de
1264. Domno-Martino in Goella. Consensit an. 1264.
ut Theobaldus comes plenam haberet justitiam in
halis, quas in foro Meldensi ipse ædificaverat, pol-
licitus aliam in platea mercati non facturum se
1265. halam. Testis fuit anno 1265. in venditione facta
Johanni filio ducis Burgundiæ domino Borbonii. B
1266. Anno 1266. mense Aprili 72. arpenta terræ ara-
bilis in silva de Medunto acquisivit, cui Theobal-
dus Navarræ rex homagium ac jus feodi remisit,
atque hæc prædia pro ea qua erat in episcopum
benevolentia datis amortizationis literis concessit.
Abbatem sancti Germani a Pratis die Mercurii in
crastino Cathedræ S. Petri rogavit ut ecclesiam de
Monteriaco Simoni de sancto Germano conferret.
Assignatas a Theobaldo comite 20. libras annuas
monialibus de Fontanis approbavit mense Aprili
1267. 1267. Eodem anno cum Th. Campaniæ comite
compromisit in episcopum Autissiodorensem Gui-
donem, & Simonem de Montpensier thesaurarium C
Turonensem super nonnullis articulis, ex chartu-
lario Campaniæ, nisi idem forte sit compromis-
sum, de quo superius ad annum 1260. Denique
multa bona canonicis Meldensibus largitus perhi-
betur Alermus, cujus obitum celebrant III. idus
Octob. necrologia Meldense, Faræmonasterii, &
Resbacense, die vero 20. Julii Cameri-fontis.

DE POINCI.

LXVII. Johannes I.

Post obitum Alermi facultatem eligendi epi-
scopi a rege Navarræ petunt canonici Melden-
ses anno 1267. ut constat ex chartis thesauri.
Electus autem est Johannes filius Judæ, *alias* D
Ovidii toparchæ Poenciaci, ex archidiacono Mel-
1268. densi, qui anno 1268. cum capitulo dedit literas
quibus imperatum, ut ad resarciendam caducam
ac pene collabentem sancti Stephani ecclesiam
vacantium beneficiorum annualia, seu primi anni
quo vacaverint, reditus per decennium insume-
rentur, in generali capitulo mense Decembri die
crastina sancti Stephani. Ecclesiam de Lisiaco
canonicis regularibus sanctæ Genovefæ Parisiensis
donavit die Veneris ante Brandones. Duos modios
farinæ ad mensuram Meldensem annuatim perci-
piendos, nonnullaque alia prædia canonicis Mel-
densibus largitus est, qui ejus obitum VI. calendas E
Novembris commemorant.

DE GARLANDE.

LXVIII. Johannes II.

Defuncti Johannis in locum petita prius licentia
1269. anno 1269. suffectus est alter Johannes, quem
de Garlanda cognominant, filius fortasse Guillelmi
IV. de Garlanda & Idoniæ de Trie memoratus
tom. VI. hist. genealog. magnat. Franciæ pag. 32.
De eo nihil compertum habetur, nisi forte is sit J.
episcopus Meldensis, qui canonicos vexavit. Anno
1272. vacabat ecclesia Meldensis die Lunæ post
Pentecosten, ex tabulario ejusdem.

P. episcopus Meldensis dicitur anno 1273. in 1272.
inventario thesauri chartarum titulo *Champagne*
fol. 188. ubi referuntur G. Parisiensis & P. Mel-
densis literæ, quibus significant a Ludovico rege,
salvo jure debito, ad preces concilii Senonensis
restituta fuisse bona capitulis Senonensi, Aurelia-
nensi & Autissiodorensi, quæ ideo occupaverat,
quod debitam tempore belli opem denegavissent.
Sed 1.° G. Parisiis hoc anno non sedebat: 2.° S.
Ludovicus ante triennium obierat: 3.° nullius
synodi Senonensis tunc temporis sit mentio. Re-
peritur quoque P. episcopus Meldensis an. 1273.
in schedis D. de Gaignieres in bibliotheca regia
asservatis, penes quem sit fides. Utrobique forte
lectus est annus 1273. pro anno 1237. ubi vide.

LXIX. Odo.

In ecclesia Fratrum Prædicatorum Divionen-
sium a latere epistolæ visitur tumba, in qua circa
effigiem episcopi pontificalibus induti hoc legitur
epitaphium: *Hic jacet frater Odo Tutonicus, qui
primo miles, deinde in ordine Fratrum Prædicatorum
prior, postmodum Meldensis episcopus, obiit anno
Domini M. CCLXXIV. Sabbato infra octabas beati* 1274.
Martini.

LXX. Johannes III.

J. episcopus Meldensis pepigit cum Henrico
filio regis Angliæ Henrici pro justitia temporali
domus sancti Lazari Meldensis anno 1274. ex
inventario thesauri chartarum Campaniæ pagina
162. Nescio utrum ille sit Johannes, qui electus
Meldensis, confirmatusque auctoritate apostolica
ab archiepiscopo Senonensi & episcopo Autissio-
dorensi, Philippo regi fidem jurasse die Mercurii
ante nativitatem S. Johannis Baptistæ hora prima
dicitur in literis ejusdem regis ad Blancham Na-
varræ reginam, ut ei regalium copiam faceret
anno 1275. Electus adhuc scripsit ad cardinales 1275.
cum episcopis provinciæ Senonensis pro canoni-
zatione sancti Ludovici mense Julio anni ejusdem.
Insequenti querelarum arbiter fuit & judex inter 1276.
parochum de Domno-Martino & conventum
Cameri-fontis ortarum occasione capellæ Domus-
Dei mense Junio. Corpus S. Potentiani martyris
e veteri capsa in aliam transtulit die festo sancti
Lucæ in ecclesia Jotrensi. Propter regalia Mel-
densia a Theobaldo & Henrico olim comitibus
post mortem episcoporum direpta, Edmundus
filius Henrici regis Angliæ cum Johanne episcopo
Johannis successore convenit, ut duo librarum
Turonensium millia ecclesiæ Meldensi pro damnis
illatis restituerentur, anno 1277. Sabbato post 1277.
nativitatem beatæ Mariæ. Eodem anno inita inter
prædictum Edmundum & Johannem composi-
tione, justitia in omnes qui in domo sancti Lazari
morarentur episcopo Meldensi tribuitur. Monachis
Longi-pontis confirmavit anno 1278. quæcum- 1278.
que acquisierant apud Firmitatem-Auculfi. Anno
1279. consensit ut in ecclesia Meldensi propter 1279.
injuriam a Majore communiæ illatam cessaretur

ANNI CHRISTI

a divinis. Adfuit concilio Senonensi anno 1280.
die Mercurii post festum sancti Michaelis. Giloni
1280. de Joiaco canonico Meldensi licentiam fecit mense
Februario fundandi capellaniam in ecclesia Meldensi. Capellam a Guidone de Lucio canonico
Faræmonasterii fundatam approbavit mense Julio
1282. 1282. Guilloto de Sanciaco dedit dimidium bladi
1286. & dimidium avenæ anno 1286. die Jovis ante
festum sanctæ Luciæ. Multam pecuniæ summam canonicis Meldensibus largitus dicitur.

Johannem aliqui confundunt cum Johanne le Moine cardinali tit. SS. Marcellini & Petri; at nullum assignari potest tempus, quo sederit Meldis hic Johannes: anno enim 1291. Nicolai IV. bullæ subscripsit magister Johannes decanus Bajocensis: anno 1294. factus est cardinalis a Cœlestino, absque ulla mentione episcopatus Meldensis: anno 1302. missus est in Galliam a Bonifacio VIII. quo tempore Luteciæ condidit amplissimum sui nominis collegium dictum Cardinalitium juxta suburbium sancti Victoris, ubi sepultus est die prima Octobris 1314. cum epitaphio: nec in monumentis collegii, nec in epitaphio ulla Johannis cardinalis episcopi mentio. Merito itaque ex episcoporum Meldensium albo expunctus est, expungendusque videtur.

LXXI. ADAM.

DE VAUDOI.

Ex canonico Meldensi episcopatum assecutus Adam, reparandæ mox ecclesiæ animum applicuit. Johannis de Poënciaco exemplum secutus, literas ejusdem tenoris dedit, quibus omnium beneficiorum, ipsarum etiam præbendarum annualia ad ecclesiam reficiendam per aliud decennium assignata sunt. Querelam habuit cum capitulo super justitia presbyterorum ac clericorum morientium in villis capituli, nonnullisque articulis, quæ sopita est die Martis post festum SS. Petri & Pauli anno
1289. 1289. Iisdem anno & die composuit cum P.
decano & capitulo super justitia domus suæ de Berciaco, &c. Anno eodem magistri Egidii de Joiaco cancellarii Bituricensis sumtibus ædificatæ Domui-Dei de Roseto in Bria plateam & virgultum adjacens cum omni proprietatis jure & dominii benigne concessit capitulum Parisiense die Mercurii post festum sancti Martini hiemalis, cui vicissim dominia antiqua Domus-Dei, quæ extra Rosetum prope leprosorum ædes erat, tradita sunt,
1290. confirmante episcopo, qui memoratur an. 1290.
mense Novembri in tabulis Cameri-fontis. Discordantes canonicos matriculariosque de Oisseriaco & conventum Cameri-fontis conciliavit
1291. anno 1291. die Jovis post festum sancti Johannis
Baptistæ. Domum-Dei Meldensem visitavit die 8. Octobris, in qua quædam statuta ordinavit. Ecclesiam sancti Germani de Oisseriaco visitavit
1292. anno 1292. die Dominica post Inventionem S.
Crucis. Nonnulla statuit circa matricularias, quarum e tribus quatuor effecit die Veneris ante nativitatem beati Johannis Baptistæ. Adhuc no-
1296. minatur in charta anni 1296. Dominica post
festum Exaltationis sanctæ Crucis. Nonnulla prædia apud Colliacum & Moulignonum canonicis

A concessit. Mortuus est in octavis Purificationis
beatæ Mariæ anno 1297. ex regesto Roberti 1297.
Mignon, seu potius pridie idus Februarii, quo die illius obitus in necrologio Meldensi assignatur, aut die 13. mensis ejusdem in necrologio Faræmonasterii.

LXXII. JOHANNES IV.

DE LA GRANGE.

Johannis de Granchia militis filius Johannes, ex archidiacono Briensi episcopus creatus est die
8. Januarii 1298. ex schedis D. du Fourni. Et 1298.
certe electus dicitur hoc anno cum Carcassonensi & Trecensi apud D. du Tillet pag. 368. Præsens
B adstitit absolutis eodem anno inter Philippum Pulchrum & regem Angliæ induciis, ex thesauro
chartarum fol. 17. Reperitur adhuc anno 1299. 1299.
mense Januario in chartis thesauri regii. Sed paulo
post cessit; sedes enim vacabat anno 1300. ex 1300.
chartulario ecclesiæ collegiatæ sancti Sanctini. De eo necrologium ad diem 5. Januarii.

LXXIII. JOHANNES V.

DE MONTROLLES.

Memoratur Johannes in veteri inventario char-
tarum cameræ rationum Parisiensis anno 1301. 1301.
in computo Colardi armigeri sui de expensis factis eundo ad dies Trecenses post octavam As-
C sumtionis B. Mariæ, & de Rotomago Tarvannam
pro negotio regis. Invitatur anno 1302. ad con- 1302.
cilium Romæ a Bonifacio papa convocatum. Ad-
fuit inter præcipuos regis consiliarios anno 1303. 1303.
Sabbato post festum sancti Remigii placito a rege apud Castrum-Theoderici habito pro bello Flandriæ compescendo. Domum Parisiis sitam canonicis Meldensibus dedit Johannes Moyntrolles nuncupatus in obituario Meldensi, ubi obiisse legitur die 18. Febr. Macerolles vero in regesto Roberti Mignon, a quo fatis functus dicitur 12.
Februarii 1304. 1304.

LXXIV. NICOLAUS.

D VOLÉ.

Canonicus ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ de Valle-Pruvinensi Nicolaus, episcopatu potiebatur
ante Ascensionem Domini anno 1305. qua die 1305.
ad ejus præbendam receptus fuit successor Johannes de Bruineto. Anno eodem, sin mavis sequenti, die Jovis post Brandones in monasterio Longipontis Engueranus dominus de Couciaco ei hominium fecit. In epistola Philippi regis Francorum ad Clementem V. recensetur Nicolaus inter episcopos, qui ad translationem capitis S. Ludovici regis in Sacram capellam Parisiensem convenerant
17. Maii 1306. Insequenti Philippo regi Franciæ 1306.
E obsequium præstitit die prima Septembris, ab 1307.
eoque diploma regium obtinuit pro jure cudendæ monetæ. Dissidia habuit cum capitulo, defunctus
die 18. April. 1308. in regesto Roberti Mignon, 1308.
ubi vocatur Nicolaus Bolle. Et certe memoratur die 19. mensis ejusdem in necrologio S. Faronis, sedesque vacabat mense Maio, ex tabulario Cagiensi. Sicque refellitur quod post Quercetanum de Nicolai cognomine, familia & dignitatibus observarunt Sammarthani. Domus, quam Nicolaus possidebat Parisiis in monte sanctæ Genovefæ,

ANNI CHRISTI

post ejus obitum a Philippo IV. rege emta fuit
pro construenda æde scholarium ibidem, ex testamento Johannæ reginæ Franciæ ac Navarræ.

FESTU.

LXXV. Simon II.

Apud Fontem Bliaudi natus Simon, ex canonico Carnotensi, Vindocinensi archidiacono,
decano sancti Salvatoris Blesensis, necnon Philippi IV. regis Franciæ thesaurario, ad Meldensem episcopatum evehitur die 18. Octobris
1309. 1308. ex schedis D. du Fourni. Insequenti 12.
Aprilis, Sabbato scilicet post *Quasimodo*, exsecutor
testamenti Johannæ Franciæ & Navarræ reginæ,
primum posuit lapidem in introitu capellæ congregationis scholarium de Navarra a regina institutæ. Dicitur præsens dedicationi ecclesiæ de
Escoiaco a Johanne Rotomagensi factæ cum Johanne Carnotensi & Guillelmo Parisiensi, aliisque
episcopis in bulla Clementis V. Avenione VIII.
cal. Maii, pontificatus anno IV. Exstant Simonis
literæ die 14. Maii anni ejusdem in camera computorum Divion. in arcula *Contrats de Mariage.*
Dissidia, quæ Nicolaus decessor cum capitulo pro
jurisdictione habuerat, sedavit Simon an. 1309.
die Jovis ante festum sancti Matthæi. Philippo
regi solvit 1500. libras Parisienses, qui vicissim
illi assignavit 300. libras annui reditus super
1310. terram Moreti 2. Aprilis 1310. Capellam sancti
Michaelis a Margareta Faræmonasterii abbatissa
1311. fundatam laudavit anno 1311. die Martis post
octavas Epiphaniæ. Duas capellanias ab abbate
1312. sancti Faronis fundatas approbavit anno 1312.
die sanctæ Magdalenæ. Statuta ab eodem pro
prioratu sancti Fiacrii condita approbavit mense
1313. Februario 1313. Cum Egidio S. Dionysii abbate
1315. statuta & ipse edidit anno 1315. pro collegio
Navarræo. Silvanectensi concilio adfuit eodem
anno, in quo Petrus Catalaunensis episcopus
synodali sententia insons est declaratus. Memo-
1316. ratur in chartulariis Burgi-medii anno 1316. &
1317. Calensi 1317. quo de canonicis suis benemeritus,
fundata nempe in ecclesia Meldensi capella, obiit
die 30. Decemb. ex necrologio Meldensi, vel 4.
Dec. ex necrologiis Faræmonasterii & ecclesiæ
Carnotensis, cui multa donavit, anniversariumque
in ea fundavit, ut legitur in necrolog. illius ecclesiæ
apud Mabillonium, Analect. tom. 2. pag. 609.

Prob. hist. card. Gall. pag. 262.

DE BROSSE.

LXXVI. Guillelmus II.

Ex Aniciensi, ut diximus tom. 2. col. 722.
electus Meldensis Guillelmus anno 2. Johannis
XXII. apostolicæ promisit cameræ die prima
1318. Martii 1318. ex libro obligationum Vaticani.
Eodem anno cum G. Mimatensi episcopo deputatus fuit die 7. Octobris ad tractandam & perfi-
1319. ciendam Flandriæ pacem. Insequenti a rege cum
aliis legatus fuit, ut juraret nomine regis pacem
cum Flandrensi comite. Ad summum pontificem
missus a rege, Johanni XXII. significat die 20.
Febr. 1320. nunc 1321. L. de Nevers mense
Maio præcedenti jurasse pacem se observaturum
cum eodem comite. Ortam Guillelmum inter &
capitulum pro collatione beneficiorum discordiam

Chart. XIV. col. 559.

A amicabiliter ipse composuit 2. Decembris 1320.
Capellaniam de Boissiaco ecclesiæ de Roseto annexuit die 8. Martii anni ejusdem, nunc sequentis, 1320.
quo ad Bituricensem metropolim translatum diximus tom. 2. col. 79. unde ad Senonensem tran- 1321.
siit, memoratus in necrologio Meldensi ad diem
18. Decembris.

LXXVII. Petrus IV.

JEAN, al. DE MOUSSI.

Ex archidiacono Bellovacensi & Bajocensi
Petrus Johannis, quem alii de Moussi cognominant, electus Meldensis episcopus, apostolicæ cameræ promisit die XI. Martii 1321. ex regestis
B Vaticani. Vicario generali Bermundo Pecu utebatur Sabbato post festum sancti Andreæ anni
1323. Mortuus dicitur die Dominica ante festum 1323.
sancti Dionysii anno 1325. in regesto Roberti 1325.
Mignon, melius sane in regestis Vaticani translatus ad Vivariensem per translationem Petri ad
Autissiodorensem ecclesiam, cameræ apostolicæ
promisisse die 16. Octobris 1325. unde mendum licet suspicari in anno, quo datæ leguntur
in instrumentis ecclesiæ Meldensis literæ P. Meldensis episcopi de pace inter monachos sancti
Faronis, & Odonem presbyterum S. Simeonis
de Vanna super decimis novalium Sabbato post
C *Reminiscere,* anno videlicet 1326. pro quo forte
legendum 1324.

Pag. 210.

DE SAINT POURÇAIN.

LXXVIII. Durandus.

Petro ad ecclesiam Vivariensem translato, summus pontifex Stephanum decanum sancti Martini
Turonensis ad Meldensem episcopatum promovit,
quo non assentiente, Durandum ab Aniciensi, rege
id ita efflagitante, transtulit, qui jam memoratus
die 24. Jan. 1326. in regestis Vaticani, cameræ 1326.
apostolicæ promisit 29. Martii. Quæ de eo jam
diximus in Aniciensibus episcopis repete, unde
ruit quod observant Sammarthani Durandum in
D ecclesia Senonensi 10. Martii 1327. consecratum
fuisse. Margareta de Mons Faræmonasterii abbatissa scripsit ei Dominica in festo sancti Andreæ
1326. de permutatione duorum clericorum. Discordiam inter Petrum antecessorem & Theobaldum decanum ac capitulum de pluribus capitibus
finivit, pro quibus in capitulo generali die Sabbato post festum sancti Matthæi 1327. decretum 1327.
est, standum postea compositionibus prius per
Adamum, Simonem & Guillelmum factis. Transegit die 8. Aprilis 1328. cum Johanne abbate 1328.
Majoris monasterii pro procuratione quam exigebat in duobus prioratibus in Bria sitis, videlicet
E de Cella & de Curia-Ebroldi. Ecclesiam de Cuisiaco largitus est Camero-fonti die prima Junii
anni ejusdem. Insequenti adfuit conventui Pisciacensi coram Philippo rege habito. Anno 1330. 1329. 1330.
cum aliis 21. præsulibus adfuit die 12. Februarii
dedicationi ecclesiæ conventus Pisciaci. Recensetur anno 1333. in chartis Meldensis ecclesiæ. 1333.
In vita Johannis XXII. auctore Petro de Herentali canonico Præmonstratensi & priore Floreffiensi legitur Durandum scripsisse contra opinionem hujus papæ de dilatione visionis beatificæ

Tom. 2. col. 723.

ANNI CHRISTI usque ad resurrectionem, propter quod, inquit, fuit citatus, sed per regem Franciæ defensatus. Libras 150. pro anniversario ecclesiæ Meldensi dedit, cujus in choro ad latus sinistrum majoris altaris sub lapide jacet, defunctus IV. idus Sep-
1334. tembris 1334.

Ceterum excellens, famosus & antiquus magister in theologia dictus Durandus, plurima scripsit opera, quorum elenchum habes apud P. Echard tom. 1. biblioth. Prædicatorum pag. 586. ubi ait Durandum tantis dotibus fretum, privatis suis sensis nimium adhæsisse, relictaque quam imbiberat in scholis S. Thomæ doctrina, hoc fræno coerceri non patientem, genio se totum permisisse B suo. Unde frater Durandellus Durandi nepos, professus conventus Claromontensis, ad impugnandum secundum commentarium patrui sui, & ad propugnandam doctrinam S. Thomæ librum suum sic exorsus est: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Existimasti, inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Sed eruditissimum virum si non a toto, saltem a tanto liberat, quod in præfatione commentariorum in libr. 2. sententiarum ipse subjicit: *Quoniam interpretatio dubiorum sacræ scripturæ ad sanctam ecclesiam Romanam & catholicam pertinet, omnia opera mea ejus correctioni totaliter suppono.* Eodem in opere profitetur se in schola sacri palatii veritatem sanctæ scripturæ docuisse, & a sede apostolica ad episcopalem dignitatem promotum fuisse, commentarios in sententias se scribere senem, quos junior inceperat, & Aniciensi ecclesiæ præfuisse; demum in conclusione operis se Meldensis & Aniciensis ecclesiarum episcopum & rectorem testatur.

LXXIX. JOHANNES VI.

DE MEULENT.

De Johanne jam diximus in episcopis Parisiensibus. Hunc cum Johanne de Poinci perperam confundunt Sammarthani. Canonicus primum D Cameracensis, tum canonicus & archidiaconus Briæ in ecclesia Parisiensi, Meldensis electus promisit 26. Novembris 1334. ex regestis Vaticani. In ecclesia Meldensi solenniter ingressus est die
1335. 15. Octobris 1335. quo tempore simul erat episcopus Meldensis & Sacræ capellæ thesaurarius. Philippo archiepiscopo Senonensi obedientiam pollicitus est. Memorat vetus regestum cameræ rationum Parisiensis Johannem propriis impensis militasse cum duobus equitibus baccalaureis & decem scutiferis pro rege in bello Flandrensi anno
1340. 1340. Insequenti discordiam habuit cum archi-
1341. diacono Briæ super jurisdictione ecclesiastica, E quam episcopo cessit archidiaconus die Lunæ post *Lætare Jerusalem*, anno 1340. nunc 1341. Memoratur Johannes de Meullent Meldensis episco-
1342. pus anno 1342. in regesto 74. thesauri chartarum ch. 316. Heres Guillelmi fratris litigabat in senatu Parisiensi cum Isabella de Trie ejus relicta annis
1343. 1343. & 1344. Domum leprosariam Melden-
1344. sem a rege cuidam militi concessam, sibi fratribusque ac sororibus dictæ leprosariæ restitui postu-
1345. lavit anno 1345. Concilio Parisiis habito anno

A 1346. interfuit die 15. Martii. Capellaniam in ecclesia sancti Dionysii de Columbariis sub titulo capellæ novæ B. Mariæ fundatam laudavit anno 1346.
1347. die Martis post Pascha, quæ fuit 3. April. 1347.
Capellaniam alteram in ecclesia Meldensi fundari annuit die 4. Junii. Ad ecclesiam Noviomensem translatus est anno 1350. exeunte nunc 1351. quo 8. & 15. Februarii dicitur non ita pridem episcopus Meldensis in commentariis Parlamenti Parisiensis. Transiit postea ad Parisiensem, ut diximus col. 135.

LXXX. PHILIPPUS.

DE VITRI.

Poëta Gallicus Philippus jussu Johannæ Borboniæ reginæ Caroli V. uxoris metamorphoses Ovidii rhythmis Gallicis expressit, quod opus asservatur in bibliotheca Victorina. In concinnandis etiam musices modulis peritissimum fuisse docent antiquus vates Gallicus Guasco de Vineis, sicut & epistolæ Johannis Muri famosi theologi anni 1340. & Petrarchæ libro rerum familiarium epistola 33. ad Philippum de Vitriaco musicum XV. calendas Martii 1350. qui electus confirmatusque 1350.
Meldensis anno exeunte 1350. ex regestis Parlamenti Paris. episcopus cum monachis S. Faronis composuit die 16. Septembris 1351. super juris- 1351.
C dictione monachorum ac priorum monasterii. Præsentato per decanum & capitulum Meldense Johanni Cron ecclesiam parochialem de Armentariis contulit die 27. Februarii 1352. Fundatum 1352.
a Johanne Rose cive Meldensi hospitale probavit & ordinavit die Veneris post Conceptionem beatæ Mariæ 1356. Obiit V. idus Junii anni, ut cre- 1356.
ditur, 1361. hoc enim anno sedes vacabat men- 1361.
sibus Julio & Octobri. Ad hanc quoque diem Philippi obitum commemorant canonici Meldenses.

LXXXI. JOHANNES VII.

ROYER.

Johanni regi, ac duci Normanniæ, delphino Viennensi a consiliis Johannes, episcopus Meldensis a rege nominatus est 2. Februarii 1361. nunc 1362. reformator in pago Matisconensi & 1362.
senescalliis Tolosana & Carcassonensi cum facultate agendi de subsidio pro rege ab Anglis redimendo. Quo nomine cum Petro Franciæ quæstore Carcassonenses a salario vectigali per quinque annos exemit, modo per totidem annos solverent summam 70000. librarum, quod promiserunt 28. Maii 1362. Pridie ejus diei, scilicet 27. finita est & composita querela, quam cum capitulo Meldensi habebat super collatione beneficiorum curam animarum habentium. Præsens adfuit testamento Johannis regis condito in suburbio Londinensi in domo Sabaudiæ 6. Aprilis 1364. 1364.
Institutus est anno eodem die 3. Julii thesaurarius generalis subsidiorum ad libertatem regis impositorum. Ecclesiam suam solenniter ingressus est 29. Septembris ejusdem anni. Pacem amicabiliter composuit cum capitulo super nonnullis articulis die prima Aprilis 1365. Henricus decanus 1365.
& Ludovicus Pariart officialis Meldensis Johannis in remotis agentis vicarii generales synodum habuere & statuta condidere eodem anno, quæ

ANNI CHRISTI habes apud Martenium tom. 4. Anecdot. col. A
923. Memoratur Johannes 21. Martii 1362.
1366. & 13. Decemb. 1366. in regestis cameræ com-
1368. putorum Parisiensis. Anno 1368. ipsius auctori-
tate conventum est, ut administrator hospitalis
Johannis Rose constructi in vico & parochia S.
Remigii Domui-Dei, cui tum annexa erat hæc
parochia, quatuor libras Turonenses quotannis sol-
veret. Composuit Johannes cum capitulo anno
1370. 1370. Occurrit in chartulario Calensi an. 1371.
1371. Danziacum nonnullaque alia prædia apud Tria-
portum Meldensi capitulo concessit, ea lege ut
antiphonam *Inviolata* vesperas inter & completo-
rium quolibet Sabbato ante Crucifixum decan- B
tarent. Ultimum vitæ diem clausit die Lunæ post
festum apostolorum Petri & Pauli anno 1378. ex
Sammarthanis, 1377. vero ex regestis Vaticani.

LXXXII. GUILLELMUS III.

DE DORMANS

Guillelmi de Dormans Franciæ cancellarii,
quem rex nobilitate donavit anno 1350. filius
Guillelmus, nepos Johannis cardinalis item Fran-
ciæ nomophylacis, antea patronus regius in senatu
Parisiensi, regique a sanctioribus consiliis, ex ar-
chidiacono Meldensi postulatur episcopus die Ve-
neris post festum sancti Andreæ anno 1378. ex
Sammarthanis. At cameræ apostolicæ jam pro- C
1377. misisse die 23. Decemb. 1377. legitur in regestis
Vaticani. Annumeratur inter præsules, qui con-
1380. silio regio adfuerunt 2. Octobris 1380. in quo
statutum, Carolum regem cito initiandum fore.
Ecclesiam de Chaneto ecclesiæ de Malleo univit
20. Januarii sequentis. Composuit cum capitulo
1381. annis 1381. & 1382. Ejus temporibus capitu-
1382. lum obtinuit exemtionem a Clemente VII. v. cal.
Junii, pontificatus anno v. unitaque hanc ob rem
præbenda episcopali mensæ. Huic autem exem-
tioni assensum præbuit Guillelmus, & cum capi-
1383. tulo transactionem iniit 4. Decemb. 1383. quam
1384. confirmavit Clemens x. calendas Martii 1384. D
1385. & agnovit Guillelmus anno 1385. Consiliarius
generalis subsidiorum XI. April. 25. Maii, & 3.
1390. Augusti anni 1390. recepit mille aureos pro
obsequiis regi præstitis. Translatus est ultima Octo-
bris anni ejusdem ad Senonensem metropolim,
ut postea dicemus, ubi de Senonensibus erit quæ-
stio. Notatur in necrologio 10. Octobris.

LXXXIII. PETRUS V.

FRESNEL.

Generis claritudine, eximia prudentia, longo-
que rerum usu conspicuus Petrus, regi a consiliis,
theologus Parisiensis & canonicus Rotomagensis,
magister requæstarum missus est anno 1388. in E
Angliam, Scotiam & Arragoniam, ad procuranda
regis negotia, dein episcopus Meldensis promisit
& recognovit pro Guillelmo antecessore ultima
Octobris 1390. Eodem mittitur die 9. Decemb.
a rege in Aremoricam. Admissus in ecclesia sua
1391. 10. Novembris 1391. solvit 28. Septembris
1392. ejusdem anni & prima Februarii 1392. cameræ
1394. apostolicæ ex regestis Vaticani. Adstitit an. 1394.
comitiis a Carolo VI. Parisiis habitis ad exstin-
guendum schisma. Convenit anno eodem pro
jurisdictione cum capitulo die Sabbato in crastino
sancti Dionysii. Datis die 24. Martii 1395. literis ANNI CHRISTI
constituitur procurator seu ambassiator cum Fran- 1395.
cisco domino de Chassenagiis & magistro Petro
Beaublé archidiacono Ebroicensi, quo nomine
memoratur in instrumento acquisitionis urbis
Genuæ die 13. Julii 1396. Hujus autem urbis 1396.
ac finitimæ regionis possessionem nomine regis
apprehendit mense Martio 1397. & præfecturam 1397.
gessit, ut ipse docet literis datis die 18. Augusti
1398. quibus testatur se sæpius accersivisse Jo- 1398.
hannem le François, Ugolinum Veronensem, &
plurimos alios duces ex Armeniacensibus ad con-
tinendos in officio Genuenses ad rebellandum
pronos. Meldos reversus ecclesiam de Chaneto
ecclesiæ de Malleo univit circa annum 1400. 1400.
cum prior unio suum non sortita esset effectum.
Occurrit eodem anno in tabulario Pontisarensi.
Regi dicitur a consiliis 14. Maii 1401. & 10. 1401.
Aprilis 1404. in chartis authenticis D. de Gai- 1404.
gnieres. Cum Philippo Melodunensi delphini
vices gessit an. 1404. ad acceptandam cessionem
comitatus Valentinensis a Ludovico de Pictavia
factam. Præsens adstitit anno eodem societati initæ
inter regem Carolum & principem Walliæ, pri-
mariumque lapidem ecclesiæ Cœlestinorum Mar-
coussiacensium benedixit die 18. Februarii. Inter
senatores Magni consilii adscitur anno 1406. Eo- 1406.
dem legatus ad Benedictum XIII. a rege mittitur,
a quo pontifice una cum aliis regiis oratoribus
ad exhibendum & respondendum de objectis for-
mulam accepit XII. cal. Novembris, pontificatus
anno XII. Eumdem pontificem ad concilium
Pisanum vocantibus literis subscripsit an. 1408. 1408.
Huic ipse orator regius adsuit concilio mense
Martio 1409. a rege missus ad procurandam ec- 1409.
clesiæ redintegrationem. Translatus inde ad eccle-
siam Noviomensem die 20. Augusti, seu XII.
calendas Septembris Alexandri anno primo legitur
in regestis Vaticani.

LXXXIV. JOHANNES VIII.

DE SAINTE

Canonicus Parisiensis fuerat Johannes antequam
ad ecclesiam Vapincensem promoveretur, cujus
nondum consecrati die 27. Aprilis anno 1405.
Johanni de Trelons data est præbenda vacans
per lapsum temporis de consecrandis episcopis,
ex regestis capituli Parisiensis. Canonicus quoque
Meldensis fuerat, cum translato Petro successit,
& ipse translatus ab Alexandro V. XII. calendas Tom. 1.
Septemb. anno pontificatus primo, seu 20. Aug. col. 468.
1409. ex regestis Vaticani. Ecclesiam suam solen-
niter ingressus est die 27. Novemb. anni ejusdem,
& a feudatariis deportatus. Regi dicitur a consiliis
a D. du Fourni. Huic libertas intrandi chorum
quacumque hora, dum officia celebrarentur, a
capitulo concessa fuit 20. Octobris 1410. Una 1410.
cum Gerardo Parisiensi comprovinciales ad con-
secrandum Philippum Carnotensem episcopum
invitavit 20. Decemb. 1415. Moritur 20. Sep- 1415.
tembris 1418. 1418.

ANNI CHRISTI

LXXXV. Robertus II.

DE GIREME. Reginaldi & Nicolai de Girême equitum Rhodiensium magnorumque Franciæ priorum agnatus Robertus, necnon & alterius Reginaldi Ludovici XI. regis cambellani, urbis Meldensis ballivi, ex canonico episcopus via Spiritus sancti electus mense Sept. anni 1418. Meldensi ecclesiæ præficitur a Martino V. per obitum Johannis bulla data Florentiæ VI. idus Julii, pontificatus anno 2. ex regestis Vaticani, ubi electus adhuc dicitur 8. Nov.
1419. 1419. Captus ab Anglis in obsidione Meldensi,
1421. Londinum mittitur anno 1421. mense Maio, ubi electus adhuc, carceri mancipatur in turri Lon-
1424. doniensi jussu Anglorum regis 2. Febr. 1424.
1426. Defunctus dicitur 19. Jan. 1425. nunc 1426. sepultusque in cathedrali.

LXXXVI. Johannes IX.

DE BRIOU. Magister in theologia Johannes, fit episcopus Meldensis a Martino V. VI. idus Aprilis 1426. Ita regesta Vaticani, in quibus electus adhuc dicitur 22. Aprilis anno IX. Martini V. Recipitur in ecclesia Meldensi anno eodem die Jovis post sanctum Bartholomæum. Parochialem ecclesiam de Capella juxta Creciacum consecravit Dominica
1428. post Ascensionem 1428. & 40. dies indulgentiarum eam visitantibus indulsit penultima Junii. Interfuit concilio provinciali apud Parisios a Johanne metropolita celebrato mense Martio. Ecclesiæ suæ canonicos in melius emendare tentavit
1430. anno 1430. Biennio post conservator apostolicus privilegiorum academiæ Parisiensis electus 7. Oct.
1432. 1432. in locum Petri Cauchon e Bellovacensi ad Lexoviensem translati, ab eadem eademque die missus est ad ducem Burgundiæ orator pro tractanda pace in regno Franciæ. Defunctum tra-
1435. dunt Johannem anno 1435. & quidem 17. Aug. Hic fortasse est Johannes de Bory seu de Boerri, quondam episcopus Meldensis, & solennis doctor in theologia, qui septem psalmos pœnitentiales e sanctis doctoribus explanatos e Latino in Gallicum transtulit, quæ quidem expositio asservatur in regia bibliotheca.

LXXXVII. Pasquerius.

DE VAUX. Jurium doctor Pasquerius, prior Grandi-montis prope Rotomagum, ecclesiarum Rotomagensis, Parisiensis & Ambianensis canonicus, necnon præses in camera computorum Rotomagensi, atque cancellarius regis Angliæ, seu ducis Betfordiæ ejus vices agentis in Galliis, Meldensis electus jam dicitur 25. Septemb. anno V. Eugenii IV. hic est 1435. in regestis Vaticani. Alibi electus in vigilia Omnium sanctorum, moram ad fidem regi præstandam obtinuit 30. Novemb. 1435. Possessionem per procuratorem iniit 7. Decemb. Attamen æmulum passus est Philippum de Rulli filium Parisiensis præsidis a canonicis aliquot electum; at Anglorum turbis dominorum favore innixus Pasquerius evicit: unde forsan repetenda quæ leguntur adhuc in regestis Vaticani, assumtum nempe Pasquerium de Vallibus ad Meldensem ecclesiam per obitum Johannis ab Eugenio IV. IX. calendas Octobris 1436. quo anno Parisiis degebat Pasquerius, cum excusso Anglorum jugo, Parisienses ad Carolum legitimum regem rediere. 1436.
Statim Meldos petiit, quibus quoque captis, aufugit Pasquerius, ut in Normanniam se reciperet, ubi ad Ebroicensem ecclesiam translatus est 9. Octobris 1439. ab Eugenio IV. Regi Angliæ a 1439.
consiliis & præses computorum Rotomagensium dedit apocham acceptæ pensionis annuæ 2. Oct. 1437. & 2. Octobris ac 10. Novemb. 1439. ex chartis authenticis D. de Gaignieres. Ecclesiæ Meldensi 100. aureos moriens legavit.

LXXXVIII. Petrus VI.

DE VERSAILLES. Monachus sancti Dionysii Petrus, theologiæ & juris utriusque doctor, necnon in sacra pagina professor, cujus præclaram habes epistolam ad Johannem Jouvenel regis & delphini consiliarium, de corruptis sui seculi moribus & remediis iis adhibendis, concilio Constantiensi adfuit, dein abbas sancti Martialis Lemovicensis & episcopus Diniensis, ut diximus tom. II. col. 564. & tom. III. col. 1127. ad Meldensem translatus legitur ecclesiam 9. Octob. anno IX. Eugenii IV. hic est annus 1439. Ab Eugenio papa anno eodem in Gallias cum B. Spalatensi archiepiscopo, Johanne Francisco de Capitibus Listæ, juris utriusque doctore & milite, ac Johanne de Turre-cremata missus est ad conciliandos Anglorum Francorumque reges. Regi a consiliis fidem dixit 24. Dec. 1439. iterumque 12. Junii 1444. Caroli VII. regis orator Florentiæ in publico consistorio ejus nomine professus est die 6. Dec. 1441. Eugenium vere esse summum Dei vicarium. Meldensi dedit ecclesiæ 200. aureos ex pecunia, quam ab Eugenio IV. acceperat pro negotiis per eum in Græcia bene gestis. Fato functus XI. Novembris 1446. die sequenti sepultus est ad lævam majoris altaris. Exsequiis interfuere abbates sancti Faronis, Cameri-fontis & Cagiæ. 1441. 1446.

Anecd. t. 1. col. 1723. *Reginald. t. 18. n. 33.*

LXXXIX. Johannes X.

LE MEUNIER. Petro defuncto, Johannem Ambianensem, abbatem Fossatensem prioremque S. Eligii Parisiensis canonicis Meldensibus rex commendavit, & ad summum pontificem scripsit, ut futuram mox quam sperabat ejus electionem confirmaret. Addunt nonnulli reginam aliquot post diebus, si Johannes non eligeretur, postulasse pro Guillelmo de Vaux ipsius confessario. Canonici ad eligendum congregati 2. Januarii anno 1446. nunc 1447. duas in partes scissi sunt, quarum 1447.
altera Johannem abbatem elegit, altera vero Johannem Haguenin senatorem Parisiensem, priusque Meldensis ecclesiæ decanum. Lis tum in senatu Parisiensi, tum coram Senonensi archiepiscopo agitata, qui duas electiones Johannis le Meunier & Johannis Haguenin rescidit. Prior summum pontificem appellavit, qui quidem hunc confirmavit bulla data VII. idus Maii 1447. unde Johannes abbas de Fossatis factus episcopus Meldensis per obitum Petri legitur idibus Maii in regestis Vaticani; alter vero electus excommunicatus

Chart. XVI. col. 561.

ANNI CHRISTI

obiisse ibidem ultima Maii ejusdem anni; iterum- A
que Johannes episcopus electus ultima Maii anno primo Nicolai V. Regi statim fidem juravit XI. Julii 1447. ab eoque temporalium copiam obtinuit, quorum possessionem solutis pro annexa præbenda debitis mense Decembri adeptus, solita juramenta capitulo & postea Ludovico Senonensi metropolitano præstitit. Rex Carolus VII. sacrum
1449. ejus præsentia sua cohonestavit. Anno 1449. instante Carolo remque promovente Johanne episcopo, thesaurariæ Meldensi, cujus tum perierant reditus, a Nicolao papa annexa est præbenda. Præbendam officio puerorum univit Johannes, qui qualibet Veneris die post missam responsorium B
de defunctis cantant super ejus tumulum in choro,
1458. ubi sepultus est, defunctus 22. Junii 1458. De eo in necrologio legitur ad diem 22. Februarii: *Obitus R. P. domini Johannis le Meunier episcopi Meldensis & prioris S. Eligii Parisiensis, qui decessit 22. Junii 1458. Et celebrabitur tribus vicibus, videlicet 22. Junii, 22. Octobris & 22. Februarii. Qui quidem legavit residuum bonorum suorum ecclesiæ, ex quibus bonis acquisitus fuit feodus de Monteionis, &c.*

DU DRAC.

XC. JOHANNES XI.

Gente Parisinus Johannes, Johannis præsidis C
in senatu Parisiensi ex Jacquelina vicecomitissa d'Ay filius, fratrem habuit in eodem senatu præsidem infulatum, ipse vero ex decano Meldensi episcopus mense Martio 1458. hic est 1459. procurante rege Carolo VII. electus confirmatus Ludovico archiepiscopo obedientiam promisit 18. Martii. Bullas accepit a Pio secundo datas
1459. Senis VIII. idus Aprilis 1459. Regi fidem juravit die 12. Maii. Nondum sacratus erat mense Aug.
1460. anni ejusdem, sed nec forte sequenti, quo æmulum passus Johannem Aiguerin, forte Haguenin Meldensem electum senatus-consulto evicit. Adstitit
1461. concilio Senonis celebrato mense Martio 1461. D
Eodem electus fuit conservator privilegiorum aca-
1467. demiæ Parisiensis. Huic anno 1467. capitulum Eustachium de Vienne ad ecclesiam S. Martini de Montedoli nominatum præsentavit mense Novembri. Ecclesiam suam picturis adornavit, castrum de Lilio exstruxit, ac tandem defecit 17.
1473. Maii 1473. tumulo illatus in capella B. Mariæ, in qua missam quotidianam fundavit.

DE SALAZAR.

XCI. TRISTANDUS.

Patria Campanus Tristandus in castro sancti Justi nascitur anno 1431. patre Johanne cognomine Magno, toparcha de Laz, de Marsilly & E
d'Issoudun, strenui Iberi sanguinis equite ex provincia Biscaiæ, fortitudine militari adversus Anglos famoso, matre Margareta nobilissimæ prosapiæ matrona, Georgii domini de la Tremoille summi Franciæ cambellani filia naturali, quæ præter Tristandum alios procreavit liberos, Hectorem sancti Justi, Galeatium de Laz & Lancelotum Marsiliaci dynastas, omnes bello præstantes. Tristandus ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, atque in aulam postea evocatur, ubi ad varios principes amplissimis legationibus functus, eam de se opinionem excitavit, ut non modo regi a consiliis delectus sit, sed & pontificatu Meldensi donatus post obitum Johannis VII. calend. Julii 1473. ex regesto Sixti IV. Cameræ apostolicæ solvit die 28. Junii ejusdem anni. Possessionem nondum inauguratus iniisse dicitur 26. Octobris 1474. eademque die per procuratorem Ludovico archiepiscopo Senonensi obedientiam spopondisse, forte legendum 1473. jam enim translatus fuerat ad Senonensem ecclesiam VI. cal. Octob. 1474. 1474.
ex regestis Vaticani.

DE MELUN.

XCII. LUDOVICUS I.

Johanne de Melun domino de la Borde & Nicolaa de Nantouillet parentibus natus Ludovicus, canonicus Senonensis, eademque in ecclesia Vastinensis archidiaconus, Ludovici XI. ab eleemosynis, Ludovici archiepiscopi Senonensis nepos, hujus cedentis pontificatum assequi cum non posset, cedere coactus fuit Tristando, per cujus translationem electus est Meldensis sexto calend. Octobris 1474. Solvit cameræ 10. Octob. ejusdem anni ex regestis Vaticani, & regi juravit fidem 27. Novembris. Electus autem & confirmatus Meldensis, archiepiscopatus Senonensis possessionem iniit feria VI. die 17. Februarii, indictione VIII. anni ineuntis 1475. pro Tristando 1475.
de Salazar, a quo die 5. Aprilis ejusdem anni consecratus eidemque obedientiam pollicitus, excipitur apud Meldos Dominica 16. mensis ejusdem. Hospitale leprosorum Johanni de Melun clerico Pictaviensi administrandum commisit, cujus & administrationem ipsi contulit Sixtus IV. literis datis pridie nonas Novembris 1477. Sanctorum 1477.
Fiacrii & Chileni reliquias reposuit anno 1479. 1479.
in theca argentea gemmisque ornata, quam Ludovicus XI. concesserat. Capellam fratrum ordinis Fontis-Ebraldi in honorem S. Johannis Evangelistæ benedixit die 5. Junii 1480. in mona- 1480.
sterio Fontanensi, in quod moniales reformatas introduxit 17. Junii 1481. Peste interemtus 1481.
mense Maio 1483. Germiniaci, humatus est in 1483.
choro cathedralis ecclesiæ, cui nonnulla legaverat, cum hoc epitaphio: *Hic jacet venerandus in Christo pater & dominus D. Ludovicus de Melduno quondam episcopus Meldensis, qui obiit 13. mensis Maii 1483. Anima ejus requiescat in pace.* Solennis ejus quotannis celebratur obitus in ecclesia Meldensi 12. Augusti, ex necrologio.

L'HUILLIER.

XCIII. JOHANNES XII.

Defuncto Ludovico, Ludovicus rex summo pontifici commendavit Johannem l'Huillier, mandavitque capitulo, ut ne eligerent, quin prius suas ipsi voluntates significassent, literis datis 20. Maii. Interim summus pontifex promovit Johannem VIII. idus Junii 1483. Is autem nobilis Parisiensis, Guidonis ballivi Meledunensis filius, frater Johannis in senatu Parisiensi regii advocati, doctor, professor & provisor Sorbonicus, canonicus & decanus ecclesiæ Parisiensis, regi a consiliis, confessionibus & eleemosynis, ejus commendatitiis sic electus

ANNI CHRISTI

electus literis, cameræ solvit apostolicæ 21. Julii, A
& promisit VIII. idus Augusti, dieque crastina 7.
ejusdem mensis consecratus a metropolita, eccle-
siam suam solenniter ingressus est 7. Septembris
1484. 1484. unde ruit quod in probationibus historiæ
Parisiensis tom. v. pag. 710. legitur, Johannem
l'Huillier theologiæ professorem, Meldensem epi-
scopum & Sorbonæ provisorem, huic collegio Jo-
hannem de Standonch socium aggregasse die 24.
Decembris anno 1480. forte legendum 1484.
1485. Concilio Senonensi interfuit anno 1485. com-
posuitque cum capitulo 26. Septembris, & fidem
regi juravit Meloduni 3. Decemb. anni ejusdem.
Monasterii Fontanensis claustrum & capitulum B
1486. benedixit die 6. Augusti 1486. Conservator pri-
vilegiorum apostolicorum academiæ Parisiensis
1488. electus est anno 1488. Eodem anno collegium
canonicorum beatæ Mariæ de Domno-Martino
ab Antonio de Chabannes ejusdem loci comite
an. 1480. fundatum, rem promovente Johanne
de Chabannes Antonii filio, erexit approbavitque
Johannes episcopus literis hac de re confectis 18.
Februarii. Sancti Gilberti episcopi Meldensis reli-
1491. quias transtulit an. 1491. Transegit cum capitulo
1492. 17. Octobris 1492. & 9. Octobris 1493. Sy-
1493. nodum convocavit pro ecclesiastica politia diœ-
cesis mense Septembri anni ejusdem, cujus exstant C
decreta digna sane docto & vigilantissimo pastore.
Edidit missale ad usum suæ diœcesis, liturgiæ
sacrorumque rituum studiosissimus. Basilicam quo-
que suam plurimum decoravit, clerum basilicæ
suæ choristis duobus auxit, Faræmonasterium in
melius emendare tentavit. Ludovicum XII. solen-
1498. niter apud Meldos excepit anno 1498. Biennio
1500. post fatis fungitur 21. Septembris anno 1500.
funeratusque est in ingressu chori.

DE PIERREPONT.

XCIV. Johannes XIII.

Post obitum Johannis, episcopi deligendi facul-
tatem capitulum a rege petiit literis die 5. Sep- D
tembris datis, cujus ad votum Johannes nobilibus
ortus parentibus, magister requæstarum, abbas B.
Mariæ de Columbis, prior S. Fiacrii, canonicus
& archidiaconus de Josas in ecclesia Parisiensi,
electus Meldensis dicitur ante 15. Octobris anno
1500. in regestis capituli Parisiensis, Vaticani
vero idibus, seu 13. Novembris per obitum Jo-
hannis Ludovico rege supplicante, quod de con-
firmatione a summo pontifice facta procul dubio
est intelligendum. A Tristando tamen archiepi-
1501. scopo non confirmatur ante diem 3. Jan. 1501.
quo electus adhuc dicitur v. idus Januarii in re-
gesto Alexandri VI. Ecclesiam suam solenniter E
ingressus est mense Aprili. Eodem anno Georgius
de Ambasia sedis apost. legatus Meldis honorifice
1505. exceptus est. Anno 1505. confirmavit Johannes
18. Februarii Isambertum Dupuis electum abba-
tem Cagiensem adversus ejus æmulum Johannem
Antonium de Cribillis, dictum *de Saint Nazare*.
1510. Sublatus e vivis 2. Septembris 1510. ex regestis
capituli Parisiensis & necrologio Faræmonasterii,
tumulatur in choro Meldensis ecclesiæ prope majus
altare ad latus Evangelii.

ANNI CHRISTI

PINELLE.

XCV. Ludovicus II.

Meldenses canonici ad eligendum Johanni suc-
cessorem congregati mense Octobri 1510. studia
in contraria scinduntur. Sexdecim pro Johanne
de la Place canonico & archidiacono Briæ stete-
runt, decem Ludovicum Pinelle a Ludovico XII.
commendatum nominarunt, tres Johannem de
Chavanhac canonicum & consiliarium Parlamenti,
unus Theobaldum Drouyn, & alter Theobaldum
le Seur doctorem in theologia. Itaque Johannes
de la Place, cui major suffragiorum numerus fave-
bat, renunciatus est: at cum ejus electio vitiosa
deprehensa fuisset, ab archiepiscopo Senonensi
19. Martii 1511. confirmatus est Ludovicus 1511.
Pinelle. Hic autem Montlucii, quod est Celticæ
Boiorum oppidum, honestis parentibus natus,
theologici magisterii lauream adeptus, primum
canonicus Parisiensis, tum Bituricensis archidiaco-
nus, dein S. Martini Turonensis decanus creatus
est, tum anno 1497. regium Navarræ collegium
regere cœpit, cujus bibliothecam, quam Raulinus
a fundamentis eduxerat, perfecit. Raulinus autem
Ludovicum redarguit, quod doctrinam haberet
accommodatitiam: *Audivi*, inquit, *laudari doctri-
nam, & ad horam exultavi, sed eam dixerunt te
minime adversus omnem altitudinem extollere, sed
adversus scientiam applicare, unde dolui, jam in januis
erat ut graviter laboranti medela quæreretur ecclesiæ,
ecce accepi, eos tueris & aperte laudas & magnificas
qui Dei ecclesiam sermonibus optimis construunt.* Anno
1505. cum esset sacræ paginæ professor, cancel-
larius & canonicus Parisiensis, & Stephani episcopi
Parisiensis absentis vicarius generalis, judex ac
exsecutor a Georgio de Ambasia tit. sancti Sixti
presbytero cardinali, Rotomagensi nuncupato, &
sedis apostolicæ legato commissus est & deputatus,
qui inchoatam in monasteriis S. Severini prope
Castrum-Nantonis, sancti Calixti in Cisonio &
beatæ Mariæ de Livriaco ordinis sancti Augustini,
Senonensis, Tornacensis & Parisiensis diœcesium
reformationem promoveret. Hanc pro munere
suo confirmavit, statutaque ad eam tuendam in
capitulo generali apud Livriacum lata 18. Januarii
anno 1506. approbavit. Demum ex canonico
Meldensi episcopus electus favore Ludovici XII.
cui summe erat acceptus, possessionem per pro-
curatorem iniit ultima Martii anno 1511. quo
memoratur ultima Aprilis in regestis Vaticani.
Electus adhuc permittitur tenere domum suam
claustralem 13. Junii in regestis capituli Pari-
siensis. Consecratus a Tristando metropolita, Mel-
dis solenniter recipitur mense Julio. Tristando de
Salazar archiepiscopo Senonensi solennem fidem
per procuratorem juravit die 14. Augusti, cum
ipse crudelissime podagra laboraret. Cancellarii
ecclesiæ Parisiensis munus abdicavit 18. Novemb.
Eodem adhuc anno synodum convocavit Meldis,
in qua statuta pastoribus saluberrima edidit. Mo-
nasterio quoque de Cagia benefecit, quod ad
strictiorem regulam revocavit. An. 1515. Meldis 1515.
rex Franciscus I. honorifice excipitur, cui oblata
duo vasa aurea valoris 420. libr. Ludovicus vero

ANNI CHRISTI

memoratus 12. Julii 1515. in chartulario sancti A
Martini a Campis, legatis pro anniversario obitus
celebrando 200. Turonensibus libris, plenus die-
1516. rum & meritorum obiit anno 1516. IV. nonas
Januarii, quo die ejus obitus a canonicis Melden-
sibus commemoratur. Sub chori lampadibus jacet,
cui tumulum apposuit Guillelmus Briçonnet ejus
successor cum epigraphe, quam utrique commu-
nem fore sperabat: *Ludovici & Guillelmi ministro-
rum Meldensis ecclesiæ ut par fuit desiderium, ita
cadavera idem tegit lapis, illius anno Dom. M. DXVI.
mense Januario, hujus vero M. D. . . . .*

De Ludovico sic habet Cagiense necrologium
ad diem 8. Januarii: *Anniversarium religiosissimi* B
*patris Ludovici Pinelle quondam Meldensis episcopi,
qui religionis ferventissimus cultor & æmulator, hanc
primo domum reformavit, assumtis sex fratribus refor-
matis ex Livriaco sub Martino de Campis. Insuper
prædictus antistes plurima alia contulit bona.*

BRIÇONNET

XCVI. GUILLELMUS IV.

De Guillelmo jam egimus in episcopis Leute-
vensibus tom. 6. col. 562. & in abbatibus sancti
Germani a Pratis tom. 7. E Leutevensi ad Mel-
densem translatus ecclesiam, hanc ingressus solen-
niter est 19. Martii 1516. Paulo post a Fran-
cisco I. ad Leonem X. missus, bullam pro Mel- C
densibus obtinuit. Roma reversus eadem statuta
& ordinationes, quæ pro administratione superio-
rissarum per triennium in monasteriis Calæ &
Montis-Martyrum condita fuerant, in Faræmo-
nasterio observaturum se promisit 17. Februarii
1518. 1517. nunc 1518. Synodum habuit die 13.
Octobris anni ejusdem pro residentia parochorum,
cujus statuta duabus aliis in synodis renovavit 7.
Januarii & 27. Octobris 1520. Hac autem in
synodo diœcesim in 32. stationes divisit pastor
vigilans, ut ovium suarum saluti provideret. Tri-
stando archiepiscopo obsequium spopondit 28.
Martii 1518. Hospitale Meldense meliorem in D
1519. statum ordinavit anno 1519. Decanus ecclesiæ
collegiatæ S. Marthæ Tarasconensis & archidiaco-
nus major Avenionensis Conrado Lorin canonico
vices suas commisit in dictis decanatu & archi-
1520. diaconatu citra revocationem 18. Aprilis 1520.
Choreas ludosque inhonestos diebus Dominicis
& festis beatæ Mariæ interdixit mense Augusto.
Circa id tempus literarum literatorumque amicus
doctos viros undequaque accivit, ac præsertim
Guillelmum Farel Vapincensem, Gerardum Rous-
sel, Franciscum Vatable & Jacobum Fabri Stapu-
lensem, cui leprosorum domum administrandam
1521. commisit die XI. Aug. 1521. vicariumque gene- E
ralem postea instituit. Hi autem eruditi viri cum
ad conciliandos populorum animos paulo liberius
& inconsiderantius approbare viderentur Lutheri
consilium de reformandis clericis, ut eo pacto deer-
rantes in sinum ecclesiæ correctis abusibus revoca-
rent, hanc ansam Guillelmi calumniandi arripuere
ipsius inimici, quasi novis erroribus faveret: at
merum effugium fuit, pura putaque calumnia:
nemo enim Lutheranam hæresim acrius insectatus
est, nemo ferventius catholicam fidem sectatus est,
vitaque ejus & gesta, ut in sequentibus patebit,
eum omnino reddunt non solum a calumnia, sed
& a suspicione hæreseos immunem. Privilegiorum
apostolicorum academiæ Parisiensis electus est con-
servator die 2. Septembris 1521. debitamque
pecuniæ summam pro Romano itinere accepit 8.
Octobris. Synodum convocavit anno 1523. in 1523.
qua sub excommunicationis pœna libros Lutheri
prohibuit, & alia pleraque statuit de invocatione
sanctorum & precibus pro mortuis, revocavitque
prædicatores, qui prava serebant dogmata. Eccle-
siam suam visitavit 29. Martii 1524. Insequenti 1524.
gravem cum Fratribus Minoribus habuit quere-
lam, quos a divinis interdixit, eo quod episcopo
non requisito verbum Dei prædicarent, & hæc
est prima mali labes origoque calumniarum, qui-
bus appetitus est Guillelmus: vocatus est enim
coram judicibus penultima Novembris vitæ suæ,
ac tantumnon fidei rationem redditurus, coactus-
que in partem impensæ venire litium diœcesanis
suis hæreticis inferendarum. Jejunium eodem anno
præscripsit in vigilia Corporis Christi observan-
dum. Duos doctores Parisienses delegavit 29.
Martii 1525. qui de hæresi cognoscerent, de qua 1525.
duo clerici Meldenses accusabantur. In synodo
anni 1526. egit iterum de residentia parochorum, 1526.
excommunicatosque declaravit eos, qui alibi quam
in sua parochia Pascha celebrarent. Ludos aliquot
mysteria religionis repræsentantes prohibuit anno
1527. Processionem solennem in octavis Cor- 1527.
poris Christi fieri jussit, palliumque & vas quo
sacrosancta Eucharistia defertur, ecclesiæ dedit.
Instituit fundavitque anno 1528. festum Visita- 1528.
tionis beatæ Mariæ. Adfuit anno eodem concilio
Senonensi a metropolita Parisiis habito. Comitia
habuit generalia in aula episcopali die 25. Febr.
ut pauperum inopiam sublevaret. Vicarios instituit
die prima Januarii 1529. qui audirent de hæresi 1529.
Lutherana, cujus Philippus Papillon canonicus
Meldensis insimulabatur. Parisiis morabatur anno
1530. in claustro B. Mariæ. Johannem l'Hermite 1530.
ipsius secretarium, canonicum & cantorem in
ecclesia Meldensi instituit 6. Junii 1531. Deni- 1531.
que urbem adauxit, domos episcopales magnifice
ædificavit, contemplationes Idiotæ e Latino in
Gallicum sermonem transtulit; abbatiæ de Cagia
benefecit, multaque pauperibus & ecclesiis legavit
testamento condito die 21. Januarii 1533. nunc
1534. Triduo post anima Deo, Virgini & curiæ 1534.
cœlesti commendata, & anniversario fundato,
sacramentisque reverenter susceptis obiit 24. eo-
rumdem mensis & anni circa mediam noctem,
ætatis 63. apud Agmandum villam S. Germani
a Pratis prope Monasteriolum foris Icaunam, ubi
sepultus jacet e regione præcipui altaris in basilica
beatæ Mariæ ejusdem loci, modico tectus lapide
hanc inscriptionem continente: *Guillelmus Briçon-
netus ecclesiæ Meldensis humilis minister:* De eo
hæc leguntur in regestis capituli: *Anno Domini
1533. die 24. mensis Januarii circa mediam no-
ctem decessit ab humanis bonæ memoriæ reverendus in
Christo pater & dominus meus D. Guillelmus Bri-
çonnet episcopus Meldensis, abbas monasterii sancti*

ANNI CHRISTI

Germani de Pratis secus muros Parisiacæ urbis, annum ætatis suæ agens 63. Vir dum viveret moribus, scientia & virtute clarus. opere & sermone potens, factionis Lutheranæ debellator acerrimus, pauperum pater pientissimus, cujus anima in Christi superboni Domini Jesu nomine quiescat in felici & perpetua pace, amen. Guillelmum quoque in nuncupatione moralium Aristotelis sic laudat Girardus Rufus: *Vir sane cum probitate eximius, ingenio facundiaque præcipuus, rerum tum humanarum, tum divinarum scientia admirandus, denique, ut nihil majus addam, sæculorum unus, qui Paulinum propius agat pastorem.*

DU PRAT.

XCVII. ANTONIUS.

Jam cardinalis Antonius, sedis apostol. legatus a latere, archiepiscopus Senonensis, episcopus, seu administrator perpetuus Albiensis, Meldensem quoque ecclesiam nominatione regia consecutus, electus Meldensis dicitur 20. Februarii 1534. in regestis Vaticani. Per procuratorem Claromontensem episcopum ejus filium recipitur die 5. Maii anni ejusdem. Construxit castrum gentili-
1535. tium de Nantouillet. Defuncti 9. Julii 1535. cor sepelitur in ecclesia Meldensi, corpus vero Senonis humatur. De eo in archiepiscopis Senonensibus loquendi opportunior erit occasio.

DE BUZ.

XCVIII. JOHANNES XIV.

Caroli de Buz toparchæ de Villemareuil & Margaritæ Bureau filius Johannes, Antonii præfecti Meldensis germanus, pastor primum fuerat sancti Johannis ad duos gemellos & sancti Martini de Braia, priorque S. Martini de Creciaco & sancti Fiacrii, ac commendatarius S. Faronis & Cagiæ, canonicusque ecclesiæ Meldensis tum erat, cum defuncto Antonio ejusdem episcopus a rege designatus est literis 10. Julii 1535. quibus rex capitulo mandavit ne electionem hujus impedirent. Sic nominatus Johannes, bullas obtinuit 13. Aug. anni ejusdem, quo & electus est privilegiorum academiæ Parisiensis conservator die 2. Oct. intercedentibus licet Albino de Rochechouart Silvanectensi, & cardinali Castellionæo Bellovacensi episcopis, qui cum diu acriterque disputassent, causa ceciderunt. Johannes autem episcopatus possessionem primo per procuratorem iniit anno
1536. 1536. Benedicto sancti Vincentii Cenomanensis
1540. abbati vices suas commisit anno 1540. pro visitando S. Faræ monasterio, cui per totam vitam multas irrogavit injurias. Ecclesiam suam solen-
1542. niter ingressus est die Martis 23. Maii 1542. Leprosariam Domui-Dei 19. Septemb. ejusdem
1543. anni univit. Inhibitus est 16. Novembris 1543. exire Parisiis, donec a duobus senatoribus fuisset
1549. interrogatus. Anno 1549. Franciscus a Lotharingia eques ordinis Jerosolymitani, magnus Franciæ prior & administrator, seu præceptor Templi de Choisiaco Johanni episcopo hominium præstitit pro duobus feodis in territorio villæ de Charniaco, & apud dictum Choisiacum sitis, quæ ab episcopatu Meldensi pendent. Ecclesiam de Villa-marolio parochiam erexit eodem anno. Suffraganeum suum Philippum Meusnier Phila- A delphiensem episcopum commisit anno 1552. 1552.
ad visitandum sanctæ Faræ monasterium. Hujus in locum jussus a rege die 7. Septemb. priorem & subpriorem sancti Martini Parisiensis vicarios generales instituit die 27. eorumdem mensis & anni, qui visitarent ordinarentque Faræmonasterium. Misere periit eodem anno, si credere fas est, 9. Octobris 1552. apud Villam-marolium, cujus in ecclesia cum parentibus sepultus traditur. Hæc de eo memoriæ tradidit secretarius capituli: *Anno Domini 1552. die sancti Dionysii martyris 9. mensis Octobris circa horam quintam post meridiem reverendus in Christo pater & dominus meus dominus* B *Johannes de Buz Meldensis episcopus, vir dum viveret & generis nobilitate, sic etiam animi dexteritate celebris, erat enim acumine ingenii potens, memoria felix, bonarum literarum lectioni deditus, verbo & scripto promtus, gravis & exuberans, pietate in pauperes singulari, Lutheranæ factionis propugnator acerrimus, annum agens suæ ætatis 49. sui vero pontificatus 18. apud castrum de Villa-marolio suæ Meldensis diœcesis, feliciter migravit ad Dominum, cujus animam optimus & piissimus Deus annumeret beatorum spirituum cœtui, amen.*

DE LEVIS.

Defuncto Johanne, qui jam ad Cabilonensem nominatus fuerat Johannes de Levis, filius Jo- C hannis de Levis baronis de Charlu & Franciscæ de Pictavia, ad Meldensem quoque a rege designatus est ecclesiam, sed neutram assecutus, non consecratus, nec possessionem adeptus, obiit prope Lugdunum anno 1553. 1553.

DE BREZÉ.

XCIX. LUDOVICUS III.

Gastonis de Brezé principis Fulcardi-montis, Normanniæ marescalli, & Mariæ de Cerisey filius Ludovicus, Ludovici comitis de Maulevrier proregis Neustriæ ex fratre nepos, hujus conjuge Diana Pictaviensi, postea ducissa Valentinensi procurante jam abbas beatæ Mariæ de Igniaco & D S. Georgii de Bochervilla, priorque S. Samsonis Aurelianensis, Meldensis episcopus ab Henrico II. nominatus dicitur 13. Sept. 1553. per obitum Johannis, in regestis Vaticani. Recipitur calendis Aprilis 1554. ante Pascha. Vicarium instituit 1554.
1555. qui monasterium sanctæ Faræ visitaret. 1555.
Visitare & ipse prioratum sancti Fiacrii summa vi tentavit mense Octobri anni ejusdem, sed cedere coactus est, quia non diu erat, quod vicarius ejus generalis illum visitaverat. Anno 1556. missale 1556.
ad usum suæ ecclesiæ publicatum a Johanne l'Huillier, emendatum denuo edidit, in quo id singulare est, quod sacerdos manu sinistra sumat hostiam, E ut hodiernus adhuc est Dominicanorum mos. Eodem magnus Franciæ eleemosynarius creatus est. Provisor, corrector & collator bursarum collegii magistri Gervasii a curia Parlamenti delegatur 13. Julii 1557. ut collegium reformaret. 1557.
Abbatiam sancti Faronis paulo post obtinuit. Generalibus regni comitiis adstitit die 5. Januarii 1557. Adfuit Henrici II. exsequiis anno 1559. 1559.
ut major eleemosynarius a latere episcopi Parisiensis funus procurantis. Calvinistæ anno 1561. 1561.
palam in urbe ac foro Meldensi furere cœperunt.

ANNI CHRISTI

Cruces & sacræ imagines eversæ aut fractæ, direpta est ecclesia sancti Sanctini. Anno 1562. promul-
1562. gato 17. Januarii edicto Pisciaci adeo augebatur apud Meldos hæreticorum numerus, ut statim ex ducentis supra mille familiis, quæ forum Meldense incolebant, duodecim tantum catholicæ superfuerint. Cathedralem ecclesiam invaserunt hæretici ima summis permiscentes, sacram pixidem, reliquias, cruces, calices, candelabra, altaria, rapiunt, evertunt. Destruitur comitissæ Campaniæ marmoreus tumulus, dejectumque cinctorium chori Meldensis ex alabastro conflatum, in quo acta sanctorum Apostolorum, sanctique Stephani martyris egregio labore sculpta cernebantur. Paulo post cum ecclesia Gallicana respirare & pax ubique reversa regnare videretur, reversus e Tridento, ubi synodo interfuerat, Ludovicus permutavit
1564. anno 1564. cum sequenti reservatis sibi collatione omnium cathedralis præbendarum, & parochiis quæ dicuntur episcopatus filiæ: quæ quidem conditio Romæ accepta non fuit.

C. JOHANNES XV.

DU TILLET.

Patria Engolismensis Johannes e Briocensi ecclesia per cessionem Ludovici ad Meldensem translatus bulla data 5. Augusti 1564. ecclesiam
1565. suam solenniter ingressus est 16. Decemb. 1565. Causa, quam cum priore Firmitatis-Galcheri habebat de procurationibus ipsi debitis, cecidit 30.
1566. April. 1566. Amoto cardinali Castillionæo suffe-
1568. ctus est an. 1568. academiæ Paris. privilegiorum conservator. Frequentibus academiæ comitiis hoc
1569. nomine fidem fecit 10. Februarii 1569. Litem habuit cum Ludovico decessore occasione permutationis inter eos initæ, cujus conditiones summo pontifice non probante suum sortitæ non fuerant effectum. Dum sub judice lis est, obiit Johannes,
1570. sepultusque est Parisiis mense Dec. 1570. iisdem mense & anno, quibus frater ejus e vivis excessit Johannes Tillius curiæ Parisiensis actuarius, qui ex archivorum tabulis Francorum originem, instituta, magistratus, regiamque familiam in Gallicos commentarios redegit. *Iste vero ei cognominis Briocensium & Meldensium pontifex*, ait Scævola Sammarthanus lib. 2. Elogiorum, *de re Gallica bene mereri cupiens, Francorum regum res gestas brevi chronico, sed absolutissimo tum Latine, tum Gallice complexus est. Qua fratrum æmulatione quid honestius, quid omni posteritatis memoria dignius hæc ætas vel ingeniorum fecundissima proferre potuit: ut hoc fortunæ factum admirabile videri possit & commemoratione non indignum, quod eruditos illos, nobilesque duos fratres, & nomen idem sortitos, & eadem fere studia professos, nec adeo multum ætate dispares, idem locus, idem annus, idemque mensis e vita sustulerit mense Decembri 1570. Parisiis.* Hunc etiam præses Thuanus hocce brevi præconio extulit: *Alter natu minor sacris addictus, primum fani Brioci in Armorica, & postea Meldorum episcopus fuit, qui a puero literis instructior, ad rerum nostrarum, qua frater ejus excelluit, peritiam, etiam linguarum, juris prisci Rom. ecclesiasticæ antiquitatis exactam cognitionem adjunxit, perlustratis Francisci I. permissu cœnobiorum ac aliorum locorum toto regno celebrium, cum adhuc integræ essent, bibliothecis, atque inde peculiari sibi instructo librorum veluti penu copioso, ex quibus pleraque in utroque genere venerandæ antiquitatis monumenta publico dedit, eoque nomine magnam a sui & posteri ævi hominibus gratiam ac laudem meruit. Edidit quoque opera Luciferi episcopi Calaritani anno 1568. & alia, de quibus Possevinus in apparatu sacro, & in bibliotheca selecta.*

Ejusdem episcopi opera primum prodierunt in lucem libri Carolini, qui sub nomine tanti principis de non adorandis imaginibus in synodo Francofurdensi anno 794. sunt editi.

CI. LUDOVICUS, *secundùm.*

DE BREZÉ.

Mortui Johannis in locum rex suffecit Jacobum fratris ejus filium in senatu Paris. consiliarium, qui pontificis licet jam munitus bullis cedere coactus est Ludovico. Hic enim post obitum Johannis, Briocensis ecclesiæ possessionem nondum adeptus ad Meldensem via regressus iterum vocatur senatus-consulto dato 3. Aprilis 1571. Beneficiis, 1571.
quibus jam potiebatur, addidit Sacræ capellæ Parisiensis thesaurariam. Inauguravit 18. Aprilis 1574. Parisiis Jacobum Fourré episcopum Cabilonensem in ecclesia Fratrum Prædicatorum San- 1574.
Jacobæa. Ædes episcopales ampliavit an. 1586. 1586.
Præsulis hujusce temporibus, anno scilicet 1588. 1588.
Minimi apud Fublenas a Petro Poussemie cantore Meldensi Ludovici vicario generali fundantur. Ludovicus vero cancellarius & caput sacræ confœderationis monitum edidit 13. Junii 1589. 1589.
adversus eos, qui hæreticorum aut politicorum bona occultabant, & sacræ unioni catholicæ adversabantur. Primus est ex episcopis Meldensibus, qui sedis apostolicæ gratia episcopum se nuncupavit. Ecclesiam Meldensem 30. ferme annis rexit, Parisiis fere semper immorans, ubi fato functus 15. Septembris 1589. in choro ecclesiæ Meldensis tumulatus est 24. Februarii 1591. Ibi hæc legitur epigraphe: *Reverendissimi patris Ludovici episcopi ex clarissima Brezæorum familia, qui per triginta circiter annos calamitosis ecclesiæ ac regni temporibus pie & laudabiliter Meldensem rexit ecclesiam, cineribus hic sepultis, ne tanti viri pereat memoria, monumentum hoc posuit Johannes de Vieupont Meldensis etiam antistes, anno Domini 1618. & ab ejus obitu 29.* Ludovico sedente cathedralis ecclesiæ exedra constructa est.

DE LA MARCHE.

Alexander de la Marche filius comitis de Maulevrier episcopus Meldensis die 13. vel 15. Octob. an. 1589. ab Henrico IV. in castris ante Dieppas adversus ducem Meduanium fortiter defensas commorante nominatus est, sed bullas pontificias non adeptus, concesso sibi beneficio minime potitur. Interim beneficiorum ecclesiæ Meldensis decano Trecensi a senatu Parisiensi apud Catalaunum sedente collatio assignata est anno 1592. quia 1592.
civitas Meldensis rebellabat.

TOUCHARD.

E vico Issiaci prope Parisios oriundus Johannes Touchard, doctor in theologia, qui præceptor olim fuerat cardinalis Borbonii, docente Thuano lib. 101. historiæ, tunc vero abbas Bellosanæ &

ANNI CHRISTI

thesaurarius Sacræ capellæ Parisiensis, vacantem A
ecclesiam Meldensem, regia nominatione conse-
1594. cutus XI. Maii anno 1594. possessionem vi arresti
Magni consilii apprehendit die 14. Novembris.
1596. Interfuit comitiis regni generalibus anno 1596.
1597. Parisiis habitis. Mortuus anno 1597. hac ipsa die,
qua Roma Luteciam bullæ pontificiæ allatæ sunt,
in Sacra capella Parisiensi sepelitur.

DE L'HOSPITAL.

Ludovicus de l'Hospital filius baronis de Vitri
& de Coubert equitis torquati, custodiæ regiæ
præfecti ac gubernatoris Meldorum, germanus
autem marescalli de Vitri, nominatus episcopus
die 13. Julii 1597. a rege castra ante Ambianum
metato, consecratus & ipse non fuit, quemadmo- B
dum duo decessores, sed Meldensem ecclesiam
1602. in commendam tantum tenuit, quam anno 1602.
Johanni de Veteri-ponte, annua pensione retenta,
transcripsit. Postea relicta clericali militia, fuit
Luteciæ gubernator, prætorianæ cohorti præfe-
ctus, solusque regius in Campania & pago Briegio
præfectus, necnon Franciæ polemarcha, dictus
marescallus de l'Hospital, qui obiit 20. Maii
1660.

DE VIEU-PONT.

CII. JOHANNES XVI.

Guillelmo domino de Chailloué & Magdalena
de la Bertrie parentibus natus Johannes die 15. C
Septembris 1559. Jacobi cardinalis d'Annebaut
ex avia materna pronepos, prioratum S. Martini
prope Meduntam anno ætatis 22. adeptus, abbas
sancti Johannis de Falesia, cantor & canonicus
Sagiensis, regi ab eleemosynis, comesque consi-
storianus, postquam sedes Meldensis annis fere
14. vacasset, per abdicationem Ludovici obtinuit
episcopatum anno 1602. ac per procuratorem
receptus dum in Neustria moraretur, statuta emisit,
quæ a vicario generali & cantore Petro Poussemie
1603. in synodo promulgata sunt. Anno 1603. die festo
Purificationis inauguratur antistes in capella abba-
tiæ sanctæ Genovefæ Parisiis a cardinali Petro de D
Gondi episcopo, assistentibus Renato Potier Bel-
lovacensi, & Bertrando d'Eschaux Baionensi præ-
sulibus. Die nona mensis ejusdem ecclesiam suam
solenni ritu ingressus est. Ecclesiæ Senonensi soli-
tum præstitit sacramentum die festo S. Laurentii
1604. 1604. Minimorum Fublinensium fundationem
ratam habuit 17. Maii 1604. ecclesiamque con-
1605. secravit prima Maii 1605. Adfuit anno 1606.
1606. comitiis cleri Gallicani. Primum lapidem ecclesiæ
sancti Remigii intra urbem ædificatæ benedixit
1607. & posuit 27. Martii anni ejusdem. Insequenti
altaria parthenonis Collinantii dedicavit 10. Jun.
1608. Senatus-consultum obtinuit anno 1608. quo hæ- E
reticorum insignia & sepulturæ ab ecclesiis catho-
licis amoverentur. Adfuit coronationi Mariæ Me-
1610. diceæ Franciæ reginæ anno 1610. diaconique
hac in solennitate munere functus est. Adstitit
anno eodem exsequiis Henrici Magni. Ecclesias
sancti Laurentii de Gesvres 17. Julii, S. Medardi
1611. 31. & S. Dionysii 7. Augusti 1611. dedicavit.
Johanne procurante Meldis advocantur Capucini
8. Maii anni ejusdem. Comitiis cleri Gallicani
1612. interfuit an. 1612. eodemque synodo Parisiensi,
in qua damnatus liber Edmundi Richer de eccle-
siastica & politica potestate. Comitiis regni Pari-
siensibus adsuit anno 1614. Transegit 21. April. 1614.
anni ejusdem cum capitulo super nonnullis arti-
culis. Ecclesiam S. Sulpicii de Fresnes dedicavit
prima Maii 1615. S. Remigii ecclesiam in urbem 1615.
translatam, atque Cagiensem de novo ædificatam
consecravit anno 1616. Dedicavit eodem anno 1616.
die 15. Octob. ecclesiam Capucinorum Nogenti-
Rotrodi Carnotensis diœcesis rogatus a capitulo
ejusdem, sede vacante, & templum Minimorum
de Soulaine. Insequenti Catharina de Gonzague 1617.
defuncti ducis de Longueville uxor, conventum
& ecclesiam Capucinorum Columeriensium ex-
struxit, quæ ab episcopo Bethleemitano 13. Julii
1625. consecrata fuit. Johannes anno 1619. 1619.
Capucinorum Meldensium ecclesiam die 13. Jun.
consecravit, hosque bonis cumulavit. Fretus tum
propria auctoritate, tum literis regiis die 19. Junii
ejusdem anni datis, reformationem in monasterio
sancti Faronis induxit, & in prioratu S. Fiacrii
mense Februario 1620. Altare majus Faræmo- 1620.
nasterii pollutum & amotum consecravit 27. Jun.
1621. Parochiam S. Sulpicii ibidem consecravit 1621.
29. ejusdem mensis, & prima Junii monasterium
visitavit, præclaraque condidit statuta. Monaste-
rium quoque Cagiense visitavit die 7. Januarii
1622. ubi multa ordinavit. Conventum Carme- 1622.
litarum Discalceatorum Cregiaci prope Meldos
ædificari permisit prima Decembris ejusdem anni,
sanxitque die 9. ejusdem mensis officium sanctæ
Faræ duplex quotannis fieri die 7. Decembris per
totam diœcesim ob miraculum insigne ejus me-
ritis & intercessione in monasterio patratum. An.
1623. die 16. Augusti hora quinta matutina 1623.
sacramentis munitus obiit ætatis suæ annum agens
64. Johannes. Quandiu vixit in episcopatu con-
tinuo residens, singulis diebus in majori ecclesia
missæ & vesperis intererat. Jurium episcopalium
acerrimus defensor ea senatus Parisiensis consultis
stabilivit, bona ecclesiæ alienata quantum in ipso
fuit, redemit, cappas, casulas, dalmaticas & tuni-
cellas telæ argenteæ floribus plurimis opere plu-
mario ornatas valoris 1098. librarum Turonen-
sium ecclesiæ Meldensi dono dedit. In pauperes
largus singulis hebdomadibus eleemosynas publicas
ter largiri solitus, perlustratis singulis diœceseos
parochiis annis 1607. & 1608. ea quæ muneris
erant episcopalis sedulo præstitit. Verbo & exem-
plo clericis suis ac gregi sibi creditis prælucens,
ad sinistrum majoris altaris cornu juxta Johannem
de Pierrepont sepultus, mille aureos Meldensibus
canonicis dedit, apud quos dies illius obitus com-
memoratur 25. Junii.

CIII. JOHANNES XVII.

DE BELLEAU.

Patria Lexoviensis Johannes Johannis supe-
rioris ex sorore nepos, canonicus Meldensis suc-
cessit avunculo anno 1624. per procuratorem 1624.
receptus; ipse vero ecclesiam suam solenni & con-
sueto ritu ingressus est 22. Febr. 1626. Eodem 1626.
anno synodum habuit, in qua utilia & præclara edi-
dit statuta pro bono diœcesis regimine. Fundatas

ANNI CHRISTI regulares canonicas apud Firmitatem-Galcheri primum approbavit 5. Septembris anni ejusdem, quas postea amovere incassum tentavit. Anno
1627. 1627. Johannes dedit Mariæ de Medicis reginæ 17. Octob. mediam partem ossis claviculæ sancti Fiacrii. Moniales sancti Nicolai de Noëfort prope
1629. urbem transtulit anno 1629. Institutas pro pueris erudiendis filias devotas laudavit 22. Septembris ejusdem anni. Moniales Visitationis ejus cura in
1631. suburbio Meldensi instituuntur 28. Aprilis 1631. Parochiam sancti Maximini a prioratu separavit 7. Julii. Reformatos ordinis sanctissimæ Trinitatis in conventum de Cerfrido induxit 3. Januar.
1633. 1633. Eodem institutam in parochia S. Cyrici capellam Visitationis beatæ Mariæ approbavit 7. Maii. Monachi sancti Faronis de mandato capituli generalis congregationis S. Mauri Johanni die 13. Junii integrum articulum manus S. Faronis donaverunt. Moniales de Monte Dionysio in villam Creciaci de ejus assensu translatæ 27. Augusti. Parochiam de Vaudoi ab archidiaconatu separavit 5.
1634. Augusti 1634. Vitam mitiorem in parthenone de Monte-Dionysio ordinavit die 9. eorumdem
1637. mensis & anni. Anno 1637. die 16. Augusti hora circiter septima pomeridiana obiit Johannes annum ætatis suæ agens 47. Vir dum viveret moribus, scientia, pietate, & virtutibus clarus, pauperum pater pientissimus, & pacis amantissimus, juxta avunculum ad sinistrum majoris altaris cornu sepelitur.

SEGUIER.

CIV. DOMINICUS I.

Ex illustri & honorata Seguieriorum familia Dominicus natus est Lutetiæ, ubi tum reipublicæ, tum ecclesiæ dignitatibus clara enituit, patre Johanne Seguierio domino d'Autri, qui ex magistro libellorum supplicum prætor Parisiensis æstuante tumultibus Gallia & urbe ipsa Lutecia a rege deficiente, constanti erga reges Henricum III. & IV. studio, nusquam ab officio recessit. Maternam vero originem ex Maria Tudert ad Tudertorum antiquam in Pictonibus stirpem referebat, frater Petri Franciæ cancellarii suprema ordinis togati dignitate & insigni rei Gallicæ peritia clarissimi. Dominicus autem avorum claritudinem æmulatus, qui in senatorii muneris functione jam dudum floruerant, in supremam curiam assumtus, inde fit decanus ecclesiæ Parisiensis, ut diximus, abbas sancti Johannis Ambianensis, prior beatæ Mariæ de Gehard, primusque regis eleemosynarius. Tandem ab ecclesia Autissiodorensi ad Meldensem a rege Ludovico XIII. post obitum Johannis translatus anno 1637. die 26. Augusti, novam cathedram episcopalem, annuente capitulo, die 23. Decembris ejusdem anni suis sumtibus exstruendam curavit. Delphinum Ludovici XIII. primogenitum sacro tinxit latice apud S. Germanum
1638. in Laia 5. Septembris 1638. Cum aliis episcopis apud sanctam Genovefam congregatis scripsit ad episcopos Galliæ de damnandis duobus voluminibus, uno de libertatibus ecclesiæ Gallicanæ, alteroque probationes harumce libertatum com-
1639. plectente die 9. Februarii 1639. Jam propositus ab Urbano VIII. summo pontifice in consistorio die 15. Januarii anni ejusdem, ecclesiam suam solenni & consueto ritu ingressus est die 10. April. Circa id tempus assensum præbuit, ut presbyteri Oratorii Jesu apud Juliacum introducerentur. Jurisdictionis & libertatis ecclesiasticæ tenax, die 14. Octobris celeberrimum pro auditione computorum fabricæ de Mitriaco arrestum obtinuit. Concilio Parisiis 28. Martii 1640. adstitit, ubi 1640.
damnatus *Optatus Gallus*. Eodem anno 22. Decembris confirmavit constitutiones S. Monicæ pro monialibus sancti Augustini apud Firmitatem-Galcheri. Breviarium Meldense emendatum hoc anno ejusdem curis perfectum, & postea missale, rituale, ac tandem catechismum typis edidit. Anno 1641. die prima Februarii arrestum pro 1641.
auditione computorum ecclesiæ Domni-Martini in Goella obtinuit. Instituit eodem anno 12. Apr. apud Creciacum presbyteros congregationis Missionis, qui ad episcoporum Meldensium mandatum annuis missionibus populum docerent, ordinandos gratis reciperent, clericos diœceseos ad spiritalia exercitia solutis expensis admitterent. Eodem anno mense Decembri regias literas obtinuit, quibus confirmatur jus, quod vocant *Garde gardienne*, quo causæ episcopi & capituli & ministrorum ecclesiæ Meldensis præfecto Parisiensi committuntur, quod ab antiquo fuerat concessum & confirmatum a regibus Philippo Pulcro, Carolo V. anno 1367. Ludovico XI. Carolo VIII. Ludovico XII. Francisco I. & Henrico II. Insuper ampliato favore obtinuit, ut eædem causæ ad magistros libellorum supplicum deferrentur. Idem privilegium postea novis literis regiis mense Aprili 1644. & decretis consistorianis 19. Julii 1671. 10. Decembris 1679. & annis sequentibus est firmatum. Consensit 19. Augusti 1641. ut titulus prioratus sancti Fiacrii supprimeretur, quem mensæ conventuali uniri permisit die 15. Martii 1642. Domum episcopalem exornavit 1642.
anno eodem, emtisque canonicorum domibus hortum suum adauxit. Ludovico XIII. animam agenti adstitit, canonicosque regulares congregationis sanctæ Genovefæ apud Cagiam intromisit die 7. Decembris hujus anni. Ludovico XIV. nomen imposuit anno 1643. vertebramque dorsi 1643.
sancti Fiacrii thecæ argenteæ a se inclusam ascetis hujus monasterii concessit. Seminarium sacerdotum & clericorum in hospitali Johannis Rose instituit 30. Octob. 1645. Eodem Isaacum Habert 1645.
episcopum Vabrensem consecravit 17. Decemb. adstititque comitiis generalibus cleri Gallicani. Transactionem inter electos Præmonstratenses abbates initam delegatus approbavit mense Aprili
1646. Reliquias sancti Fiacrii in nova capsa a 1646.
rege defuncto jussa recondidit 29. Septembris ejusdem anni. Collegii Meldensis reditus seminario univit prima Januarii 1647. ea lege, ut 1647.
inibi juventutem docerent magistri. Nomen quoque imposuit die 11. Maii 1648. Lutecia in 1648.
capella palatii cardinalis Philippo a Francia Andegavensium duci Ludovici XIV. fratri. Prohibuit 14. Decembris thesaurario regalis capellæ du

ANNI CHRISTI Vivier, qui mandatum pro Jubilæo dederat, ne simile quid in posterum tentaret. Donavit monasterio sancti Fiacrii particulam corporis ejusdem sancti in capsula argentea deaurata die 3. Junii
1649. 1649. Ordinis sancti Spiritus commendator nominatus est die 31. Decemb. Fundationi sororum Tertii ordinis sancti Dominici in villa de Roseto assensum præbuit 17. Decembris anni ejusdem. Dominico procurante datæ sunt a rege 22. Maii
1651. 1651. literæ, quibus moniales sanctæ Ursulæ ad puellas apud Meldos edocendas instituuntur. Ut puriorem fidei morumque doctrinam promoveret, primus episcoporum Gallicanorum a clericis & rectoribus conventus collationesque ecclesiasticas
1652. fieri jussit anno 1652. Quin & aptiora designavit loca, ad quæ rectores æstate bis per mensem convenirent. Uniendæ domui Visitationis Domni-Martini domui Meldensi assensit 22. Aprilis
1653. 1653. Præclara edidit statuta 1654. Delegatus
1654. a summo pontifice dedit XI. Julii ejusdem anni pallium Petro de Marca archiepiscopo Tolosano.
1655. Bullam Innocentii X. publicavit anno 1655. pro subscribendo formulario. Ecclesiæ Meldensi
1658. dedit 30. Octob. 1658. capsam argenteam deauratam, in qua repositæ reliquiæ sanctorum Sanctini, Faronis, Hildeverti & Gilberti episcoporum Meldensium, aliorumque sanctorum, & aliam item deauratam, in qua etiam diversorum sanctorum conduntur reliquiæ. Dedit præterea eodem anno vas solare in quo defertur Eucharistia, crucem argenteam deauratam egregii laboris, ac summi pretii, vasa argentea deaurata ad sancta olea conficienda; ecclesiis etiam ruralibus calices, ciboria, ornamenta, aliaque libentissime largitus est necessaria. Dominicum de Ligni suum ex sorore nepotem coadjutorem adscivit XI. Januarii 1658. cui anno sequenti consecrato totius diœceseos
1659. administrationem commisit 12. Martii 1659. Obiit Parisiis vir omni commendatione dignissimus die 16. Maii anni ejusdem hora circiter nona post meridiem, annum ætatis suæ agens 66. Huic in ecclesia Parisiensi parentatum die 26. & biduo post corpus Parisiis ad Villanolium prope Meldos die 28. delatum, ibi aliquandiu asservatum est. Denique assistentibus præter Dominicum de Ligni Condomiensi, Convenensi, Silvanectensi & Rupellensi episcopis, die 9. Junii, post funebrem a Jacobo Biroat monacho Benedictino in ecclesia Meldensi die 10. ejusdem mensis & anni habitam orationem, ad latus sinistrum majoris altaris cum hac epigraphe sepultum est:

Dominicus Seguier
Meldensis episcopus
Hic exspectat resurrectionem
Obiit XVII. calend. Junii
Anno R. S. H. M. DCLIX.
Ætatis LXVI. sedis XXII.
Dominicus de Ligni Meldensis episcopus
CIV. avunculo carissimo.

Capitulo Meldensi sex millia librarum testamento reliquit ea lege, ut quotannis anniversaria celebraretur obitus ejus dies, & archidiaconus singulis episcopalibus festis diceret: *Ora pro anima Dominici Seguier quondam hujus ecclesiæ episcopi*: cui quidem archidiacono 20. asses assignavit. Eidem capitulo post obitum nepotis sui Dominici de Ligni duo reliquit aulæa, quorum alterum Petrarchi triumphos, alterum vero Apostolorum acta exhibet. Præter ea quæ propinquis suis, domesticis & externis ecclesiis legavit, Domui-Dei Meldensi 6000. libras, 3000. in pauperum Meldensium subsidium, 1000. libras egenis mendicare erubescentibus distribuendas, cuilibet parochiarum episcopalium, Germiniaci scilicet, Vareddarum, Villanolii & Strepilliaci quingentas libras pauperibus erogandas, Barciaco ducentas, Franciscanis 300. Capucinis 300. seminario denique Meldensi sexcentas supra mille libras annui reditus, & a Dominico de Ligni apud clerum Meldensem die 25. Junii 1667. constitutas, largitus est. Hæreticorum, quandiu vixit, petulantiam coercuit, perlustrataque sedulo diœcesi populorum mores emendavit.

CV. Dominicus II. DE LIGNI.

Johanne de Ligni libellorum supplicum magistro & Carola Seguier sorore Dominici Meldensis episcopi & Petri Franciæ cancellarii parentibus ortus Dominicus fratrem habuit Johannem de Ligni, qui ex Elisabetha Boïer uxore suscepit filiam unicam Mariam ingenio & moribus venustissimam, principi Antonio Egoni Lantgravio de Furstemberg, Guillelmi Egonis de Furstemberg episc. Argentinensis & cardinalis nepoti nuptam. Summus primo silvarum ac fluminum præfectus fuit, tum clero adscriptus, ob castos amabilesque quos exhibuit mores canonicus fuit ecclesiæ Paris. in locum avunculi, abbas sancti Johannis Ambianensis, priorque S. Petri Pontisarensis, quo tempore generalibus cleri comitiis adfuit anno 1656. Dein canonicus Meldensis die 13. Aug. 1657. a Dominico avunculo creatus est, ac decanus communi canonicorum suffragio die XI. ejusdem mensis electus. Postea Dominici avunculi coadjutor a rege nominatus die XI. Jan. 1658. sub episcopi Philadelphiensis titulo inauguratus est 9. Martii 1659. in æde sacra S. Ludovici Jesuitarum, sacris operante Ferdinando de Neuville Carnotensi, cooperantibusque Harduino de Perefixe Ruthenensi, & Johanne d'Estrades Condomiensi episcopis. Nominatus circa id tempus a rege ad ecclesiam Laudunensem, bullas non accepit. At defuncto paulo post avunculo, sacramentum fidei regi præstitit die 19. Maii, ecclesiamque Meldensem ingressus die 8. Junii, gregem sibi creditum summa vigilantia, sapientia ac mansuetudine regere cœpit. Anno 1660. officii sui memor 1660.
parochias universas visitavit, privatorum lites ea qua valebat sapientia & auctoritate composuit, mores emendatiores fecit, divini cultus dignitatem promovit, ornamenta, calices argenteos & ciboria, quibus ad ægrotos defertur Eucharistia, pauperibus parochiis largitus est. Jura ecclesiarum acerrime tutari sollicitus, earum bonis sapienter

ANNI CHRISTI

providebat. Quandiu episcopatum gessit, ecclesias rurales magno etiam sumtu & comitatu præmissis ante se aliquando 12. presbyteris, qui populos & docerent, & sacramentis reficerent, singulis annis ita sedulo perlustravit, ut omnes non modo parochos, sed & vicarios ac scholarum magistros
1661. vultu ac nomine nosceret. Anno 1661. translata ex aula castri Germiniaci in locum commodiorem ecclesia parochiali & a fundamentis ædificata, novas episcopales ædes situ, prospectu, deambulationibus amœnissimas exstruere cœpit, quas postea non modico sumtu, impensis ad minimum 50000. nummis perfecit. Eodem anno die 16. Decemb. inita coram notariis Parisiensibus conventione cum Francisco Blanchard S. Genovefæ Parisiensis abbate, seminarium Meldense presbyteris secularibus antea creditum, & administrationem hospitalis Johannis Rose juxta sententiam Dominici avunculi canonicis regularibus concessit. Senatus-consultum adversus Calvinistas obtinuit
1662. anno 1662. Cum apud canonicos aliosque clericos contra fas usumque antiquum militibus hospitium temere assignassent urbis Meldensis Scabini, Dominicus ecclesiasticæ libertatis defensor acer-
1665. rimus, apud comitia cleri Gallicani anno 1665. habita ea de re conquestus, obtinuit ipso rege jubente placitoque solenni, ut illata canonicis detrimenta a Scabinis ipsis restituerentur, quibus prohibitum ne idem in posterum attentarent. Alia præclara iisdem in comitiis gessit. Controversiam
1667. habuit cum capitulo pro jurisdictione anno 1667. quæ terminata pacificeque est composita. Anno
1670. 1670. cum rex edicto jussisset, ut ecclesiastici insulas, molendina, ceteraque hujusmodi ad se pertinere aut titulo, aut centum annorum possessione probarent; ni facerent, prædicta omnia regis essent: si vero majorem centenaria possessionem probarent, vigesimam annui reditus partem persolverent, rogatus a clero Dominicus, quæ clero Gallicano injuria fieret, & quantum nocumenti inde accederet, doctissima oratione ita dilucide demonstravit, ut ab editæ constitutionis exsecu-
1671. tione abstineretur. Litem habuit anno 1671. & sequentibus cum abbatissa Faræmonasterii, cujus
1673. exitum non vidit. Anno 1673. Francisco Harlæo Johannem Ludovicum de Fromentieres consecranti adstitit. Statuta quæ in synodis edidit 27. Septemb. 1667. 4. Septemb. 1669. 25. Martii 1670. 15. Octobris 1671. prima Septembris
1674. 1672. & 6. Septembris 1674. typis vulgantur. Instituendis apud Cregiacum filiabus dictis *Charitables*, ad erudiendam juventutem assensum præ-
1675. buit 24. Aprilis 1675. Quartum tribus sacerdotibus congregationis Missionis jam fundatis in
1676. urbe Creciaci adjunxit 16. Aprilis 1676. Literas a rege obtinuit pro fundando hospitali generali iisdem mense & anno. Suppressit præbendas ecclesiæ collegiatæ capellæ super Creciacum 15. Junii, quarum loco duos instituit sacerdotes, qui cum parocho divinis rebus insisterent. Fundationi capellæ in ecclesia de Betz assensit die 6.
1677. Aprilis 1677. Obiit bonorum omnium luctu
1681. 27. Aprilis 1681. ætatis 62. sepultus ad majoris altaris latus sinistrum juxta avunculum cum hac epigraphe:

D. O. M.

Dominicus de Ligni

Meldensis episcopus CIV.

Hic exspectat

Resurrectionem.

Obiit die XXVII. Aprilis

Anno reparatæ salutis humanæ

M. DCLXXXI.

Ætatis LXII.

Sedis XXII.

Johannes de Ligni regi a sanctioribus

Fratri carissimo

B. M. P.

Dominici funus in ecclesia Alborum Mantellorum Parisiensi, procurante D. de Ligni fratre amantissimo a D. Catalaunensi episcopo solenni apparatu die 7. Maii celebratum est, cui plures & episcopi & optimates interfuere. Hac autem in ecclesia 200. missas, celebrandaque qualibet Quatuor temporum hebdomada anniversaria testamento mandavit, quo avunculi ad exemplum pueruli chori Meldensis legavit 200. libras annui reditus, Filiabus Caritatis Firmitatis 100. annuas, monachis sancti Faronis 30. totidemque canonicis Cagiæ, monialibus de Noaforti, Visitationis, S. Ursulæ & Trinitariis, Franciscanis 25. totidem Capucinis; Domui-Dei 400. seminario 200. Hospitali generali 300. ecclesiæ de Germiniaco 75. de Varreddis 125. de Strepilliaco 25. totidemque ecclesiis de Villenoi & de Trie-le-port, sacerdotibus Missionis de Creciaco 200. libras. Præterea legavit 2000. libras ad celebrandas totidem missas pro salute animæ suæ, pauperibus diœcesis 600. libras, & 2000. libras ad elocandas matrimonio pauperes filias.

CVI. JACOBUS BENIGNUS. BOSSUET.

Post abdicatas Condomienses infulas, ut diximus tom. 2. col. 972. emensumque educationis Delfini stadium decenne, Jacobus Benignus factus abbas sancti Luciani Bellovacensis, primusque Delphinæ eleemosynarius 9. Martii 1680. vacantem per obitum Dominici Meldensem ecclesiam consecutus 2. Maii 1681. ingressus est 7. Febr.
1682. iisdemque anno & mense litem a decessore inchoatam finivit, transegitque cum abbatissa Faræmonasterii, quæ solius se episcopi jurisdictioni submisit. Comitiis cleri Gallicani anno eodem interfuit, ubi disertissimum habuit sermonem, & cleri Gallicani de ecclesiastica potestate declarationem ipse formavit. Prohibuit nundinas, quæ quotannis ante portam Cerfridi agebantur in festo sanctissimæ Trinitatis, mandato 29. Maii
1685. Jurisdictio spiritalis in abbatiam Jotrensem 1685.
ipsi adjudicata senatus-consulto 26. Jan. 1690. 1690.
Suppressit 29. Junii 1691. administratorem Do- 1691.
mus-Dei Vareddarum, cujus loco duas sorores Caritatis instituit. Franciscum de Salignac archiepiscopum Cameracensem consecravit 10. Julii 1695.

ANNI CHRISTI

1695. quicum theologicas postea exercuit lites, quas diremit Innocentius XII. brevi dato 12.
1695. Martii 1699. Defuncto Francisco de Harlay Parisiensi archiepiscopo, jam decanus domus Navarreæ Jacobus Benignus, ejusdem superior a rege nominatus est 20. Augusti 1695. Tunicas nigri coloris eodem anno in capitulo Meldensi revocavit. Jurisdictio quoque in abbatiam Resbacensem ipsi attributa senatus-consulto 19. Januarii
1696. 1696. Inter comites consistorianos ecclesiasticos
1697. a rege annumeratus 29. Junii 1697. primus ducissæ Burgundiæ eleemosynarius ab eodem renunciatus est 8. Novembris. Conservator quoque privilegiorum apostolicorum ab academia Parisiensi adlectus est. Synodos habuit 14. Septemb.
1698. 1688. 16. Augusti 1691. 16. Octob. 1698. & statuta condidit. Comitiis cleri Gallicani apud
1700. sanctum Germanum in Laia adstitit anno 1700.
1701. Nonnulla statuta condidit an. 1701. pro ecclesia collegiata Domni-Martini. Reliquias S. Libariæ Tullo allatas in capsa recondidit 25. Octobris ejusdem anni. Ad summum pontificem scripsit
1702. 2. Augusti 1702. pro canonizando B. Vincentio a Paulo, cujus in sodalitium juvenis adhuc cooptatus fuerat. Denique per biennium calculi doloribus conflictatus occubuit Parisiis die 12. Aprilis
1704. 1704. annum agens 77. Corpus Meldos allatum in majori ecclesia sepultum est prope altare majus a latere epistolæ, funus celebrante Aginnensi episcopo, defunctum vero laudante P. de la Rue disertissimo Jesuita. Tumulo superpositum hoc epitaphium:

A Ω.

Hic quiescit resurrectionem exspectans Jacobus Benignus Bossuet episcopus Meldensis, comes consistorianus, serenissimi Delphini præceptor, primus serenissimæ Delphinæ, deinde serenissimæ ducis Burgundiæ eleemosynarius, Universitatis Parisiensis privilegiorum apostolicorum conservator, ac collegii regii Navarræ superior.

Obiit anno Domini M. DCCIV. *die 12. April. annos natus* LXXVI. *menses* VI. *& dies* XVI. *Virtutibus, verbo ac doctrina claruit in episcopatu annos* XXXIV. *e quibus Meldis sedit* XXII.

Jacobus Benignus Bossuet abbas sancti Luciani Bellovacensis & archidiaconus Meldensis patruo colendissimo lugens posuit.

Modestum sane elogium, si tanti viri virtutem consideres, at satis superque, si famam hominis spectes, quem nominasse, laudasse est. Quis enim rerum nostrarum tam alienus, cui Jacobi Benigni Bossuet ignotum nomen? Quid enumerem pro ecclesia exantlatos labores, impensam pro ovibus operam, intentam pro fratribus errantibus sollicitudinem. Infinitus essem, si quæcumque egit & docuit recensere vellem. Legantur coætanei scriptores, apud quos posterioris ævi ecclesiæ doctor, seculi sui miraculum, episcoporum pater jure ac merito audit. At cum optime præsulem illum laudaveris, ut ait unus illorum, si opera narraveris fidelissime, en tibi horum indiculum subjicimus, quæ in unum collecta pluribus tomis veneunt Venetiis ab anno 1736. & Parisiis sub prælo sudant.

Réfutation du Catéchisme de Paul Ferry Ministre de la R. P. R. 1655.

Oraisons funèbres de la Reine d'Angleterre, 1669. de Madame, 1670. de la Reine 1683. de la Princesse Palatine, 1685. de M. le Tellier, 1686. de M. le Prince, 1687.

Exposition de la doctrine de l'Eglise catholique, 1671.

Discours sur l'Histoire universelle, 1681.

Sermon de l'assemblée du Clergé, 1682.

Conférence avec M. Claude, 1682.

Traité de la Communion sous les deux especes, 1682.

Lettre pastorale aux nouveaux Catholiques de son diocèse, pour les exhorter à faire leurs Pâques, & leur donner les avertissemens nécessaires contre les fausses lettres pastorales des Ministres, 1686.

Catéchisme de Meaux, 1687.

Histoire des Variations des Eglises Protestantes, 1688.

L'Apocalypse avec une explication, 1689.

Explication de quelques difficultés sur les prieres de la Messe, à un nouveau Catholique, 1689.

Priéres ecclésiastiques pour aider le Chrétien à bien entendre le service de la Paroisse aux Dimanches & aux Fêtes principales, 1689.

Piéces & mémoire touchant l'abbaye de Jouarre, avec une ordonnance de visite, 1690.

Premier avertissement aux Protestans sur les lettres du ministre Jurieu contre l'histoire des Variations. Le Christianisme flétri, & le Socinianisme autorisé par ce Ministre, 1689.

Second avertissement. La réforme convaincue d'erreur & d'impiété par ce Ministre, 1689.

Troisiéme avertissement. Le salut dans l'Eglise Romaine selon ce Ministre, 1689.

Quatriéme avertissement. La sainteté & la concorde du Mariage chrétien violées, 1690.

Cinquiéme avertissement. Le fondement des Empires renversé par ce Ministre, 1690.

Sixiéme avertissement. L'antiquité éclaircie sur l'immutabilité de l'Etre divin, & sur l'égalité des trois personnes. L'état présent de la Religion Protestante contre le tableau de M. Jurieu, 1691.

Défense des Variations, contre la réponse de M. Basnage Ministre de Rotterdam, 1701.

Liber Psalmorum, 1691.

Statuts & ordonnances synodales pour le diocèse de Meaux, 1691.

Lettre sur l'adoration de la Croix, 1692.

Libri Salomonis, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, cum notis. Accesserunt ejusdem supplenda in Psalmos, 1693.

Maximes & réflexions sur la Comédie, 1694.

Ordonnance & instruction pastorale sur les états d'Oraison, 1695.

Méditations sur la rémission des péchés pour le tems du Jubilé, 1696.

Epistola quinque Præsulum contra librum, cui titulus: Nodus Prædestinationis dissolutus, auctore Cælestino Sfondrato card. 1697.

ANNI CHRISTI

Instruction sur les états d'Oraison, où sont exposées les erreurs des faux mystiques de nos jours, avec les actes de leur condamnation, 1697.

Declaratio Illustr. & Rev. Ecclesiæ principum L. Ant. de Noailles arch. Paris. J. Benigni Bossuet ep. Meldensis, & Pauli de Godet des Marais ep. Carnotensis, circa librum, cui titulus : Explication des Maximes des Saints, 1697.

Summa doctrinæ libri, cui titulus : Explication des Maximes des Saints, &c, deque consequentibus, ac defensionibus & explicationibus, 1697.

Divers écrits & mémoires sur le livre intitulé : Maximes des Saints, 1698.

Réponse à quatre lettres de M. l'Archevesque de Cambray, 1698.

Relation sur le Quiétisme, 1698,

De nova quæstione tractatus tres. 1. Mystici in tuto. 2. Schola in tuto. 3. Quietismus redivivus. Quæstiuncula, 1698.

Remarques sur la réponse de M. l'Archevesque de Cambray, à la relation sur le Quiétisme, 1698.

Ordonnance synodale sur la célébration des Fêtes, 1698.

Réponse aux préjugés décisifs, 1699.

Réponse de M. l'Evesque de Meaux aux lettres & écrits de M. l'Archevesque de Cambray, &c. 1699.

Instruction pastorale sur les promesses de Jesus-Christ à son Eglise, 1700.

Seconde instruction pastorale sur les promesses de Jesus-Christ à son Eglise, ou réponse aux objections d'un Ministre contre la premiére instruction, 1701.

Censura & declaratio conventus generalis Cleri Gallicani congregati anno 1700. in palatio regio Sangermano, in materia fidei & morum, 1701.

Ordonnance contre le Nouveau Testament de Trévoux, 1702.

Instruction sur la version du Nouveau Testament de Trevoux, 1702.

Seconde instruction sur les passages particuliers de la version de Trévoux, avec une dissertation sur la doctrine & la critique de Grotius, 1703.

Explication de la Prophétie d'Isaye chap. 7. v. 14. & du Pseaume 21. 1704.

Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture Sainte. Opus posthumum, 1710.

Lettre de M. Bossuet avant qu'il fût Evesque, à la révérende Mere & aux Religieuses de Port-royal.

Justification des réflexions sur le Nouveau Testament, &c. composée en 1699. contre le Problème ecclésiastique. Opus posthumum, 1710.

Elévations à Dieu sur tous les mystères de la religion chrétienne. Opus posthumum, 1727.

CVII. HENRICUS.

DE THYARD DE BISSY.

Nobili apud Burgundos editus familia Henricus, parentibus Claudio de Thyard comite de Bissy, regiorum ordinum equite torquato, & Eleonora Angelica de Nucheze natus est 25. Maii 1657. Cedente Claudio germano abbas Nobiliaci 2. Februarii 1680. cedit & ipse anno 1721. Tullensis episcopus 1687. Burdigalenses infulas an. 1697. deprecatus est. At abbas Trium-fontium an. 1698. defunctique Jacobi Benigni in locum a rege suffectus 10. Maii 1704. bullis a summo pontifice gratuito concessis 8. Febr. 1705. possessionem per procuratorem arripuit 23. Martii, ecclesiamque Meldensem ingressus est 9. Maii. Parochialem ecclesiam de Moncellis effecit 25. Sept. 1710. Prodiit in lucem anno eodem ineunte ecclesiæ Meldensis missale, quod aliquot Meldensium canonicorum curis prius a Jacobo decessore demandatum, ipso defuncto incompletum prosequendum judicavit successor Henricus, qui cum plurima contra receptum nunc usum mutata observasset, ea prudens præsul resecanda sub pœna excommunicationis mandavit Parisiis 22. Januar. 1710. ubi tunc degebat diœcesis suæ negotiis detentus. Emendatum quoque breviarium anno 1713. typis vulgatum est, & post rituale. Cardinalis a Ludovico XIV. designatus 8. Junii anni ejusdem, abbatia sancti Germani a Pratis, novæ dignitatis subsidio, donatus est mense Decembri 1714. & inter presbyteros cardinales a Clemente XI. adscriptus mense Maio 1715. Ædes episcopales condecoravit anno 1719. Inunctioni Ludovici XV. Remis invitatus adfuit 25. Octobris 1722. Fundandis 9. Dec. anni ejusdem Tertii ordinis S. Francisci Pœnitentibus apud beatam Mariam de Quercu assensit, canonicis vero regularibus in hospitali Johannis Rose a Dominico decessore institutis, litem intentavit anno 1723. quibus postea causa victor hospitale, seminarium & collegium ademit, ut eis clericos S. Spiritus substitueret. Decessorum suorum statuta a temporibus Johannis de Belleau in unum collegit & nova addidit 5. Januarii 1724. Regiorum ordinum præceptoribus a rege annumeratus est mense Februario. Cathedrale templum altari magnifico pretiosisque ornamentis hoc anno exornavit, cathedram quoque episcopi de novo construxit. Parochiam sancti Germani de Cornilione vicinis sancti Sanctini & Nantogili parochiis univit 27. Aprilis 1726. seminarioque 28. Junii prioratum sancti Patusii a Molismo dependentem cum consensu abbatis & monachorum. Orta sub id tempus gravissima circa fidem controversia, convocati a Ludovico rege præsules Parisiis tunc degentes, comitia habuere anno 1727. in palatio sancti Germani a Pratis, in quibus præside Henrico cardinali varii circa missæ sacrificium, sanctissimam Eucharistiam, auctoritatem ecclesiæ, primatum summi pontificis & sacros ritus errores proscripti sunt. Latam censuram multi Galliarum episcopi in suis diœcesibus confirmarunt, sicque novus error, auctore in Angliam aufugente, prorsus evanuit. Scholæ christianæ fratres, sororesque S. Lazari ad juventutem utriusque sexus informandam accivit Henricus & dotavit annis 1728. & 1729. Inclinatos Missionis presbyteros in urbe Creciacensi censibus annuis hoc erexit anno, quibus ab abbate Latiniaci Varennæ prioratum anno 1735. obtinuit. Duo altaria portæ chori ecclesiæ cathedralis contigua ædificavit, magnificeque ornavit anno 1729. Totam diœcesim in

ANNI CHRISTI 1705. 1710. 1713. 1714. 1715. 1719. 1722. 1723. 1724. 1726. 1727. 1728. 1729.

ANNI CHRISTI

decem decanatus rurales divisit 6. Jan. 1730. Ecclesiam de Alto-folio parochialem instituit die prima Martii anni ejusdem. Trium pontificum Innocentii XIII. Benedicti XIII. & Clementis XII. electionibus adfuit. Cardinalitium SS. Cyrici & Julittæ titulum permutavit anno 1730. pro titulo S. Bernardi. Historiam ecclesiæ Meldensis uni e nostris conscribendam commisit, sumtusque necessarios e suo abunde suppeditavit, quæ demum
1731. ei dicata est anno 1731. Generalis hospitii ædificia tum propriis impensis, tum obtentis a rege
1732. beneficiis plurimum adauxit anno 1732. eidemque procuravit eleemosinas, quæ statis diebus a diversis monasteriis publice mendicantibus erogari consueverant. Henrici quoque majori ex parte sumtibus parochiales ecclesiæ sancti Nicolai, sancti Remigii, sancti Sanctini & S. Martini meliorem
1734. in formam anno eodem reductæ sunt. An. 1734. monialibus Visitationis Meldensis inopia laborantibus annuo censu subvenit, prioratumque de Rouvres obtinuit de consensu abbatis & monachorum S. Faronis, reservatis abbati jure quatuor ibi locandarum gratis monialium, & monachis annua pensione. Monialibus quoque & reditibus Montis-Dionysii in urbe Creciacensi ad parthenones partim Noæfortis, partim beatæ Mariæ fori Meldensis translatis, ædificia religiosis Minimis qui prius in parochia de Fublaine collocati fuerant, concessit anno eodem, ibique collegium instituit & dotavit. Summam 7500. libr. annui reditus
1735. anno 1735. diœcesis pauperibus & Christi ministris assignavit & donavit. Suburbium quoque S. Germani Parisiensis beneficum abbatem eodem anno expertum est, cujus pauperes clericos sumtibus suis educari voluit, legatis seminario sancti Sulpicii 5000. libris annuis, duplo vero ejusdem parochiæ, ad sustentandos presbyteros, sublevandos pauperes & pueros instruendos. Eodem adhuc anno ad fundandum sancti Spiritus in Parisiensi sancti Marcelli suburbio seminarium nonnihil
1736. contulit. Insequenti quinque cœcorum vitæ con-
1737. suluit. Parochiam de Boissiaco erexit anno 1737. eodemque hospitale Resbacense ordinavit. Verbo dicam, reditus episcopales in diœcesi Meldensi ad pauperes sustinendos vere pauper & pauperum pater totos insumsit. Ecclesiam suam verbis, documentis instruxit & exemplis, bonorum pastorum exemplar. Eadem sollicitudine, zelo eodem quo Jacobus Benignus decessor errantes quoslibet, Jansenistas impugnavit Henricus successor. Nonnulla ejus opera in lucem prodierunt, quorum habes elenchum in hist. Meldensis ecclesiæ tomo 1. p. 549. Adurensem, Redonensem, Baionensem & Sanpapulensem episcopos inunxit. Denique integer vitæ vir scelerisque purus, meritis bonisque operibus plenus, longævam finivit vitam Parisiis in abbatia S. Germani a Pratis 26. Julii 1737. annum agens 81. Corpus Meldos translatum die 29. mensis ejusdem, sepelitur in crypta quam pro tumulandis Meldensibus episcopis jam pridem construxerat, solenniterque ei aliquot post mensibus parentatum, funus prosequente tota, quam dum in vivis agebat impense dilexerat, lugente familia, defuncti vero laudes celebrante N. Segui, abbate Genliaci, canonico Meldensi, uno e quadraginta viris academiæ Gallicanæ, qui mortuo cardinali multis obstrictus erat nominibus.

Chart. XX. col. 567.

CVIII. ANTONIUS RENATUS. DE FONTENILLES.

Francisci de la Roche-Montluc-Cessac-Cassillac marchionis de Fontenilles, comitis de Courtenai, domini de Rambures, ex Maria Teresia de Mesmes sorore protopræsidis in senatu Parisiensi filius Antonius Renatus, ex canonico ecclesiæ Parisiensis ad Meldensem cathedram evectus a rege 31. Augusti 1737. Romæ renunciatur in consistorio 30. mensis Septembris, & proponitur 23. Decembris. Pontificiis munitus bullis, inungitur ab archiepiscopo Senonensi in sacello seminarii S. Sulpicii Parisiensis, assistentibus Lingonensi & Blesensi episcopis die 12. Januarii 1738. Ecclesiam suam 1738.
ingressus est 28. Januarii regique fidem dixit 10. Februarii anni ejusdem.

DECANI ECCLESIÆ MELDENSIS.

I. HUGO I. occurrit an. 1045. in charta Walterii episcopi pro fratribus Lacellensibus.

II. Roscelinus reperitur sedente Galterio, circa annum 1080.

III. Arnulfus in charta Gauterii pro monachis S. Martini a Campis v. idus Martii 1095. Reperitur adhuc anno 1096.

IV. Odo subscribit literis Manassis episcopi varias donationes ecclesiæ suæ & Majori monasterio concedentis anno 1107.

V. Paganus occurrit in literis Manassis episc.

VI. Theobaldus I. annis 1117. & 1127.

VII. Humbaldus, si diversus a Theobaldo, legitur in charta Manassis II.

VIII. Harpinus subscribit diplomati Manassis II. donationes a Manasse I. avunculo suo ecclesiæ sancti Stephani factas confirmantis anno 1135. Nominatur & in charta fundationis abbatiæ de Cagia eodem anno, & in instrumento Manassis episcopi pro prioratu S. Eutropii de Choisiaco.

Chart. IV. col. 549.

IX. Hugo II. subscripsit chartæ Manassis episcopi de ecclesia de Veteri-Creciaco anno 1137. Hist. sancti Martini a Campis, p. 379.

X. Rainerius post Adamum archidiaconum subscribit instrumento Manassis episcopi pro ecclesia B. Mariæ de Monte-Gaucheri anno 1139.

XI. Hugo III. occurrit anno 1140. in tabulario sancti Martini a Campis, 1145. in chartis Faræmonasterii, 1148. in charta Theobaldi comitis Trecensis, & 1149. in instrumentis Majoris monasterii. Nominatur in charta Manassis II. an. 1150. concordiam firmantis inter Meldensem & Jotrensem ecclesias. Subscribit an. 1152. chartæ Henrici Trecensium comitis pro Latiniacensibus

monachis. Subscriptus quoque legitur in charta Manassis episcopi pro Faræmonasterio. Anno 1154. una cum capitulo canonicis regularibus Cagiensis ecclesiæ 60. solidos indulsit, recepto jure confirmandi electionem abbatis Cagiensis. Is esse creditur Hugo, cujus nomen subscriptum legitur compositioni factæ a S. Bernardo inter Hugonem episcopum Autissiodorensem & Willelmum comitem Nivernensem, inter epistolas sancti Bernardi 426. Occurrit adhuc Hugo annis 1153. & sequentibus ad 1161. quo factus est episcopus Meldensis, ut diximus.

XII. Guillelmus filius Theobaldi IV. comitis Campaniæ ex Mathilde de Carinthia, nominatur in charta Stephani episcopi de institutione succentoris anno 1163. Occurrit adhuc anno 1165. quo factus est episcopus Carnotensis, tum Senonensis archiepiscopus, demum Remensis & cardinalis.

XIII. Michael I. de Corbolio, frater Reginaldi de Corbolio episcopi Parisiensis, ex canonico & cancellario ecclesiæ Parisiensis factus decanus Meldensis, bullam protectionis ab Alexandro III. obtinuit, in qua jus eligendi decani capitulo confirmatur. Testis occurrit anno 1169. in literis Stephani episcopi medietatem decimæ de Quinciaco pro anniversario suo largientis. Subscripsit anno 1184. fundationi Juliaci. Arbiter electus est cum Petro cantore Parisiensi inter archidiaconum Soliacensem in ecclesia Aurelianensi & capitulum Jargogilense motæ litis, quam Hugo decanus Aurelianensis finivit anno 1185. Fuit & decanus Laudunensis & Parisiensis, denique electus in patriarcham Jerosolymitanum, antequam illuc iter arriperet, factus est Senonensis archiepiscopus. Obitus ejus notatur in necrologio Meldensi ad diem primam Decembris.

XIV. Matthæus de Lisi occurrit annis 1187. 1189. regnante Philippo, in tabulario sancti Maglorii, decanus & archidiaconus Briæ anno 1193. in chartulario Calensi, 1196. in veteri instrumento ecclesiæ Meldensis. Consensit Ansello episcopo aliquid de procuratione sibi debita remittenti monachis sanctæ Celiniæ Meldensis anno 1198. M. decanus Meldensis 1202. in chartulario Meldensi. Notatur 19. Junii in necrologio.

XV. Radulfus reperitur annis 1202. & 1203. Anno 1207. judex a summo pontifice una cum Gaufrido Silvanectensi episcopo & Adamo abbate Caroli-loci delegatus, ortam inter Odonem Parisiensem episcopum & monachos S. Dionysii pro Argentolio litem definiit mense Septembri. Memoratur & 1213. in dono Hugonis canonici & 1214. Celebratur in necrologio 24. Julii.

XVI. A. decanus Meldensis anno 1220. mense Decembri & 1221.

XVII. Petrus I. ex archidiacono factus decanus 1221. memoratur in literis Amalrici episc. quibus jurisdictionem sancti Sanctini suo dimittit capitulo.

XVIII. Gimundus papæ capellanus, Meldensis decanus reperitur mense Aug. 1223. in tabulis S. Fidis. Una cum Petro episcopo statuit mense A Augusto 1225. ne capellani quidquam de distributionibus perciperent, donec ad sacerdotium promoverentur. Cum abbate de Cagia pacem iniit mense Januario 1226. Initam P. episcopum inter & Th. Campaniæ comitem super nonnullis articulis compositionem approbavit mense Maio 1227. Cum eodem comite & ipse pepigit super usuario in silva de Medunto mense Februario. Viariam de Strepilliaco P. episcopo cessit mense Maio 1228. Eodem anno querelam habuit cum Hugone comite S. Pauli, cui adjudicatus patronatus capellæ in ecclesia de Creceio. Querelam habuit cum P. episcopo super jurisdictione in presbyterum de Gievres mense Decembri 1230. B Composuit mense Aprili 1235. cum Th. comite Campaniæ super nonnullis litigiosis in institutione vicariorum ecclesiæ Meldensis. Capellam sancti Laurentii fundavit anno 1237. in ecclesia sancti Stephani. Quædam statuit pro canonicis sancti Georgii de Creciaco mense Aug. 1239. Eodem, mense Novemb. statuta pro residentia canonicorum una cum Petro episcopo condidit. Jus patronatus capellæ sancti Laurentii capitulo concessit anno 1243. Defunctus exeunte Junio notatur prima Julii in necrologio.

XIX. Hemardus jam occurrit anno 1243. C mense Nov. in chartulario Campaniæ. Eumdem esse puto, qui literis datis mense Januario 1247. testatur Johannem de Minciaco militem, qui duxerat Heloisam neptim Guillelmi abbatis sancti Dionysii, ab eo accepisse 80. libras Parisienses, quas eidem abbati restituere teneretur, si Heloisa absque liberis moreretur, ex chartis sancti Dionysii, ubi mendum in anno suspicor, legendumque 1243. pro 1247.

XX. Michael II. de Turi anno 1244. pepigit cum Petro episcopo, eodemque anno cum Stephano abbate Cagiensi, & sequenti cum capitulo. Memoratur 1246. in tabulario Cameri fontis, & D 1247. in Meldensi.

XXI. G. 1249. in tabulario Meldensi.

XXII. Michael III. 1249. mense Februario in chartulario Campaniæ. Canonicis Cagiæ facultatem eligendi abbates tribuit anno 1250. Memoratur 1251. mense Mart. in chartulario Campaniæ, & 1253. feria 2. post festum S. Andreæ in tabulario Meldensi.

XXIII. Johannes I. de Troci annis 1255. & 1257. quo una cum capitulo pensionem super domos canonicorum assignavit. Occurrit & 1258. ac 1259. feria 3. ante Ramos Palmarum in tabul.

XXIV. Johannes II. d'Aci recensetur in instrumento Domus-Dei an. 1260. Regni Siciliæ E cancellarius, primus post archiepiscopum Messanensem subscribit testamento Beatricis reginæ Siciliæ anno 1266. Obiit 21. Sept. ex necrologio, & quidem ante annum 1271.

XXV. G. decanus 1271. & 1272. Anno 1273. assensu J. episcopi remittit illatas capitulo injurias ab Andrea Mantallic. Occurrit 1275. 1276. & 1277. mense Aprili in tabulario Latiniacensi, & 1279. crastina die Inventionis S. Stephani.

XXVI. Petrus II. de Poinci germanus Johannis episcopi, memoratur annis 1282. & 1283. Componit anno 1289. die Martis post festum sanctorum apostolorum Petri & Pauli cum Adamo episcopo super justitia domus ejus de Berciaco. Occurrit & 1291. notatus in necrologio 16. Decembris. A

XXVII. Egidius Camelin 1293. & 1296.

XXVIII. Reginaldus de Aciaco.

XXIX. Onuphrius de Trebis decanus Meldensis cum Arnaldo de sancto Asterio abbate Tutelensi in Italiam missus est a Clemente V. ut Ferrarienses ad ecclesiæ ditionem admitterent, pro quibus Guillelmus Arrufati cardinalis scripsit B gravem ad Bononienses epistolam IV. calend. Julii anno 1308. apud Cherubinum Ghirardacium lib. 16. hist. Bonon. pag. 519. Archiepiscopus erat Salernitanus anno 1313. notaturque in necrologio 7. Junii.

XXX. Theobaldus II. l'Estandard occurrit anno 1320. Una cum capitulo composuit cum episcopo Meldensi super collatione beneficiorum anno 1327. die Sabbato post festum S. Matthæi apostoli. Obiit 26. Augusti ex necrologio.

XXXI. Johannes III. de Poinci.

XXXII. Johannes IV. des Halles an. 1336.

XXXIII. Henricus I. Bursault obiit 5. Maii C ex necrologio.

XXXIV. Henricus II. de Neuville ab anno 1358. Decanus & vicarius generalis Johannis episcopi absentis synodos habuit cum Ludovico Pericard officiali annis 1363. 1365. & 1370. Notatur in necrologio prima Novembris.

XXXV. Johannes V. de Bonneuil annis 1371. & 1372.

XXXVI. Bernardus Genesta, quo procuratore usus est Johannes Rolandi 2. Febr. anno 1376. ad ineundam possessionem ecclesiæ Ambianensis, ad quam assumtus fuerat, ex regestis ecclesiæ Ambianensis. D

XXXVII. Johannes VI. de Rezes an. 1384. quo Clemens VII. pontifex maximus dissidia inter Guillelmum Meldensem episcopum ex una parte, & capitulum ex altera, sedavit, Johanne decano absente.

XXXVIII. Guido I. Prunel adfuit sacramento quod Petrus Fresnel episcopus Meldensis capitulo præstitit die 18. Decembris 1390.

XXXIX. P. mense Maio 1392.

XL. Antonius Courant 1400. 1401. 1404. & 1405.

XLI. Johannes VII. de Rulli ex permutatione cum Antonio facta decanus Meldensis, sequenti E cessit.

XLII. Petrus III. le Jai per cessionem Johannis decanus, necnon consiliarius regius & magister requæstarum, defunctus 25. Oct. 1430. sepelitur apud Cartusianos Parisienses.

XLIII. Johannes VIII. Haguenin consiliarius Parlamenti Paris. per obitum Petri decanus electus est anno 1431. Pro episcopatu cum Johanne le Meusnier contendit an. 1447. Cum autem causa cecidisset, decanatum sequenti cessit anno 1450.

XLIV. Johannes IX. de Penchart ex archidiacono Briæ 1444. per cessionem præcedentis decanus 1450. occurrit 1454. Legavit capitulo 34. arpenta terræ, notatus in necrologio 1. Maii.

XLV. Johannes X. du Drac decanus 1456. electus est, triennioque post episcopus, ut diximus.

XLVI. Guido II. Bardelot in suprema Parlamenti curia consiliarius, per cessionem præcedentis factus est decanus anno 1459.

XLVII. Florentius de Villiers per cessionem præcedentis decanus 1473.

XLVIII. Amatus Ambrosius de Cambrai in regalia decanus cum Florentio composuit anno eodem.

XLIX. Petrus IV. Regnault 1496. De nonnullis abusibus conquestus est capitulo 1515. 19. Decemb. Guillelmum Briçonnet in possessionem immisit 19. Martii anni ejusdem, nunc sequentis. Occurrit & 1517.

L. Nicolaus Brachet ex canonico electus decanus ad preces Francisci I. receptus est anno 1520. Cessit anno 1525.

LI. Georgius d'Armignac.

LII. Natalis I. Galliot 1531.

LIII. Johannes XI. Vassal mense Mart. 1531. Accusatur anno 1537. quod incapax esset, nec resideret.

LIV. Adrianus Bouquart libellorum supplicum magister, electus est decanus anno 1538.

LV. Ludovicus Pierre de Varredes electus 1539. obiit 1544.

LVI. Carolus de Bus anno 1544.

LVII. N. Anjoran anno 1545.

LVIII. Philippus I. du Valengelier familia Meldensi ortus, ex canonico & thesaurario factus decanus anno 1546. cessit sequenti 1570. Defunctus sepelitur in abbatia Cagiensi sub porticu ecclesiæ, ubi capellam sancti Sepulcri ab hæreticis modo destructam magnis sumtibus, adjuvante fratre suo, ædificaverat. In necrologio Cagiensi notatur ejus anniversarium die 2. Maii.

LIX. Amatus le Tavernier ex clerico Laudunensi decanus Meldensis per cessionem Philippi 1570. Obiit 4. Octobris 1586.

LX. Claudius Coquelet archidiaconus Franciæ in ecclesia Meldensi, episcopus Diniensis, commendatariusque Cagiensis & Livriacensis, electioni Petri Poussemie a nonnullis 20. Oct. 1586. factæ intercessit, ipseque postea præsentibus omnibus electus est, & a consulto senatus majoris confirmatus. Defunctus 26. Octob. 1613. jacet in choro cathedralis ecclesiæ cum epitaphio.

LXI. Petrus V. Helin per cessionem Claudii receptus est 14. Maii 1614. quem evicit

LXII. Franciscus le Pelletier consiliarius, qui jam decanus 21. Aprilis 1614. cum Johanne episcopo componit super nonnullis articulis. Canonicus receptus est prima Augusti 1618. Cessit sequenti 1621.

LXIII. Natalis II. le Breton Francisci clericus, ejusque per cessionem decanus, cessit ipse sequenti 7. Julii 1621.

LXIV. Felix Vialart patruus Felicis Vialart

episcopi Catalaunensis, nepósque N. Seguier decani Parisiensis, receptus decanus 13. Apr. 1622. Aqua intercute non multo post interiit 4. Julii 1623. annos natus 36. inhumaturque in capella Visitationis in ecclesia majori cum epitaphio.

LXV. Dionysius des Prés Petri Poussemie nepos, ex canonico & cantore electus decanus 1623. præsens fuit detectioni feretri S. Fiacrii anno 1627. Defunctus Parisiis 1632. inhumatur in cœmeterio sancti Severini.

LXVI. N. Cruyot canonicus & decanus.

LXVII. Guido III. le Vaillant de Thelis præcedenti successit 6. Maii 1637. Consiliarius erat senatus Parisiensis. Renato cessit 1643.

LXVIII. Renatus le Normand thesaurarius sancti Jacobi de Hospitali Parisiensis, Meldensis decanus est receptus 28. Martii 1643. Cessit & ipse 1647.

LXIX. Johannes XII. Godefroi clericus Bellovacensis, receptus decanus & canonicus per cessionem Renati 24. April. 1647. Permutatione cum canonico Bellovacensi factus est parochus sancti Johannis ad duos gemellos.

LXX. Renatus le Normand secundùm decanatum 9. Junii 1647. senatus-consulto recuperavit, quia permutatio a Johanne facta suum sortita non fuerat effectum.

LXXI. Robertus le Blanc du Rollet Ebroicensis diœcesis receptus est die 12. Julii 1647. canonicus & decanus Meldensis. Fit postea Senonensis decanus & abbas Cantumerulæ.

LXXII. Johannes XIII. Pericard canonicus & decanus 26. Novembris 1649. qui cum canonicos in melius emendare frustra tentasset, post biennium cessit.

LXXIII. Johannes XIV. de la Marche per cessionem Johannis canonicus & decanus receptus A est 13. Septembris 1651. Aqua intercute obiit 1657.

LXXIV. Dominicus de Ligni nepos ex sorore Dominici Seguier Meldensis episcopi, canonicus Meldensis, electus est decanus 20. Augusti 1657. Ad preces avunculi, factus postea episcopus Philadelphiensis & Meldensis coadjutor, possessionem iniit 3. Aprilis 1658. Sedem Meldensem adeptus 1659. cessit sequenti.

LXXV. Jacobus de Ligni de Rentilli præcedentis consanguineus, canonicus & decanus per cessionem Dominici 24. Decemb. 1659. Homo timidus & verecundus cognato sequenti cessit B anno 1666.

LXXVI. Petrus VI. de la Croix Dominici & Jacobi affinitate propinquus, doctor in theologia, jam canonicus a die 9. Decembris 1651. receptus est decanus 6. Octobris 1666. Cessit anno 1694. & obiit 30. Junii 1695.

LXXVII. Carolus Franciscus Richer doctor in theologia, ex canonico Metensi bullis obtentis VIII. idus Novembris 1693. possessionem per cessionem Petri iniit canonicus & decanus 12. Julii 1694. Insequenti prohibitus est a rege, ne tam ipse quam dignitates capituli alio deinceps a nigro colore uterentur, id ita postulante Jacobo C Benigno Bossuet episcopo, præter usum in capitulo receptum purpureum aut violaceum induendi. Obiit XI. Augusti 1706.

LXXVIII. Valentinus Pidoux nobilis Columbariensis, doctor in theologia, ex canonico & cantore electus est decanus 20. Augusti 1706. Possessionem adeptus est 7. Februarii 1707.

LXXIX. Philippus II. Pidoux superioris ex fratre nepos, electus est decanus a capitulo die 15. Januarii 1739.

DE ANTIQUA VIVARII SACRA CAPELLA.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 260.

CAROLUS V. rex Francorum adhuc Delphinus sacellum illud fundaverat anno 1352. in finibus parochiæ Fontaneti in Bria pro thesaurario uno, cantore uno, quatuor aliis canonicis, quatuor vicariis & quatuor clericis. At præbendæ illæ omnes extinctæ sunt anno 1694. mense Martio, capella vero unita Sacræ capellæ Vincennarum, ita tamen ut apud Vivarium rex christianissimus reliquerit capellanum regiæ nominationis. Mense Julio ejusdem anni Stephanus Fauvelet D ultimus Vivarii thesaurarius omnes capellæ hujus lipsanothecas apud Vincennas deportavit; in his autem fragmentum unum sacratissimæ Crucis Christi, laminis aureis, lapidibusque pretiosis circumvestitum, in cujus posteriori parte legitur hæc epigraphe: *Le roy Charles fondateur de l'eglise du Vivier, donna cette Croix à ladite eglise l'an 1368. Et il y a du fust de la vraye Croix de la Sainte chapelle du Palais. Et ne pourra estre alienée pour quelconque necessité.*

ABBATIÆ DIŒCESIS MELDENSIS,

Quæ vel omnino rescissæ sunt, vel pristinam dignitatem amiserunt.

I. SAINT SAINTIN. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 5.* SANCTUS SANCTINUS. Eo loci ubi sanctus Sanctinus Meldensis episcopus, extra mœnia urbis Jatini tumulatus est, qui locus posteriori ævo urbi additus, *Fori Meldensis* nomen assumsit, Meldi ædiculam construxere, quæ progressu temporis abbatia evasit ejusdem nominis. Anno circiter 850. Hubertus I. & ipse Meldensis episcopus, abbatiæ illi quemdam *Vandelmarum* præposuit, Hilduini abbatis sancti Dionysii in Francia discipulum, qui & ab eodem præsule institutus est clericorum suorum psallendi magister, & fabulosam, falsus Hincmarus, S. Sanctini historiam commentus esse creditur. Atque ille ex multis S. Sanctini abbatibus unus superat, cujus nomen ad nos usque pervenerit. Jam diu factum est postquam ecclesia illa, & abbatiæ & monasterii titulo projecto ad seculares clericos transiit. Sunt autem in præsenti collegiatæ hujus canonici omnino duodecim, capitulo ecclesiæ Meldensis obnoxii, quorum uni cura animarum totius parochiæ incumbit.

II. REUIL. RADOLIUM. Situm est hoc monasterium ad ripam Matronæ sinistram, non longe ab abbatia Jotrensi; quem vero fundatorem habuerit, omnino incompertum. Crediderunt aliquando non *Hist. eccles. Meld. t. 1. pagg. 51. & 52.* pauci, conditum fuisse a *Radone* quodam, Adonis & Dadonis fratre, quorum alteri Jotrum, alteri vero Resbacum, utrumque in diœcesi Meldensi, natales suos debent: at Rado ille, si quæ fides doctissimis, atque in historia nostra versatissimis, adhibeatur, nullus est, neque unquam exstitit in rerum natura; nobis autem idcirco confictum fuisse hujusmodi nomen prope persuasum est, ut etymon *Radolii* qualecunque incautis obtruderetur. Quod si ad Radonem quempiam confugiendum esset, offerunt sese duo Radones, alter *Ibid. pagg. 670. & 671.* Majordomus Austrasiæ sub Clotario II. alter referendarius Clodovei II. quanquam utrumque an vero, an fictitio potius nomine noscamus, in ambiguo est. Certe *Rade* Germaniæ populis, unde quamplurimæ voces manaverunt in linguam Francicam, litus seu oram significat; atque hæc est cœnobii Radoliensis positio, cujus præterlabentes Matronæ fluctus muros alluunt.

Quænam sit igitur cœnobii hujus origo, non est quod accurate definire possimus. Ab ipso *Ibid. p. 35.* parthenonis Jotrensis initio exstitere eo loci duo simul monasteria: primarium feminarum, quod hactenus perseverat; secundarium virorum, quod jam a longo tempore extinctum est. Horum antesignanus venerabilis Ado subministrabat sua & suorum opera ancillis Christi quidquid iis opus erat in rebus divinis, cœlestibusque. Progrediente tempore, atque, ut credibile est, altera regum nostrorum dynastia jam inclinata, seculares clerici monachos vel ultro abeuntes, vel ingratis pulsos, exceperunt, in locum ipsorum suffecti. Nunquid illi per id temporis relicto Jotro in vallem secedentes, Radoliensis asceterii fundamenta posuere?

Ut ut hæc sunt, steterat asceterium illud sub patrocinio sanctorum Petri & Pauli, ac disciplina plurimorum abbatum, quorum nomina diligentiam nostram fugere, quando exeunte seculo undecimo, vel ineunte duodecimo, post concilium *Ibid. pagg. 250. & 251.* Meldense anni 1082. quo statutum fuerat ut monasteria quæ non sufficerent nisi alendis monachis decem, subderentur vel abbatiæ Cluniacensi, vel Majori monasterio, factum est obnoxium prioratui Caritatis super Ligerim a Cluniaco pendenti. Basilicam hujus monasterii, quæ dedicata fuerat pridie calendas Julii anno 1230. a Petro Cuisiacensi episcopo Meldensi & Nicolao episcopo Avenionensi, a fundamentis instauravit Jacobus Foullé prior, fatis functus VIII. calendas Aprilis anno 1511. Seriem priorum collegimus ex variis ipsius monasterii instrumentis.

I. Gaufridus præerat anno 1103.

II. Hugo reperitur in charta Manassis II. episcopi Meldensis, anni 1146.

III. Bernardus in alia charta anni 1156.

IV. Robertus de Belismo transigit an. 1158. cum canonicis sancti Johannis de Vineis pro ecclesia S. Nicolai de Firmitate-Auculsi. Sedebat adhuc anno 1163.

V. Aimo I. præerat annis 1163. & 1181.

VI. Simon præerat anno 1182. Privilegium obtinuit a Lucio III. papa anno 1184. Sedebat adhuc anno 1189.

VII. Hugo Langlois præerat annis 1189. & 1197.

VIII. Stephanus sedebat annis 1198. & 1222. Dicitur factus esse anno 1224. prior Caritatis supra Ligerim.

IX. Theobaldus sedebat anno 1225.

X. Theodericus annis 1225. & 1254.

XI. Matthæus annis 1254. & 1263.

XII. Petrus I. annis 1264. & 1269.

XIII. Aimo II. annis 1269. & 1277.

XIV. Rodulfus de Coinci annis 1278. & 1297.

XV. Guillelmus de Chassantiart annis 1298. & 1319.

XVI. Robertus de Sancerre filius Stephani comitis de Sancerre annis 1320. & 1334.

XVII. Rainaldus annis 1335. & 1350.

XVIII. Guido des Essartaines annis 1350. & 1367.

XIX. Johannes de Meri annis 1368. & 1388.

XX. Valentinus du Pui annis 1389. & 1400.

XXI. Johannes de Chatellier aut de Chatelux, annis 1401. & 1407.

XXII. Petrus Ferrieres annis 1407. & 1414.

XXIII. Raimundus de Chatillon annis 1415. & 1424.

XXIV. Petrus Donjons annis 1425. & 1446.

XXV. Archembaldus de Brêches annis 1447. & 1450.

XXVI. Adamus le Thuillier annis 1450. & 1465. antea prior sancti Dionysii de Carcere. Resignavit, aut abdicare coactus est.

XXVII. Jacobus Foullé, de quo in prologo, possessionem iniit anno 1465. Obiit VIII. calend. Aprilis anno 1511. id est 1512.

XXVIII. Thomas Paschal præses in curia Computorum Parisiensi, primus commendatarius, sedebat anno 1512. Obiit III. idus Augusti anno 1526.

XXIX. Guillelmus Paschal fratri aut patruo successit anno 1526. Sedebat adhuc anno 1532.

XXX. Petrus Bahoult annis 1532. & 1534.

XXXI. Guillelmus du Prat episcopus Claromontanus, annis 1535. & 1560.

XXXII. Johannes de Lenoncourt annis 1561. & 1568. Idem abbas Essomorum.

XXXIII. Antonius du Prat annis 1568. & 1582. Idem abbas Boni-loci.

§ Martinus Hurpeau, Petrus de l'Epine, Johannes de Rome *seu* de Romé, & Philippus de Lenoncourt; post hos autem Eugenius de la Rue, Nicolaus de Montrevin, Petrus Gautier, & Ludovicus Alleaume, de prioratu decertant ab anno circiter 1583. ad annum circiter 1599. quo hic obiit.

XXXIV. Adrianus de l'Hopital sedebat annis 1595. & 1604. Idem abbas sancti Severini.

XXXV. Franciscus Bouvot consiliarius in Parlamento Parisiensi, cujus pater Claudius Bouvot thesaurarius Franciæ in generalitate Parisiensi sub nomine Antonii Wantin, personati prioris, omnes monasterii reditus aliquandiu percepit, prioratum obtinebat annis 1610. & 1650. quo obiit XII. calendas Octobris.

XXXVI. Henricus Bouvot monachus sancti Dionysii in Francia, præfuit ab an. 1650. Obiit pridie calendas Octobris anno 1681.

XXXVII. Ludovicus Colbert annis 1681. & 1688.

XXXVIII. Eduardus Colbert de Maulevrier annis 1688. & 1690.

XXXIX. Carolus Ludovicus Colbert de Maulevrier annis 1691. & 1722. Resignavit sequenti.

XL. Martinus Lallier monachus congregationis sancti Mauri, resignare coactus est sequenti.

XLI. Ludovicus Augustus le Tonnelier de Breteuil episcopus Redonensis, præerat an. 1723. Obiit anno 1732. mense Aprili.

XLII. Josephus de Thyard de Bissy frater cardinalis & episcopi Meldensis, præest ab anno 1732.

III. LA CELLE en Brie. * le Grand-Morin. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pagg. 115. & 116.*

CELLA, seu *Cella Brigensis.* In insula Majoris-Mucræ*, non longe a Faræ-monasterio, Blandinus, obscuris parentibus natus (quo seculo non est memoriæ proditum) sed propter morum innocentiam illustris, vitam vivebat integerrimam. Fundum hunc sibi acquisierat ex beneficentia viri cujusdam nobilis, nomine Raimerici, cujus aliquandiu paverat porcos. Ibi vero sanctus Anachoreta suis manibus & ædiculam sub invocatione sancti Petri, & cellam ædiculæ contiguam exstruxerat, ubi consummato vitæ cursu obdormivit tandem in Domino securus æternæ remunerationis, atque cœlitibus ab ecclesia Meldensi postmodum adscribendus. Ea est origo Cellensis abbatiæ, quæ undecimo vergente seculo, labante paulatim disciplina, adeo desciverat ab antiquis moribus, ut comes Domni-Martini Hugo, Ebalusque & Andreas cognati ejus, quorum juris facta erat, nihil cessaverint quin statim post Meldensem synodum anni 1082. de qua modo actum est, arrepta monachorum in melius corrigendorum opportunitate, eam Bartholomæo abbati Majoris monasterii traderent in prioratum suæ dominationis redigendam. Ab eo igitur tempore cœnobium illud pendet a Majori monasterio. Hujus dormitorium, claustrum, capitulum, refectorium, basilicam denique, id est basilicæ chorum, renovavit Gualterius prior, extinctus anno 1278. Sed anno 1633. abbas & monachi Majoris monasterii Cellam hanc crediderunt Benedictinis Anglis, ut ibi conventum suæ nationis instituerent, quæ præstatio hactenus perseverat; annis autem 1701. & 1703. tam bullis pontificiis, quam literis regis christianissimi patentibus, mensa prioralis attributa est seminario Missionum exterarum Parisiensi. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 118.*

Quinam ante annum 1082. sederint Cellæ abbates, deprehendere non potuimus. Fulcoius subdiaconus Meldensis, qui scribebat temporibus Alexandri II. & Gregorii VII. summorum pontificum, unius meminit, quem *Dudonem* appellat. Hæc sunt Fulcoii verba:

Cod. ms. eccl. Bellovac. n. 120.

Fausto Philippi Francorum tempore regis
Cujus nobilitas sedes possedit avitas,
Imperio digna specie, per idonea signa
Extitit illustris, non ut plerique . . . . .
Longe temptatus, per temptamenta probatus,
Abbas Dudo bonus, Job, Jephte, Tobique secundus;
In cujus vita, ferro limaque polita,
Corpus vas mundum, videas humana secundum.
Post tantas hyemes, gelidos post ille priores,
Ver veluti propere facit intrans cuncta virere,
Per bene res gestas velut altera canduit æstas,
Et velut autumnus solvit sua semina . . . .
Nec satis est rebus propriis sarcire diebus
Sedem mundanis; juvat hanc inducere sanis
Verbi doctrinis, &c.

Verum anno 1082. sub eodem ipso Francorum rege Philippo I. abbas Cellensis cum ignominia & dedecore, nisi forte fuerit repentina morte præventus, foras ablegatus est. Causa autem expulsionis hæc fuit ex authenticis criminationibus: *Præerat,* monachis suis, *sed non proderat; imo nec præerat, nec proderat, quia illos nec regebat, nec corrigebat, miserabiliterque seipsos,* monachi, *& res ecclesiæ quasi certatim pessundabant;* hoc demum abbate *Cella jam pridem totius religionis rectitudine destituta, & pene ad nihilum temporalis substantiæ redacta* *Hist. eccles. Meld. t. 2. instrum. 17.*

redacta erat. Hiccine est *Dudo* ille, quem Fulcoius *abbatem bonum* prædicat, *per idonea signa illustrem*, Patriarchis injuriæ aut infortunii patientibus pene consimilem, *per tentamenta longe probatum*, divini denique *verbi* præconem pariter & imitatorem studiosissimum? Non dubii dixerimus, nisi quid nos fallit, abbatem hujusmodi non alium esse ab illo priore, qui primus e Majori monasterio *post tantas hiemes, post gelidos priores* accitus, ut reformandæ Cellæ navaret operam,

Ver veluti propere fecit intrans cuncta virere,
Per bene res gestas velut altera canduit æstas,
Et velut autumnus solvit sua semina. . . . .

Dictus est autem abbas a Fulcoio sublimiori nomine, vel poëtico modo, vel quia proxime successerat abbatibus; illi vero humiliori nomine priores appellati, vel eadem poëtica licentia, vel quia monasterium Cellense abbatiæ nomine non gaudebat nisi Anglo-Saxonum more, quibus familiare fuit abbatiæ nomen insignibus quibuscunque monasteriis imponere.

IV. SAINTE CELINE. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 9. & 611.*

Sancta Celinia. Quartum hoc ordinis Benedictini monasterium, nunc monachis vacuum, originem suam duxerat ab ædicula quadam in ipso Jatini suburbio exstructa super sepulcro S. Celiniæ Meldorum patronæ. Fuit autem illa æqualis Childerici I. Francorum regis, & sanctæ Genovefæ, de cujus sanctissimis manibus, postquam castitatem perpetuam vovisset, velum virginum susceperat. Progrediente ætate additum est monasterium ecclesiæ Celinianæ, quod nono seculo plusquam sexaginta monachos sustentasse dicitur, ad eam postea redactum inopiam, ut centum circiter post annos uni vix alendo sufficeret. Miseranda monasterii conditione perculsus vicecomes Meldensis, abbatem Majoris monasterii Bernardum exoravit, ut illud administrandum, atque in antiquum splendorem, si fieri posset, restituendum susciperet. Pactum approbavit Galterus II. episcopus Meldensis anno 1196. atque ex eo tempore facta est abbatia sanctæ Celiniæ prioratus Majori monasterio subjectus. Verum anno 1658. nonis Decembris titulo prioris intacto, mensa conventualis adjuncta est prioratui beatæ Mariæ de Bono-Nuncio Aurelianensi, quem tunc temporis monachis denuo frequentare satagebat R. P. D. Benedictus Brachet congregationis sancti Mauri præpositus generalis.

Antiquorum sanctæ Celiniæ abbatum ne unius quidem nomen ad nos pervenit, nisi forte inter eos annumerandus est *S. Gerochius*, qui in veteri Eboriacensis monasterii martyrologio cum abbatis nomine locum obtinet. Eum nempe nec Resbacum, nec Faronis-monasterium, neque alia diœcesis Meldensis monasteria sibi vindicant. Præpositum fuisse illum congregationi monachorum, qui priscis temporibus Eboriacenses moniales regebant, non est verisimile, quum illæ Adoni ipsi, & fundatori & magistro suo, nomen abbatis nunquam dederint. Proxima est Faræ-monasterio villa quædam Francico idiomate nuncupata *Giremoutier:* numne fuit illa antiquitus monasterium, quod a *S. Gerochio* ejusdem loci abbate nomen sumserit? num potius, ut Plessæo magis arridet, Celiniensi abbatiæ præfuit Gerochius? Certe Dagniacensis* parochia diœcesis Meldensis, patronum habet ex omni hominum memoria, sanctum Gerochium abbatem; Dagniacenses autem domini Celinienses monachos donis quamplurimis locupletaverunt duodecimo seculo. Id forte inde factum est quod monachi illi ecclesiam parochialem Dagniaci quibusdam sancti Gerochii abbatis sui reliquiis amplificaverant.

* Dagni.

V. REEZ. *Vide infra abbat. sancti Faronis.*

Redum, cujus ignorantur abbates. Tribus leucis ab urbe Jatino, Septentrionem versus, condita fuerat abbatia Redensis sub invocatione sancti Martini, quam octavo exeunte seculo Carolus Magnus rex Francorum, adjunxit monasterio S. Faronis Meldensis. Superest illic ecclesia parochialis, cujus præsentatio pertinet ad abbatem Faronensem.

VI. SAINT RIGOMER. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 7.*

Sanctus Rigomerus, ignotis similiter abbatibus. Stetit olim extra forum Meldense, in suburbio quod * Cornilio appellatur, abbatia sancti Rigomeri, sic dicta, ut credere est, propter conditum ibi sanctum Rigomerum episcopum Meldensem. Hanc anno 1005. sanctus Gilbertus, & ille Meldensis episcopus, canonicis suis attribuit; canonici vero eamdem anno 1135. rescripserunt abbatiæ, quam tum ædificabant, beatæ Mariæ de Cavea. Postquam igitur monasterium illud regulæ Benedictinæ diu addictum est, transiit primo ad seculares clericos, deinde canonicorum regularium institutis paruit. Ibi demum superest in titulum prioratus, quem vocant simplicem, ædicula & monachis & clericis, tam secularibus quam regularibus destituta.

* Cornillon.

VII. JUILLI. *Chart. VIII. col. 553.*

Juliacum. Anno circiter 1182. Fulcaudus de sancto Dionysio *pro anima filii sui Guillelmi* ecclesiam hanc construxit sub patrocinio beatæ Mariæ virginis, non longe ab oppido Domni-Martini, tribus circiter leucis ab urbe Jatino; cui & canonicos regulares ab abbatia beatæ Mariæ de Cavea excitos addixit, & postea abbatem præficiendum curavit; ea lege *ut abbas & fratres ejusdem loci in victu & habitu, & in omni disciplinæ regularis institutione, formam & ordinem S. Victoris* Parisiensis *sequerentur; & si* quando *illa domus abbatem habere desiisset, ad ecclesiam Chagiensem, cum omnibus ad eam pertinentibus, libere & quiete reverteretur, abbatisque* Chagiensis *arbitrio, sicut ceteri prioratus* ejusdem *ecclesiæ disponeretur.* Quæ omnia calculo suo probavit anno 1184. Simon I. episcopus Meldensis. Habuit abbatia hæc splendoris parum, parum in historia nostra celebritatis; tantum prædicant ibi sepultum esse cor Henrici Albretani regis Navarræ, extincti IV. calendas Junii anno 1555. Suos vero ad abbates quod spectat, negligenter admodum priscis tabulis consignata sunt eorum nomina, ut usque ad commendatarios vix tredecim recuperari potuerint. Anno 1638. pontificio diplomate, mox anno 1639. literis Ludovici XIII. regis patentibus, non audito cardinali Rupefucaldio, qui eam congregationi canonicorum regularium Gallicanæ

Ibid. tom. 1. pagg. 163. & 164.

adscripserat, attributa est præpositis generalibus congregationis Oratorii, qui utriusque mensæ & abbatialis & conventualis inita possessione ludum ibi literarium educandæ juventutis gratia collocarunt. Series autem extincti hujus monasterii abbatum hæc est:

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 595. I. Girelmus, cujus nomen reperitur in schedis anni 1191. præfuisse videtur ab ipsis monasterii incunabulis.

II. B..... prima tantum nominis sui litera notus, sedebat anno 1202. ex tabulario cameræ Computorum Parisiensis.

III. Gilo, seu Ægidius comparet in instrumentis a mense Junio 1214. ad mensem Aprilem 1239.

IV. Gualterus nomen suum consignavit chartæ cuidam anno 1257. mense Maio.

V. Simon fatis functus anno 1272. vacante episcopali sede Meldensi.

VI. Henricus I. Post mortem Simonis petierunt Juliacenses canonici a capitulo Meldensi, ut sibi liceret alium abbatem eligere; electus est autem Henricus, qui an. 1293. vel finem vivendi fecit, vel abdicavit.

VII. Erardus de Guillers electus anno 1293. ex tabulario ecclesiæ Meldensis, fato functus anno 1298. mense Nov. Hunc prætermisit nuperus historiæ Meldensis ecclesiasticæ scriptor, vel ab Henrico I. distinguendum non esse existimavit.

* *Mess.* VIII. Gilbertus de Messiaco*, vacante iterum episcopali sede, electus est, data prius eligendi licentia a canonicis ecclesiæ Meldensis, qui electionem comprobarunt tertio nonas Decembris anno 1298. Sub hoc abbate celebratum est Juliaci capitulum generale canonicorum regularium, quo convenere abbates S. Genovefæ Parisiensis, sancti Ambrosii Bituricensis, Jardi prope Melodunum, sancti Evurtii Aurelianensis, sancti Bartholomæi Noviomensis, & sancti Vincentii Silvanectensis.

IX. Johannes I. affuit anno 1345. capitulo generali congregato in cœnobio S. Bartholomæi Noviomensis, ex tabulario ejusdem cœnobii.

X. Johannes Vacherie sedebat annis 1409. & 1411. ex variis instrumentis.

XI. Bartholomæus Corselée, cujus nomen præferunt chartæ annorum 1460. & 1475.

XII. Nicolaus de Marsailles memoratur in actis annorum 1478. & 1488.

XIII. Johannes Nervet. Fuerat ille, quod jam in ecclesia Lingonensi observavimus tom. IV. col. 787. prior S. Catharinæ de Cultura Parisiensi, regique Ludovico XI. ab eleemosynis, a confessionibus & a sanctioribus consiliis. Factus abbas Juliaci, ad episcopatum Megarensem postea convolavit. Comparet primum Juliaci in schedis anni 1492. Absumtus quarto nonas Novembris anno 1525. ibidem tumulatus est.

XIV. Nicolaus Dangu primus commendatariorum, præerat anno 1526. obiitque an. 1567. De eo fusius jam diximus in episcopis Mimatensibus, tomo primo col. 106.

XV. Reginaldus de Beaune post obitum Nicolai Dangu episcopatum Mimatensem adeptus est, & abbatiam Juliacensem; sed abbatia paulo mox cessit. De eo diximus in episcopis Mimatensibus, & archiepiscopis Bituricensibus tomo primo col. 106. & tomo secundo col. 99. rursus dicturi in archiepiscopis Senonensibus.

XVI. Antonius Martin regi ab eleemosynis, præerat anno 1569. mense Martio. Obiit Lutecia Parisiorum XVII. cal. Februarii anno 1588. & Juliacum deportatus est.

XVII. Horatius Zamet comparet in instrumento anni 1590. mense Septembri.

XVIII. Sebastianus Zamet præerat an. 1605. decennio post ad Lingonensem episcopatum provehendus. De eo diximus in episcopis Lingonensibus tomo IV. col. 638.

XIX. Franciscus de Joyeuse sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, de quo nos aliquando plura in archiepiscopis Rotomagensibus, Juliacensis monasterii possessionem iniit pridie idus Maii anno 1613. Obiit Avenione anno 1615.

XX. Henricus de Lorraine filius Caroli Gusiæ ducis, annos tres natus obtinuit in commendam anno 1616. mense Augusto abbatias Juliaci, Fiscanni, sancti Martini Pontisarensis, sancti Michaelis in Monte-Tumba, Camporum-bonorum, &c. quas omnes moriens reliquerat cardinalis de Joyeuse; sed donec tonsura clericali donaretur, earum administratio commissa est R. P. Petro de Berulle præposito generali congregationis Oratorii. Cessit abbatia Juliacensi an. 1626. mense Junio in gratiam Danielis Hotman, a quo vicissim abbatiam sancti Nicasii Remensis obtinuit.

XXI. Daniel Hotman presbyter Oratorii, deinde regi ab eleemosynis, & abbas S. Nicasii Remensis, abbatia hac derelicta transiit ad Juliacensem, cujus possessionem iniit IX. cal. Martii anno 1627. Eam demum transcripsit mense Januario anni 1629. Petro Gibier, migravitque ex hac vita apud suos Oratorianos juxta Luparam Parisiensem, cal. Septembris anno 1634.

XXII. Petrus Gibier, & ille presbyter Oratorii, possessionem adeptus est V. calendas Maii anno 1629. Cessit anno 1637. mense Martio in gratiam congregationis suæ.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ, si Cerfredum, caput ordinis sanctissimæ Trinitatis, iis annumeres, omnino novem.

Ordinis Sancti Benedicti.

Virorum.

Resbacum, *Rebais.*

Sanctus Faro, *Saint Faron;* ad cujus calcem nonnihil addemus de prioratu sancti Fiacrii.

Feminarum.

Eboriacum, *seu* Faræ-monasterium, *Faremoutier.*

Jotrum, *Jouarre.*

Ordinis Sancti Augustini.

Virorum.

Sancta Maria de Cavea, *seu* Chagia, *Chage.*

Feminarum.

S. Maria Meldensis, *seu* in foro Meldensi, *Notre-Dame.*

Ordinis Cisterciensis.

Feminarum.

Pons-Dominarum, *le Pont-aux-Dames.*

Ordinis Præmonstratensis.

Camerus-fons, *seu* Camera-fontis, *Chambre-fontaine.*

Caput Ordinis SS. Trinitatis.

Cerfredum, *seu* Cervus-frigidus, *Cerfroi.*

RESBACUM.

REBAIS.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 45.

* la Brie.

* le Grand & le Petit-Morin.

Mabill. annal. Bened. tom. 1. pag. 363. Act. SS. Bened. t. 2. pag. 322.

Resbacense monasterium, sic dictum a præterlabente *Resbaco* torrente, cui impositum est, conditum fuit in saltu Brigensi*, Majorem inter & Minorem Mucram*, ab illustri Dadone (is est sanctus Audoënus) tunc temporis Dagoberti regis referendario, postea Rotomagensi archiepiscopo. Huic loco ob *geminos*, ut videtur, *Lacus*, Majores nostri *Gemelli-Mercasii*, seu *Geminilacunaris* nomen imposuerant; *Mercasium* enim aut *Marchasium*, vernacule *Marchais*, ac *Lacum*, idem significasse antiquitus credimus. Qua de re vide Johannem de Lacu inter abbates Columbenses supra col. 1256. Dagobertus postquam Dadoni locum ipsum condendi monasterii fisco regio addictum concesserat, nascenti asceterio privilegium dedisse fertur anno quarto decimo regni sui: Audoënus vero monasterio recens extructo nomen *Jerusalem* indiderat, *sive a visis ibi, ut aiunt, & ostensis, sive a studio monachorum, qui Deo contemplando & sancto ibidem otio vacaturi erant*, certus in illa solitudine extremum ætatis consumere, *nisi regis procerumque intercessisset auctoritas;* sed *Resbaci* nomen prævaluit, duratque in hodiernum diem. Basilica hujus monasterii dedicata est anno subsequenti VIII. calendas Martii in honore S. Petri apostoli a viris sanctis Farone

Hist. eccles. Meld. t. 2. instrum. 2. Mabill. annal. Bened. tom. 1. pag. 363.

A Meldensium episcopo, & Amando, qui postea Trajectensem rexit ecclesiam.

Crescente in dies monasterii celebritate, surrexit paulatim circum mœnia fratrum oppidulum, quod adulto jam decimo sexto seculo Petrus Palmier abbas commendatarius, concedente christianissimo rege, urbis nomine ac titulo insignivit. Monasterium ipsum sæpe ferro flammisque devastatum, sive a Normannis, sive ab Anglis, sive quod minus expectandum erat ab ipso marescallo Bironio Henrici IV. polemarcho, haud ferme tot cladibus superstes, benignioris tandem fortunæ spem concepit anno 1661. quo anno congrega-B tioni sancti Mauri adjunctum est ipsis cal. Maii. Jurisdictione tamen quasi episcopali jam diu fruebatur, quando hanc pristinam dignitatem amisit XIV. calend. Februarii anno 1696. litem urgente Jacobo Benigno Bossuet episcopo Meldensi.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 342.

Ibidem pag. 405.

Ibidem pag. 455.

Vide infra n.° XVII.

Hist. eccles. Meld. supra. Ibidem pag. 543.

TABULA ABBATUM.

Acta SS. Bened. t. 2. pag. 316. & seqq.

I. Sanctus Agilus patruelis sancti Faronis, parentibus Agnohaldo Childeberti II. Austrasiorum regis *conviva & consiliario*, ac Deuteria natus *ex præclara Burgundionum orta prosapia*, Luxovii primum sub sancto Columbano abbate, cui puer oblatus fuerat, monasticen professus, virtu-C tibusque ac miraculis insignis, mox Warascorum & Bavarorum apostolus factus; deinde non solum ab eodem Luxoviensi asceterio, seu monachi hujus loci illum ut pote vere suum sibimet ipsis, ubi se daret occasio, reservare meditabantur, seu revera Waldebertus abbas de abdicando regimine cogitabat, sed etiam ab ecclesiis Vesuntionensi, Lingonensi ac Metensi, præsul efflagitatus, posthabitis omnium votis, abbatiæ Resbacensi præfectus est ab rege Dagoberto in conventu Clippiacensi, exorante B. Audoëno, ipsis cal. Maii anno ejusdem Dagoberti quarto decimo.

Ex his vero forsitan colligendum est tunc tem-D poris Vesuntionem, Lingonasque ac Metas, suo quamque urbem episcopo vacasse. Atque id quidem de Lingonensi saltem ecclesia in dubium vocari posse non existimamus; quod autem de Bertoaldo Lingonensium præsule asseruimus olim tom. IV. col. 523. ipsum sedisse & sub Clotario II. & sub Dagoberto, & sub Clodoveo II. nollemus dictum. Diploma enim quod ibi causati sumus, in quo rex Clotarius anno regni sui octavo Bertoaldum vocat *apostolicum virum dominum episcopum*, Clotarii III. esse, non Clotarii II. erat plusquam verisimile. Perardus quidem, qui diploma E illud integrum nobis exhibuit, annum Christi 627. apposuit in margine; sed annus 627. quomodo consociari possit cum anno octavo sive Clotarii II. sive Clotarii III. videant eruditi. Interea nos re maturius consulta atque explorata

Perard. Recueil. pag. 6. & 7.

animadvertimus 1.° illud ipsum diploma Clotario III. adscribi in chronico S. Benigni Divionensis, cui & nos adstipulati eramus tom. IV. col. 670. quum scriberemus de Wlfechramno Divionensi abbate. 2.° *Audebonem* illum, seu *Audebellum*, quem laudant pariter & diploma Clotarianum & chronicon Divionense sub nomine Majoris-domus Clotarii regis, eumdem ipsum esse quem idem chronicon affirmat *legatarium* fuisse *a Clodoveo II. ad Longobardorum regem.* Quæ duo satis superque probare videntur, diploma quo de agimus, Clotarii III. esse, non Clotarii II. Atque hinc sequitur 1.° Bertoaldum non sedisse episcopum Lingonensem vivente Clotario II. 2.° sedem Lingonensem vacare potuisse anno quarto decimo Dagoberti regis, quum Agilus abbas Resbacensis effectus est; 3.° Bertoaldum eamdem sedem occupasse non solum sub Clodoveo II. quandoquidem, ut suo loco annotavimus, affuit concilio Cabilonensi secundo; verum etiam sub Clotario III. & id quidem anno regni ejus octavo, nisi mendum irrepserit in apographum Perardianum.

Spicil. t. 1. pag. 391. — *Ibidem pag. 390.*

Ad Agilum ut revertamur, transiit ille ad superos propemodum septuagenarius, triennio saltem aut quadriennio ante obitum Clodovei II. nam sanctus Filibertus ejus successor aliquandiu rexit antequam temporibus ejusdem Clodovei Gemeticensem abbatiam conderet. Sepultus est autem intra septa monasterii sui in ecclesia beati Johannis Baptistæ, basilicæ sancti Petri fere contigua, quæ progressu temporis parochia facta est. Ibi cernitur adhuc sepulcrum ejus e terra prominens a parte epistolæ; sed sacræ ipsius exuviæ in majorem basilicam jam dudum translatæ sunt. Habet autem triplicem apud suos Resbacenses solennitatem; unam depositionis, tertio calendas Septembris; alteram translationis, decimo calend. Februarii; tertiam relationis, septimo idus Julii.

Acta SS. Bened. t. 2. p. 325. not.

II. Sanctus Filibertus, *Elusano territorio ortus*, patrem habuit Filibaudum Adurensem episcopum. Agili abbatis disciplinæ traditus, eidem successit triennio circiter aut quadriennio antequam Clodoveus II. e medio tolleretur; deinde ejusdem regis & Balthildis reginæ munificentia fretus relicto Resbaco Gemeticense asceterium in finibus diœcesis Rotomagensis ædificavit, quatuor aliorum postea, videlicet Heriensis, Quinciacensis, Villarensis ac Pauliacensis, monasteriorum conditor futurus. De eodem sancto abbate pluribus dicendum ubi ecclesiam Rotomagensem attigerimus.

Ibidem pag. 818.

III. Aygloaldus, cui vita beati Agili, seculo octavo, ut aiunt, scripta, nuncupata est, creditur fuisse abbas Resbacensis.

Ibidem pag. 315.

IV. Godobertus, ille ipse est qui videtur affuisse conventui Attiniacensi anno quarto decimo Pipini regis, Christi vero 765. atque in hæc verba subscripsisse, *Godobertus abbas de Rusbacis.* Suspicatus est Mabillonius noster huic Warinum proxime successisse; sed inter utrumque abbatem longius intercedit temporis spatium.

Conc. Labb. tom. 6. col. 1702. — *Annal. Bened. tom. 2. pag. 398.*

V. Warinus, primum Corbeiæ-veteris in Francia monachus, dein Corbeiæ-novæ in Saxonia abbas. Huic Ludovicus Pius imperator dedit & abbatiam Resbacensem anno Christi vel exeunte 835. vel ineunte 836.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 603.

VI. Vulfadus, primum canonicus ecclesiæ Remensis, deinde & Resbaci, & sancti Medardi apud Suessiones abbas, factus est archiepiscopus Bituricensis anno 866. Is ille videtur esse, quem anno 860. mense Junio, in basilica S. Castoris apud Confluentes testem adhibuerunt sacramenti illius solennis quo se invicem obstrinxerunt reges tres Ludovicus Germaniæ, Carolus Franciæ, Lotharius Lotharingiæ. Deinde subscripsit anno 861. concilio Pistensi, & anno 862. concilio Suessionensi; neque aliud in utraque synodo nomen sibi assumsit quam abbatis Resbacensis. Obiisse dicitur calendas Aprilis anno 876. De eo fusius egimus in archiepiscopis Bituricensibus tomo II. col. 27.

Capitul. reg. Franc. t. 2. pag. 184. — *Diplom. pag. 453. & 455.*

VII. Anschericus I. episcopus Parisiensis, abbatiam Resbacensem in beneficium possidebat, quum obtinuit anno 907. a Carolo Simplici Francorum rege, ut abbatia illa juris fieret ecclesiæ Parisiensis, & successorum suorum, quicunque hanc episcopalem sedem in posterum occuparent. Quæ ordinatio vel nihil habuit auctoritatis, vel parumper viguit.

Instrum. eccl. Paris. t. VII. col. 16.

VIII. Ragenardus. Sedebat ille sub Roberto Francorum rege anno 1000. aut 1001. ex historia miraculorum sancti Agili.

Acta SS. Bened. t. 2. pag. 326.

IX. Solio, ex eadem historia proxime videtur successisse Ragenardo. Obiit ex necrologio monasterii XVI. calendas Augusti.

X. Robertus, ex eadem historia proxime videtur successisse Solioni. De eo jam egimus suo loco in episcopis Meldensibus.

XI. Philippus I. ex eadem historia videtur excepisse Robertum. Præfuisse autem videtur Plesæo post Mabillonium temporibus Philippi I. Francorum regis, & Balduini vel V. vel VI. Flandrensium comitis. Sed acta, sive miracula S. Agili, quibus uterque opinionem suam tuetur, vel non intelligenda sunt de tempore quo sedit Philippus abbas, vel intelligenda sunt de Balduino VII. quem scriptor miraculorum comitem Flandriæ appellavit, non quod Flandriam rexerit tempore Philippi I. Francorum regis; sed quod revera extincto patre suo Roberto Jerosolymitano comitatum Flandriæ adeptus sit. Quod si alio modo componantur tempora, post Philippum abbatem qui Robertum excepit successorem Solionis, admittendus est Robertus alter, quod & ipse Mabillonius fassus est, & post Robertum alterum Philippus rursus alter; nam ex historia abbatiæ Altivillarensis, quam brevi, Deo dante, daturi sumus, constat Philippum sedisse Resbaci anno 1095. Unus igitur undecimo seculo agnoscendus est Robertus Resbacensis abbas; unus item Philippus. Hujus meminit necrologium ad XVII. calendas Junii.

XII. Galerannus. Hunc testem adhibuit Adela II. Campaniæ comitissa, beneficii cujusdam quod ipsa dederat monachis sanctæ Celiniæ sub Manasse I. episcopo Meldensi, anno quamprimum 1105. exeunte.

Annal. Bened. tom. 5. pag. 186.

XIII. Garnerius, cujus nomen reperitur in actis quibusdam annorum 1127. & 1133. scripsisse dicitur stricta oratione de sancto Vincentio martyre, quod opusculum asservatur in manuscripto codice Gemblacensi ex Mabillonio, Act. SS. Bened. tom. 6. pag. 644. Obiit ex necrologio VII. idus Decembris.

XIV. Natalis. Ille & in ecclesia & in imperio locum insignem obtinuit. Præerat abbatiæ Resbacensi temporibus Burchardi ac Manassis II. episcoporum Meldensium, ac proinde anno 1133. magnum autem Franciæ cancellarium gerebat an. 1140. Sub illius principatu Cluniacenses, Rotomagensesque sancti Audoëni monachi, aliique numero quamplurimi consortium precum iniere cum Resbacensibus. Abbatiæ suæ nuncium remisit ante annum 1145. ut Cluniacum secederet, obiitque ex necrologio tertio nonas Decembris. *Hist. ecclesf. Meld. t. 1. pag. 196.*

XV. Bricius, ex historia miraculorum sancti Agili præerat anno 1145. Sedebat adhuc anno 1161. quum Henricus Campaniæ comes in compensationem quarumdam reliquiarum, quas a Resbacensibus acceperat, auxit eos nonnullis prædiis. An. 1164. sacramento, cum exceptione tamen, se suumque monasterium obligavit Stephano Meldensi episcopo. Comparere dicitur in actis ad annum usque 1173. Obiit ex necrologio quinto idus Martii. *Acta SS. Bened. t. 2. pag. 332. Hist. ecclesf. Meld. t. 1. pag. 604. & tom. 2. instr. 103.*

XVI. Petrus I. ex instrumento monasterii beatæ Mariæ de Cavea præerat anno 1177. cui instrumento subscripsere Lucas præpositus, Albericus thesaurarius, Joscelinus cellerarius. Hic autem ille videtur esse qui proxime Petrum excepit Resbaci, nisi forte Lucas medius inter utrumque sedem abbatialem tenuerit. Certe in necrologio Resbacensi ad diem VII. calend. Februarii Lucas memoratur abbas, nulla monasterii addita significatione; sed in alio veteri necrologio, de quo infra n.° XLII. dicitur abbas Resbacensis. Petrus ex iisdem necrologiis fato functus est IX. calendas Martii.

XVII. Joscelinus, ex instrumento monasterii sancti Dionysii in Francia sedebat anno 1188. & rursus comparet in actis usque ad annum 1200. Abdicavit anno 1205. litium pertæsus quæ recrudescebant in dies monasterium suum inter & episcopum Meldensem jurisdictionis ergo. Per id temporis autem factus est episcopus incertæ sedis, ex bulla Innocentii III. papæ, cujus hæc sunt verba: *Renunciante vero postmodum episcopo J . . . .* (id est Joscelino) *regimini abbatiæ*, &c. nisi eo loci amanuensis episcopum pro abbate scripserit imprudens; nam in necrologio, ubi ejus obitus affigitur XIII. calendas Novembris, nulla episcopatus mentio. *Hist. ecclesf. Meld. t. 2. instr. 212.*

XVIII. G . . . . aut R . . . . Hæremus in assignanda nominis hujus abbatis priore litera. Dubium non est ex bulla Innocentii III. quam modo allegavimus, quin G . . . . post abdicationem Joscelini electus fuerit, eodem anno, die Dominica, quæ vigilia erat Assumtionis B. Mariæ benedicendus. Præterea memoriæ proditum est ipsum die constituto, propterea quod obedientiam episcopo Meldensi promissurum se negabat, absque benedictione cum multorum offensione ab ecclesia recessisse. At contra Plessæus noster deprehendisse se ait abbatem R . . . . in charta quadam anni 1206. eumque suspicatur esse vel Reginaldum, vel Rogerium, de quibus infra. Nunquid abbas G . . . . dejectus, depulsusque, abbati R . . . . loco cessit? nunquid in apographo illo quod Plessæus habuit præ oculis (ab ipso enim comperimus se authenticum instrumenti hujus exemplar non vidisse) litera *R* literæ *G*. jure an injuria surpuit locum? Quidquid id est, constat R . . . . sedisse anno 1212. quando *de assensu partium* jurisdictionem quasi episcopalem acquisivit monasterio suo. *Ibidem.* *Hist. ecclesf. Meld. t. 2. instr. 228.*

XIX. Johannes I. sedebat mense Maio anni 1216. ex chartulario Campaniæ. Sociale fœdus pepigit cum monachis sancti Audoëni Rotomagensis XI. calendas Novembris anno 1222. *Neustria pia, pag. 55.*

XX. Johannes II. benedictus est ab episcopo Trecensi anno 1223. vacante tunc post obitum Amalrici episcopali cathedra Meldensi. Meminit necrologium Resbacense trium abbatum hujusce monasterii, quibus nomen fuit Johannes, exceptis Johanne Courtois, & Johanne Cleret, de quibus infra: unius X. calendas Augusti, alterius V. idus Augusti, tertii denique III. idus Novembris; sed in sua cuique assignanda hac chronologica nota nihil videmus. *Hist. ecclesf. Meld. t. 1. pag. 604. & seqq.*

XXI. Gualterus, *seu* Gualcherus I. electus III. non. Augusti anno 1226. impetrata prius a principe eligendi licentia, præsentatur capitulo Meldensi confirmandus. Reperitur in variis actis usque ad annum 1239. Obiit eodem anno ex thesauro chartarum regiarum, IX. cal. Maii ex necrologio.

XXII. Laurentius I. paucis diebus interpositis electus est, licentia eligendi prius petita a comite Campaniæ, ex thesauro chartarum regiarum; transcripsit autem eidem comiti mense Julio ejusdem anni *usuagium* quod habebant Resbacenses monachi *in foresta de Maant*, ex chartulario Campaniæ. Duo sunt hujus nominis abbates Resbaci, quorum alteruter obiit ex necrol. VII. idus Martii.

XXIII. Gualcherus, *seu* Gualterus II. comparet in schedis anni 1246. Nuncium remisit abbatiæ anno 1259.

XXIV. Anschericus II. Post cessionem Gualcheri rogavere monachi Resbacenses comitem Campaniæ, ut sibi liceret alium abbatem eligere; dein Anschericus sublectus est eodem an. 1259. ante Pascha. Comparet nomen ejus in pluribus actis ad annum usque 1269. quo anno mortuus est ex chartulario Campaniæ, X. cal. Septembris ex necrologio.

XXV. Laurentius II. electus est eodem anno post licentiam eligendi petitam V. cal. Septemb. ab Eustachio de Conflans Campaniæ constabulario, ex chartulario Campaniæ; societatem vero iniit mense Martio 1280. id est 1281. cum Stephano abbate sancti Petri Melodunensis.

XXVI. Simon nomen suum consignavit variis instrumentis a mense Maio 1299. ad finem mensis Januarii 1299. id est 1300. Obiit ex necrologio calend. Martii.

XXVII. Philippus II. reperitur in actis pluribus ab anno 1305. ad annum 1309.

XXVIII. Guillelmus interfuit anno 1357. electioni Margaretæ de Saint-Martin abbatissæ Jotrensis.

XXIX. Hugo de Maignac. Guillelmum inter & Hugonem vacuum intercedit longiusculi temporis spatium. Hugo sedebat abbas annis 1390. 1394. & 1409. Ad episcopatum sancti Flori evectus est anno 1396. deinde ad episcopatum Lemovicensem. Videtur is esse, cujus obitum necrologium Resbacense consignat XIII. calend. Decembris. De eo jam egimus tomo secundo coll. 426. & 534.

XXX. Johannes III. Rursus Hugonem inter & Johannem III. lacuna interjacet quam explere non potuimus. Restant quædam acta Johannis abbatis Resbacensis, quæ indiscriminatim vel ad unicum, vel ad plures ejusdem nominis deferri possunt: alterum Johannis, qui sedebat an. 1462. alterum Johannis, qui reliquias sancti Blandini anachoretæ transtulit in decentiorem capsam III. calendas Julii anno 1473. apud Cellenses monachos; item alia annorum 1474. 1476. & 1477.

Hist. eccles. Meld. t. 2. pag. 605. & seqq.

XXXI. Johannes IV. Courtois nomen suum apposuit instrumento cuidam VII. idus Oct. anno 1477. Obiit ex necrologiis Resbacensi & Jotrensi XV. calendas Octobris.

XXXII. Johannes V. Cleret ultimus regularium, sedebat ex tabulario monasterii anno 1499. Obiit ex necrologio IX. cal. Sept. anno 1516.

§ Antequam ulterius progrediamur, operæ pretium est attendere, nos in hacce tabula quosdam abbates prætermisisse, quorum nomina quidem novimus, ætatem vero certam definire non potuimus. Quibus tamen diebus excesserint ex hac vita non erit abs re hic transcribere ex necrologio monasterii.

XXXIII. Engelbaldus, XV. calendas Maii.

XXXIV. Iterius, XI. calendas Maii.

XXXV. Odo, IV. calendas Maii. (Sedebat ille ante annum 1278. ut ostendemus in Johanne de Herbitia abbate sancti Memmii Catalaunensis.)

XXXVI. Reginaldus, XVII. calendas Julii.

XXXVII. Arnulfus, V. calendas Julii.

XXXVIII. Anselmus, idibus Augusti.

XXXIX. Rogerius, VI. calendas Octobris.

XL. Nicolaus, XIX. calendas Januarii.

Addendi sunt ex necrologio quodam veteri abbatiæ Uticensis, cujus apographum legerat noster Claudius Etiennot inter mss. codices monasterii Tironiensis.

XLI. Lucas, VII. calendas Februarii.

XLII. Josceramnus, XV. calendas Aprilis.

De Engelbaldo & Arnulfo dicemus iterum in abbatibus monasterii sancti Faronis. Quod si ad fidem manuscriptorum quorumdam indicum texenda fuisset hæc nostra tabula, nil dubii est quin prodiisset auctior multo, & ore tenus locupletior. Enim vero qui indices illos conscripsere, quidquid reperire potuerunt abbatum in necrologio Resbacensi, eos omnes rati ad Resbacum pertinere, transferre huc non hæsitaverunt. Qua in re eos ex toto peccasse non existimamus quidem, sed peccasse tamen ex aliqua parte vehementer suspicamur. Recensentur sane in illo necrologio, quemadmodum in aliis id genus monumentis, diversorum monasteriorum abbates. Qui Resbaci sederunt, hac & illa formula plerosque dignoscas, *Depositio*, aut *Pater monachorum;* ceteros omnes partim Resbaco asserendos, partim ad alia monasteria traducendos non dubitamus. Necrologium illud paulo mutilum publici juris fecit nuperus historiæ Meldensis ecclesiasticæ scriptor, tomo II. ad calcem instrumentorum. Nos vero, ne quid huic nomenclaturæ deesset, abbates illos permistim, ne uno quidem excepto, describi curavimus, dum alii ab aliis quacunque alia via secerni possint.

Radulfus, XVI. calendas Februarii.
Robertus, X. calendas Februarii.
Lucas, VII. calendas Februarii.
Injorannus, III. nonas Februarii.
Gaufridus, pridie nonas Februarii.
Petrus, IX. calendas Martii.
Nicolaus, IV. calendas Martii.
Hugo, VIII. idus Martii.
Richardus, IV. idus Martii.
Philippus, XIII. calendas Aprilis.
Guillelmus, IX. calendas Aprilis.
Gaufridus, VI. calendas Maii.
Ricardus, VII. idus Maii.
Herbertus, V. calendas Junii.
Hugo, V. idus Augusti.
Johannes, eodem die.
Rogerius, XIV. calendas Septembris.
Guido, VI. calendas Septembris.
Hugo, IV. nonas Septembris.
Nicolaus, XIII. calendas Octobris.
Gaufridus, VIII. calendas Octobris.
Robertus, VII. calendas Octobris.
Rogerius, VI. calendas Octobris.
Johannes, V. calendas Octobris.
Nicolaus, pridie calendas Octobris.
Richardus, nonis Octobris.
Reginaldus, IV. idus Octobris.
Garnerius, eodem die.
Odo, nonis Novembris.
Guillelmus, eodem die.
Johannes, III. idus Novembris.
Gauterius, *seu* Garnerius, VII. idus Novembr.
Hugo, XIII. calendas Decembris.
Nicolaus, XIX. calendas Januarii.
Robertus, IX. calendas Januarii.

Jam pergimus ad eos, qui post concordata Resbacum obtinuerunt in commendam.

XLIII. Adrianus de Boissi. Hic purpura donatus, & episcopatu Constantiensi apud Normannos, Resbacensem insuper abbatiam possidebat anno 1517.

XLIV. Ludovicus Robertet regi a consiliis & eleemosynis, competitorem habebat anno 1518. Petrum Claudium Baret monachum, cui demum, ut conticesceret, officium claustrale thesaurariæ objecit anno 1521.

XLV. Petrus II. Palmier primùm canonicus

Sacræ capellæ Parisiensis, dein abbas S. Maximini Miciacensis, & archiepiscopus Viennensis, Ludovico Robertet successit anno circiter 1525. absque ulla reclamatione. Transtulit VI. idus Sept. anno 1530. corpus sancti Autharii ex Ussiaco* villa in monasterium suum Resbacense. Obiit VI. idus Augusti anno 1555. in ipsa urbe Resbaco; hanc enim diximus urbis nomine ac titulo, eodem præsule procurante, fuisse decoratam. Corpus ejus in infima parte basilicæ abbatialis tumulatum est ad januam claustri sub conditorio lapideo figuris variis distincto, quod stetit integrum usque ad annum 1592. quo anno basilicam illam concremavit marescallus Bironius.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 34. — * Ussi. — Ibidem pag. 342.

XLVI. Filibertus II. Babou de la Bourdaisiere cardinalis, & episcopus primùm Engolismensis, deinde Autissiodorensis, præter Resbacum, cui præerat circiter annum 1555. obtinuit & abbatiam sancti Johannis Reomaensis. Resbacensem commutavit anno 1563. cum episcopatu Autissiodorensi. De eo jam diximus in episcopis Engolismensibus tomo II. col. 1020.

XLVII. Philippus III. de Lenoncourt, item cardinalis, episcopatum Autissiodorensem permutavit anno 1563. cum abbatia Resbacensi. Rapuit ille aurum omne, argentumque & lapillos, quibus circumvestitæ erant lipsanothecæ omnes ecclesiæ suæ Resbacensis, quo magnificentiore apparatu Romam pergeret pileum recepturus. Demortui anno 1592. seu, ut aliis placet, anno 1591. cor delatum est Resbacum, ubi a canibus, nescio quo casu, miserabiliter devoratum est. Sed jam ab anno 1583. transtulerat abbatiam fratris sui filio.

Ibidem pag. 404.

XLVIII. Philippus IV. de Lenoncourt propter assiduam temulentiam cognominatus ebriosus, patruum excepit anno 1583. Et ipse fratris sui filio transcripsit abbatiam anno 1622. Ad extremum turpissima morte extinctus anno 1628. defossus est in ædicula beatæ Mariæ virginis, quam anno 1724. demoliti sunt monachi.

XLIX. Philippus V. de Lenoncourt patruo successit anno 1622. Abbatis ille nomen indignatus Marchionem se ipse vocitabat, & ab aliis vocitari gestiebat. Quin & monachos funditus tollere paratus, Resbacum ad ducatus titulum, se ipsum ad duces evehere ambiebat, honoris appetentissimus, quum fratris sui, qui multum ad hanc rem assequendam poterat, audita morte, se vana & inani fugacis dignitatis cogitatione deceptum esse intellexit. Suum & ipse diem obiit VIII. cal. Aprilis anno 1661. monasterii sui reformationi, cui semper obstiterat, iniquissimus.

Ibidem pag. 455.

L. Henricus Carolus de Foix filius Johannis Baptistæ de Foix comitis de Fleix, proregis Matisconensis, & Mariæ Claræ de Beaufremont marchionissæ de Senecei, abbas sancti Petri Catalaunensis, Resbacensis abbatiæ possessionem iniit IV. nonas Aprilis anno 1662. Fato cessit Luteciæ Parisiorum anno 1671. mense Maio, ætatis suæ 24.

LI. Franciscus Caillebot de la Salle possessionem Resbaci adeptus VII. idus Februarii anno 1672. obtinuit postea episcopatum Tornacensem, & abbatiam sancti Petri de Cultura apud Cenomanos. Obiit Resbaci anno 1736. mense Decembri exeunte, & in ecclesia abbatiali sepultus est. De eo jam egimus in ecclesia Tornacensi.

Gall. Christ. tom. 3. col. 246.

LII. Henricus Maria Bernardinus de Rosset de Ceilhes de Fleuri, dimissa S. Georgii diœcesis Rotomagensis abbatia, possessionem iniit Resbacensis IV. idus Junii anno 1738.

SANCTUS FARO.

S. Faron.

Quod nunc dicitur *sancti Faronis* monasterium, *sanctæ Crucis & sancti Faronis* aliquando dictum, unicum nomen *sanctæ Crucis* diutius ab incunabulis obtinuit. Fundata est abbatia hæc a B. Farone Meldorum episcopo extra pomœrium urbis episcopalis ab Orientis partibus, quanquam in præsenti ob varias urbis vel accretiones vel imminutiones vergit ad Septentrionem; ibi vero sanctissimus præsul post mortem sepultus est, cujus denique progressu temporis abolita sensim Crucis appellatione nomen retinuit. Visitur etiamnunc pone majus altare loculus lapideus, in quo venerandæ ejus exuviæ per sexcentos fere annos fuerunt reconditæ; nunc asservantur in theca summo altari imposita, demto capite, quod repositum est in sacrario.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 33.

Eductam fuisse anno 763. ex hoc asceterio monachorum Prumiensium coloniam innuunt verba diplomatis Pipini regis, cognomento Brevis, pro constructione monasterii Prumiensis. Certe eo tempore regularis disciplina in Faronis-monasterio apprime florebat, ut ex historia conversionis Otgerii famosi ducis, manifestum est. Otgerius ille fuit ævo Caroli Magni *vir generosa nobilitate clarissimus, & adeo strenuus in præliis, ut* ob egregia bellica facta *solus inter præliatores, ab ipsis etiam præliatoribus, præliator & pugnator fortis appellaretur.* Is perspecta secularis gloriæ & opulentiæ vanitate, de relinquendo seculo serio cogitavit, ac peregrini habitu suscepto varia perlustravit monasteria, perspecturus in quonam regularis disciplina accuratius servaretur; tum religione monachorum S. Faronis baculo globulis tinnientibus instructo explorata, illic monachum induit, adducto secum Benedicto, quem in multis præliis commilitonem habuerat. Abbatias duas ex dono Caroli Magni suis Faronianis attribuit Otgerius, alteram Redensem*, tribus leucis ab urbe Jatino distantem, nunc redactam in vicum, cujus ecclesia ab abbate Faroniano hactenus pendet; alteram in suburbio Vercellensi, quæ tandiu pertinuit ad fratres sancti Faronis, dum reges Francorum Italia potiti sunt. Amborum heroum tumulus in æde sancti Faronis hodieque cernitur nonnihil a Calvinistis deformatus. Magni sane faciendum hoc mausoleum, quo nullum nobilius ex reliquis illorum temporum monumentis superesse quivis facile concedet.

Ibid. p 73. — Act. SS. Bened. sæc. 4 part. 1. pag. 662. — * Rees.

Alix, *seu* Adela, uxor Theobaldi III. Campaniæ comitis, quæ prioratum sancti Fiacrii *de Gagni* fundaverat in diœcesi Parisiensi, ab asceterio Faroniano pendentem, sepulcrum similiter nacta est in hac basilica, legiturque adhuc ipsius

tumulo superadditum carmen :

Ales Campaniæ tumulor quondam comitissa
Hic; pars in requie michi sit sanctis repromissa.
Gaingni *cum multis, hoc si cognoscere vultis,*
Donavi donis amore Deique Faronis.
Orate pro me.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 709. & seqq. Hanc neptem fuisse Radulfi II. Veromanduorum comitis, pluribus probare adnititur nuperus historiæ Meldensis ecclesiasticæ scriptor.

Ibidem pag. 358. Anno 1562. mense Junio ingens illata est huic monasterio vastitas a sævientibus Calvinistis. Hi furentes audacia, scelus anhelantes, illuc armati convolant, aras destruunt, sanctorum statuas deturbant, sacros fontes, craterem lustralem, organum, & quid non demoliuntur & comminuunt; lipsanothecas gemmis & auro spoliant, reliquiis in pavimentum projectis; asportant sacram omnem supellectilem; chori, bibliothecæque libros dilacerant; tabulario effracto, chartarum ingentem vim flammis voracibus tradunt; sacra quæque & profana fœde violant, corrumpunt, dissipant sacrilegi prædones.

Post hanc tam acerbam luctuosamque depopulationem, disciplina regularis, quæ jam antea multum inclinata erat, pessum ire in dies, pars *Ibidem pag. 423.* maxima monachorum turpi languere veterno, variis contaminari vitiis, sui Deique immemores. Ægrotis ac pene desperatis animis præsentaneum remedium adhibere deliberavit rogatus a saniore parte fratrum optimus æque ac illustrissimus medicus Johannes de Vieupont episcopus Meldensis. Eo igitur procurante reformationis fundamenta jacta sunt anno 1615. quod opus arduum medias inter altercationes consurgens, eodem protegente præsule, feliciter consummarunt patres congregationis sancti Mauri. Hi non solum monasticam disciplinam restituerunt, verum etiam ædificia collabentia excitarunt denuo, sana & integra adornarunt; sacrarium vestibus sacris, omnimodaque supellectile pretiosa, bibliothecam selectis libris ad copiam instruxerunt; uno verbo splendorem novum & incrementum per eos monasterium accepit, accipitque in dies. Sed quonam anno fundatum est, pene obliti eramus inquirere.

Hildegarius, qui vitam sancti fundatoris scripsit, *Acta SS. Bened. t. 2. pag. 613.* meminit privilegii cujusdam a Clotario II. ut ipse narrat, dati in gratiam nascentis asceterii, unde necessario fiat conditum illud fuisse ante annum Christi 628. Contra Cointius Annal. tom. 3. pag. 261. ædificatum fuisse arbitratur anno 642. Sed utrumque a vero aberrasse con- *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 655. & seqq.* tendit nec sine causa Plessæus noster. In synodis Meldensibus, inquit, Resbacenses præcessere semper Faronianos, atque etiamnunc præcedunt; Resbacenses igitur antiquiores sunt Faronianis: atqui Resbacum natales suos non vidit nisi anno circiter quarto decimo Dagoberti regis: Faronianum igitur monasterium fundari non potuit sub Clotario II. ante annum 628. atque hæc contra Hildegarium.

Ad Cointium quod attinet, divinare voluit ille, conjector temporum potius quam fidus interpres; neque ulla auctoritate conjecturam suam fulcire potuit præter bullam quamdam Johannis IV. summi pontificis, quam Faronenses monachi tanquam jurium suorum patronam ac vindicem diu ostentaverunt. Sedebat certe Johannes IV. anno 642. At bullam illam Faronensem, quæ nomen ejus sibi ascivit, commentitiam esse in confesso est apud omnes.

Neque tamen illam omnino reprobandam censet Plessæus. Imo annum ab *Incarnatione Domini* DCLX. qui inibi annotatur, ætatem veram Faroniani asceterii exhibere non dubitat. Fabrefactum est, inquit, diploma illud currente undecimo seculo; quod si vis decimo, vel etiam nono, minime contradicet; illud enim quo finges antiquius, eo certius evincere posse sibi videbitur eam fuisse temporum illorum traditionem, a qua deflectere ne falsi insimularetur vel ipse falsarius non ausus est, fundatum fuisse Faronis-monasterium anno Christi 660. Addit ille, quod aliquam habet verisimilitudinem, sanctum præsulem, quum de condendo cœnobio illo cogitaret, sepulturæ suæ, quam ibi collocandam statuerat, providisse; quæ sane prospicientia cadere debuit in virum ætatis legitimæ minus, quam in hominem jam ætate provectum: observavimus autem transiisse illum ad superos sub rege Childerico II. Præterea suspicatus est eruditus Mabillonius privilegium *Annal. Bened. tom. 1. pag. 343.* Clotarianum, cujus meminit Hildegarius, ad Clotarium III. referri debere, & vero privilegium datum esse surgenti monasterio perquam credibile est: affirmant autem datum esse a rege, cui nomen erat Clotario; Clotarius ille non potest esse hujus nominis secundus; restat igitur ut sit ejusdem nominis tertius; atque hinc sequitur Faronis-monasterii natales, siquidem primordia Clotarii III. contingere debent, in annum circiter 660. esse rejiciendos. Quod si quis papa, Johannes nomine monasterium illud, aliquanto post pontificio quodam diplomate donaverit, erit ille, opinamur, Johannes V. quem electum esse novimus anno 686. anno autem 687. defunctum.

Primigenios monasterii sui incolas e Luxovio, forte etiam e Resbaco, aut ex utroque simul, accersisse videtur sanctus Faro. Qui autem priscis temporibus ibi sederint abbates, eorum nomina si minus obliterata sunt ex hominum memoria, eosdem ex ordine collocare difficile est. Vulgatam illorum tabulam mox exhibebimus ex archivo potissimum Faroniano; quo tamen quisque tempore vixerit, saltem usque ad seculum duodecimum, si pauculos excipias, definire non ausi.

Abbatum Nomenclatura.

Ab iis initium facimus quorum ordo incertus. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 582.*

I. Helias obiit ex necrologio monasterii nonis Martii.

II. Fredegisilus obiit ex necrologio XVII. calendas Aprilis.

III. Odo obiit ex necrologio pridie id. April.

IV. Ingelbaudus. Tenuit ille Faronensem abbatiam & Resbacensem. Obiit autem ex utriusque monasterii necrologiis XV. calendas Maii.

V. Milo

V. Milo I. obiit ex necrologio XI. calendas Augusti.

VI. Adam I. Obiit Adam ex necrologio XII. calendas Junii, sed præter Adamum III. de quo infra, tres alii fuere ejusdem nominis abbates Faroniani.

VII. Grimoaldus obiit ex necrologio XIII. calendas Julii.

VIII. Rainerius obiit ex necrologio VIII. calendas Augusti.

IX. Arnulfus. Fuit hic, quemadmodum Ingelbaudus, Faronensis abbas simul & Resbacensis. Sed aiunt memoriam ejus in odium venisse omnium, quod & ceteras Faronis-monasterii opes, & præcipue tabulam altaris auream luxuriosus hauserit, absumseritque; ipsum tandem in vindictam violati sanctuarii evomuisse animam ardenti febre percussum divinitus ab ultore Farone præsule. Obiit ex necrologio ejusdem monasterii IV. calendas Julii; ex necrologio autem Resbacensi V. calendas ejusdem mensis.

X. Hugo obiit ex necrologio XI. calendas Septembris.

XI. Gedeon obiit ex necrologio IV. calend. Septembris. De eo forte recurret sermo, ubi agemus de sancto Nivardo archiepiscopo Remensi.

XII. Marcharius, *seu* Marchardius, *seu* Achardius, *seu* denique Adachardius. Sic habent mss. indices, atque ex his quatuor duos tantum conficiunt, quorum una meminit necrologium ad diem XV. calendas Octobris. Nam qui huic scriptioni operam dedit, nescius plerumque dierum quibus obierint abbates, binos aliquando in unum locum conjecit. Atque id quidem exsequutus est in Odilone & Guillelmo, quos etiam simul junxit cal. Januarii; in Landerico & Arnulfo, IV. cal. Julii; in Fromundo & Sigefrido, IV. cal. Octob. in Fulcardo denique & Johanne I. tertio idus Novembris. Ad Marcharium *seu* Marchardium, & Achardium *seu* Adachardium quod spectat, nos in illis quatuor nominibus, nedum duos cogitemus, unicum videmus abbatem. Suspicatus est Plessæus illum non esse alium a *Macario*, cujus meminit necrologium Faræmonasterii idib. Mart. Quid si *Macarius* huc advectus esset pro *Marquardo* a feminis Francis linguæ trans-rhenanæ ignaris?

XIII. Sigefridus.

XIV. Johannes I.

XV. Fulcardus. De his tribus modo agebamus; sed rursus de Johanne vide inf. n.° XXII.

XVI. Gratianus obiit ex necrologio XVI. cal. Decembris.

XVII. Augustus, *seu* Augustinus, obiit ex necrologio XIII. calendas Decembris.

XVIII. Landericus. De eo jam diximus n.° XII.

XIX. Lescelinus obiit ex necrologio VI. idus Januarii.

XX. Johannes II.

XXI. Walterius.

XXII. Johannes III. Botet. Obiit Walterius ex necrologio pridie calend. Martii. Sed uterque Johannes quo die obierint incertum: an VIII. calendas Martii, an XV. calendas Aprilis, an denique III. idus Novembris? tribus enim his diebus indiscriminatim assignatur in necrolog. obitus trium priorum hujus nominis abbatum.

Nunc sequuntur ii quorum ætas certior.

XXIII. Adalgarius in concilio Parisiensi anni 847. subscripsit privilegio Corbeiensi. *Conc. Labbe, tom. 7. pag. 1852.*

XXIV. Gautselmus subscripsit concilio Suessionensi anno 862. *Ibid. tom. 8. pag. 758. & Diplomat. pag. 455.*

XXV. Maiolus videtur esse abbas Cluniacensis ejusdem nominis, qui decimo seculo Faronis-monasterium regendum susceperit, ut in eo monasticam disciplinam restitueret. In actis sancti Hildeverti episcopi Meldensis, & in antiquo parthenonis Eboriacensis codice, dicitur Maiolus quidam abbas S. Faronis corpus sanctæ Faræ abbatissæ e tumulo extulisse quadraginta annis postquam obdormiisset in Domino, & sancti Hildeverti translationi aliquanto post ejus mortem operam dedisse. Unde colligit Plessæus Maiolum hunc alium esse ab abbate Cluniacensi, & sub finem septimi seculi vixisse. Ægre tamen, si advertas monasterium Faronianum abbatibus tam Cluniaci quam sancti Benigni Divionensis paruisse aliquandiu, in Maiolo Faronensi Maiolum Cluniacensem non agnoscas. Sed nil vetat quominus exeunte seculo septimo abbas Faronianus ignoti nominis utramque translationem & sancti Hildeverti & sanctæ Faræ procuraverit. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 643. & seqq.*

XXVI. Odilo. Et illum existimamus esse sanctum Odilonem, qui sancto Maiolo successit in abbatia Cluniacensi. Certe in necrologio Faroniano Odilonis abbatis obitus illigatur calend. Januarii, quo die sanctus abbas Cluniacensis e vivis excessit. Vide tom. IV. col. 1129.

XXVII. Guillelmus. Non dubitamus hunc esse B. Guillelmum abbatem sancti Benigni Divionensis, quem disciplinæ monasticæ in plerisque monasteriis labefactatæ insignem restauratorem sensit Gallia & venerata est; siquidem legitur in ejus vita, Odonem Campaniæ comitem monachos *sancti Faronis in urbe Meldorum* eidem *commisisse* in melius corrigendos. Vide tomum IV. col. 676. *Acta SS. Bened. secul. 6 part. 1. pag. 342.*

XXVIII. Galfridus, *seu* Gaufridus. Hujus hortatu carmen de vita sancti Faronis composuit Fulcoius subdiaconus Meldensis, qui Alexandri II. & Gregorii VII. pontificatu scribebat. Idem abbas Bibliothecæ, sane pertenuis, libros recensuit sub hoc titulo: *Breviarium librorum quos invenit abbas Galfridus in cœnobio sanctæ Crucis, seu S. Faronis.* *Cod. ms. eccl. Bellovac. num. 120.*

XXIX. Fulcoüdus præerat anno circiter 1070. Doctissimus Mabillonius, qui eum præponit Galfrido in Actis Sanctorum ordinis sancti Benedicti, postponit tamen in Annalibus ejusdem ordinis. Obiit ex necrologio XVI. calendas Februarii, ubi nominatur Fulconius: at in uno ex instrumentis nostris, quod nonnihil conferre videtur ad explanandam comitum Campaniæ genealogiam, dicitur Fulcoüdus. *Acta SS. Bened. t. 2. pag. 607. Annal. Bened. tom. 4. pag. 624. Chart. II. col. 548.*

XXX. Ursus. Hunc testem adhibuit Adela Campaniæ comitissa beneficii cujusdam quod ipsa *Annal. Bened. tom. 5. pag. 186.*

dederat monachis sanctæ Celiniæ sub Manasse I. episcopo Meldensi, anno quamprimum 1105. exeunte.

XXXI. Fromundus. Hunc testem adhibuit Gerardus Engolismensis episcopus sententiæ cujusdam latæ anno 1127. in gratiam monachorum S. Leonardi Veteris-Belismi, ex tabulario Majoris-monasterii. Obiit ex necrologio Faroniano IV. calendas Octobris.

XXXII. Andreas. Præerat ille anno 1138. ex tabulario monasterii; anno autem 1140. corpus sancti Faronis extulit e loculo lapideo, transtulitque in capsam argenteam. Obiit ex necrologio tertio nonas Aprilis.

Hist. ecclef. Meld. t. 1. pag. 61.

XXXIII. Lambertus ex priore factus abbas, præerat anno 1152. ex tabulario monasterii Latiniacensis, adhuc in vivis anno 1178. ex schedis Faronianis. Obiit ex necrologio IX. cal. Martii.

Diplomat. pag. 585.

XXXIV. Johannes IV. Hazard regimen obtinebat annis 1184. & 1189. ex tabulario monasterii. Is propter fractas senio corporis vires, & infirmam valetudinem regendo monasterio factus impar, *instinctu sancti Spiritus suæ saluti consulere quærens, administrationem spontaneus resignavit vir venerabilis & sanctæ opinionis.* In chartulario Meldensi reperitur adhuc nomen J..... abbatis sancti Faronis anno 1202. & in tabulario monasterii beatæ Mariæ de Cavea, nomen *Johannis* abbatis anno 1208. Obiit Johannes Hazard ex necrologio Faroniano XIII. calendas Novembris.

Penit. Theodor. Cant. tom. 2. pag. 648.

XXXV. Adam II. de Mont-Reintru. Huic non est locus in indicibus; at proxime successisse Johanni Hazard constat cum ex schedula anni 1208. tum maxime ex literis supplicibus, quibus Humbertus prior, ceterique monachi sancti Faronis postulant ab episcopo Meldensi, ut huic Adamo omnium fratrum calculis in abbatem electo *munus benedictionis impendere* velit.

Ibidem.

XXXVI. Reginaldus I. Et pro eo benedicendo supplicatum est Guillelmo I. episcopo Meldensi. Comparet in actis quampluribus ab anno 1214. usque ad annum 1234. quo scilicet anno translationi corporis sancti Fiacrii operam dedit. Obiit Reginaldus XIII. calendas Junii ex necrologio; sed præter Reginaldum Brison, de quo infra, duo fuere hujus nominis abbates Faroniani.

Ibidem pag. 647.

Hist. ecclef. Meld. t. 1. pag. 214.

XXXVII. Milo II. Botet. Hujus nomen reperitur in schedis ab anno 1234. usque ad mensem Aprilem anni 1247. Capitulum ac dormitorium, quæ nomen ejus inscripta sunt, ædificasse creditur. Obiit ex necrologio VIII. idus Aprilis anno, ut existimamus, 1254. nam ex thesauro chartarum regiarum, feria IV. post Dominicam IV. in Quadragesima 1253. id est 1254. petiere monachi Faronenses ab rege Navarræ, ut sibi liceret abbatem eligere.

XXXVIII. Thomas I. de Cuisi frater Petri & Alermi episcoporum Meldensium, ac Milonis abbatis Cameri-fontis, præerat mense Jul. 1254. ex tabulario monasterii, & post annos quatuordecim loco motus est anno 1268. forte ob insanabile ædificandi cacoëthes, quod plerumque sequitur rei familiaris dilapidatio. Vitam protraxit

Ibidem pag. 204.

A ad annum 1295. quo quidem mortuus est III. calendas Junii ex necrologio, sepultus in capitulo cum hac epigraphe vernacula: *Icy gist danps Thoumas de Cuisi, de S. Faron jadis abbé XIIII. ans; & puis fut démi: mout massonna, abbata, & en rien sa vie fina .... Jesu-Christ V. ans, moins de CCC. & M. au mouais de Mai. Priez Dieu pour ly.* Sepulcrali super lapide, qui asportatus est in navim basilicæ, delineata conspicitur effigies abbatis sinistra gestantis pedum pastorale confractum in signum exauctorationis.

XXXIX. Relicus de Tancroto*, Thomæ expulso suffectus, abbatis locum occupabat anno B 1269. ex tabulario monasterii. Sedebat adhuc anno 1272. ex schedis Nosocomii Meldensis. Obiit ex necrologio V. cal. Augusti, & sepultus est ante infimum gradum scalarum quibus ab ecclesia in dormitorium ascenditur.

* *Tancrou.*

Hist. ecclef. Meld. t. 1. pag. 586.

XL. Adam III. de Foro*, ita dictus a foro Meldensi, nativitatis vel suæ ipsius, vel avorum suorum loco. Sedebat ex tabulario monasterii Radoliensis anno 1274. mense Septemb. Obiit autem ex ejus epitaphio pridie idus Junii anno 1282. & sepultus est tumulum inter S. Faronis, & sacellum sanctæ Crucis.

* *du Marché.*

XLI. Adam IV. Hujus nomen reperitur in C instrumento quodam ecclesiæ Meldensis mense Novemb. 1282. conscripto. Eumdem inter alios testamenti sui exsequendi curatorem appellavit Henricus de Muris episcopus Tervannensis, fato functus anno 1283. cujus pater & avus uno eodemque die commortui, ex ipsorum epitaphio, uno eodemque pariter sepulcro conditi sunt in ea parte claustri sancti Faronis qua in ecclesiam ascenditur. Adam præerat adhuc anno 1295. ex schedis monasterii; sed quo die, quove anno vitam finierit, omnino incompertum.

XLII. Johannes V. desideratur in vulgatis indicibus; comparet tamen in duobus instrumen-D tis, altero anni 1297. altero anni 1299.

XLIII. Adam V. de la Cloche renunciatus est abbas anno 1299. Inter alia multa quæ exsequutus est, illud non est silendum quod cellam sancti Fiacrii ab ipsius Sancti ævo paululum neglectam, & justo monachorum numero destitutam, restituerit anno 1313. Obiit ex necrologio V. idus Aprilis, quo anno incertum.

Ibidem pag. 255.

XLIV. Johannes VI. des Bordes natus in foro Meldensi. Hujus nomen habent chartæ ab anno 1322. ad annum 1337. Obiit ex necrologio X. calendas Martii, & id quidem ex ejus epitaphio anno 1337. id est 1338. subitanea E morte correptus.

XLV. Johannes VII. de Hauteverne, ita enim, non Hauteverve legendum; qua in re deceptus est Plessæus noster: *Verne* Francis alnum significat; *haute-verne*, proceram alnum. Abbas ille post undecim annos regiminis e vivis sublatus est XII. calendas Septembris anno 1349.

XLVI. Reginaldus II. de Thieux immunitatem qua fruiti sunt aliquandiu Faronenses acquisivit monasterio suo anno 1351. pactus pecuniam quotannis episcopo Meldensi solvendam.

Ibidem pag. 259.

Præter hoc egregium facinus altum de eo silentium.

XLVII. Reginaldus III. Brison præerat ex tabulario monasterii anno 1357. Obiit autem ex ejus epitaphio tertio idus Maii anno 1363. Jacet in sacello sanctæ Crucis juxta Johannem de Hauteverne. Nicolaum nescio quem merito expungimus, quem Faronianis præsedisse anno 1357. ait Marlotus histor. metrop. Rem. tom. 1. pagina 598.

XLVIII. Rolandus de Senneville rexisse dicitur annis triginta duobus, & obiisse anno circiter 1395. Comparet nomen ejus in schedis a mense Augusto 1364. ad mensem Augustum 1392. Obitus ejus consignatur in necrologio IV. nonas Martii.

XLIX. Henricus de Vienne. Hic primus abbatum hujus loci mitra, annulo, aliisque pontificiis insignibus usus est ex concessione Benedicti XIII. papæ Avenionensis, cujus hac de re diploma datum est Avenione pridie idus Junii, pontificatus ejus anno secundo, id est Christi 1396.

Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 311.

L. Johannes VIII. de Chatelus patria Boius, in decretis licentiatus, regi Carolo V. a consiliis, ad quem honoris gradum jam abbas evectus est anno 1408. Decessit ex ejus epitaphio III. cal. Decembris anno 1420. & jacet in choro ante majus altare.

LI. Philippus de Gamaches ex antiqua Ruhaltiorum gente, monachus S. Dionysii in Francia, filius Guillelmi de Gamaches ballivi Rotomagensis & magni Franciæ venatoris, ex Maria de Fecan, electus est sub finem anni 1420. dum Henricus V. rex Angliæ, urbem Jatinum obsidione cingebat. Anno autem 1438. quum reginæ, quæ geminam prolem uno partu dederat VII. idus Septembris in foro Meldensi, omni ope subvenisset, fecit illa, beneficii accepti non immemor, ut ad ipsam sancti Dionysii abbatiam proveheretur, quam tamen nonnisi anno 1442. assequutus est liber ab omni controversia.

Ibid. tom. 1. pag. 287.

LII. Thomas II. Pasquine, *alias* de Billi, ex priore sancti Fiacrii factus abbas, sedebat ex tabulario beatæ Mariæ de Cavea XIV. calend. Aprilis anno 1449. id est 1450. Defunctus est ex necrologio ipsis calendis Januarii anno, ut aiunt, 1462. id est 1463.

LIII. Antonius I. de Ploisi, ita nominatur cum in aliis actis, tum in instrumento electionis suæ, scripto nonis Januarii 1462. id est 1463. Suo tamen in epitaphio, in quo obiisse dicitur III. idus Februarii 1468. id est 1469. appellatur Antonius de Ploisir, tenui sane discrimine. Natus erat in villa cui nomen Roissi, Domnum-Martinum inter & Luteciam Parisiorum. Sepultus est ante majus altare.

Ibidem pag. 587.

LIV. Johannes IX. le Gras, natus Jatini. Hujus electionem ratam habere nolente Johanne du Drac episcopo Meldensi, hanc appellatus metropolita Senonensis Ludovicus de Melun legitimam esse data sententia declaravit III. calend. Augusti anno 1469. Migravit ex hac vita V. calendas Augusti anno 1482. ex ejus epitaphio, & repositus est in sacello beatæ Virginis.

LV. Simon Navet. In hunc eligendum monachorum omnium suffragia consenserunt III. cal. Augusti an. 1482. at nonnisi post multas asperrimasque contentiones declaratus est abbas sententia lata anno 1483. mense Octobri, ab archiepiscopo Lugdunensi primate, ad quem gradatim fuerat provocatum, frustra obnitente cardinale Filiberto Hugonet Matisconensi episcopo, qui se & a rege abbatem nominatum, & literis pontificiis munitum prætendebat. Verum quum ille nihilominus abbatiæ bona sibi vindicaret, Simon litium pertæsus & quietis amans, jure suo cessit an. 1484. ineunte, in gratiam Johannis du Gué, ex monacho Ferrariensi, sancti Fiacrii, & sanctæ Celiniæ in suburbio Meldensi prioris.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 343.

LVI. Johannes X. du Gué, Simonis abdicatione abbatiam nactus, toti conventui, ipsique episcopo Meldensi Johanni l'Huillier approbatus est; quin & brevi tempore sequuta morte cardinalis Hugoneti, ipsi suum jus Caroli VIII. regis auctoritate fuit assertum contra molitiones alterius cardinalis abbatiæ facultatibus inhiantis. Æra duo campana majoris turris liquando reparavit; ejus etiam cura & impensis non modicis elaborata sunt chori subsellia, qualia fere etiamnum exstant. Diem clausit extremum V. idus Septembris anno 1494. Quiescit ante majus altare.

Ibidem pag. 296. & 344.

LVII. Carolus de Billi Antonii de Mauregard & Petronillæ de Villiers-l'Isle-Adam filius, Antonium de Ploisi abbatem, de quo supra diximus, vel patruum habuit vel avunculum. Is anno 1494. electus, in possessionem venit XVII. cal. Octob. ejusdem anni. Verumtamen anno 1495. mense Augusto, archiepiscopus Senonensis, qui nihili pensa Johannis du Gué possessione, quam pro vana semper & irrita habuerat, Michaelem Houssaie monachum Benedictinum, pleno jure, ut sibi videbatur fieri posse, instituit abbatem; improspere sane, Carolus enim competitorem facile propulsavit. Hujus fratri filius erat, qui anno 1503. id est forte 1504. uno eodemque die & monachalem vestem induit in hoc monasterio, & professionem emisit sub formula nusquam ab ullo alio, nisi mens nos fallit, usurpata. Erat autem hujuscemodi: *Ego Johannes de Billi clericus, religiosus sancti Faronis prope Meldas, promitto stabilitatem corporis mei, & conversionem morum meorum, ecclesiæ B. Faronis, coram Deo & Sanctis, in præsentia domini abbatis & ceterorum fratrum, & emendationem morum meorum, præcipue in castitate, & sine proprio vivere, & in communione, & in obedientia, secundum gratiam mihi a Deo collatam, & facultatem virium mearum. Datum anno Domini 1503. die 14. mensis Martii, præsentibus religiosis viris, venerabilibus in Christo patribus DD. Guidone Musnier, Johanne Navier,* &c. Sine ulla prævia probatione admissus adolescens, & ludicra hac professione obstrictus, post aliquot annos in gravia quædam vitia prolapsus est, ob quæ in carcerem est conjectus. Nonnullis diebus exactis prodiens in capitulum, cuculla tectus caput & faciem, supplex

& humi provolutus veniam precatus est. Quid A actum sit cum illo instrumenta hac in parte lacera non produnt. Certe ille ipse est Johannes de Billi abbas Ferrariarum, cujus meminit necrologium Faronianum VII. idus Junii, & nos meminimus, tam in abbatibus ecclesiæ Pictaviensis, tomo II. col. 1296. quam tomo VIII. ad calcem abbatum Tironensium. Ejus patruus Carolus de Billi accitis anno 1514. e Majori-monasterio quatuor monachis, suos ad accuratiorem regulæ praxim revocare tentavit, sed parum felici successu. Lacessitus indesinenter a Guillelmo Briçonnet episcopo Meldensi, ut se liberaret, abbatiam suam cum abbatia Ferrariensi diœcesis Pictaviensis, quam obtinebat B Ludovicus de Bourbon cardinalis, commutavit anno 1517. sub finem mensis Augusti, abbas Ferrariensis deinceps appellatus. Obiit in cœnobio sancti Faronis VI. calend. Februarii anno 1524. ex ejus epitaphio, id est 1525. & funeratus est ante majus altare juxta Antonium de Ploisi.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 588.

LVIII. Ludovicus I. de Bourbon cardinalis & episcopus Laudunensis, abbatia Ferrariensi Carolo de Billi transcripta, Faronianam adeptus est anno 1517. mense Augusto; sed biennio post & ipse Gerardo transcripsit.

LIX. Gerardus de Cuinghien natus Insulis apud Belgas, & monachus sancti Bertini, præerat C ex tabulario sancti Fiacrii non. Octobris 1519. Eodem anno benedictus est una cum Johanne Coulomb abbate beatæ Mariæ de Cavea, pridie calendas Decembris a Guillelmo Briçonnet episcopo Meldensi in abbatia sancti Germani a Pratis Parisiensis, adstantibus abbatibus Johanne sancti Victoris Parisiensis, & Natali Castri-Nantonis. Obiit ex ejus epitaphio VII. cal. Februarii anno 1532. id est 1533. Jacet sub chori lampade.

LX. Johannes XI. de Buz. Huic primo, jam abbati commendatario beatæ Mariæ de Cavea, in commendam similiter data est abbatia Faronensis, cujus in possessionem venit tertio idus Julii anno D 1533. subinde & episcopatum Meldensem consequutus. Is anno 1538. potestate sua abutens priorem claustralem loco movit, eique suffecit Johannem Nivault monachum sancti Johannis Angeriacensis, qui e Franciscano ordine ad Benedictinum convolarat; ille autem an. 1544. monasterii pretiosa quæque furatus noctu aufugiens, Genevam se recepit, fidei catholicæ & utriusque sui ordinis desertor sacrilegus. Abbas vero, de quo plura in episcopis Meldensibus supra col. 1647. abbatiam & episcopatum cum vita dimisit VII. idus Octobris anno 1552.

LXI. Hippolytus Atestinus *, cardinalis de E Ferraria dictus, & archiepiscopus Auxitanus, bullis impetratis tertio idus Novembris 1552. possessionem iniit Faronis-monasterii VII. idus Martii anno 1553. Præerat adhuc anno 1555. mense Octob. De eo pluribus diximus in archiepiscopis Auscienfibus, ubi addendum ex regestis Vaticani, ipsum abdicasse ecclesiam Auscienfem VIII. idus Octobris anno 1563. in gratiam Aloysii.

* d'Est.

Gall. Christ. tom. 1. pag. 1003.

LXII. Ludovicus II. de Brezé episcopus Meldensis, abbatiam possidere cœpit decimo calend. Augusti anno 1557. ea potitus usque ad obitum, qui contigit XVII. calendas Octob. anno 1589. De eo prolixius egimus in episcopis Meldensibus supra col. 1648.

§ Ludovico fatis functo vacavit aliquandiu abbatia Faronensis. Interea vero Carolus de Lorraine, eques Albæ-mariæ dictus, & Maria soror ejus abbatissa Calensis, fructus redituisque monasterii perceperunt usque ad annum 1592. deinde Annas d'Anglure dominus Givriacensis, usque ad annum 1594. quo mortuus est. (Hujus vero corpus Jatinum delatum, conditum fuit in basilica sancti Faronis.) Denique œconomus renunciatus est idibus Febr. 1595. Johannes de Lion prior & vicarius ejusdem abbatiæ.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 589.

LXIII. Cæsar, postea dux Vindocinensis, Henrici IV. Franciæ & Navarræ regis ex Gabrieli Estræa filius nothus. Ejus nomine abbatiæ possessionem iniit pridie idus Novembris anno 1597. Carolus Prevôt in Parlamento Parisiensi advocatus; qui ipse sibi nomen abbatis in quibusdam actis usurpavit, in ceteris vicarius generalis appellatus.

LXIV. Alexander frater Cæsaris, eques Melitensis & magnus Franciæ prior, abbatiam adeptus est nono cal. Maii anno 1608. abbas præterea Majoris-monasterii, sancti Luciani Bellovacensis & Valassiæ. Interiit VI. idus Febr. anno 1629.

LXV. Antonius II. comes Moreti dictus, ejusdem Henrici IV. ex Jacoba de Beuil-Sancerre filius nothus, bullas impetravit XVIII. calendas Octob. anno 1629. Hunc post Castelnaudariensem pugnam quasi redivivum credunt Anachoretam factum sub nomine *Fratris Johannis Baptistæ* obiisse VIII. calendas Decembris anno 1691. in solitudine Gardellarum apud Andes.

LXVI. Petrus de Bullion Claudii de Bullion supremi ærario præfecti, & Angelicæ Faure filius, bullis impetratis VIII. idus Novemb. anno 1632. possessionem iniit pridie idus April. anno sequenti; canonicus ecclesiæ Parisiensis factus anno 1636. mense Martio. Hunc quatuor circiter ante obitum annis pœnituit anteactæ vitæ, totumque deinceps sese piis dedit operibus, orationi frequenter vacans, suaque peccata redimens largis erga pauperes eleemosynis, quos testamento hæredes instituit ex asse. Post renovatam ære suo monasterii Faronensis domum abbatialem, & resarcitum claustrum, naturæ debitum solvit Luteciæ Parisiorum pridie calendas Decembris anno 1659. ibidem sepultus apud sanctimoniales Carmelitas suburbii Jacobæi, cum hoc epitaphio: *In spem resurrectionis hic jacet Petrus de Bullion sacerdos, abbas sancti Faronis, qui fugiens mundi delicias mansit in solitudine montis hujus virginum Carmeli, ibique Christum abundantius inveniens, pie vixit. Expiravit anno salutis 1659. die 30. Novembris. Sit habitatio ejus in sancta Sion. Hoc monumentum sanctissimæ sponsæ Jesu, quas claudit hæc domus, posuere.*

LXVII. Raimundus Berengarius de Lorraine Henrici comitis de Harcourt, & Margaretæ du Cambout filius, natus Barcinone anno 1647. duodennis designatus est abbas paulo post obitum

decessoris, pontificio diplomate nonnisi anno 1671. donatus. Tenuit insuper abbatias Floriaci, & S. Petri in Valle Carnotensi. Viam universæ carnis ingressus est sub finem anni 1686.

LXVIII. Franciscus Armandus de Lorraine filius Ludovici comitis d'Armagnac, & Catharinæ de Neufville, patruo successit VII. idus Septembris 1686. dehinc provectus ad episcopatum Baiocensem, obiit Luteciæ v. idus Junii anno 1728. fusius dicendus in ecclesia Baiocensi.

LXIX. Josephus de Thyard de Bissi frater Henrici cardinalis & episcopi Meldensis, monasticen professus in cœnobio Jurensi apud Sequanos, abbatiam sancti Florentii Salmuriensis, quam B tenebat in commendam, dimisit anno 1728. quo abbas regularis sancti Faronis renunciatus est bullis pontificiis.

APPENDIX
DE PRIORATU SANCTI FIACRII.

Leucis duabus ab urbe Jatino, Euronotum versus, posita est celeberrima toto orbe sancti Fiacrii cella, ab ipso sancto Fiacrio condita. Erat ille ex Hibernia, quam veteres Scotiam appellabant, nobilibus ortus parentibus, patria lingua *Fefrus*, paulo mollius nostra *Fiacrius* dictus; nec desunt qui regium ei genus tribuant, quasi filio C Eugenii IV. fratri vero Ferquardi I. regum Scotiæ: quod si minus evidens apparet, videtur tamen aliqua probabilitate non carere. Appulsum in Franciam Fiacrium excepit perhumaniter sanctus Faro Meldorum episcopus, qui ei solitariæ vitæ cupidissimo semotum locum dono dedit, *Broilum* nomine, silvis circumpositis tectum. Illic novus asceta eremiticam vitam agens, oratorio in honorem beatæ Mariæ constructo, ad obitum usque permansit, continuis & vivus & mortuus fulgens miraculis. Creditur evolasse ad superos tertio cal. Septembris anno circiter 670. in ecclesiola sua sepultus, quæ brevi tempore peregrinis undecun- D que affluentibus frequentata, nomen sancti anachoretæ & sumsit ipsa, & casis dedit quæ circum erectæ sensim in vicum coaluerunt. Visitur ibidem usque in hodiernum diem venerabilis locus in quo tumulatus est, clathris undique circumseptus, feminisque ab omni ævo interdictus. Sed sacræ ejus exuviæ in capsa argentea repositæ, quam sumtuose ornarunt anno 1478. Ludovicus XI. rex christianissimus, & anno 1645. Anna Austriaca ex voto christianissimi regis Ludovici XIII. mariti sui fatis functi, translatæ sunt anno 1568. in majorem ecclesiam Meldensem.

Cesserat eremus sancti Confessoris in usus Fa- E ronensium monachorum, qui eodem loci nonnullos e suis delegabant peregrinorum in gratiam sacra facturos; quum anno tandem 1313. Adamus de la Cloche abbas Faronianus, priori & monachis loci instabilibus priorem & monachos stabiles subrogavit, monasterio tamen suo semper obnoxios. Illuc post varias quibus attriti fuerant novi incolæ bellorum clades, monachi reformati e nascenti congregatione sancti Mauri missi sunt anno 1620. ab ipso priore sancti Faronis, qui A ædibus resarcitis, domuique Dei reddito splendore, ad hunc usque diem & amplificando cultui divino, & retinendæ monasticæ disciplinæ, & peregrinis religiose excipiendis sedulo invigilant. Titulus vero prioris anno 1641. rescissus est in commodum conventus a Dominico Seguier episcopo Meldensi, probantibus anno 1655. Alexandro VII. papa, & anno 1656. Ludovico Magno rege christianissimo.

De sancto Fiacrio & ejusdem nominis prioratu fusius egit Plessæus noster in historia sua diœceseos Meldensis lib. 1. num. 65. & seqq. lib. 3. num. 82. & 156. lib. 5. num. 7. & not. 29.

EBORIACUM,
seu FARÆ MONASTERIUM.

FAREMOUTIER.

Quatuor leucis ab urbe Jatino, Austrum versus & Euronotum, silva quædam interjacebat Albæ * & Majori-Mucræ * fluminibus, cui propter pontem Mucræ impositum majores nostri *Saltus Brigensis* nomen dederant; *Brige* enim Celtica lingua *pontem* interpretamur. Eo loci, anno circiter 617. sanctissima virgo Burgundo-Fara soror SS. Faronis episc. Meldensis & Chagnoaldi episcopi Laudunensis, monasterium sub invocatione beatæ Mariæ virginis & sancti Petri ædificavit in fundo paterno, quod primum ob eamdem causam *Brige*, seu monasterium *Brigense*, deinde immutato nonnihil vocabulo *Eboriacum*, seu monasterium *Eboriacense*, denique ex ipsa parthenonis conditrice *Faræ-monasterii* nomen sortitum est. Tanta fuit parthenonis hujus sub prima regum nostrorum stirpe celebritas, ut ab ipsis Britanniæ Magnæ provinciis optimatum quorumque filiæ illuc convolarent, vel summam cumulatamque virtutem edocendæ, vel ipsi monastico vinculo collum subdituræ; quin & sancta Balthildis Francorum regina, & ipsa apud Anglo-Saxones nata, *sua sæpe larga munera* ad sanctimoniales tantæ existimationis *dirigeret*. Enimvero florebat illic per hæc tempora seminarium sanctarum, quarum in numero Erkengotam, Sisetrudem, Hercantrudem, Ethelbergam, Leudebertam ac Gibitrudem, præter sanctissimam Burgundo-Faram amplissimis honoribus colendas esse decrevit ecclesia. Hinc circumjecta parthenoni regio *Briegii pagi* * nomen avide arripuit, quod postea longius effusum, non solum ab ea diœcesis Meldensis parte quæ sinistro Matronæ fluminis lateri insidet, verum etiam a vicinis diœceseon Parisiensis, Senonensis, Trecensis ac Suessionensis partibus.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 638.
* l'Aubetin.
* le Grand-Morin.
Beda, hist. Angl. lib. 3. cap. 8.
Acta SS. Bened. t. 2. pag. 780.
* la Brie.

Nil dubii est quin ab ipsis monasterii hujus primordiis adunata fuerit illic duplex congregatio, primaria monialium, secundaria monachorum in subsidium primariæ. Chagnoaldus frater Burgundo-Faræ, Waldebertus postea abbas Luxoviensis, Jonas qui sanctorum Columbani & Eustasii historiam scripsit, aliique e Luxovio acciti monachi, novellæ plantationi sub magisterio sanctissimi abbatis sui Eustasii invigilantes, eam aliquandiu educarunt, nec defuere post eos qui increscenti, ut vires novas acquireret, operam darent. *Multi,*

[*Beda. hist. Angl. lib. 3. cap. 8.*] inquit venerabilis Beda, *de fratribus ejusdem monasterii, qui aliis erant in ædibus*, &c. Octavo tamen, ut credere est, exeunte seculo seculares clerici monachorum in locum suffecti sunt. Litigavere [*Hist. eccles. Meld. t. 1. pagg. 147. 246. & 347.*] identidem cum episcopis Meldensibus Eboriacenses abbatissæ, ut jurisdictionis episcopalis jugum a se depellerent, sed infelici prorsus exitu.

Index Abbatissarum.

I. Sancta Fara, *seu* Burgundo-Fara, soror [*Ibidem pag. 637.*] sancti Faronis, anno circiter 600. in lucem edita, decem post annis oblata est in ædibus pa- [*Acta SS. Bened. t. 2. pag. 25.*] ternis B. Columbano abbati, qui eam *benedixit Dominoque vovit.* Vix tamen ad puberem ætatem pervenerat, quum eam Agnericus pater ejus, reluctantem licet, desponsare non dubitavit. Prope aderat nuptiarum dies, at illa *dolore oculorum percussa, & febrium igne ita succensa est, ut vix jam superis reddi crederetur.* Inter hæc B. Eustasius ex Italia redux tendebat ad Clotarium II. regem; transiit ille per saltum Briegium, cognitaque castissimæ virginis adversa valetudine, patrem admonuit *suæ noxæ esse, quod hæc tantis ureretur pœnis, quia viri Dei* (sancti Columbani) *interdictum violare vellet.* Dissimulans Agnericus ostendit se cœlestibus filiæ suæ desideriis posthac non obstiturum. Continuo Eustasius humi prostratus Deum implorat, *crucem supra oculos* moribundæ virginis *exprimit;* in ipso autem temporis articulo *salute sequuta lumen redditur, febrium ignis fugatur, redditamque sospitati matri commendat, ut ab Clotario rediens religiosis vestibus induat.* Pergente illo Agnericus promissorum immemor nuptias urget; Fara vero tenax propositi clam aufugiens recepit se ad basilicam quamdam *S. Petri apostolorum principis. Quo pater comperto post eam furens dirigit pueros, atque jubet ut apprehensam crudeliter perimant. At illa comminantibus mortis periculum: mortem me formidare putatis! inquit; in hoc ecclesiæ pavimento probate; ob talem etenim caussam ovans mortem recipio pro eo qui pro me non est dedignatus mori. Nec mora beatus Eustasius remeat, puellam a custodia liberat, patrem terribiliter increpat; religionis veste per pontificem* Meldensem *Gondoaldum induit, sacravitque* [*Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 16. & 637.*] *salutaribus sacramentis.* Hæc omnia contigisse anno 614. ostendit Plessæus.

Biennio vero aut triennio post sanctissima virgo monasterium Brigense ædificavit in ipso Albæ & Majoris-Mucræ confluente, cujus monasterii fundamenta posuere sanctus Chagnoaldus frater ejus, tum Luxoviensis monachus, postea episcopus Laudunensis, & sanctus Waldebertus, qui Luxoviensi abbatiæ post sanctum Eustasium præfectus est; ipsa vero monialium quas illic aggregaverat conse- [*Acta SS. Bened. t. 2. pag. 121.*] crata est prima abbatissa. Laudatur imprimis quod Agrestio turbulentioris animi monacho, qui regulam sancti Columbani maledico dente carpebat inverecundius, obstiterit viriliter, ipsumque cum ignominia & dedecore foras ejecerit. Parebat enim religiose ab institutionis suæ tempore monasterium Eboriacense sancti Columbani legibus; sed antequam ipsa sanctissima conditrix e vivis excederet, addixit sese Benedictinæ regulæ, quam etiamnunc districte servat. Obiit autem anno circiter 655. [*Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 27. & 642.*] aut 660. & id quidem, si venerabili Bedæ credendum est, III. nonas Aprilis, quanquam festum ejus & in monasterio suo, & in tota diœcesi Meldensi celebratur VII. idus Decembris. Sed anno 632. testamentum fecerat, quo testamento post [*Chart. t. col. 547.*] prædia quædam consanguineis suis relicta villam Campellos * in diœcesi Parisiensi monialibus suis [* Champeaux.] legaverat. Ibi collocatus est prioratus, *cujus monachæ quum incorrigibiles essent,* inquit Pagius, *ab* [*Pagi. Annal. tom. 4. pag. 342.*] *Odone Soliacensi regnante Philippo Augusto circa annum 1200. ad magnum S. Faræ monasterium, tum sicuti & hodie valde reformatum traductæ, & canonici seculares duodecim in earum locum subrogati.* At necesse est illud contigisse ante tempora Philippi Augusti. Anno enim 1168. Luciana abbatissa in [*Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 111.*] enumerandis prioratibus monasterio suo obnoxiis de Campellensi ne verbum quidem ullum facit. Annis quadraginta post mortem sanctissimæ vir- [*Ibid. tom. 1. pag. 29.*] ginis corpus ejus e terra levatum, translatumque est in decentem capsam ab abbate sancti Faronis, quod postea ingruente Normannorum tempestate absconditum, denuo revelatum est seculo duodecimo, temporibus Alexandri III. summi pontificis.

II. Sedrida, *seu* Saëtrudis, ex regio Northum- [*Ibid. pag. 696.*] brorum sanguine procreata, matrem habuit Hereswitham, quæ postea iteratis nuptiis uxor adjuncta est Annæ Orientalium Anglorum regi, ad extremum vitæ monasticæ ultro mancipata, obiit in Francia.

III. Sancta Ethelberga soror uterina Sedridæ, filia regis Annæ & Hereswithæ, septem annis post mortem e tumulo elata est incorrupta in argu- [*Ibid. p. 71.*] mentum eximiæ sanctitatis & castimoniæ. Colitur in diœcesi Meldensi nonis Julii. Hanc venerabilis Beda *filiam naturalem* Annæ appellat; quod elo- [*Beda. hist. Angl. lib. 3. cap. 8.*] quendi genus de liberis justa uxore natis, non de spuria aut adulterina prole, intelligendum hîc esse satis multis probavit Plessæus noster.

IV. Rothildis filia Caroli Magni & Fastradæ. [*Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 698.*] Hujus gratia Ludovicus Pius Faræmonasterio attribuit monasteriolum Giacense situm in comitatu [*Ibid. tom. 2. instrum. 3.*] Wastinensi, quod etiamnunc pendet ab abbatissis Eboriacensibus. Vivebat adhuc Rothildis anno 841. ineunte, vel saltem 840. exeunte.

V. Bertrada sedebat anno 842. quum ad pre- [*Ibid. instr. 4.*] ces Hermentrudis conjugis suæ Carolus Calvus monasterium Eboriacense *sub suæ tuitionis ac defensionis sive provisionis immunitate suscepit.*

VI. Judith.

VII. Hildegardis.

Inter Bertradam & Risendim trecenti fere anni transierunt, quo tempore quæ Eboriaci sedere abbatissæ, earum nomina obliterata sunt ex hominum memoria. Conjectamus tamen Juditham & Hildegardim, quarum nomina seculum nonum sapere videntur, iis temporibus vixisse. Obiit Juditha ex necrologio Eboriacensi pridie calendas Junii. De Hildegardi nulla mentio nisi in vetustis indicibus. Anno circiter 999. *Rainardus* comes [*Chronic. S. Petri Vivi, in Spicil. t. 2. pag. 737.*] Senonensis, *Vetulus* dictus, monasterium S. Faræ, *quod in dominio habebat, multis modis adgravavit,*

inquit Clarius; credimus autem huic comiti, cessantibus abbatissis, nec successores defuisse, nec imitatores. At rebus ita perturbatis necesse fuit regularis disciplinæ labefactationem sequi & magnam confusionem. Quantum vero sub finem ejusdem seculi desciverant moniales Eboriacenses a pristina morum integritate discimus cum ex literis Ivonis Carnotensis, tum ex Philippi I. regis diplomate. Sic autem episcopus Carnotensis ad Walterum sapientem episcopum Meldensem: *Tam ex verbis Turonensium monachorum*, inquit, *quam ex literis domnæ Adeleidis venerabilis comitissæ audivi turpissimam famam de monasterio sanctæ Faræ; quod jam non locus sanctimonialium, sed mulierum dæmonialium prostibulum dicendum est, corpora sua ad turpes usus omni generi hominum prostituentium. Quæ quidem si corrigi nollent, & sibi tantum mortem facerent, tolerari forsitan possent. Sed quia multarum facta sunt laqueus animarum, suggero & consulo vigilantiæ vestræ, ut aut prædictas mulieres in loco suo & in suo ordine corrigatis, aut si id fieri non potest, religiosis monachis locum illum cum suis possessionibus committere studeatis*, &c. Philippus autem rex in hunc modum Bernardo abbati Majoris-monasterii: *Monasterium sanctæ Faræ*, inquit, *in quo ex infirmitate & incuria inhabitantium omnis religio & monasticus ordo penitus est adnullatus, & quod miserabilius est, prostibulum factum esse condolemus, pro salute animæ meæ per præsentem cartam in cellam vobis jure perpetuo possidendum tradimus, concedimus, & auctoritate regia confirmamus, quatenus per sanctitatis vestræ prudentiam, & orationum vestrarum instantiam ordo monasticus ibidem reformetur; & ecclesia Dei, quæ hactenus (proh dolor!) adulterinis fœdata est complexibus, & tanto tempore a servitio Dei privata est, cum ecclesiæ vestræ filiis de valle lacrymarum ascendere, & canticum graduum se cantare congratuletur.* Criminationem illam omnem derivare tentaverat Mabillonius noster in Giacenses moniales; Pagius vero in Campellenses. At senserunt uterque invectum esse Ivonem Carnotensem in monasterium diœcesis Meldensis; Campellos autem & Giacum ad alias diœceses pertinere. Faræmonasterium nihilominus gratia plurimum & auctoritate valebat; irritis enim regis literis & moniales suas, & abbatiæ titulum ac dignitatem retinuit; verum illæ nonnisi centum post annis sub Ludovico VII. rege ad meliorem vivendi normam revocatæ sunt.

[*Ivo Carnot. epist. 70.* — *Hist. eccles. Meld. t. 2. instrum. 23.* — *Diplomat. pag. 368.* *Pagi. Annal. tom. 4. pag. 342.* — *Ibidem.*]

Interea *Guiburgim, Helvidim, Mathildim, Adelaïdem, Elisabetham, Adelinam, Gelamque*, & alias quatuor, præter sanctam Ethelbergam, quam Edeburgim vocant, & Rothildim, illic sedisse abbatissas memorant Sammarthani fratres. Sed harum quatuor seriem atque ordinem perverterunt. Ad ceteras vero quod attinet, videntur illæ non Eboriacensi, sed Jotrensi, aut aliis parthenonibus præfuisse.

VIII. Avelina. Huic nonnisi conjectando locum damus ante Risendim. Forte ea ipsa est quam Sammarthani vocant Adelinam. Obiit ex necrologio Eboriacensi pridie calendas Februarii.

IX. Risendis, quam Henricus Sanglier archiepiscopus Senonensis vocat *ancillam Christi valde venerabilem, moribus insignem, genere nobilem, sed nobiliorem honestate*, inscribitur pluribus actis ab anno 1137. ad annum 1146. Occœpit illa lites agere adversus episcopos Meldenses exemtionis spiritualis ergo; quo in conflictu prædam qualemcunque fecit. Exstant ea de re literæ Manassis II. episcopi Meldensis, atque Innocentii II. Lucii II. & Eugenii III. summorum pontificum. Hujus abbatissæ ætate monasterium Eboriacense incendio combustum in favillas tantum non abiit, ut nonnisi ingenti pecuniæ summa potuerit reædificari. Eam ob rem missi sunt in civitates quascunque, cum reliquiis sanctæ Faræ, & capite sanctæ Agnetis, qui pecuniam cogerent. Caput illud asportatum fuerat apud Eboriacum anno 878. a Formoso episcopo Portuensi, qui postea ad summi pontificatus apicem evectus est. Instaurata basilica dedicata est Dominica *Isti sunt dies*, anno 1145. id est 1146. ab Alberico Ostiensi episcopo & apostolicæ sedis legato, præsentibus episcopis Meldensi, Parisiensi & Trecensi.

[*Hist. eccles. Meld. t. 2. instrum. 551.* — *Ibid. instrum. 57. 58. & 59.* — *Chart. V. col. 550.* — *Chronic. S. Petri Vivi, in Spicil. t. 2. pag. 719.* — *Hist. eccles. Meld. t. 2. instrum. 67.*]

X. Emma sedebat annis 1153. & 1154. Lites renovavit inter se & episcopum Meldensem. Obiit ex necrologiis Eboriacensi, Resbacensi & beatæ Mariæ Suessionensis, IX. cal. Decembris. [*Ibid. tom. 1. pag. 153.*]

XI. Luciana, cujus nomen inscribitur pluribus actis a mense Decembri 1154. ad annum 1189. controversiam de advocatione monasterii sui transegit anno 1165. cum Stephano de Capella episcopo Meldensi. Quum autem monasterium illud propter *tenues ac permodicas facultates multitudini sanctimonialium sufficere non posset*, statuit Ludovicus VII. rex anno 1176. *ne in prædicto monasterio deinceps aliqua sanctimonialis admitteretur, donec ad numerum centenarium universitas earum reducta esset.* Obiit Luciana ex necrologio Eboriacensi III. nonas Januarii ante annum 1198. [*Chart. VI. col. 552.* — *Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 130.*]

5 Post Lucianam, proxime ante Margaritam collocarit Sammarthani *Beatricem, Johannam, Gerardam, Juditham & Praxedem*, quæ vel ad alia monasteria pertinent, vel certe aut infra aut supra erant scribendæ.

XII. Margarita I. Abbatissas Eboriacenses sex hujus nominis novimus, & sexies Margarita renunciatur in necrologio, videlicet pridie nonas Januarii, XI. calendas Martii, pridie cal. Aprilis, XV. calend. Maii, IX. calend. Octobris, & pridie idus Octobris. Harum una sedebat annis 1208. 1214. & 1216. [*Ibid. tom. 1. pag. 578.*]

XIII. Hersendis de Tulquino*, comparet in instrumentis ab anno 1215. ad annum 1218. Obiit ex necrologio XVII. calendas Aprilis. [* *Toquin.*]

XIV. Eustachia electa anno 1219. postridie Pentecostes, sedebat adhuc anno 1236. Obiit ex necrologio calendis Maii.

XV. Juliana de Gressibus* filia Bartholomæi de Gressibus domini Nigellæ* in Brigensi saltu, & soror Evrardi prioris sancti Martini a Campis Parisiensis. Huic noviter electæ ut benedictionis munus impenderet, rogatus est episcopus Meldensis anno 1240. mense Junio. Sedisse autem usque ad annum 1250. constat ex tabulario [* *Grez.* * *Nêle.*]

Marrer. hist. S. Martini a Campis, pag. 210. & 211.

monasterii. Marrerius ejus obitum contigisse ait anno 1262. VI. nonas Maii, sed in anno assignando allucinatus est.

XVI. Sibylla litem integravit quæ recruduerat inter Julianam de Greſſibus & episcopum Meldensem, sed sententia lata IV. calend. Novembris anno 1252. *adjudicata sunt ipsi episcopo jura episcopalia in prædicto monasterio Faræmonasterii, & in clero & populo loci ejusdem.* Sibylla præerat adhuc ex tabulario monasterii anno 1265. Obiit autem ex necrologiis Eboriacensi & beatæ Mariæ Suessionensis IV. nonas Septemb. anno, si quibusdam indicibus fides, 1272.

Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 364.

XVII. Havidis, cujus nomen reperitur in chartis annorum 1274. & 1283. Devixit ex necrologio idibus Octobris.

XVIII. Margarita II. de Montibus * dissociatis, contrariasque in partes abeuntibus monialium animis, electa anno 1289. mutuata est a Guillelmo de Grés episcopo Autissiodor. octingentas libras, quo jus suum persequeretur. Extincta est paulo post; nam anno 1290. vacabat sedes abbatialis.

* de Mons.

XIX. Margareta III. de Capriaco * fundavit anno 1291. anniversarium pro Margareta de Montibus novissima abbatissa, quæ monasterium suum ære alieno pressum naviter liberaverat. Fatis & ipsa functa est intra paucos dies; anno enim 1292. vacua erat sedes abbatialis.

* Chevri.

XX. Margareta IV. de Montibus amitam habuisse videtur alteram ejusdem nominis Faræmonasterii abbatissam. Inscribitur absque cognomine pluribus actis ab anno 1311. ad annum 1317. sed annis 1317. & 1326. appellatur Margarita de Montibus, tam in thesauro chartarum regiarum, quam in chartulario Meldensi. Obiisse dicitur anno 1341.

XXI. Mathildis de Joinville prosapiæ veteris, soror Petri de Joinville domini de la Malemaison, nomen suum consignavit instrumentis annorum 1343. & 1346.

XXII. Johanna I. de Noyers soror comitis de Joigni, præerat annis 1346. & 1354. dehinc ad abbatiam Jotrensem sublata.

XXIII. Margarita V. de Lulli sedisse dicitur annis 1363. & 1381. fragmentumque veræ Crucis detulisse Luteciam ad regem Carolum V. morbo laborantem. Addunt eamdem abbatissam genus duxisse ab antiquis dominis d'Ancre.

XXIV. Margarita VI. de Noyers præfuisse dicitur annis 1383. & 1409.

XXV. Johanna II. de Chateau-villain præfuisse dicitur anno 1417. Obiit ex necrologio octavo idus Novembris.

XXVI. Dionysia du Sollier extincta ex necrologio pridie idus Septembris, sedisse dicitur anno 1421.

XXVII. Johanna III. Rapillard, sedisse dicitur anno 1434. ac fato cessisse anno 1439. quod postremum vero proximum esse videtur. Obiit ex necrologio VIII. calendas Maii.

XXVIII. Isabellis I. de Mori nobili apud Brigenses genere nata. Hujus electionem ratam habuerunt vicarii generales ecclesiæ Meldensis IV.

A nonas Junii anno 1439. Præerat adhuc annis 1444. & 1447. ex tabulario monasterii. Obiisse dicitur anno 1454.

XXIX. Johanna IV. de Bautot sedisse dicitur annis 1461. & 1466. & abbatiæ nuncium remisisse. Præerat anno 1469. ex tabulario monasterii.

XXX. Johanna V. Chrestien præerat ex chartulario monasterii sancti Fiacrii pridie idus Febr. anno 1472. id est 1473. diem vero clausit extremum III. nonas Junii anno 1511. Hæc multum insudavit in reparandis monasterii sui ædificiis.

XXXI. Magdalena d'Orléans soror Francisci

B I. regis, filia notha Caroli comitis Engolismensis, & Antoniæ de Polignac. Duodecimo die post obitum Johannæ Chrestien electæ sunt æqualibus monialium suffragiis Margarita Rolland pariter & Magdalena d'Orléans; sed hujus partes prævaluere. Ab abbatia sancti Ausonii Engolismensis traducta est ad Eboriacensem bullis pontificiis calendis Septembris ejusdem anni, dehinc anno 1515. ad Jotrensem. De ea jam egimus in ecclesia Engolismensi tom. II. col. 1040.

XXXII. Maria I. Cornu. Quum parthenonem Eboriacensem instar Calæ & Montis-Martyrum, quorum abbatissæ triennio tantum guber-

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 311.

C nabant, reformari vellet Franciscus I. rex, obtinuit ab sorore sua anno 1514. ut illa Faræmonasterio cederet in gratiam Mariæ Cornu, tum abbatissæ Calensis. Accitæ sunt ea de causa undecim reformatæ moniales cum ex Cala, tum ex Monte-Martyrum; sed illæ Eboriacum non petiere nisi mense Februario anni 1518. Maria autem, dux novi agminis, secessit paulo post ex insperato in prioratum Jovillæ*, ubi naturæ debitum solvit anno sequenti mense Januario. De ea jam diximus in Cala & Monte-Martyrum, tomo VII. hujus Galliæ nostræ col. 568. & 617.

* Joinville.

XXXIII. Johanna VI. Joli abbatissa perpetua

D sedebat anno 1525. Finem vivendi fecit XI. cal. Octobris anno 1531.

XXXIV. Maria II. Baudri, una earum quæ ex Cala adductæ fuerant cum Maria Cornu, abbatissa tamen perpetua, electa anno 1531. post quinque & viginti annos administrationis cedere coacta anno 1556. prioratum Giacensem tenuit; quo ejurato anno 1560. ibidem vitæ finem implevit VIII. idus Martii anno 1565. Monachos illa restituerat Eboriaci in pristinum suum locum, clericis secularibus amandatis: at ii monachis rursus ejectis anno circiter 1560. monasterio inservire perrexerunt, cui usque adhuc inserviunt.

Ibid. tom. 2. instr. 354.

Ibid. tom. 1. pag. 347.

E XXXV. Antonia de Lorraine filia Claudii ducis Guisiæ, abbatissa sancti Pauli in finibus Bellovacorum, translata est ad Eboriacum bullis pontificiis anno 1554. Benedicta est IV. idus Julii anno 1556. a Nicolao de Pellevé episcopo Ambianensi; obiitque ipso Parasceves die an. 1561. id est 1562. in prioratu Jovillæ, ubi terræ mandata est.

XXXVI. Francisca I. Guillard prima ad triennium electa est calendis Aprilis anno 1562. dignitatisque suæ gradum tenuit adversus Carolam de Hangest

de Hangest monialem sancti Petri Remensis, freta supremi consilii consulto XIII. calendas Februarii anno 1564.

XXXVII. Maria III. Viole soror Guillelmi Viole episcopi Parisiensis, ultima ad triennium electa primùm XIII. calendas Febr. anno 1567. deinde XIII. calendas Februarii anno 1570. cis breve tempus abdicare cogenda; rursus, sed incassum, IV. idus Febr. anno 1586. Supremum diem explevit VII. cal. Septembris anno 1594.

XXXVIII. Ludovica de Bourbon monialis Fontis-Ebraldi, filia Ludovici ducis de Montpensier, & Jacobæ de Long-vic, abbatiam obtinuit anno 1571. abdicante ingratiis Maria Viole; B deinde Jotrensi parthenone donata anno 1572. utramque simul abbatiam tenuit usque ad mortem, cui occubuit V. idus Febr. anno 1586.

XXXIX. Isabellis II. de Chauvigni, & ipsa monialis Fontis-Ebraldi, invita Maria Viole, quæ tertiùm ad triennium electa fuerat, a rege christianissimo designata VIII. calend. Martii anno 1586. bullas obtinuit VI. idus Augusti ejusdem anni. Mortalitatem explevit V. calend. Julii anno 1593.

XL. Anna de la Châtre filia Claudii de la Châtre marescalli Franciæ, & Johannæ Chabot. Abdicaverat Isabellis in gratiam Ludovicæ Trot- C tin de la Chetardie monialis Fontis-Ebraldi, quæ insuper omnium Faræmonasterii monialium suffragiis electa est. At Henricus IV. rex abbatissam renunciavit Claudiam de Beauvillier de Saint-Agnan, quæ tunc præerat parthenoni Pontis-Dominarum; Ponti autem regendo designavit Annam de la Châtre: sed quum Claudia Pontem retinere maluisset, promota est Anna ad Eboriacum, quæ postquam Ludovica V. idus Augusti 1593. abbatia destitit, bullas impetravit eodem anno pridie idus Novembris. Obiit autem VIII. idus Maii anno 1605.

XLI. Francisca II. de la Châtre soror Annæ, D monialis prioratus Glatiniacensis ordinis Fontis-Ebraldi apud Bituriges, bullas obtinuit XII. cal. Julii anno 1605. Moniales suas ad strictiorem regulæ praxim revocavit anno 1621. Obiit repentina morte correpta XII. cal. Sept. anno 1643.

XLII. Johanna Anna de Plas, matreteræ Franciscæ de la Châtre adjutrix data bullis pontificiis VI. idus Februarii anno 1639. deinde ab episcopo Meldensi benedicta VI. idus Sept. 1655. obiit V. idus Octobris anno 1677.

XLIII. Maria Teresia Constantia du Blé-d'Uxelles, ex abbatissa S. Menulfi apud Bituriges, ad Eboriacum tralata est bullis pontificiis quarto E nonas Decembris 1677. cujus possessionem iniit anno sequenti XII. calendas Augusti, postquam XVI. calendas ejusdem mensis benedicta fuisset Luteciæ Parisiorum a Carolo Mauricio le Tellier archiepiscopo Remensi, in ecclesia Fuliensium. Hæc lites, quæ discordiam diutius inter episcopos Meldenses & abbatissas Eboriacenses commoverant, composuit transacto negotio inter se & Jacobum Benignum Bossuet nono calendas Martii anno 1682. Obiit tertio calendas Junii anno

A 1685. De ea jam egimus in ecclesia Bituricensi, ubi corrigendum quod diximus, designatam fuisse anno 1678. abbatissam Faræmonasterii. *Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 704. Gall. Christ. tom. 2. col. 180.*

XLIV. Maria Anna Generosa Constantia Teresia de Beringhen designata a rege christianissimo calendis Junii anno 1685. bullas obtinuit IV. idus Julii ejusdem anni. Ædiculam pervetustam beatæ Ethelbergæ in confinio monasterii sui collocatam a fundamentis instauravit anno 1714. Fato functa est VII. idus Oct. an. 1721.

XLV. Ludovica Carola Eugenia de Beringhen amitæ successit bullis pontificiis XV. calend. Junii anno 1721. Obiit V. cal. Sept. anno 1726.

XLVI. Olympia Felicitas de Beringhen soror Ludovicæ, bullas impetravit pridie nonas Decembris anno 1726. Obiit tertio idus Augusti anno 1743. sepulta Luteciæ Parisiorum in ecclesia sancti Germani Autissiodorensis.

XLVII. .... Molé, ex abbatissa Belli-montis in diœcesi Lingonensi, nominata anno 1743. ineunte mense Septembri.

JOTRUM. JOUARRE.

QUo tempore beatus Audoënus Resbacense monasterium ædificavit, eodem ferme venerabilis Ado frater ejus natu major, qui sub Clotario II. rege summum ærarii præfectum gesserat, Jotrensis asceterii fundamenta jecit in supercilio montis non longe a confluente Minoris-Mucræ*; sed utrum sit antiquius eruditi hactenus definire non potuerunt. Jotrum, cui & *Jorani saltus* nomen ab antiquis inditum est, silva erat inter utrumque alveum Matronæ ac Minoris-Mucræ exporrecta, quæ progressu temporis Briegio pago addita nomen suum reliquit primo soli monasterio Jotrensi, deinde per accessionem oppidulo quod sensim dilatavit se circum mœnia monasterii. In hoc autem tenebrosum quasi latibulum recepit se ipse religiosissimus fundator vanitatum seculi pertæsus cum propinquis suis sancta Theodechilde, sancta Aguilberta, sancto Agilberto qui postea Parisiensem ecclesiam rexit, sancto Ebrigisilo qui Meldensi præfuit ecclesiæ, & aliis pluribus simili desiderio cœlestis patriæ succensis. Fuit igitur primitus in illa solitudine, quemadmodum & in Faræmonasterio, duplex congregatio, primaria sanctimonialium, secundaria monachorum: sed octavo, ut videtur, seculo Jotrenses monachi, ut Eboriacenses, loco cesserunt clericis secularibus; atque hanc forte fuisse monasterii Radoliensis originem jam supra observavimus col. 1671. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pagg. 33. & seqq. 663. & seqq.*

** le Petit-Morin.*

Præter basilicam abbatialem hujus monasterii quæ patronam sibi vindicat B. virginem Mariam, exstant ibidem duæ perantiquæ sive ecclesiæ, sive ædiculæ, altera sub patrocinio sancti Petri, quæ jam dudum creata est parochia totius oppidi; altera subterranea, juxta muros abbatiæ in cœmeterio parochiæ posita, cui nomen dederunt sancti Pauli primi eremitæ. Hanc autem, quæ nunc in duas partes divisa est, cryptam minus proprie dixeris quam sanctuarium; ibi enim in conditoriis quæ superstant & visuntur hactenus, reposita fuerunt post mortem corpora sanctorum plurimorum, qui

dum erant in vivis Jotrensem solitudinem virtu- A tibus benefactisque suis consecrarunt: maxime vero Adonis piissimi fundatoris, sanctæque Theodechildis abbatissæ, in ea parte cryptæ quæ nomen sancti Pauli retinuit; ac sancti Ebrigisili in altera, quæ sancti ejusdem præsulis nomine solet appellari. Eorum exuviæ, nimirum Theodechildis, atque, ut creditum est, Ebrigisili & Aguilbertæ, e terra solenni pompa levatæ sunt tertio idus Octobris anno 1627. atque in majorem basilicam deportatæ coram illustrissima regina Maria Medicæa Henrici Magni regis conjuge, a Philippo Cospéan tunc temporis Nannetensi, postea Lexoviensi episcopo. Utrique autem cryptæ, quam populares B hujus loci *Catatumbas*, Romani vero *Sacram capellam Jotrensem* vocant, superimposita est ædicula beato Martino sacra, in qua capellani monialium statis diebus debent divina officia celebrare.

Ex hoc parthenone prodiere S. Bertila prima abbatissa Calensis, cujus meminimus in ecclesia Paris. tom. VII. col. 559. & venerabilis Ætheria prima abbatissa sanctæ Mariæ Suessionensis, de qua suo loco dicendum. Ab ineunte vero decimo sexto seculo, quo Magdalena Aurelianensis moniales suas ad strictiorem vivendi normam revocavit, ad nostra usque tempora, abbatissæ omnes quæ illic sederunt, vel illustrissimo regum nostro- C rum sanguine, vel nobilissimo Lotharingiæ ducum genere, vel saltem clarissima vetustis imaginibus familia natæ sunt. Exemtionis tamen & jurisdictionis quasi-episcopalis, qua fruebantur tranquille ab anno 1225. naufragium fecere VII. cal. Febr. anno 1690. Parlamenti Parisiensis consulto. *Hist. ecclef. Meld. t. 1. pagg. 209. & 536.*

INDEX ABBATISSARUM.

I. SANCTA THEODECHILDIS, quam sororem fuisse aiunt sancti Agilberti Parisiorum episcopi, vitam vixit adeo absconditam in Deo, ut solo suo nomine posteris innotuerit. Eductam fuisse ex vicino Eboriacensi asceterio, ut Jotrensi D præficeretur, omnino verisimile est. Credidit Mabillonius noster vixisse illam usque ad annum circiter 660. Sepulta est autem in ædicula S. Pauli cum epitaphio quod Mabillonius aliter in Actis sanctorum ordinis sancti Benedicti, aliter in Annalibus Benedictinis descripsit, neutrobique cum sua solita diligentia. Sic legitur in Actis. *Act. SS. Bened. t. 2. pag. 488.*

Hoc membra post ultima teguntur fata sepulchro beatæ
Theodiechieldis intemeratæ virginis genere nobilis
Meritis fulgens strenua moribus flagravit in dogmate fame.
Cenubii hujus mater sacratas Deo virgines
Sumentes oleum cum lampadibus prudentes invitat
Spon .... ias so .... turri Rex P. M. Hæ .... demum
exultat Paradisi adepta triumphos.

Sic autem in Annalibus: *Annal. Bened. tom. 1. pag. 436.*

Hoc membra post ultima teguntur fata sepulchro beatæ
Theodlecheldis intemeratæ virginis genere nobilis meretis
Fulgens strenua moribus flagravit in dogmate almo.
Cenubii hujus mater sacratas Deo virgines
Sumentes oleum cum lampadibus prudentes
.... Filias occurri Rex P. M. Hæc demum exuit atra ....

Plessæus, qui se illò contulit ut suis ipse oculis perspiceret num quidnam vel addendum, vel detrahendum, vel immutandum denique esset, de- *Hist. ecclef. Meld. t. 1. pag. 665.* prehendit 1.° bipartitam esse inscriptionem in duas tabulas lapideas tumulo sanctæ abbatissæ applicitas, alteram ad Meridiem, alteram ad Septemtriones spectantem: 2.° Hanc postremam, quæ tres epigrammatis ultimos versus continebat, de industria sectam fuisse anno, ut credidit, 1627. quando beatæ virginis ossa in majorem basilicam translata sunt; atque inde avulsos esse tredecim aut quatuordecim pollices longitudinis: 3.° Infimum versum uligine cryptæ adeo detritum esse, ut vix ac ne vix quidem literæ possint internosci: 4.° Literas hujus versus deletas, recentiori manu refectas minus industrie, ac misere deturpatas fuisse. Ita autem legendum pronunciat; quanquam quæ Italico charactere distinximus, ea duntaxat restitui posse conjicit:

Hoc membra post ultima teguntur fata sepulchro beatæ
Theodlecheldis intemeratæ virginis genere nobilis meretis
Fulgens strenua moribus flagravit in dogmate famæ.
Cenubii hujus mater sacratas Deo vir*gines sumentes* oleum cum lampadibus prudente*s invitat sponso f*ilias occurrere X .... exultat Par*adisi in gloria.*

Suspicatur autem Plessæus quod vacuum relictum est inter literam *X.* & vocem *exultat*, supplendum esse his duabus notis *calend. Maii*, ut significetur S. Theodechildem decessisse decimo calendas Maii. Colitur tamen sancta abbatissa VI. calendas Octobris.

II. Sancta Aguilberta, quam sororem fuisse aiunt sancti Ebrigisili Meldorum episcopi, sanctæque Theodechildis patruelem sororem. Ejus festum celebratur pridie idus Augusti.

§ Huc nonnullæ tabulæ inducunt primo *sanctam Baldam, sanctamque Modam*, Theodechildis & Aguilbertæ vel amitas, vel materteras, deinde alias quasdam satis confuse usque ad Hermantrudem. Sed homini indigestas illas tabulas sedulo perpendenti expeditius est verbo dicere, memoriam earum pene omnium quæ Jotrensi monasterio præfuerunt abbatissarum usque ad duodecimum seculum obliteratam esse. Molanus tamen in suis ad Usuardum additamentis V. idus Decembris sic habet: *Jotro monasterio sanctæ Baldæ abbatissæ.* Ejusdem similiter eodem die meminit Menardus in suis ad martyrologium Benedictinum observationibus. At neque apud Jotrum, neque uspiam in diœcesi Meldensi, sanctæ Baldæ cultus aut festus dies indictus est. In necrologio Pontelevienſi *Ermensendis comitissa, abbatissa Jotrensis*, dicitur obiisse XVI. calendas Julii. Veremur autem ne Ermensendis illa eadem non sit atque Hermantrudis vel Ermingardis, vel forte Hersendis, de quibus mox E agemus.

III. Hermantrudis, Wenilonis archiepiscopi Senonensis vel soror, vel forte patruelis aut consobrina, sedebat anno 839. Hæc anno 847. ab ipso Wenilone obtinuit maximam partem reliquiarum sancti Potentiani, quæ Jotrum advectæ eodem anno mense Octob. ibidem solenni pompa venerationi fidelium expositæ sunt; postea vero, scilicet XV. calendas Septembris anno 1276. in thecam argenteam inauratam translatæ a Johanne de Montroles episcopo Meldensi. *Diplom. pagg. 249. & 525. Hist. ecclef. Meld. t. 1. pag. 79.*

Acta SS. Bened. t. 2. pag. 326. IV. Ermingardis, ex historia miraculorum sancti Agili, sedebat anno 1000. aut 1001.

** Couci.* V. Mathildis de Cociaco* soror, vel germana vel patruelis Ingeranni de Cociaco episcopi Laudunensis. Hujus meminere Sammarthani fratres, non suo quidem loco, sed in episcopis Laudunensibus. Credidit autem Plessæus abbatissam illam non Jotri sed Calæ sedisse. *Hist. ecclef. Meld. t. 1. pag. 590.* Verum constat ex chartulario Noviomensi, Balduinum Noviomensem episcopum Mathildi Jotrensi abbatissæ & sorori Ingeranni Laudunensis episcopi ad petitionem utriusque quædam confirmasse altaria anno 1103.

VI. Guiburgis. Præfuisse aliquando parthenoni Jotrensi abbatissam nomine Guiburgim certo scimus ex necrologio capellanorum ejusdem parthenonis, in quo pridie nonas Octob. sic legitur: *Obiit Guiburgis abbatissa Jotrensis;* nec dubium est quin eadem illa sit, cujus meminit necrologium Eboriacense III. nonas ejusdem mensis, his verbis: *Gyburgis abbatissa.* *Ibid. p. 36.* Plessæus in ipso historiæ suæ Meldensis ecclesiasticæ contextu non diffitetur Guiburgim sedisse Jotri, sed duodecimo duntaxat seculo vixisse affirmat argumentis, ut credere est, non levibus adductus. Verum neque illa argumenta proposuit, neque ubi indicem abbatissarum Jotrensium apparare aggressus est, de Guiburgi commeminit verbum ullum facere. Sedebat illa anno 1115. quo quædam permutavit cum Adelaïde abbatissa beatæ Mariæ Suessionensis.

Ibidem pag. 590. & seqq. VII. Praxedes sedebat ex chartulario beatæ Mariæ Suessionensis anno 1151. Videtur esse abbatissa ejusdem nominis, cujus meminit necrologium Eboriacense calendis Octobris.

VIII. Adelida, *seu* Adelina, *seu* Ascelina; nisi forte tria hæc nomina tres abbatissas designent. Adelidæ precibus Matthæus episcopus Trecensis transtulit in novam thecam, quam ipsa fingi curaverat, corpus beatæ Pelagiæ VI. idus Junii anno 1175. *Ibid. tom. 2. instr. 126.* Reperitur adhuc in tabulario monasterii A . . . . abbatissa anno 1180.

IX. Eustachia I. nonnihil exemtionis sibi & monasterio suo vindicare aggressa, agnovit tamen anno 1183. coram Willelmo de Campania cardinali, apostolicæ sedis legato, & archiepiscopo Remensi, *Meldensem episcopum esse suum, & villæ Jotrensis episcopum, & electam Jotrensem non debere benedici nisi ab eo; nec etiam clericos Jotrenses ordinari nisi per ipsum: promisit etiam se Meldensi episcopo exhibituram omnem honorem & reverentiam*, &c. *Ibid. instrum. 149.* Sedebat adhuc anno 1196. Obiit autem sive calend. Septembris ex necrologio capellanorum ejusdem monasterii, sive IV. nonas ejusdem mensis ex necrologio beatæ Mariæ Suessionensis; atque in atrio veteris basilicæ abbatialis tumulata est.

X. Agnes I. sedebat annis 1203. & 1206. *Ibid. tom. 1. pag. 206. & seqq.* Litem quam Eustachia habuerat cum episcopo Meldensi persequuta est acriter, ac pene causam vicit. Videtur ea esse, cujus meminere necrologium capellanorum Jotri nonis Julii, & necrologium beatæ Mariæ Suessionensis pridie nonas ejusdem mensis.

XI. Eustachia II. Inter Agnetem I. & Hersendim collocanda est vel Eustachia II. quæ obiit ex necrologio beatæ Mariæ Suessionensis pridie calendas Maii, vel quævis alia. Sed quæcunque ea sit, nondum erat benedicta mense Aprili anno 1208. Mandavit autem Innocentius III. papa Godefrido de Tressi episcopo Meldensi, ut *infra quindecim dies postquam ipse consecratus esset, illi electæ munus benedictionis impendere non omitteret.* *Hist. ecclef. Meld. t. 2. instr. 229.*

XII. Hersendis nomen suum consignavit pluribus actis a mense Junio anni 1220. quo anno speciali mandato summi pontificis benedicta fuerat, usque ad annum 1228. Præterea in instrumento quodam anni 1240. reperitur H . . . . abbatissa Jotrensis. Sed vacabat sedes abbatialis anno 1243. mense Januario. Sub hujus abbatissæ præfectura monasterium Jotrense pronunciatum est *cum universo clero & populo villæ & parochiæ Jotrensis, ab omni jure & jurisdictione episcopali, & omnimoda subjectione Meldensis ecclesiæ omnino liberum & exemtum*, sententia lata anno 1225. mense Novembri a Romano cardinali apostolicæ sedis legato. *Ibid. instrum. 270.*

XIII. Avelina reperitur in instrumentis ab anno 1244. ad annum 1249.

XIV. Isabellis I. sedebat ex tabulario monasterii annis 1254. & 1260. Illa autem e medio sublata, petierunt moniales anno 1264. die Veneris post Pascha, ab Eustachio de Conflans marescallo & custode Campaniæ, ut sibi liceret alteram abbatissam eligere, ex thesauro chartarum regiarum.

XV. Agnes II.

XVI. Isabellis II.

Collegimus ex quibusdam adversariis, anno 1269. duas fuisse abbatissas Jotrenses, Agnetem & Isabellim. Præterea ex instrumento quod Martennius noster typis mandavit, certum est Clementem IV. summum pontificem mandavisse legato suo anno 1268. ut abbatissam Jotrensem, quæ contra statuta canonum electa fuerat, loco dimoveret. *Anecdot. Marten. tom. 2. p. 621.* Expulsa est igitur anno 1269. Agnes II. & eodem anno Isabellis II. in ejus locum suffecta.

XVII. Margarita I. de la Croix regebat anno 1273. ex instrumento quodam ejusdem monasterii.

XVIII. Alix I. *seu* Aëlis.

XIX. Alix II. *seu* Aëlis de Villa-sapientiæ.* ** Villefavoir.*

Duæ fuerunt Aëlides abbatissæ Jotrenses, quarum una obiit ex necrologio capellanorum Jotrensium XII. calendas Octobris; altera vero ex eodem necrologio III. calendas Novembris; sed quo tempore illa sederit, certo definiri non potest. Reperitur A . . . in instrumento anni 1276. Alix, anno 1296. in chartulario Meldensi; Aalis denique de Villa-sapientiæ, annis 1297. & 1298. in tabulario parthenonis Calensis.

XX. Agnes III. de Cerilli electa dicitur anno 1298. & fatis functa anno 1303. Certe hoc anno vacabat sedes abbatialis. Obiit Agnes III. id. Maii, ex necrologio capellanorum Jotrensium.

XXI. Agnes IV. de Gloise præerat annis 1306. & 1307. ex tabulario monasterii. Obiit XIII. calendas Julii, ex necrologio capellanorum Jotrensium.

XXII. Helissendis de Noyers filia Milonis domini de Noyers, & Mariæ de Chatillon sororis constabularii Franciæ, reperitur in actis ab octavo idus Julii 1315. ad VI. idus Febr. 1354. id est 1355. Ejus obitum consignant quædam tabulæ pridie calendas Septemb. & pridie nonas Augusti, quanquam Helissendis abbatissa Jotri bis notatur in necrologio Eboriacensi, nimirum calend. Maii & XVII. calend. Augusti; sed forte plures fuerunt hujus nominis abbatissæ Jotrenses.

XXIII. Margarita II. de Saint-Martin electa est anno 1357. *post obitum Helissendis abbatissæ*; electionem vero confirmavit Innocentius VI. papa nonis Martii eodem anno. *Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 492.*

XXIV. Johanna I. de Freloi dicitur præfuisse aliquot dies anno 1361.

XXV. Johanna II. de Noyers filia Gualcheri de Noyers & Margaritæ de Pequigni, amitam habuit Helissendim abbatissam ejusdem cognominis. Eboriacensi primo, deinde Jotrensi abbatiæ præfecta, hanc regebat annis 1365. & 1378.

XXVI. Margarita III. de Riparia * filia Johannis de la Riviere & Isabellæ d'Augeran, sororque celeberrimi Bureau de la Riviere primi cambellani regis Caroli V. qui sepeliri meruit in abbatia sancti Dionysii in Francia, rexisse dicitur primo monasterium Villare in Caletis, deinde monasterium Jotrense ab anno 1386. ad annum 1418. Hanc reperimus in schedis Jotrensibus ab anno 1386. ad annum 1400. Obiit, si quibusdam tabulis fides, XVI. calendas Maii.

* de la Riviere.

XXVII. Henrica I. de Mello reperitur in instrumentis a decimo calendas Martii 1424. id est 1425. ad VII. idus Septembris 1426. Hujus tempore & rursus bis aut ter ante finem ejusdem seculi monasterium Jotrense ab Anglis & Burgundis direptum dilapidatumque est, omnesque tabularii chartæ in rogum ardentem projectæ. *Ibid. instrum. 518. & 547.*

XXVIII. Johanna III. de Melun soror Ludovici de Melun archiepiscopi Senonensis, comparet in instrumentis ab anno 1433. ad III. nonas Novembris 1459.

XXIX. Johanna IV. d'Ailli filia Radulfi d'Ailli vicedomini Ambianensis, & Jaquelinæ de Bethune, monasticen profitebatur in abbatia Moncelli ordinis sanctæ Claræ diœcesis Bellovacensis, quando electa est abbatissa Jotrensis IV. calendas Februarii 1461. id est 1462. Bullas autem impetravit XVI. calend. Augusti ejusdem anni. Obiit pridie calendas Januarii anno 1492.

XXX. Antonia du Moutier filia senescalli Bituricensis & Antoniæ de Chateau-neuf, monialis abbatiæ Villarensis prope Firmitatem-Adelaïdis, electa IV. nonas Februarii anno 1493. Bullas obtinuit eodem anno tertio idus Martii. Comparet in instrumentis usque ad finem anni 1514. Basilicæ abbatiali restituendæ impense adlaboravit.

XXXI. Magdalena d'Orléans, de qua jam egimus in abbatissis sancti Ausonii Engolismensis, & Faræmonasterii, Jotrensem abbatiam obtinuit bullis pontificiis tertio calend. Martii anno 1515. Calam commigravit anno 1518. deinde Fontem-Ebraldi, ut reformationis quam animo cogitabat *Ibidem t. 1. pag. 312.* A specimina hinc inde decerperet. Regressa Jotrum anno 1523. advexit illuc ex utroque parthenone selectas moniales, quibuscum operi manum admovit haud impigre. Calensibus tamen an. 1524. dimissis, unas Fontebraldenses detinuit, quæ intra paucos dies breviarium, habitum, ceteraque ordinis sui instituta apud Jotrenses induxerunt. Reformatio illa in ipsis fere cunis debilitata est ac paululum imminuta: anno enim 1525. exoravere moniales summum pontificem, ut ter in hebdomada sibi liceret carnibus vesci; qua etiamnum indulgentia utuntur. Magdalena obiit Jotri VII. calendas Novembris anno 1543.

B XXXII. Ludovica de Long-vic de Givri filia Johannis de Long-vic de Givri senescalli Burgundiæ, & Johannæ d'Orléans filiæ nothæ Caroli comitis Engolismensis, materteræ Magdalenæ d'Orléans suffecta est bullis pontificiis pridie idus Novembris anno 1543. atque in æde sua abbatiali benedicta VII. idus Martii anno 1543. id est 1544. a patruo suo Claudio cardinale de Givri episcopo Lingonensi, ædificia monasterii sui quamplurima vel a fundamentis erexit, vel reparavit in melius. Obiit ex Plessæo in historiæ suæ Meldensis ecclesiasticæ contextu, mense Decembri anno 1559. (male apud eumdem 1549. tam in C tabula abbatissarum, quam in indice chronologico) abbatia prius filiæ sororis suæ transcripta. *Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 374. Ibidem pag. 594. & 771.*

XXXIII. Carola de Bourbon filia Ludovici ducis de Montpensier & Jacquelinæ de Long-vic, nondum vota nuncupaverat, quum vocata est a matertera sua ad abbatiam Jotrensem; nuncupavit tamen postea, sed contestando denunciavit se invitam coactamque profiteri. Prioratum S. Christi diœcesis Noviomensis, a monasterio suo pendentem rescidit, fundoque vendito quo pecuniam conficeret, aufugit anno 1572. Heidelbergam, ubi cum aliquot monialibus facinoris sui affinibus religionem catholicam ejuravit, indeque Briellam D profecta nupsit Guillelmo Nassaviensi principi Arausicano.

XXXIV. Ludovica de Bourbon soror Carolæ abbatissa Faræmonasterii, statim post fugam sororis Jotrum se contulit, tam grandi malo qua posset diligentia medicatura. Jotrensem simul & Eboriacensem abbatiam tenuit usque ad ann. 1586. quo anno fatis functa est.

XXXV. Johanna V. de Bourbon soror Ludovicæ & Carolæ, ex abbatissa sanctæ Crucis Pictaviensis facta est abbatissa Jotri bullis pontificiis decimo calendas Maii anno 1586. Basilicam Jotrensem dedicari curavit ab Henrico le Mygnem E episcopo Diniensi, idibus Maii anno 1588. reliquias vero S. Potentiani in splendidiorem thecam transferri a Guillelmo de Requien abbate cellæ sancti Hilarii, octavo idus Augusti anno 1606. Fatis functa pridie nonas Martii anno 1624. in abbatia sua tumulata est, funus procurante Carolo de Noailles episcopo sancti Flori.

XXXVI. Johanna VI. de Lorraine soror Ludovici junioris archiepiscopi Remensis, monialis Fontis-Ebraldi, facta est primùm priorissa Prulliaci ordinis sancti Dominici, deinde tertio idus Augusti anno 1611. adjutrix Johannæ de

Bourbon abbatissæ Jotrensis, cui postea quam successisset, benedicta est quarto calendas Maii anno 1624. a Philippo de Cospéan episcopo Nannetensi. Basilicam novam ingentibus impensis excitavit anno 1629. Obiit octavo idus Octobris anno 1638.

XXXVII. Maria Margareta de la Tremoille Royan, monasticen professa anno 1610. in parthenone de Claretis, eodem anno antequam vota emitteret, ad abbatiam Lilii designata est a rege christianissimo, cui reformandæ studium omne convertit. Hinc ad abbatiam Jotrensem evecta bullis pontificiis nono cal. Januarii anno 1638. ibidem diem clausit extremum VII. calend. Maii anno 1655. Sub hac abbatissa Jotrenses moniales breviario Fontebraldensi repudiato, adhærere Romano cœperunt, vestemque nigram ordinis Benedictini resumere.

XXXVIII. Henrica II. de Lorraine Chevreuse, ex abbatissa Pontis-Dominarum facta est abbatissa Jotri bullis pontificiis IV. calend. Junii anno 1655. Post multas de jurisdictione monasterii sui inter se & Jacobum Benignum Bossuet episcopum Meldensem lites agitatas, quum celeberrimus præsul causam vicisset anno 1690. abdicavit illa anno 1692. in gratiam Annæ Margaritæ de Rohan, secessitque Luteciam Parisiorum in cœnobium Portus-regii, ubi vitam cum morte commutavit VIII. calend. Februarii anno 1694.

XXXIX. Anna Margarita de Rohan Soubize filia natu major Francisci principis de Soubize, & Annæ Chabot de Rohan, monialis monasterii Parisiensis vernacule dicto *Chasse-midi*, bullas impetravit decimo calendas Februarii anno 1692. Benedicta tertio idus Decemb. anno 1707. obiit XI. calendas Julii anno 1721. Sub hac abbatissa cautum est Parlamenti Parisiensis consulto pridie cal. Julii anno 1704. ne canonici Jotrenses alio deinceps quam capellanorum nomine vocarentur.

XL. Carola Armanda de Rohan Soubize soror Annæ Margaritæ, bullas obtinuit mense Julio 1721. Altare majus basilicæ abbatialis, cujus & saxa & materiam fere omnem congesserat Maria Margareta de la Tremoille, collocavit sumtuosa magnificentia. Cessit an. 1729. in gratiam Annæ Teresiæ. Obiit Luteciæ an. 1733. mense Martio.

XLI. Anna Teresia de Rohan Guemené monialis Jotri & abbatissa S. Leodegarii Pratellensis diœcesis Lexoviensis, facta est abbatissa Jotri anno 1729. mense Novembri. Obiit Rotomagi tertio nonas Novembris anno 1738.

XLII. Catharina de Montmorin de Saint-Herem abbatissa Carentonii apud Bituriges, translata est literis regiis ad abbatiam Jotrensem anno 1738. exeunte mense Decembri.

SANCTA MARIA IN CAVEA, *seu* CHAGIA, *aut* CAGIA.

CHAGE.

FUisse antiquitus in urbe Jatino amphitheatrum, *Cagiam* dictum, ibique collocatam esse a primitiis christianorum Meldorum ecclesiam suam cathedralem deprehendisse videtur Plessæus, & probasse. Post eversam a Normannis nono seculo & urbem & ecclesiam, quum urbs ipsa funeri suo superstes dilataret se versus forum regione amphiteatri deserta, reædificata est basilica eo loci ubi stetisse hactenus conspicitur; veteris autem ne occideret memoria, extruxerunt canonici Meldenses in Cavea sacellum, cui nomine indito beatæ Mariæ virginis, *cantuarium sancti Stephani*, hoc est titulum parochi ecclesiæ cathedralis, adjunxerunt duodecimo ineunte seculo : atque inde factum est ut ecclesia illa *beata Maria in Cavea* evaderet non solum ipsius cathedralis ecclesiæ, verum etiam totius urbis parochia primaria. Anno 1135. iidem canonici Meldenses religiosa canonicorum S. Victoris Parisiensis disciplina mirum in modum perculsi, monasterium ejusdem instituti coram se habere cupide appetierunt. Cui rei peragendæ postquam ecclesiam beatæ Mariæ destinaverant, *prabendam* unam ecclesiæ cathedralis nascenti cœnobio attribuerunt, cum *annualibus omnium prabendarum* suarum, & *cantuario* sancti Stephani, *capellania S. Rigomeri*, de qua nos supra diximus col. 1676. nonnullisque *ecclesiis* parochialibus ac *decimis*. Ad electionem autem abbatum quod spectabat, *statutum est quod quando abbatem beatæ Mariæ de Cagia quoquomodo mutari contingeret, canonici regulares a decano & Meldensi capitulo eligendi alterum licentiam requirerent; ipsi vero sine contradictione liberam eis concederent electionem; electione autem facta canonici electum decano & prædicto Meldensi capitulo præsentarent, & ipsi una cum canonicis regularibus eum episcopo offerrent benedicendum.*

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 141. 628. & seqq.

Chart. IV, col. 549.

Hist. eccles. Meld. t. 2. instrum. 77.

Atque hæc est abbatia *beatæ Mariæ in Cavea*, quam adulterato paululum nomine vel *Chagiam*, vel monasterium *Chagiense* appellaverunt. In hoc cœnobio quidam ex canonicis fundatoribus regularium institutis adjungere se cordi habuerunt. Sed seculo sexto decimo ineunte multum ibi inclinata erat regularis disciplina. Hanc Johannes Coulomb abbas corrigere impense studuit, neque omnem lusit operam ; at centum circiter post annis negotium illud feliciter subiere Patres congregationis Gallicanæ, postquam illuc intromissi sunt tam decreto Dominici Seguier episcopi Meldensis decimo calendas Decembris anno 1642. quam secretioris consilii consulto quinto idus Decembris ejusdem anni. Basilica monasterii illius, quam bellis superioribus eversam, postea reædificatam dedicaverat Henricus le Myguem episcopus Diniensis XI. calendas Decembris anno 1591. iterum disturbata est octavo idus Martii anno 1594. cum magna parte regularium ædificiorum ab Henrici Magni regis æmulis; neque adhuc ruinæ omnes resarcitæ.

Ibid. tom. 1. pag. 141.

Ibidem pag. 313.

TABULA ABBATUM.

I. HElias canonicus regularis abbatiæ sancti Victoris Parisiensis, electus est an. 1135. ab ipso Meldensis ecclesiæ capitulo hujus novi cœnobii proto-abbas. Sedisse adhuc videtur anno 1152. ex chartulario monasterii Latiniacensis.

Chart. IV, col. 549.

II. Simon I. patrem habuit, si fides adhibenda est historiæ manuscriptæ ejusdem cœnobii, Hattonem Latiniacensem. Præerat Caveæ an. 1153. ex schedis monasterii Radoliensis, & anno 1165.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 569. & seqq.

ex tabulario Faræmonasterii. Hujus meminit necrologium Caveæ VII. idus Aprilis. Obiit ex chronico ejusdem monasterii anno 1174.

III. Odo nominatur in bulla Alexandri III. papæ XVI. calendas Decembris 1175. & in actis anni 1194. sedisse dicitur usque ad mensem Februarium anni 1199. id est 1200. Obiit tamen ex chronico monasterii anno 1194. De eo lege quæ diximus tom. VII. col. 712.

Pænit. Theod. tom. 2. pagg. 646. & 647. IV. Herbertus. In charta anni 1201. reperitur H . . . . abbas Cagiensis: hunc autem nolunt esse Herbertum, qui ex pœnitentiali Theodori Cantuariensis non sedit ante ann. 1214. Heliam vero hujus nominis secundum appellant nonnulli. B Sed primo ex chronico Caveæ quod eruit noster Stephanotius ex codice mss. bibliothecæ Cantoënnensis, Herbertus proxime successit Odoni: deinde in instrumentis duobus Faræmonasterii *Herbertus* nominatur, ne una quidem litera prætermissa, anno 1200. mense Julio, & anno 1208. unde verisimillimum videtur *Herbertum* pro *Auberto* vel *Roberto* irrepsisse in pœnitentiale Theodori librariorum vel amanuensium incuria. Comparet rursus Herbertus in schedis Caveæ usque ad annum Ibidem. 1219. Obiit ex chronico ejusdem monasterii anno 1219.

V. Aubertus, *seu* Robertus I. ille est qui ex C pœnitentiali Theodori Cantuariensis archiepiscopi electus fuisse videtur temporibus Guillelmi de Nemausio episcopi Meldensis *die Veneris post Dominicam qua cantatur Invocavit me*, anno incerto, sed fortasse 1220. Certe hoc anno sedebat *Aubertus* ex tabulario Faronis-monasterii; reperiturque in instrumentis usque ad annum 1232. *Robertus* vero in aliis actis ab anno 1234. usque ad annum 1241. Hic porro ne ex uno abbate duos faciamus vetant 1.° Historia manuscripta hujus monasterii, quæ administrationem Auberti protrahit in annum 1241. 2.° Codex bibliothecæ Cantoënnensis scriptus anno circiter 1300. qui nulla Ro- D berti facta mentione Stephanum I. proxime subrogat Auberto: *Stephanus*, inquit, *fuit sextus abbas hujus domus* (scilicet Caveæ Meldensis) *& jacet ante ostium capellæ beati Johannis*. Aubertus, & quatuor alii priores Caveæ abbates, jacent in capitulo ex eodem codice manuscripto.

VI. Stephanus I. sedebat ex tabulario monasterii mense Martio 1243. id est 1244. & mense Januario 1250. id est 1251.

* Nanteuil. Ibidem pag. 645. * Gressi. VII. Hugo de Nantolio*. Stephano satis functo vel abdicante electus est Jacobus prior *seu* parochus Gressiaci*, feria III. ante Dominicam Palmarum anno 1250. id est 1251. & quoniam E incurrerat electio in magnam aliquam difficultatem, accersitus est judicio electus coram episcopo Meldensi, qui, ut credere est, electionem rescidit; Jacobo enim prætermisso codex Cantoënnensis statim post Stephanum appellat Hugonem: *Septimus* abbas Caveæ, inquit, *fuit Hugo de Nantholio, qui sepultus est in choro ante pulpitum*. Sedebat Hugo ex tabulario monasterii anno 1257. mense Julio, & ex chartulario S. Sanctini anno 1283. mense Septembri.

VIII. Johannes I. de quo sic habet codex A Cantoënnensis: *Octavus* abbas Caveæ *fuit Johannes, qui jacet retro majus altre*.

IX. Wilonus de Nantolio electus est ex historia manuscripta monasterii XII. calendas Martii anno 1285. & reperitur in schedis Faronis-monasterii eodem anno mense Novemb. In eo finem scribendi fecit qui primus omnium chronicon Caveæ composuit: *Nonus* abbas Caveæ, inquit, *fuit Wilonus de Nantholio, qui & ipse jacet in choro ante pulpitum ad sinistram*. Tres post antiquum illum scriptorem eidem chronico manum suo quisque ævo adhibuerunt, quos accurate hac in tabula designare non omittemus.

X. Robertus II. præerat ex tabulario monasterii XII. cal. Januarii anno 1292. atque ex eodem tabulario vacabat sedes abbatialis anno 1294. mense Februario.

XI. Johannes II. sedebat anno 1312. ex thesauro chartarum regiarum.

XII. . . . . Anno 1316. calendis Augusti, petiere canonici regulares Caveæ a capitulo Meldensi, ut sibi liceret abbatem eligere; qui autem electus est, ejus nomen ignoratur.

XIII. Evrardus electus anno 1335. mense Maio, sedebat adhuc anno 1345. ex chartulario sancti Martini a Campis Parisiensis, & an. 1346. postridie Pentecostes, ex schedis Caveæ.

XIV. Stephanus II. d'Oisleri, de quo sic habet secundus scriptor chronici Caveæ in codice Cantoënnensi: *Stephanus cognomento* de Oyzeriaco, *qui obiit anno 1363. & sepultus est ante altare beati Augustini*. Prætermisit autem scriptor ille eos omnes abbates qui Caveam rexerunt a Wilono de Nantolio ad hunc Stephanum.

XV. Gerardus d'Harvillers ex eodem secundo scriptore *mortuus est anno 1376. & jacet prope Stephanum* decessorem suum. Sed ad annum quod spectat, necesse est mendum irrepserit sive in apographum Cantoënnense, sive in apographum Stephanotii, nisi Gerardus abdicaverit aliquanto tempore antequam moreretur. In eo autem desinit secundus chronici scriptor.

XVI. Simon II. Duplessis, inter præcipuos Caveæ abbates locum obtinet. Reperitur nomen ejus in instrumento ejusdem monasterii dato idib. Julii anno 1374. Sepultus est in choro cum epitaphio cujus hæc lacinia superest:

**** huic tumbæ par simplicitate columbæ*
Mille quater centum si sumas ter quoque iota
*Juni mense nota dum dat mors ****

Qui versus designant non annum 1403. ut existimavit Plessiæus noster, sed vel mensem Jun. anni 1397. sumendo *ter iota*, id est demendo 3. ex 1400. vel certe diem tertium, hoc est III. non. Junii anni 1400. Simon vicarium generalem gessit Guillelmi de Dormanno episcopi Meldensis, quo nomine synodo diœcesanæ præfuit XI. calend. Octobris anno 1385. Ædificia autem pene omnia monasterii sui reparavit.

XVII. Johannes III. de Consolant reperitur in instrumento dato XII. calendas Martii anno 1402. id est 1403. quo anno XI. calendas Julii præsentatus est episcopo Meldensi benedicendus. Pacta permutatione VI. nonas 1408. Octob. cum

Johanne Paridot, transiit ad abbatiam Ruricurtis.

XVIII. Johannes IV. Paridot ex abbate Ruricurtis factus abbas Caveæ anno 1408. dormitorium reædificavit anno 1412. Sepultus est ex historia Caveæ ms. pone majus altare.

* du Chapitre. XIX. Johannes V. de Capitulo*, a quo prætermissis Simone & utroque Johanne ejus decessoribus, principium ducit tertius scriptor codicis Cantoënnensis his verbis: *Johannes de Capitulo, qui jacet ante majus altare.*

XX. Briccius, *qui* ex eodem scriptore *sepultus est in capitulo ante pedes novitiorum.*

XXI. Petrus I. Maillard, ex eodem scriptore *jacet in choro prope aquam benedictam.*

XXII. Jacobus, ex eodem scriptore *jacet in claustro ante ostium ecclesiæ.*

* Chambel. XXIII. Petrus II. de Chamberiaco*, ex eodem scriptore *sepultus fuit in sanctuario ante magnum altare.*

XXIV. Johannes VI. Barbette, ex eodem scriptore dictus *de Ussiaco*, quoniam, ut credimus, natus erat Ussiaci*, *jacet in sanctuario prope turrim.* * Ussi sur Marne.

XXV. Robertus III. ex eodem scriptore *sepultus est in choro ante pulpitum.*

XXVI. Petrus III. Gloussot electus ex historia Caveæ manuscripta anno 1417. obiit ex tertio codicis Cantoënnensis scriptore anno 1436. Sed mirum quinque aut circiter annorum spatio præfuisse huic cœnobio septem abbates.

XXVII. Simon III. Loisel, ab eodem scriptore omissus, ex priore seu parocho Fontaneti* in saltu Brigensi electus est abbas v. nonas Octob. anno 1436. quam electionem ratam habuerunt vicarii generales Paschasii de Vallibus episcopi Meldensis, eodem anno pridie calend. Novemb. Sedebat adhuc ex historia Caveæ ms. an. 1445. * Fontenai en Brie.

XXVIII. Johannes VII. Costillar sedebat ex tabulario monasterii annis 1448. & 1450. attamen tertius scriptor codicis Cantoënnensis eum decessisse ait *anno Domini 1449.*

XXIX. Nicolaus I. Roquette præerat ex schedis Caveæ idibus Maii anno 1461. Huic *indulsit* Sixtus IV. summus pontifex anno 1475. ut abbates ejusdem monasterii *mitra, annulo, & aliis pontificalibus insigniis libere uti possint.* Sepultus est ex tertio scriptore codicis Cantoënnensis, *in claustro ad altare beatæ Mariæ.* Duo autem colligimus ex ejus epitaphio, 1.° *de Meldis oriundum* fuisse; 2.° obiisse pridie idus Febr. anno 1488. id est 1489. *Hist. eccl. Meld. t. 2. instr. 529.*

XXX. Nicolaus II. Chevrot electus idibus Febr. anno 1489. præerat adhuc anno 1495. in ruinis monasterii farciendis occupatus.

XXXI. Isambertus Dupuis electus nonis Februarii anno 1504. id est 1505. competitorem habuit Johannem Antonium de Cribelles, dictum de S. Nazare, cui abbatiam dederat Georgius de Ambasia apostolicæ sedis legatus. At vicit Isambertus sententia lata ab episcopo Meldensi XII. calendas Martii ejusdem anni. Cessit tamen decem circiter post annis, monasterio quantum in se fuit reconcinnato, in gratiam Petri de Beuve, & mortuus est anno 1522. forte decimo calendas Januarii, quo die in necrologio Eboriacensi assig- A natur obitus *Ysambardi* cujusdam abbatis. Fuit ille ex tertio scriptore codicis Cantoënnensis *ultimus abbas ordinis; nam post illum fuere abbates commendatarii, quorum primus fuit Petrus de Beufve,* &c.

XXXII. Petrus IV. de Beuve bullas obtinuit anno 1514. facultatesque monasterii omnes brevi tempore sibi soli arrogavit, ut victu canonicis regularibus denegato, vicarium generalem, eumdemque immutabilem Johannem Coulomb abbatem Livriaci diœcesis Parisiensis ferre coactus sit Parlamenti Parisiensis consulto octavo calendas Aprilis anno 1515. *Hist. eccl. Meld. t. 1. pag. 342.*

XXXIII. Johannes VIII. Coulomb bullis B impetratis pridie calend. Novembris anno 1519. benedictus est una cum Gerardo de Cuinghien abbate Faronis-monasterii, pridie cal. Decembris ejusdem anni in intima ædicula beatæ Virginis monasterii sancti Germani a Pratis Parisiensis, a Guillelmo Briçonnet episcopo Meldensi. Obiit IX. calendas Maii anno 1531. sepultusque est in choro ex quarto scriptore codicis Cantoënnensis.

XXXIV. Petrus V. de Roseto*, ex eodem scriptore proxime excepit Johannem Coulomb, jacetque *in sanctuario ad sinistram juxta turrim.* * Rosai.

XXXV. Johannes IX. de Buz, de quo plura in episcopis Meldensibus & in abbatibus mona- C sterii sancti Faronis, bullas obtinuit IX. calendas Januarii anno 1531. sed ad Caveam in spiritualibus regendam nominatus est in capitulo generali sancti Victoris Parisiensis anno 1532. Johannes Bienvenu abbas Livriaci. Johannes de Buz abbatia illa cessit ante annum 1541.

XXXVI. Philippus de la Chambre cardinalis de Bolonia dictus, frater uterinus Johannis Stuart ducis Albaniæ, monachus Benedictinus & abbas Corbeiæ-veteris, purpura Romana donatus VII. idus Novembris anno 1533. uti rogaverat Franciscus I. rex christianissimus, possessionem Caveæ iniit XII. calendas Februarii anno 1540. id est D 1541. Obiit Romæ VII. idus Febr. anno 1550. id est 1551. jacetque in ecclesia sanctissimæ Trinitatis de Monte. In eo definit quartus, idemque postremus codicis Cantoënnensis scriptor.

XXXVII. Johannes X. de Poitiers, quem aiunt fratrem fuisse famosæ hujus cognominis Dianæ, filium vero Johannis de Vaillans domini Vernoliensis apud Suessiones, designatus est a rege christianissimo abbas Caveæ anno 1551. abbas item Ellantii in diœcesi Remensi. Obiit tertio nonas Maii anno 1583.

XXXVIII. Leonardus Botal medicus regis, abbatiam tenebat IX. calendas Maii anno 1585.

E XXXIX. Johannes Baptista I. de Fallet clericus diœcesis Astensis, abbatia fruebatur decimo calendas Martii anno 1587. Cessit in gratiam Ludovici de Vente.

XL. Ludovicus de Vente canonicus regularis, filius Ludovici de Vente locum tenentis generalis, assessorisque in urbe Massilia, in abbatiæ possessionem venit anno 1588. mense Martio. Obiit Massiliæ jam a longo tempore valetudine infirmus, quo anno incompertum.

XLI. Claudius Coquelet, de quo diximus in episcopis Diniensibus, in abbatibus Livriaci, &

in decanis ecclesiæ Meldensis. Obiit VII. calendas Novembris anno 1613.

XLII. Philibertus de Verges abbatiam possidebat XIII. calend. Junii anno 1616. Cessit anno 1621. in gratiam sequentis.

XLIII. Johannes Baptista II. Charrier clericus Lugdunensis & doctor theologus, quem aiunt fuisse regi Ludovico XIII. ab eleemosynis, bullas obtinuit idibus Nov. anno 1623. fatis functus eodem anno.

XLIV. Guillelmus Charrier frater præcedentis & cardinali de Retz addictissimus, paucis diebus post obitum fratris abbatiam obtinuit. Comitiis cleri Gallicani generalibus adstitit anno 1645. legatus a diœcesi Meldensi. Devixit Luteciæ Parisiorum anno 1667.

XLV. Joseph Ignatius d'Ardennes d'Arragon d'Isle bullas impetravit V. idus Dec. anno 1667.

XLVI. Petrus VI. de Rouvroi filius Petri de Rouvroi & Mariæ Ursulæ de Gonteri de Saint-Alban, bullis obtentis VIII. idus Januarii anno 1671. possessionem iniit eodem anno mense Octobri. Finem vitæ implevit anno 1684.

XLVII. Ludovicus Philippus de Rouvroi frater Petri, bullis impetratis XIV. cal. Novembris anno 1684. possessionem adeptus est III. calend. Martii anno 1685. Obiit an. 1740. mense Maio.

XLVIII. . . . . . de Polastron nominatus a rege anno 1740. mense Septembri.

NOTRE-DAME. SANCTA MARIA in foro Meldensi,

Olim

ORMONT. SANCTA MARIA de MONTE-AUREO.

Beatæ Mariæ de Monte-aureo, olim Remensis, nunc Meldensis diœcesis monasterium, fundatorem agnoscit Johannem dominum de Courlandon; archiepiscopum vero Remensem Henricum de Dreux inter eos recenset qui de se potissimum in ipsa sua fundatione benemeriti sunt. Literas Henrici subjicimus ex tabulario ejusdem monasterii depromtas: *H. . . . Dei gratia Remensis archiepiscopus, dilecto filio suo Gerando priori de ordine Prædicatorum Remensium, salutem in Domino. Concedimus tibi plenam & liberam potestatem transferendi auctoritate nostra bona hospitalis de Corlandon ad abbatiam quæ ibi de novo plantabitur, Domino annuente. Volumus etiam & concedimus, ut omnes decimas, quas in diocesi nostra de manu poteris extrahere laïcorum, in eamdem abbatiam transferas, & ibidem assignes. Datum Remis in vigilia Exaltationis sanctæ Crucis, anno Domini M. CCXXXIV.* Item alias: *Henricus Dei gratia Remensis archiepiscopus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noveritis nos donationem & eleemosinam quam Gilo Culdemelier de Curvilla coram nobis monialibus de Ornunt ordinis Cisterciensis, nostræ diocesis, de sex jornalibus terræ arabilis apud Wartefosse sitis, & aliis sex jornalibus . . . . . concedimus & laudamus,* &c. *Datum apud Carvillam per manum G. cancel. nostri, anno gratiæ M. CCXXXV. mense Martio.* Atque ex his duobus Henrici Drocensis instrumentis sequitur primo monasterium Montis-aurei fundatum fuisse inter mensem Octobrem anni 1234. & mensem Martium anni 1235. id est 1236. deinde attributum fuisse primitus monialibus ordinis Cisterciensis.

Chart. XIII. col. 559.

Situm erat illud non longe a Finibus *, quod est oppidum Remorum Suessionibus conterminum; sed quum eo tempore monachi Cistercienses monialium ordinis sui fundationes fere detrectarent, transiit non multo post Mons-aureus ad canonicas regulares; id autem factum esse tradunt ante annum 1248. Quinto decimo seculo multum detrimenti ceperunt ab Anglis canonicæ illæ. Domum suam & facultates suas omnes derivatas viderunt primo ab archiepiscopo Simone de Cramaud anno 1412. in abbatiam sancti Dionysii Remensis; deinde anno 1421. in xenodochium Remense sancti Antonii, asylum apud Bituriges postmodum quæsituræ, neque ante annum 1447. in integrum restituendæ; qua de re iterum agemus in archiepiscopis Remensibus. Anno 1622. quum Alemanni Campaniam depopularentur, fugerunt moniales Montis-aurei Durocortorum Remorum, atque in ea urbe aliquot menses constiterunt. Verum anno 1626. Claudia de Marle abbatissa, bellorum tot tumultuumque pertæsa abbatiam transcripsit Ludovicæ de la Vieuville, ea lege ut illa moniales suas traduceret in urbem quam vellet muris vallatam. Ludovicæ frater erat Carolus de la Vieuville, gubernatoris Campaniæ locum-tenens generalis. Hic novi cœnobii fundamenta jecit ære suo in foro Meldensi, quo utraque abbatissa cum duodeviginti monialibus commigrarunt XIV. calendas Maii anno 1629. Translationem autem illam, quam archiepiscopus & canonici Remenses calculo suo comprobaverant, ratam habuit & Urbanus VIII. papa calendis Decembris anno 1230. Male apud Sanmarthanos parthenoni huic datum est nomen sancti Honorati.

* Fimes.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 442.

Chart. XV. col. 560.

CATALOGUS ABBATISSARUM

IN DIŒCESI REMENSI,

Ordinis Cisterciensis.

Vel nullæ, vel omnino incognitæ.

Ordinis sancti Augustini.

I. IDA, sedebat ex schedis anno 1276. & anno 1299. mense Julio.

Ibidem pag. 597. & seqq.

II. Isabellis de Seuil. Isabellim absque cognomine reperimus in chartis ann. 1319. 1321. & 1322. in charta autem anni 1337. Isabellim de Seuil. Fidem vovit ecclesiæ Remensi ann. 1321.

III. Aalips de Villiers præerat ex tabulario monasterii annis 1370. & 1387. Forte ea est quam sub nomine Aëlidis invenimus juramentum præstitisse ecclesiæ Remensi pridie calendas Febr. anno 1350. id est 1351.

IV. Margarita I. de Brebant, soror Cligneti de Brebant, amiralli Franciæ sub rege Carolo VII. ingruente bellorum tempestate domum deserere coacta exulabat apud Bituriges annis 1426. & 1429. Tunc Carolus VII. dedit illi hospitium suum de Mirevaux in Occitania, cum ducentis libris annui reditus, donec ad Aureum-montem reverti posset; atque ibi considebat adhuc Margareta nonis Novembris anno 1429. ex schedis bibliothecæ

bibliothecæ regiæ. Interea vero monasterium Aurei-montis converterunt in suos usus primo canonici regulares abbatiæ S. Dionysii Remensis anno 1412. deinde hospitalarii xenodochii S. Antonii Remensis anno circiter 1422.

V. Johanna I. de Brebant, dicta etiam de Barle-Duc, Margaritæ vel amitæ vel materteræ suæ successit, œconoma primo, deinde abbatissa renunciata. Sedebat anno 1444. ex tabulario monasterii; sed hospitalarios sancti Antonii ab Aureomonte quem occupaverant, non pepulit ante annum 1447.

VI. Catharina de Faverques præerat anno 1482. ex tabulario monasterii.

VII. Petronilla Gueval monialis S. Amandi Rotomagensis, possessionem iniit Aurei-montis anno 1484. ex eodem tabulario.

VIII. Sebastiana de Boutillac reperitur in charta anni 1508.

IX. Nicolaa I. possessionem adepta est an. 1515.

X. Margarita II. d'Antigni reperitur in charta anni 1520.

XI. Antonia de Longueval monialis Origniaci, facta abbatissa Aurei-montis anno 1535. adhuc præerat, ex schedis, anno 1552.

XII. Margarita III. de Longueval sedebat an. 1566.

XIII. Nicolaa II. des Tournelles reperitur in actis annorum 1577. & 1579.

XIV. Nicolaa III. Bistienne nomen suum consignavit instrumento anni 1587.

XV. ...... de Passi, solo cognomine nota, reperitur in instrumento anni 1592. Meminit necrologium Noæ-fortis, qui prioratus est monialium Benedictinarum diœcesis Meldensis, ad idus Decembris abbatissæ Aurei-montis, cui nomen fuit Julianæ; atque hæc fortasse illa fuit cujus nomen hic desideramus.

XVI. Gabrielis de Marle amita forte Claudiæ quæ ei successit, sedebat anno 1596. ex tabulario monasterii.

XVII. Claudia de Marle filia Claudii de Marle vicecomitis d'Arci-le-Ponsart, ex posteris Henrici de Marle cancellarii Franciæ, moniales suas intra claustra tenere cœpit anno 1596. De ea jam diximus in proloquio hujus abbatiæ. Obiit IX. calendas Aprilis anno 1636.

In diœcesi Meldensi.

XVIII. Ludovica de la Vieuville, de qua eodem loci egimus, vota emiserat in prioratu Bellomarii ordinis Fontebraldensis; sed mutato domicilio degebat in parthenone S. Petri Remensis, quando ad abbatiam Aurei-montis evecta est bullis pontificiis XIX. cal. Januarii anno 1626. Commeavit anno 1629. in urbem Jatinum, ubi diem supremum obiit V. idus Septembris anno 1645.

XIX. Remigia Bazin bullis impetratis X. cal. Aprilis anno 1646. benedicta est in basilica monasterii sui VII. idus Junii anno 1648. a Dominico Seguier episcopo Meldensi. Obiit V. cal. Decembris anno 1661.

XX. Maria I. de la Vieuville adjutrix data Remigiæ ab anno 1649. chorum basilicæ ac dormitorium elegantis structuræ excitavit, fatis functa VI. idus Octobris anno 1680.

XXI. Barbara Francisca de la Vieuville filia Caroli de la Vieuville paris Franciæ, gubernatorisque provinciæ Pictaviensis, & Franciscæ Mariæ de Vienne, amitæ successit bullis pontificiis X. cal. Januarii anno 1680. Abdicavit VIII. calendas Maii anno 1687. concessitque primo Eboriacum, deinde in parthenonem de Claretis, tum Gissum, ubi ad extremum mortalitatem explevit X. calendas Maii anno 1721.

XXII. Francisca de Malon de Berci, filia Caroli Henrici de Malon domini de Berci, nata Luteciæ Parisiorum X. calendas Martii anno 1628. monasticen professa in xenodochio S. Gervasii ejusdem urbis. Bullis impetratis XI. cal. Martii an. 1689. benedicta est ab episcopo Meldensi Jacobo Benigno Bossuet V. calendas Junii anno 1690. Obiit pridie nonas Maii anno 1693.

XXIII. Maria Magdalena de Mornai de Mont-Chevreuil, monialis Warini-villæ ordinis Fontebraldensis, designata est abbatissa cal. Novembris anno 1693. Bullas obtinuit VII. idus Octobris anno 1694. Abdicavit anno 1700. Obiit VII. idus Augusti anno 1716.

XXIV. Ludovica Francisca de Longueil-de Maisons, filia Johannis de Longueil, marchionis de Maisons, præsidis infulati in Parlamento Parisiensi, monialis monasterii sanctæ Petronillæ prope Luteciam Parisiorum, bullas obtinuit X. calendas Martii anno 1701. Benedicta est ab episcopo Meldensi Jacobo Benigno Bossuet V. cal. Junii anno 1702. Obiit XV. calendas Julii anno 1713.

XXV. Maria II. le Pileur, soror Henrici Augustini le Pileur episcopi Santonensis, monialis S. Nicolai Pontisarensis, ex priorissa minoris Andilegi * facta est abbatissa beatæ Mariæ Meldensis nominatione regia mense Januario anni 1713. & bullis pontificiis IX. calendas Februarii an. 1714. Obiit VII. cal. Decembris anno 1728.

* le Petit-Andeli.

XXVI. Elisabeth Pajot monialis sancti Petri Remensis, designata a rege christianissimo IV. idus Februarii anno 1729. bullas obtinuit eodem anno idib. Martii. Data est ei adjutrix literis regiis VIII. calendas Augusti anno 1733. Maria Ulpha Bonnardi, ex moniali Calensi priorissa Montis-Dionysii in diœcesi Meldensi, qui prioratus eodem anno abrogatus est ab Henrico de Thyard de Bissi cardinali & episcopo Meldensi.

PONS-DOMINARUM.

LE PONT-AUX-DAMES. *Hist. eccl. Meld. t. 1. pag. 210. & seqq.* Chart. XII. col. 558.

ABBATIA Pontis-Dominarum, ordinis Cisterciensis, filia ipsius Cistercii, fundata est anno 1226. ab Hugone de Castellione *, tunc comite Blesensi, postea vero comite S. Pauli, & Maria de Avenis* uxore sua, ad pontem Colliaci* super Mucram-Majorem*; unde primum vocitata est absolute *Pons*, seu abbatia *Pontis*, deinde *Pons B. Mariæ*. Sed quum ante annum 1230. translata fuisset ab ipsis fundatoribus ad villam proximam, quæ dicebatur *Rues*, sive *Rüe*, in finibus parochiæ ejusdem Colliaci, & villa & monasterium paulatim *Pontis-Dominarum*, id est sanctimonialium nomen cepere, quo etiamnum appellari gaudent.

* Chatillon. * Avênes. * Couilli. * le Grand-Morin.

Credunt sanctimoniales illæ se ex monasterio A sancti Antonii in suburbio Luteciæ Parisiorum esse oriundas; sed originis suæ minus, quam eorum qui sibi vel patrocinati sint, vel quomodocunque benefecerint memores, inter illos recensere amant Guidonem de Castellione comitem sancti Pauli, fundatoris sui fratrem natu majorem; Gualcherum, Guidonis hujus filium; Guidonem alterum, fratrem Gualcheri de Castellione, Campaniæ primum, deinde Franciæ constabularii; Gualcherum, constabularii patrem; constabularium ipsum; Isabellam Drocensem, constabularii uxorem; Margaretam, ejusdem constabularii nurum; Carolum Pulchrum Franciæ & Navarræ B regem; Johannam reginam ejus consortem; Blancham Caroli Pulchri filiam, Philippi vero ducis Aurelianensis conjugem, magna sane & præclara nomina. Patroni vero illi quanto eas in pretio habuerint, luculenter ostendit ardens illud quo flagrarunt, & vere christianis animabus dignum, cineribus ancillarum Christi cineres suos miscendi desiderium. Ibi enim sive in choro, sive extra chorum monialium, præter Hugonem fundatorem, qui obiit v. idus Aprilis anno 1249. & Mariam de Avenis conjugem suam, sepulti sunt eorum quamplurimi, atque inprimis duo pueri, vel de Philippo Pulchro, vel de Philippo & Blancha C Aurelianensium ducibus nati; ipsius Blanchæ viscera; Gualcherus de Castellione, constabularii filius; & Margareta ejus uxor.

Tabula Abbatissarum.

I. H. . . . . . . nonnisi priore nominis sui elemento nota, transegit an. 1233 cum capitulo Meldensi de decimis Sanciaci*, ex tabulario ipsius monasterii. * Sanci.

II. Johanna I. Hæc anno 1247. confessa est Creciacensem toparcham esse monasterii sui *custodem & advocatum*, ex thesauro chartarum regiarum.

§ Dehinc per annos quasi centum usque ad Isabellim de Sarris, silent tabulæ, aliaque monumenta.

III. Isabellis I. de Sarris* soror Egidiæ de Sarris dominæ de Changi, quæ nupsit Egidio Granche magistro stabuli regis Philippi Pulchri, renunciatur in variis instrumentis a septimo idus Septembris anni 1342. usque ad annum 1355. * Seris.

IV. Agnes I. regebat anno 1364. ex tabulario monasterii.

V. Jaquelina de Gaillonnet. Ejus nomen reperitur in quibusdam actis a XIII. calend. Septemb. 1377. ad annum usque 1392.

VI. Johanna II. du Sollier, cujus mentio fit in quibusdam instrumentis a quarto calendas Septembris 1397. ad annum 1403.

VII. Maria I. de Villers nomen suum consignavit instrumento cuidam anni 1427.

VIII. Agnes II. de Puchot, cujus nomen repræsentant chartæ quædam ab anno 1439. ad annum 1445.

IX. Johanna III. Thebonde præerat mense Martio 1445. id est 1446. ex tabulario monasterii.

X. Aglantina I. de Montiette subscripsit instrumento cuidam anni 1449.

XI. Tassina Girard subscripsit quibusdam actis anni 1456.

XII. Alardina de Jasquieres memoratur in chartis annorum 1469. & 1479.

XIII. Aglantina II. quædam prædia acquisivit anno 1488.

XIV. Margareta Mignot nata Tornaci, electa est mense Martio anni 1502. (male apud Plessæum 1507.) Obiit autem post annos administrationis XXVI. & hebdomadam unam, ex ejus epitaphio, XIV. cal. Aprilis 1527. id est 1528. jacetque in choro. Hic Plessæus noster ex una eademque abbatissa duas inconsulto videtur fecisse, alteram sub nomine Margaretæ de Tournai, alteram vero sub nomine Margaretæ Mignot. Hæc enim, ut moris fuit, ex natali solo Tornacensis nomen aliquando assumsit. Quod autem observavit Plessæus Margaretam de Tournai inscribi chartæ cuidam anni 1501. nihil obstat quominus illud ipsum ad Margaretam Mignot traduci possit, cujus electio consignanda est reapse ante idus Martias anni 1501. si rationem temporum illorum sequaris, quanquam ex hodiernæ computationis usu annus ille 1502. appellandus est.

XV. Maria II. Glane præerat anno 1529. ex tabulario monasterii.

XVI. Petronilla I. Ornot nata Divione, electa anno 1530. obiit VII. calendas Septembris anno 1551. ex ejus epitaphio, jacetque in choro.

XVII. Petronilla II. du Valengelier, statim post mortem Petronillæ Ornot, electa est nonagenaria, sed uno post mense senio consumta est.

XVIII. Isabellis II. de Chabannes Curton filia Joachimi de Chabannes & Ludovicæ de Pompadour, monialis Pisciaci*, post ejusdem Petronillæ Ornot obitum designata ab rege christianissimo, bullas impetravit VII. idus Januarii anno 1552. * Poissi.

D Asseruimus olim inconsiderate tom. II. col. 408. Isabelli huic duas fuisse sorores, Gabrielim abbatissam Esclaciæ, & Helenam abbatissam Vallissanæ. De Helena quidem nihil culpandum; sed Gabrielis filia Francisci de Chabannes, utramque habuit amitam, neutram sororem. Porro Isabellis e medio excessit XV. cal. Septembris anno 1590. Huic autem vix demortuæ moniales Pontis pro suo antiquo jure Isabellim de Pomeuse omnibus suffragiis electam subrogare contenderunt. At illa post undecim dies extincta loco cessit Claudiæ de Beauvillier, quæ hoc eodem anno 1590. ex lege concordatorum & regis nominatione abbatiam E adepta est.

XIX. Claudia de Beauvillier de Saint-Agnan filia Claudii de Beauvillier & Mariæ Babou, Montis-Martyrum monialis, & ad ejusdem Montis abbatiam a rege primum designata, postquam ad parthenonem Pontis, quem eximia caritate diligebat, evolare maluisset, eum subinde cum abbatia Faræmonasterii ne commutaret, recusavit. Inaugurata est in sua Pontis basilica a Johanne de Vieupont episcopo Meldensi anno 1615. pridie nonas Aprilis. Occidit autem quinto cal. Februarii anno 1628. & in choro ecclesiæ suæ sepultura donata

est. Laudatur hæc abbatissa quod monasterii sui ædificia vetustate sublapsa repararit in melius. Laudantur pari studio moniales suæ, quod quum illa gynæceum ejusdem monasterii arctius circumsepire vellet, nil nisi clathros fenestris, pessulosve addiderit foribus, quæ jam diu nulli hominum patebant.

XX. Catharina de Baradat filia Guillelmi de Baradat & Susannæ de Romain, monialis Avenaci, in præcedentis locum nominata a rege Ludovico XIII. possessionem iniit VIII. idus Junii anno 1626. Inaugurata est ab episcopo Meldensi Dominico Seguier IV. idus Aprilis 1646. Devixit autem III. cal. Octob. 1651. & in choro basilicæ B suæ tumulata est. Ejus vitam conscripsit pater Natalis ex ordine sancti Francisci, in libro qui inscribitur Francice *la parfaite Abbesse*, typis vulgato Luteciæ Parisiorum anno 1654.

XXI. Anna Maria de Lorraine filia natu- major Claudii ducis Caprosiæ*, primùm adjutrix Romarici-montis, deinde monialis Montis-Martyrum, ad abbatiam Pontis evecta anno 1651. mense Octobri, in ejus possessionem venit anno sequenti, tertio cal. Januarii. Eodem ferme tempore ingruente bellorum domesticorum tumultu, se suamque congregationem transportavit Luteciam Parisiorum, ubi postea aliquanto vitæ finem C implevit in monasterio Portus-regii. Exuviæ ejus ad Pontem revectæ, in choro conditæ sunt cum hoc epitaphio : *Cy gist Madame Anne-Marie de Lorraine, qui quitta le monde & chercha le Ciel dès son enfance. Son sang illustre l'approcha du throne des rois, & sa vertu de celui de Dieu. Elle a été un an coadjutrice de Remiremont, cinq ans simple religieuse à Mont-Martre, sept mois abbesse du Pont; aimée, admirée & regrettée par tout. Elle deceda le 5. Août 1652. âgée de 28. ans.*

*Chevreuse.

XXII. Henrica de Lorraine filia Claudii ducis Caprosiæ natu-minor, postquam sorori suæ adhæsisset & in Monte-Martyrum, & in Ponte-Domi- D narum & Luteciæ Parisiorum comes individua, eidem substituta est abbatissa Pontis destinata a rege christianissimo XIX. cal. Septembris 1652. deinde anno sequenti pridie nonas Julii benedicta est ab episcopo Meldensi in ecclesia Cistercensium Parisiacorum, adstante regina christianissima. Sed an. 1655. translata est ad parthenonem Jotrensem.

XXIII. Magdalena de la Tremoille filia Philippi marchionis de Royan, & Magdalenæ de Champrond, monialis sanctæ Crucis Pictaviensis, designata a rege VI. nonas Maii 1655. bullis vero pontificiis instructa mense Julio sequenti, possessionem adepta est nonis Augusti ejusdem anni; E deinde anno 1672. benedicta a Dominico de Ligni episcopo Meldensi. Finem vivendi fecit XVI. calendas Decembris 1679. & in choro ecclesiæ suæ contumulata est.

XXIV. Calliope de la Tremoille Magdalenæ sororis suæ principatu vota nuncupaverat. Eidem vero subrogata regis christianissimi rescripto XV. calend. Decembris 1679. possessionem iniit XII. calendas Aprilis 1680. deinde pridie nonas Maii ejusdem anni benedicta est ab abbate Cisterciensi. Sponte cessit anno 1700. mense Aug. & naturæ A satisfecit XI. cal. Octobris 1705. Jacet in choro.

XXV. Francisca le Fevre d'Ormesson filia Olivarii le Fevre d'Ormesson & Mariæ de Fourci, Pontis ipsius monialis, nominata a rege XIII. cal. Septemb. 1700. possessionem adepta pridie idus Aprilis 1701. demum a Jacobo Benigno Bossuet episcopo Meldensi eodem anno benedicta, & ipsa abdicavit anno 1726. mense Octobri. Jacet in choro demortua XVI. cal. Januarii ejusdem anni.

XXVI. Catharina Isidora de Bourlamaque nata ex amplissima urbis Lucæ in Etruria familia, quæ usque ad hoc tempus decem & septem reipublicæ illius Gonsalonerios peperit, in lucem vero edita Luteciæ Parisiorum tertio cal. Aprilis anno 1683. patrem agnovit Franciscum de Bourlamaque, utriusque uxoris Philippi Borbonii I. Aurelianensium ducis scutarium. In ipso Pontis monasterio monasticen professa, ad ejusdem gubernationem provecta est a christianissimo rege anno 1726. mense Novembri. Deinde possessionem adepta XII. cal. Febr. 1727. benedictionis munus accepit VI. idus Junii ejusdem anni, ab eminentissimo cardinali Henrico de Bissi episcopo Meldensi, in sacello palatii episcopalis.

CAMERUS-FONS, *seu* CHAMERUS-FONS.

CHAMBRE-FONTAINE.

ITA vetustiores membranæ omnes, non ut recentioribus placuit, *Cameræ-fons*, aut *Cameræ-fontis*; quo nomine fornicatum fontem intelligi volunt : quanquam sequioris ævi scriptores fornicem non *Cameram* seu *Camaram*, sed *Voltam* appellavere. *Camerus* autem an corrupto nomine pro *Camulo* Deo, sive Marte, dici potuerit, quæ sententia fere arrisit Plessæo nostro, penes eruditos esto judicium. Nobis verisimilius videtur *Cameri* fontis atque urbis *Cameraci* eamdem prorsus esse originem; nisi forte *Camerus* aut *Chamerus*, Francis *Chamier*, appellatus olim fuerit nescio quis fonticuli hujus dominus. Quidquid ea de re sentiendum est, fons Camerus oritur in finibus parochiæ Cuisiacensis, Jatinum inter & oppidum Domni-Martini in Goëlla. Eo vero loci, duodecimo seculo fere exeunte, excitatum est cœnobium ordinis Præmonstratensis sub patrocinio beatæ Mariæ virginis; sed quo anno, quibusve fundatoribus, omnino incertum.

Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 175. 179. & 186. Hugo annal. Præmonstrat. tom. 1. pag. 443. Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 169.

Non defuere in eo monasterio qui beneficium illud Miloni toparchæ Cuisiacensi, Petroque ejus filio Meldensi episc. acceptum referrent. Verum germanus Petri Alermus, idemque post eum Meldensis episcopus, fassus est ipse anno 1257. *ecclesiam Cameri-fontis a parentibus & prædecessoribus suis* nonnisi *ex parte* fuisse *fundatam*. Certe in antiquioribus quæ supersunt ecclesiæ illius sive chartis, sive aliis id genus documentis, de Milone aut parentibus ejus ne verbum quidem ullum. Memorantur anno 1190. Helias & Hugo milites, *de Mont-lon*, villa monasterio vicina, & Maria Trecensis comitissa. Memorantur item annis 1192. 1195. &c. alii non pauci usque ad annum 1224. quo ad extremum anno Petrus de Cuisiaco episcopus Meldensis testatur Milonem patrem suum *legasse* non ita pridem *ecclesiæ de Camero-fonte*

Ibid. tom. 2. instr. 378. Ibid. instrum. 175. 179. 186. 197. 205. & 211. Ibid. instrum. 265.

quindecim solidos annis singulis persolvendos. Unde colligendum est, eorum quidem qui de Camero-fonte bene meriti sunt nomina satis multa, eorum vero qui cœnobium ipsum condiderunt nulla ad nos usque pervenisse.

Neque tamen omni ex parte redarguendos velim Cuisiacenses dominos quod benemerentum titulo minus contenti, fundatorum saltem *ex parte* gloriosius nomen adsciscere sibi voluisse visi sint. Scilicet abbatia quæ *in declivi montis & ad ipsam*, ut aiunt, *fontis concham* ædificata primum fuerat, instaurata est *anno 1244. ad radicem montis in loco planiore, & anno 1257. ad culmen perducta.* Sedes autem locandorum asceterii novi ædificiorum Præmonstratensibus attributa fuerat partim ab Alfonso tunc temporis Lusitaniæ principe, postea vero rege hujus nominis tertio, partim, ni fallimur, a Milone Cuisiacensi, Petri & Alermi Meldensium episcoporum patre; sic enim interpretari posse nobis videmur quod eodem anno 1257. aiebat Alermus ipse de *certo ambitu*, quem parentes decessoresque sui canonicis Cameri-fontis dono dederant.

Hugo, sup. ibidem pagg. 443. & 445.

Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 378.

Jam vero ad tempus fundationis quod spectat, illud inprimis exploratum habemus, stetisse monasterium ante annum 1190. quandoquidem hoc eodem anno Helias & Hugo milites auxere illud quibusdam beneficiis. Sed ex Valle-secreta prodiere qui primi omnium domum hanc incoluere Præmonstratenses, & ii quidem, ut ferunt, ab Oberto abbate missi. Vallem autem secretam regere non cœpit Obertus abbas ante ann. 1188. Eo igitur temporis spatio quod inter utrumque annum 1188. & 1190. intercedit, fundata est Camerifontis abbatia. Basilica vero hujus monasterii ante hos fere centum & quinquaginta annos vetustate minus quam abbatum incuria collapsa est, neque adhuc in integrum restituta.

Hugo, sup. ibidem pag. 445.

Ibidem pagg. 447. & 448.

SERIES ABBATUM.

I. R..... prima tantum nominis sui litera notus. Sedebat ille non solum an. 1202. ex chartulario Meldensi, sed & anno 1214. ex tabulario monasterii beatæ Mariæ in Cavea. Tria hæc jam ab anno 1731. observaverat Plessæus noster, Milonem vero nescio quem ejus nominis primum, a quo exordium ducebant recentiores tabulæ, ex albo expunxerat, ratus non sine causa Milonis nomen, sive toparchæ Cuisiacensis, sive filii ejus revera abbatis, de quo mox dicendum, errori ansam præbuisse. Unde admirari subit eruditum Stivagii abbatem, qui annales ordinis sui scribebat anno 1734. Miloni eidem in sua abbatum Cameri-fontis tabula & locum dedisse, & primum locum, & si chronologis placet, regimen usque ad annum 1207. Ceterum in monumentis quæ manibus tractavimus abbatiæ nomine non gaudet Camerus-fons, nisi ab anno 1200.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 574.

Hugo, sup. ibidem pag. 445.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 170.

II. Johannes I. instrumento cuidam anni 1230. subscripsit mense Septembri, interpres & arbiter concordiæ una cum Auberto abbate B. Mariæ in Cavea, episcopum inter & capitulum Meldense.

Ibidem pagg. 574. & seqq.

III. Galterus de Malo-respectu*. Hic obiisse fertur IV. nonas Januarii anno 1232.

* Mauregard.

IV. Milo de Cuisiaco* filius Milonis toparchæ Cuisiacensis, frater autem Petri & Alermi episcoporum Meldensium, ac Thomæ abbatis sancti Faronis. Ejus nomen reperitur in charta quadam anni 1232. Obiit autem, si necrologio monasterii fides, XII. calendas Martii anno 1238. vel, ut alii volunt, 1236.

* Cuisi.

V. Arnulfus, cujus mortem consignant indices anno 1239.

VI. Ricardus, de quo necrologium hæc habet: *Nonis Aprilis commemoratio Richardi abbatis hujus ecclesiæ, cui præfuit profuitque annis ferme quadraginta. Hujus tempore magnates Cameræ Fontem donis auxerunt suis, & sedes antiqua abbatiæ ad radices montis procurantibus Alfonso Portugalliæ principe, & Mathilde comitissa de Dompno-Martino ejus conforte, fuit translata. Sponte venerabilis abbas anno 1278. oneri & honori valedicens, residuum vitæ spatium in humilitate consummavit. Obiit 1280.*

VII. Guillelmus I. præerat anno 1279. mensibus Septembri & Octobri, ex duobus instrumentis monasterii beatæ Mariæ in Cavea.

VIII. Laurentius. Hic fraternitatis fœdus pepigit cum canonicis Hermeriarum mense Januario anni 1284. Adhuc superstes mense Julio anni 1291. Obiit ex necrologio V. idus Februarii.

IX. Johannes II. migrasse dicitur ex hac vita XI. calendas Junii anno 1327. Ejus nomen reperitur in chartis annorum 1300. & 1316.

X. Johannes III. de Yverniaco*, memoratur in chartis annorum 1329. & 1330. Extinctus est ex necrologio XVI. calendas Augusti anno 1335.

* Yverni.

XI. Simon I. de Yverniaco regebat an. 1336. ex instrumento quodam ejusdem anni. Naturæ debitum solvisse dicitur XIV. calendas Septembris anno 1347.

XII. Johannes IV. de Companso* devixit ex necrologio VI. nonas Octobris anno 1355.

* Compans.

XIII. Simon II. finem vivendi fecit ex necrologio IX. cal. Octobris anno 1374.

XIV. Johannes V. cujus nomen reperitur in instrumento quodam IX. calendas Aprilis 1378. obiit ex necrologio IV. idus Novembris.

XV. Odoardus raptus est ex necrologio Hermeriarum calendis Octobris anno 1400.

XVI. Johannes VI. Courroie subscripsit quibusdam actis annorum 1403. & 1404. Obiisse dicitur IV. idus Decembris anno 1423.

XVII. Johannes VII. Chevance subscripsit quibusdam actis ann. 1448. & 1449. Obiisse fertur XVIII. cal. Januarii anno 1458.

XVIII. Petrus I. Aubert annos fere triginta rexisse dicitur, diem vero supremum vidisse XV. cal. Januarii anno 1487.

XIX. Renatus de Fontenai ex canonico Præmonstrati & parocho Monticulorum * in diœcesi Laudunensi adjutor præcedenti datus anno 1485. obtinuit a vicariis generalibus diœcesis Parisiensis III. idus Julii 1487. ut a quovis mallet episcopo catholico benediceretur. Præerat adhuc VIII. idus Julii 1497. ex tabulario monasterii. Obiisse autem dicitur XVII. calend. Septembris anno 1501.

*Monceaux.

XX. Guillelmus II. Alix nomen suum consignavit quampluribus actis ab anno 1502. ad annum

1516. Obiisse dicitur xvi. calendas Febr. anno A 1517.

XXI. Amatus de Fonte* Sorbonæ doctor, memoratur in charta quadam xvii. calendas Dec. 1518. Ad Cuissiacum translatus anno 1524. (male apud abbatem Stivagii 1528.) deinde an. 1530. ad Laudunensem sancti Martini abbatiam, obiit ex necrologio pridie nonas Aug. an. 1545. postquam vicarius generalis totius ordinis sui effectus, capitulis generalibus ejusdem ordinis eo nomine sæpius multa cum laude præfuisset.

* de la Fontaine.

XXII. Egidius Tavernier regularium abbatum ultimus, elegantioris basilicæ fundamenta posuit anno 1530. eamque subinde cærulei lapidis B laminis contexit. Diem clausit extremum ex necrologio vii. cal. Octobris anno 1536.

XXIII. Adrianus de Lamet commendatariorum primus, idemque Ambianensis ecclesiæ decanus, abbatiam obtinebat viii. idus Januarii 1537. id est 1538. Obiit ex necrologio ecclesiæ Ambianensis xiii. calendas Septemb. anno 1553.

XXIV. Gaspardus du Vernai de la Garde inscribitur pluribus actis a xviii. cal. Maii 1554. ad calendas Februarii 1563.

XXV. Ascanius du Mas inscribitur pluribus actis ab anno 1562. ante Pascha, id est 1563. usque ad annum 1588. Obiisse dicitur v. calend. C Januarii anno 1598.

XXVI. Innocentius Moireau sedebat ex tabulario monasterii annis 1601. & 1607.

XXVII. Franciscus de Villiers designatus dicitur anno 1609. ab rege christianissimo.

XXVIII. Petrus II. Bouguier Parlamenti Parisiensis consiliarius, inscribitur quampluribus actis a iv. nonas Novembris 1611. ad iv. non. Maii 1625. Successorem vero habuit, si Plessæo nostro credimus, quemdam de Monbelin, solo nomine gentilitio notum, quem recenseri ait in charta quadam scripta calendis Junii 1636. At vereor ne Monbelin ille fuerit Petri Bouguier veri abbatis D vel vicarius, vel procurator: Petrum enim obiisse constat anno 1652. (male apud Plessæum 1562. typographi errore) quo tempore prostratam abbatiæ suæ basilicam ære suo restituere satagebat.

XXIX. Franciscus Molé requæstarum magister, filius Matthæi Molé protopræsidis Parlamenti Parisiensis, & Renatæ Nicolaï, Cameri-fontis & sanctæ Crucis Burdegalensis, sanctique Pauli Virdunensis abbas, obiit anno 1712. sive iii. nonas Maii ex necrologio, sive, ut alii volunt, ipsis non. Aprilis.

XXX. Ignatius de Brancas designatus a rege christianissimo xviii. calend. Sept. 1712. deinde E an. 1714. ad episcopatum Lexoviensem assumtus.

CERFREDUM, *seu* CERVUS-FRIGIDUS.

Cerfroi.

Caput ordinis sanctissimæ Trinitatis.

QUÆ nobis dicenda erant de hoc ordine jam accurate tractaverunt 1.° usque ad annum 1472. Robertus Gaguinus ejusdem ordinis primarius minister, seu præpositus generalis; 2.° ad annum 1570. Jacobus Burgesius minister provincialis ejusdem ordinis in provincia Picardiæ; 3.° A ad nostra usque tempora Claudius Massacus, qui in præsenti totum ordinem regit ac moderatur. Eorumdem vero scriptiones, additis, ubi opus erit, nonnullis adnotationibus, convenientius multo & lectori acceptius fore judicavimus, quam proprio marte adornare novas.

Ex Guaguino.

« Ætate Innocentii III. Romani pontificis, religionis & pietatis feraci, ordo sanctissimæ Trinitatis de Redemtione captivorum initium cepit auctoribus Johanne de Matha, ex Provincia oriundo, & Felice anachoreta Valesiensi. Hic Johannes factus B Parisiensis doctor in theologia, & tædio vitæ secularis affectus, odio mundum habuit: unde initiatus sacerdotio meruit consolari divinitus, dum se angelus veste candida indutus & cruce bicolori insignitus, videndum præbuit. Eam autem visionem boni ominis nuncium interpretatus secessit ad eremum, ubi Felix vitam solitariam agebat in loco qui *Cervus-frigidus* dicitur, eo quod ad collis radicem fons scaturit limpidissimus, ad quem ex finitima silva solitus venire candidissimus cervus refrigerandi se causa; unde locus dictus est *Cervus-frigidus.* «

In eo loco per triennium egit cum Felice Jo- C hannes pari & consentiente in bonum animo. Interim diffundebatur suavis odor nominis eorum, & venientibus ad eos salutis pabula verbo & opere ministrabant. Sed in ea viventes libertate absque definita regula & legitimis institutis, timentes errorem posse contingere, dum concupiscentiæ non resistitur, dum sibi quisque lex est, admoniti ter in somnis a cœlesti nuncio ut Romanum adirent pontificem accepturi certam vitæ regularis normam. Pergunt igitur per duram hiemem ferventes caritate sancti viri ad sanctum pontificem Innocentium, hujus nominis tertium, omnium religionis monasticæ amantium dulce asylum. Quem quum D convenissent, cognoverunt eum simili revelatione instinctum. Quamobrem benignissime ab eo excepti sunt hospitio ad quintum usque calendarum Febr. quum dies festus Agnetis secundo agitur. «

Tum pontifex rem divinam faciens, dum sacram eucharistiam circumstantibus ostendit, angelum Dei videt candore multo fulgentem, cancellatis manibus duos captivos tenentem, Christianum unum, alterum Maurum, tanquam eos commutaret. Huic angelo crux rubei & azurei seu cerulæi coloris ad pectus eminebat. Quo viso & re divina confecta, anachoretas ad se vocans: Jam, inquit, filioli, adverto Dei spiritu vos duci; E dabo vobis indumenta exemplo visionis quæ mihi divina celebranti innotuit respondentia, & eritis primitiæ pontificatus nostri, quos divina bonitas vult novi & sacri ordinis esse auctores. Consutis igitur tunicis Johannem & Felicem candidis vestibus decoravit, superaddita cruce qualem angelus ostendisset, additque novo ordini titulum de Trinitate & Redemtione captivorum, declarans primo in vestimentis eorum tres reperiri colores, album qui Patrem Deum repræsentat, qui principium est sine principio, ut albedo extremus est color nulli alteri colori permixtus: & secundum, «

» qui azureus est color, denigrationem & offuscationem referens, Christum significare, cujus caro cruciatu & dolore fuit contusa & denigrata: tertium vero colorem rubeum, quo quidem ardor significatur, Spiritum-sanctum exprimere, qui ignis est, & flammam inspirat cordibus credentium.

» Admonuit præterea his verbis eos: Candor, o filioli, conscientiæ puritatem atque munditiem qua fulgere vos decet, exprimit; crux vero qua parte rubea est, fervorem caritatis in Deum signat; altera, quæ contusæ carni similis est, Christi passionis memoriam præ se fert, ut nostræ redemtionis ab inferis memores perseverante Deum metu diligatis atque colatis. Quos vero angelus dextra sinistraque invicem commutare videbatur, eos puto repræsentationem facere liberandorum captivorum, quos Christum imitantes postea redemturi estis; ut, pretio redemtionis dato, Christianum e Sarracenorum manibus atque servitute eximatis, vel alicunde adversæ legis hominem pro eo qui christianæ fidei professor est, commutetis.

» Et quia die festo, ut diximus, beatæ Agnetis martyris, quæ bona sua trifariam distribuerat, visio contigerat, voluit summus pontifex fratres ordinis bona quæ deinceps possiderent, in tres partes dividere; ita ut una esset ad fratres alendos qui cultui divino inservirent; altera ad hospitio excipiendos Christi pauperes reponeretur, & tertia pars in redemtionem captivorum detentorum ab Infidelibus servaretur: ac idcirco *Monachos ordinis sanctæ Trinitatis de Redemtione Captivorum voluit appellari.* Constructo autem non longe a Laterano in monte Cœlio Romæ monasterio, & S. Trinitati dicanda ecclesia, in cujus porticu videtur adhuc visionis supradictæ simulacrum effigiatum, jussit idem pontifex ut frater Johannes (remiserat enim Felicem anachoretam in Gallias ad dicti ordinis propagines augmentandas pro nominis divini gloria & humanæ salutis augmento) ibidem Deo deserviret cum fratribus assumtis.

» Eam ob rem concessit illi sancto viro ejusque successoribus regularem vitam observantibus, ecclesiam S. Thomæ & sancti Michaelis de Formis, sic dictam quod non longe a formis, id est aquæductibus, sita sit in monte Cœlio, cum possessionibus suis & omnibus aliis pertinentiis: necnon ecclesiam sancti Salvatoris, ut habet confirmatio Honorii, tertii hoc nomine pontificis Romani, servata in bibliotheca Vaticana, sitam in loco qui dicitur Mons-sanctus super castro Verelatensi, in diœcesi Spoletana, cum omnibus pertinentiis suis: & in diœcesi Tudertensi ecclesiam sanctæ Mariæ de Lantano cum omnibus pertinentiis suis: in diœcesi Aniclienfi ecclesiam S. Trinitatis juxta castrum Albani, cum omnibus pertinentiis suis: in urbe ecclesiam S. Isidori, & totum montem majorem post Absidiam: item plures alias possessiones, quas dicta confirmatio recenset Honorii pontificis, qui, ut prædecessor ejus Innocentius III. omnes dictas ecclesias, & fratres inhabitantes eas, sub. B. Petri & sua protectione suscepit. »

Huc usque Guaguinus, vel qui ex Guaguini scriptis chronicon ordinis SS. Trinitatis adumbrare A conatus est. Sammarthani fratres, qui scriptionem hanc verbum fere pro verbo reddendo ut suam adoptavere, addunt se in alio vetusto codice ms. ita legisse: *Anno primo* Innocentii III. *surrexit novus ordo fratrum sanctæ Trinitatis per quemdam magistrum Johannem de Francia, cooperante sibi papa; & iste magister apud Cherfroy juxta Wandeluz, in possessione cujusdam militis Rogeri miraculose de Halopia liberati, primam domum suam instituit.* Addimus & nos ex Plessæo, 1.° utrumque anachoretam in ipsa solitudine Cerfredi, quam incolebant Wandelucum* inter & Firmitatem-Milonis*, de redimendis captivis consilium cepisse: 2.° ea de causa profe- B ctos Romam anno 1197. exeunte: 3.° convenisse Innocentium III. mense Januario anni 1198. 4.° summum pontificem eodem anno consilium probasse III. nonas Febr. deinde XVI. calend. Januarii novo ordini leges fixisse bulla pontificia a nobis infra cum aliis quibusdam, quas Sammarthani jam ediderant, inter instrumenta referenda: 5.° & Johannem & Felicem simul in Galliam reversos eodem anno, apud Cerfredum ipsum primariæ totius ordinis sui domus fundamenta locasse, laudantibus & munificentia sua opitulantibus Philippo Augusto rege, Margareta Blesensi, Hugone d'Oisi vicecomite Meldensi, Johanne de Mont- C mirel, & aliis optimatibus bene multis: 6.° anno 1198. exeunte, vel 1199. ineunte, Johannem repedasse Romam, Felice in Francia consistente: 7.° paulo post datam esse Johanni & ordini suo ab Innocentio III. ecclesiam S. Thomæ in monte Cœlio, quæ nunc plerumque Italice dicitur *del Riscatto*, aut *della Navicella*: 8.° Felicem Valesium ita dictum esse, non, ut quidam narraverunt, quod nobilissimo *Valesiorum* genere natus esset, sed quod in tractu *Valesio* plurimum ætatis consumsisset: 9.° ad etymon voculæ *Cerfroi* quod attinet, recurrendum non esse ad *Cervum refrigeratum*, sed ad veterem Francorum linguam, in qua *froi*, sive *fred* D aut *frid*, quemadmodum in *Godefrido, Sigefrido, Hermanfredo*, & aliis similibus, *liberum* aut *libertatem* significat: 10.° præpositos hujus ordinis non solum inferiores, sed & supremos, *ministrorum* nomine appellari; ministrum tamen Cerfredi honoris gratia *priorem*, eum vero qui ceteris ministris universoque præest ordini, ministrum *generalem* dici.

Hist. eccles. Meld. t. 1, pag. 172. & seqq.

* Gandelu; * la Ferté-Milon.

Chart. IX col. 554.

CHRONICON MINISTRORUM GENERALIUM.

I. SANCTUS Johannes de Matha, de quo Robertus Guaguinus scripsit in hunc modum: « Primus Major-minister fuit Johannes *de Matha* vita probatissimus, & laboris mirum in E modum patiens, cibo usque ad inediam abstinens, somno minime obnoxius, quem humi supposita brevi storea, & ad caput cervicali, horas ad summum capiebat quatuor, reliquo tempore semper nisi necessario negotio impeditus orationi vacabat, atque interdum divinum verbum populo, dominicoque gregi, & promebat & prædicabat. Et quia per id tempus cum christiani principes, tum inprimis Francorum rex adversus fidei hostes in Palæstina ac Jerosolymorum finibus bellum gererent, delegabat sollicite fratres, qui christiano militi in expeditione ministrarent, vulneratos fovendo, vel «

» ab hoste captos redimendo; quibus beneficiis ordo se vivente ampliatus est multis locis, quæ nunc designabo :

» Romæ; *S. Thomas de Formis.*

» In Francia; *Cervus-frigidus; domus burgi* de Silvella, *quæ* de Fonte-Jesu dicitur; *de Stampis; de Braia.*

» In Provincia; *domus Lusitaniæ, id est Portugalliæ; domus Arelatensis; domus sancti Egidii.*

» In Arragonia; *domus de Illerda; de Daroca; domus de Ungavia* monialium est mulierum.

» In Castella; *domus Toletana; Segoviensis; de Varzena; de Gosmedos; domus inter Ecclesias; domus sancti Emeterii.*

» In Britannia; *domus de Castro-novo.*

» In Navarra; *domus de Ponte-reginæ.*

» Ceterum ex iis locis aliqua nescio quo fato nostra amissa sunt. His tandem sanctis operibus longanimiter incumbens Johannes sexagenarius, moritur in urbe, & sepelitur in ecclesia S. Thomæ de Formis anno christianæ salutis 1214. XII. calendas Januarii. »

Hæc Guaguinus, quibus ex Plessæo addenda sunt nonnulla: 1.° Natus est S. Johannes anno 1160. mense Junio, in villa Provinciæ*, cui nomen vernacule *Faucon*, parentibus nobilibus Euphemio & Martha. 2.° Studio literarum operam dedit primo Aquis-sextiis, deinde Luteciæ Parisiorum, ubi & laurea theologiæ doctorali insignitus est, & sacerdotio. 3.° Missus est anno 1199. in Dalmatiam legatus ab Innocentio III. ubi synodo cuidam præfuit, & leges ecclesiasticæ disciplinæ servandæ utilissimas conscripsit. 4.° In Africam trajecit ipse ann. 1200. & 1210. pretium pactus ducentis & amplius captivis redimendis. 5.° Ad superos evolavit ex vulgata doctiorum sententia, XVI. calend. Januarii anno 1213. 6.° Ecclesiam sancti Thomæ, in qua sepultus est, attribuit Bonifacius IX. papa quarto decimo seculo exeunte, canonicis S. Petri urbis Romæ; fratresque SS. Trinitatis in aliam ejusdem urbis regionem translati.

* la Provence.

De sancto Felice similiter addimus, natum esse illum XIII. cal. Maii anno 1127. obiisse autem pene nonagenarium Cerfredi, ubi & tumulatus est, pridie nonas Novembris anno 1212.

Ad extremum de ambobus hæc erant animadvertenda: 1.° eam esse totius ordinis traditionem, in sanctorum numerum relatos esse ab Urbano IV. papa; & id quidem vel cal. Maii anno 1262. vel, ut alii volunt, IV. nonas Octob. anno 1263. 2.° Bullæ tamen canonisationis neque autographum, neque apographum ullum uspiam gentium apparere. 3.° S. Felici diem festum fuisse ante annum 1219. in diœcesi Meldensi. 4.° Utrumque appellatum esse *Sanctum* in bulla Urbani VIII. quæ exstat; Innocentium vero papam hujus nominis decimum concessisse indulgentias in eorum die festo promerendas, qui dies erat XVI. cal. Jan. 5.° Cultum eorumdem sanctorum omni hominum memoria antiquiorem esse declaratum an. 1665. a cardinale Ginettio urbis Romæ vicario, & anno 1666. a congregatione rituum; quibus sententiis standum esse pronunciavit mense Octob. ejusdem anni 1666. summus pontifex Alexander VII.

Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 253.

A flagitante Hispaniarum rege. 6.° Per Clementem IX. licuisse an. 1169. mense Aprili, eorumdem sanctorum officium recitare in omnibus ordinis SS. Trinitatis monasteriis, missamque Confessorum non pontificum in ipsorum honorem celebrare. 7.° Rogante christianissimo Francorum rege, & urgentibus Hispanis hujus ordinis patribus reformatis, congregationem rituum decrevisse ut ambo confessores inscriberentur martyrologio Romano, Johannes quidem XVI. cal. Januarii, Felix vero pridie nonas Novembr. 8.°. Denique Innocentium papam hujus nominis undecimum, III. cal. Augusti anno 1679. diem festum indixisse
B Johanni VI. idus Febr. Felici autem XII. cal. Dec.

« II. Johannes Anglicus* in regulari observantia, inquit Guaguinus, prædecessoris sui imitator, & redimendorum captivorum præcipuam sollicitudinem gerens, sed vitæ brevis. Hic juxta Johannis I. sepulchrum humatus XV. calendas Julii 1217. & usque ad Guillelmum successorem vacavit generalatus per annum. »

* l'Anglois.

Addimus ex Plessæo Johannem Anglicum doctorem fuisse theologum in facultate Parisiensi, & a sancto Johanne decessore suo missum fuisse in Africam anno 1199. ubi primum redemti sunt captivi, iique numero fere ducenti. Addimus insuper Jo-
C hannem de Monte-mirabili anno 1212. id est 1213. multa contulisse Cerfredo; cujus rei chartam legesis hist. eccles. Meld. tom. 2. pag. 103.

« III. Guillelmus Scotus* successit illi, inquit Guaguinus, ministrante Romanam ecclesiam Honorio III. qui Innocentii III. exemplo adductus ordinem iterum confirmavit. Hic Guillelmus in procurando ordinis incremento vigilantissimus, alia ab illis quæ supra scripta sunt loca obtinuit, in quibus nostra domus *Parisiensis*, & in Portugallia *Sanctarensis* fuit, in Artesia *Atrebatensis*, in Flandria *Hondiscotana*. Obiit III. idus Maii anno 1222. faciens iter pro redemtione captivorum, & sepelitur apud
D Cordubam. Ab ipso Guillelmo usque ad Rogerium vacavit generalatus per annum & mensem. »

* l'Ecossois.

Ex Plessæo S. Felix acquisierat ipse ordini suo anno circiter 1211. ecclesiam *S. Maturini* Paris. unde fratres ejusdem ordinis *Maturinorum* nomine per universam Franciam appellari solent. Sed hac in re præstat fortasse fidem adhibere Guaguino.

« IV. Rogerius Leprosus, qui, ut ait Guaguinus, domi magis quam foris diligentiam demonstravit, Dei cultum studiose amplificans; tandem post quatuor annos functo ministerio moritur anno 1227. & sepultus est XV. calendas Aprilis apud Cathalaunum; & vacat generalatus per annum. «

E V. Michael Hispanus*, quum ad redimendos captivos Granatam pergit, nuncium accipiens de seditione quæ per illud tempus Granatæ agitabatur, Cordubam repetens misero fato absumtus, Romæ sepelitur anno salutis 1230. Rexit annis tribus, mensibus duobus; & ab ipso Michaele ad Nicolaum usque successorem vacat per decem menses. «

* l'Espagnol.

VI. Nicolaus I. vir nulla prædecessorum suorum vitæ sanctitate, & bonis operibus inferior, ideoque apud multos potentes valuit pecunia, quam in exstruenda Cervi-frigidi ecclesia probiter impendit. Nam dirupto priori ædificio testudines «

» sex, quæ ad hoc tempus perdurant, jactis funda- A » mentis absolvit, opus non parvum; & si longior » illi vita fuisset, totam ecclesiam perfecturus. Ejus » enim propositi erat; nam structuræ fundamenta » locaverat, erexeratque supra solum terno pede. » Fuit proculdubio sobrietate & continentia mirabili, » vixitque in administratione annos sex & viginti; » & senectute deficiens, terræ est commendatus in » media quam construxerat ecclesia, v. nonas Maii anno 1256. »

Duo hæc addenda, 1.° depictum esse a Nicolao in fenestra septentrionali hujus ecclesiæ Ansellum episcopum Meldensem, qui priorem basilicam dedicaverat, cum hac inscriptione : *Anzel. eps.* B *Meldensis.* 2.°. Basilicam illam, quæ satis eleganti opere perducta est ad pedes 144. longitudinis, 30. latitudinis, & 54. altitudinis, absolutam non fuisse nisi a Johanne Mannouri priore monasterii, seculo sexto decimo jam adulto.

* Flamand.

« VII. Jacobus Flamingus*, pergit Guaguinus, » desidis & pigri animi, ita ut per ejus inertiam ea » quæ parata erant paulatim dilabi, & minora fieri » cœperunt. Ejus tam vecordis hominis nomen » tantum apud posteros mansit; nusquam reperio quanto tempore rexerit. »

Hic observavit Plessæus, nomina illa *Angli*, *Scoti*, *Hispani* & *Flamingi*, quanquam gentilitia C esse crediderunt nonnulli, verisimiliter data esse ministris illis, quod vel ex *Anglia*, vel ex *Hispania*, &c. essent oriundi.

« VIII. Alardus, ait Guaguinus, ad res gerendas » vigilantior, quippe qui ad Romanum pontificem » iter faciens, quum multa amplectitur quæ ordini » profutura sperabat, apud Trepanium interiit, & » in Fratrum Minorum ecclesia humo traditus est. Hic pariter nescitur quantis annis rexerit. »

Addimus ex tabulario chartarum regiarum, sedisse Alardum anno 1269.

* Cuisi.

« IX. Petrus I. de Cusiaco*, Francorum regi Phi- D » lippo familiaris, a quo quum annuum & ingentem » proventum accepisset, ad jus & proprietatem trium » domorum nostri ordinis, Cervi-frigidi scilicet, » Parisiensis & Verberiensis, perpetuo transtulit. Ipse » terris ereptus XIV. calendas Februarii, in Cervo- » frigido conditus est. De hoc pariter non reperitur » annus obitus, & quanto tempore præfuerit.

» X. Johannes Boileau, de quo præter nomen » nihil quod literis mandem, invenio. Sepelitur in » domo capitali ordinis XI. calendas Aprilis, moritur vero anno 1291. »

Hist. eccles. Meld. t. 2. instr. 439. & 440.

XI. Petrus II. Guaguino incognitus, præerat an. 1297. ex duobus instrumentis Cerfredi, quo E anno eidem monasterio capitulum generale ordinis attribuit bona Silvellæ, quæ domus tunc temporis Fons-Jesu appellabatur.

« XII. Thomas Loquet homo, ait Guaguinus, » per omnia diligentissimus & doctrina clarus, qui » condendæ & dotandæ domus nostræ S. Salvatoris » non longe a Turone civitate auctor. Ipse quoque » ligneas tabulas ad aram majorem Cervi-frigidi » apposuit de ordinis revelatione pictas, sed jam ve- » tustate obscuratas. Obiit anno Christi 1357.

* Bourri.

» XIII. Petrus III. de Burreio * anno proxime » sequenti pridie non. Maii. Fuit admodum solicitus ordinem per Galliam visitare, & instituere bonis « moribus fratres. Misit & ipse Romam fratrem « Viardum de Marchia ministrum, negotiosum ho- « minem, qui privilegia ordinis a pontifice ampliari « impetraret. Castigavit Sanctium Burgensem minis- « trum, fratrem Garciam Valentiæ ministrum; con- « tra insurgentes in eum S. Eulaliæ fratres animose « tractatus est; Hispalensem præterea ministrum at- « que Ulixbonensem novas res molientes compes- « cuit, & fratrem Benedictum de Vallisoleto loco « Johannis de Carrodo apud Hispalim constituit; « expulit quoque ex domo nostra Arelatensi sorores « ordinis Minorum, quæ admittentibus civibus lo- « cum nostrum occupaverant, propterea quod cœ- « nobium ubi prius incoluerant, fuerat, nescio quo « casu, desolatum. Hoc post gestum a se quinque & « viginti annis majorem ministratum apud Cervum- « frigidum sepultus est XI. calendas Octobris anno « christianæ gratiæ 1373. «

* de la Marche.

XIV. Johannes de Marchia * Meldensium mi- « nister assumtus pridie calendas Maii. Prima ejus « cura fuit redemtio captivorum. Quamobrem veteri « instituto pecuniæ collectiones a singulis ministris « accepit, atque ejus negotii causa fratrem Garciam « Burgensem ministrum ad se vocat, a quo quum ac- « cepisset fratres sanctæ Eulaliæ illi adversari, & in « ordinis nostri dispendium multa moliri, exceptis de « privilegiorum archivis ea quæ ad ordinem tuen- « dum satis essent, domum remisit. Johannes autem « administrato decem & octo annos ordine defun- « ctus est. «

XV. Reginaldus de Marchia præfectus est IV. « idus Maii anno 1392. homo magnanimus & ho- « noris appetens; malo enim exemplo initium fecit « ad plures administrationes simul gerendas, nam « domum nostram de Claro-monte a sede apostolica « impetrat, ubi continue habitavit, & dirupta veteri « ecclesia, alteram quadratis lapidibus extruxit. Per « id tempus instituta est domus nostra beatæ Mariæ « de Pietate in Silva-Nepe, Morinensis diœcesis, « quam primus administravit frater Guido Deo de- « votus eremita. Procurante eo Reginaldo redemtio « facta est quadraginta captivorum. Post autem suæ « administrationis nonum & decimum annum Regi- « naldus moritur. «

XVI. Theodoricus Varreland natione Flamin- « gus, de Hondiscota minister, homo impiger & ad « res bene gerendas aptissimus, rogatus propterea ad « Romanum adire antistitem, ut de eximendo or- « dine & de conservatoribus obtinendis privilegium « impetraret, lubens id negotium in se recepit. Col- « latis illi ex ærario publico quadringentis aureis « scutis, appositus est illi ad peregrinationem comes « frater Rogerius Toteval domus de Faïaco minister. « Sed optimus pater dum per Italiam iter facit, mor- « tuus est, nec quo genere morbi ægrotavit, aut quo « loco sit sepultus, invenio. Reversus inde Rogerius « nullam ejus interitus aut pecuniæ rationem exhi- « buit. Creditum est fratrem Stephanum de Menilli- « Fochardo theologum doctorem, qui ministrationi « præerat domus sancti Maturini, & priorem Cervi- « frigidi, fratri Rogerio favisse, & eam sibi ipsis dis- « tribuisse pecuniam. «

¶ Dum vacat major ministratus, assumitur ad « ordinis

» ordinis custodiam doctor ille Stephanus, erat enim » in sacris literis non parum eruditus, & disertus admodum prædicator, statura brevi, & animo supra quam religioni congruit elato. Hic quia pontifici Johanni XXIII. gratus habebatur, petit ab eo sibi majorem ministratum conferri. Interim dum hæc procurat Stephanus, dies fuit capituli generalis, ubi apud Cervum-frigidum congregatis magno numero ministris, quum custos Stephanus assedisset, multa de obedientia Gallice præter morem concionatus est. Postquam dicendi fecit finem, electis de more correctoribus capituli: *Est*, inquit, *fratres & venerabiles ministri, quod ego bona pace vestra nunc sum dicturus. Summus pontifex, cui notus ipse sum, me vestrum majorem ministrum inscium profecto suæ voluntatis instituit; cujus rescriptum ipse horatim expecto. Differte, precor, eligere pastorem, donec ad vos delatum decretum fuerit pontificis. Non vos præterit quam diligens in exornanda S. Maturini domo extiti; enimvero quum ad eam regendam vocatus sum, fratres quotidiano quæstu non aliter quam mendicantes victum quæritabant. Nunc mea industria annuos proventus quibus alantur, habent. Semel ex Granata, secundo ex Africa præsens captivos liberavi. Si vestram rempublicam vobis liberaliter assentientibus suscepero, dabo operam meliora facere quam hactenus peracta sunt, neque vos pænitebit me pontificis gratia vestro ordini præfectum esse rectorem, quem non somnolentum aut torpentem, sed expertum & vigilantem comperietis. Si vero repugnabitis, causam nihilominus meam, & pontificis liberale beneficium tueri non prætermittam.* Hæc postquam Stephanus locutus est, ministri seorsim abeuntes cœperunt variis consiliis agitari, dubitabundi quid potissimum sequerentur. Placuit tandem electione abstinere, & in annum sequentem permittere Stephano ordinis *custodiam*. Per hoc igitur temporis intervallum delato ad fratrem Stephanum apostolico rescripto, ipse majorem ministrum se nominavit, & generalem ordinis curam gerere libere cœpit. Sed dum in corrigendo rigidior videretur, insurgentibus plurimis adversus eum ministris, rem novam super ipsius Stephani contra ordinis morem promotione ad regis cancellariam nunciaverunt. Sequenti igitur anno, qui fuit 1415. convocatis ad generale capitulum ministris, & fratre Stephano præsidente, venit cliens cum regiis literis, jubetque fratrem Stephanum præsidentiæ sedem deserere, & a majoris administrationis cura abstinere, donec de controversia esset definitum.

» XVII. Petrus Candoté. Relicta mox sede Stephanus generali regimine abstinuit; ministri vero protinus ordinis electo *custode*, qui Rogerius de Totavalle dicebatur, in capitulo convenientes, fratrem Petrum Candoté Cervi-frigidi priorem, majorem ministrum constituerunt, cui fuit cum fratre Stephano difficilis contentio. Nam ministris hinc inde diversa sequentibus, ex sententia senatus Parlamenti deputatus est in ordinis rectorem frater Johannes de Trecis theologus doctor, qui dum lis agitaretur ordini præesset. Diuturna fuit hæc dissensio, abeuntibus retrorsum per vitia & desideria carnis fratribus, qui quum nemini parerent, neque Deum ipsum vererentur, accedebant variæ in regno

A Francorum factiones & incursiones Anglorum, per quæ mala dissoluti animi fratres abutebantur vivendi libertate. Mors litigantium finem abusionibus dedit. Stephanus Parisiis moritur, qui apud sanctum Maturinum sepultus est. Petrus autem Candoté in capitali ordinis domo sepulcrum accepit. Non facile quis credat quantum calamitatis horum contentio nostro ordini importavit. Studium namque diversarum partium invidiam odiumque suscitavit, sustulit obedientiam, auxit rixas; inde pietas & divinus cultus relictus est, domus ordinis desertæ, & sine habitatore produxerunt spineta & dumos, & eo magis quam hostis antiquus discordantibus principibus omnia infestabat. Per has tribulationes fuerunt tamen, qui pro conditione temporis periclitanti ordini consuluerunt. Anno enim salutis 1421. convenere tandem plerique ministri, qui fratrem Nicolaum Parvi ecclesiæ sancti Maturini ministrum instituerunt ordinis *custodem*. Igitur accepta custodia, consilio cum amicis capto, ministros undique ex provinciis, quantum temporis nequitia ferebat, Parisium vocat; non enim ad Cervum-frigidum tuto iri poterat. Ad decimam diem Maii anno 1422. concurrentibus plerisque præsentialiter ministris, nonnullis vero ad gerendum eorum vices missis procuratoribus, præside custode, frater Johannes Halboud, de Trecis alias, electus est major minister. «

XVIII. Johannes Halboud. Hic erat theologus doctor, & astrorum peritissimus, cui inter pleraque suæ artis hoc insigne fuit. Henricus V. Angliæ rex, nato illi filio Henrico, sciscitatus quam sortem sidera filio portenderent, a Johanne responsum accepit; initia quidem felicia fore, illumque aliquando Francorum atque Anglorum regnis imperaturum, sed tandem utrumque regnum perditurum; quod fide non caruit. Ille enim, Henricus VI. appellatus, regni diadema apud Parisios adeptus est, & late multis provinciis imperavit. Verum D a Carolo VII. Francia extrusus, ipse postea ab Eduardo deprehensus, vitam in carcere apud Anglos mea memoria terminavit. Sedit toto tempore sui administratus apud S. Maturinum vir quidem bonus, sed furentibus bellis ordini parum prodesse potuit, vixitque inops, quia rarum ab ordine subsidium capiebat; neque enim ordinem visitare propter occupatas ab hostibus vias, neque urbe egredi secrete poterat. Et quod illi a ministris annuatim debebatur, tarde, & per occultos nuncios intersolvebatur. Congregavit tamen, dum melior occasio incidebat, ad capitulum generale ministros, & salutaria pro temporis qualitate instiE tuit. Tam molestam tempestatem annos octodecim sustinuit. In capitulo sancti Maturini Parisiensis terræ commendatus est. «

XIX. Johannes Theobaldus*, homo corpulentia & proceritate elegans, reique familiari valde idoneus; nam domum nostram Cathalanensem opulentam fecerat, eamque per communem ministrorum assensum cum majore administratione tenuit, ut inde sumeret vitæ alimentum, donec felicior aliqua fortuna Francorum rebus accideret; sed murmurantibus, atque indignantibus nonnullis, quod una majore contentus administratione

* Thibaut.

» non esset, domo se non sine incommodo abdicavit. Hic Cervi-frigidi ecclesiam dedicare fecit, & nonobstantibus bellis, captivos ministris tribus missis ad id negotium ex Granata liberavit, quos adolescens vidi dum philosophiæ Parisiis studebam. Deputati ad redemtionem fuerunt Johannes Mindard in jure pontificio licentiatus, de Marchia minister; Jacobus Dano minister de Rieux; Johannes Ambri minister Metensis. Is gessit majorem ministratum per annos circiter decem & novem, & Cathalani prope aram majorem dextrorsum sepultus est. Ipse quum senuisset, instituerat sibi vicarium Radulsum de Vivario, quem a pueritia educaverat: unde factum est ut fratre Bernardo Lantrel sancti Maturini ministro celebrante, quia custos ordinis erat, capitulum apud Cervum-frigidum, ipse frater Radulfus ex ministro Cathalanensi major minister fit assumtus.

* du Vivier. » XX. Radulfus de Vivario*, qui dignitate accepta ad Cervum-frigidum transiit, ubi aliquot annos moratus est; visitavit quatuor provincias; Franciam, Campaniam, Picardiam & Normanniam; inde amicorum persuasu Parisiis habitavit, literis operam navaturus, nec multo post ex fratris Bernardi Lantrel resignatione ministrationem domus sancti Maturini per Romani summi pontificis Sixti IV. dispensationem recepit, tenuitque annos fere novem. Sed pertæsus rei familiaris, cujus minime diligens erat, ministrationem ipsam ad administrationem domus Turonensis, cui ego præfectus eram, mecum commutavit, retenta ex proventibus S. Maturini annua pensione. Usus est me vicario, & linguam Occitanam, Castellamque bis per me visitavit. Ex qua duos & viginti captivos ex Granata liberatos ad eum per multas ordinis domos transiens deduxi anno salutis 1466. Mortuus est autem ventris profluvio altera die post festum Magdalenæ 1472. & apud S. Maturinum sepulcro conditus cum epigrammate quod illi subscripsi:

» *Quem sæpe incurvo coluisti poplite patrem,*
» *En morte extinctum nunc pede, frater, agis.*
» *Sic vice conversa fortunæ vertitur error,*
» *Sic fluit instar aquæ gloria, fastus, opes.*
» *Viximus au juste, superis est noscere tantum;*
» *Terra cadaver habet, mens petat astra velim.*
» *Quisquis erit post me susceptus in ordine major*
Dic, precor, ex animo: vive, Radulfe, Deo. »

Hactenus Robertus Guaguinus.

Ex Burgesio.

* Guaguin. « Robertus Guaguinus * Flander natione, a teneris annis Deo & ordini nostro consecratus est in domo de Silva-Nepe provinciæ Picardiæ, ibique professionis monasticæ jecit fundamenta; inde Luteciam studiorum causa missus, tale specimen ingenii sui exhibuit, ut moveret majorem ministrum, & capituli generalis correctores, ad quos de Silva-Nepe miserat epistolam, vires addere & auxilium ejus summo ingenio, cui oberat paupertas quominus proveheretur, ne molli & rustica simplicitate duresceret. Sic demum adjutus ad majora se extendit, ad quæ quum pervenisset,

A accepissetque lauream magistralem juris pontificii, sic illustravit suæ doctrinæ radiis & facundia non vulgari cum pietate conjuncta Academiam Lutecianam, ut haberetur præcipuum, teste Erasmo Roterodamo, illius decus & ornamentum. Eam ob rem quoties Universitati studii Parisiensis conveniebat viris principibus seu legatis congratulari, aut de gravi negotio convenire, is unus solus inter tantos Academiæ sapientes tanquam eloquentior & prudentior ad id muneris omnium calculis eligebatur. Hinc ejus fama alis duabus, sapientia videlicet & facundia, adjuta pervolavit ad regis christianissimi palatium; ita ut mox B ab eodem rege ad pontificem maximum, & ad senatum Florentinum missus orator, redierit exorator. Tanta ejus suasionis energia, gravitate summa & doctrina tanquam asseclis comitata, ut de eo scribat abbas Trithemius in suo catalogo virorum illustrium, quod tam in scripturis divinis, quam in secularibus literis eruditissimus fuerit, poëta clarus, orator facundus, qui sæpe sua eloquentia Italos stupidos reddiderit. Scripsitque de Conceptione beatæ Mariæ librum unum, tam metro quam prosa, contra Vincentium de Castro-novo; item librum de misera hominis conditione, de arte metrificandi, orationes multas elegantes, & librum C unum epistolarum, ac innumera epigrammata. Demum gesta Francorum descripsit stylo Liviano. Tantis igitur tum naturæ, tum gratiæ dotibus excellens, post fidelem administrationem domorum de Verberia, Turonicæ, atque Maturinorum, mortuo Rodulfo piæ memoriæ majore ministro, electus est ad ordinis custodiam, quam per menses ferme decem usque ad capitulum generale celebratum anno 1473. ita laudabiliter & pro voto omnium administravit, ut ab universis ministris electus fuerit ad majorem administrationem totius ordinis. Tum demum cœpit suarum virtutum amplissimum reddere testimonium, omniumque desiderio D respondere. In domo Maturinorum claustra, quæ nunc videntur columnis sustentata marmoreis, a fundamentis erexit, bibliothecam insignem superstruxit, eamque variis doctorum virorum monumentis ornavit; quibus, proh dolor! meis oculis ex parte spoliatam vidi. Præterea, quod majus est, navim ecclesiæ absolvit, in cujus extremo muro sub vitrea fenestra hoc distichum insculptum legitur:

Hæc tibi Gaguinus rediens orator ab urbe,
Maturine, dedit. Sis vigil æditius.

Administrationem autem ordinis generalem ita cum munere oratoris regii gessit & temperavit, E ut neutri in aliquo defuerit; imo utilitas & honor ordini nostro accreverint, unde regiæ majestatis magnificentia aucta est. Habuimus, fateor, ejus prædecessores multos integritate & pietate conspicuos; sed hic solus inter tantos eloquentiam integritati & pietati adjunxit. Is doctorum virorum amantissimus fuit, ut testantur ejus epistolæ ad summæ auctoritatis & eruditionis viros, reges, cancellarios, & bonarum literarum coryphæos, velut ad Erasmum Roterodamum, Trithemium, Faustum Andrelinum, quem ex Italia ad Carolum VIII. regem Gallorum deduxerat. Cujus beneficii «

memor poëta iste laureatus Faustus nostro Guaguino posuit epitaphium istud:

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,
Hic sua Robertus membra Gaguinus habet.
Si tanto non sæva viro Libitina pepercit,
Quid speret docti cetera turba chori!

Anno a natali christiano 1501. 22. Maii, in hoc sepulcro positus est ante altare summum ecclesiæ Maturinorum, juxta quod quum effoderetur anno 1550. aliud sepulcrum, apparuit corpus D. R. Gaguini ferme adhuc integrum; quod dum admirarer tanquam domicilium multarum virtutum, permisit R. P. Generalis piæ & felicis memoriæ D. Theobaldus Molitor, caput a corpore detractum mihi ad recordationem & monimentum dari; quod ad hoc usque tempus mihi & studiosis bonarum literarum in bibliotheca tanquam librum osseum servo, ut ejus inspectione moneamur ne scientiarum liberalium scriptores magistros quæramus, sed quod scire dignum est, ab eo ediscamus. Ob eam rem adscripsimus hos versus: R. P. Guaguini caput inclusum valvis alloquitur:

Aspice me, quæso. Roberti carcere mentem
Hoc tenui; recolas quæ monimenta dedit.
Te sua scripta monent, speculum tibi mortis hoc adsum.
Discito; vita brevis, nec tibi certa manet.

Postquam igitur R. P. Robertus Guaguinus per quatuor & triginta annos maxima cum tranquillitate & laude nostrum ordinem, nunc istam, tum illam provinciam visitando, & suos comministros & fratres officii monendo administrasset, vitam hanc mortalem cum æterna & beata commutavit.

Meûnier. XXII. Guido Multoris. Huic successit postquam vacaverat generalatus per annum, pietate & eruditione insignis frater Guido Multoris Meldensis minister, qui anno 1505. curavit redemtionem fieri captivorum per fratres Johannem Moisseti ministrum de Corduis, professione theologum; Johannem de Laloé ministrum de Duaco, in jure canonico licentiatum; & Simonem Blocquel ministrum de Lerinis. Hic postquam fideliter ordinem per octo ferme annos administrasset, discessit e vivis ad Christum redemtorem nostrum.

Meûnier. XXIII. Nicolaus Multoris, nepos Guidonis, minister Paris. & doctor in decretis, qui per quatuor & triginta annos administrans officium majoris ministri, multis sanctis operibus se probatum reddidit. Primo enim anno suæ administrationis juxta capituli generalis statutum & ordinationem visitavit provinciam Campaniæ, & eodem itinere per Lotharingos provinciam Picardiæ, & eodem anno 22. Martii Lutecia discedens visitavit provinciam Normanniæ. Inde domum Meldensem a fundamentis extruxit, & a xenodochio publico quod honesta, ne dicam periculosa, non sit conversatio fratrum cum monialibus Hospitalariis, eos ad claustrum reduxit. Hic etiam redemit anno 1539. captivos christianos quatuor & quinquaginta in regno Algeriæ per fratres Ludovicum Scuderium facundum theologum, ministrum de Stampis, fratrem Robertum Pranger ministrum de Reneri-vado, & fratrem Alexandrum ministrum de Mauritania. Hic, ut erat multarum pecuniarum conservator, cappis deauratis, & libris cantuariis, multisque aliis ornamentis ecclesiam Maturinorum decoravit, domumque Meldensem multis reditibus ampliavit. Et nisi male persuasus, ut est senectus facilis ad quælibet consilia sequenda quum ei non gratificatur, transtulisset a domo Maturinorum, cui præerat Theobaldus Molitor frater ejus, maximam partem supellectilis suæ pulchræ ad domum Meldensem, cujus minister erat nepos ejus Philippus Molitor, paulo antea factus suffraganeus R. episcopi Cathalanensis. Non vidissemus eam tragædiam quæ postea acta est cum maximo ordinis incommodo; nam, ut ait Philosophus, uno dato multa sequuntur alia. Hoc autem refero non ut pudenda retegam, sed ut moneam posteros de translatione illa bonorum injusta & successione quasi hereditaria vitandis ad præscriptum regulæ & statutorum nostrorum; quorum dum fit transgressio Deus nos in gravissimam perniciem labi permisit; ita ut hic bonus pater & reverendus generalis jam decrepitus factus, sibi imponi a nepote Philippo sineret. Iste enim honoris cupidus extorsit ab avunculo resignationem officii majoris ministri in curia Romana, quæ quum esset juri & consuetudini ordinis repugnans, cujus substantia consistit in electione & communi consensu fratrum ministrorum, quorum libertati in eligendo non intendit summus pontifex derogare, omnes ministri ratione innitentes admittere eam jure noluerunt multas ob causas. Inprimis is episcopus cui facta erat ejusmodi resignatio, non poterat compelli ad observationem regulæ nec statutorum nostrorum, quia correctioni & depositioni, si demerita poscerent, non subjacebat; nec cogi ad reddendam rationem villicationis suæ poterat, utpote exemtus ab hujusmodi regularibus observantiis, sed non exemtus a suspicione ambitionis, quod non per viam electionis sicut duo ejus avunculi prædecessores provehi niteretur ad majoris administrationis officium, etiam cum coactione literarum regis christianissimi, quibus tamen literis cogi nequibant qui catholicæ majestati subditi erant in inferiori Germania, imo nec qui in Francia degebant; rex enim Gallorum jus in beneficiis & non in officiis ecclesiasticis sibi tantum vindicat. Ex his ergo & pluribus aliis incommodis apparentibus, quum constaret prædictum officium mobile & deponibile quum casus requirit vacare, reverendus prior Cervi-frigidi habito cum præcipuis & antiquioribus ministris consilio, vocat omnes ordinis ministros ad capitulum generale celebrandum in domo capitali ad diem præfixum Maii anni 1546. Eo igitur venientes omnes vocati ministri, vel eorum procuratores, elegerunt unanimi voce, quæ via dicitur Spiritus sancti, etiamsi cliens regius ibidem veniens prohiberet ne id facerent, reverendum patrem Theobaldum Molitorem ministrum Maturinorum, & doctorem juris pontificii. De ea autem electione tanquam abusiva quum appellasset dictus suffraganeus, & post menses aliquot intellexisset altius & verius ex bonorum virorum consilio, jura & privilegia ordini nostro a summis pontificibus

indulta, & de confirmatione regulæ ab eisdem facta, ubi de electione majoris ministri dicitur quod electus major minister secundum formam in regula annotatam, ipsius ordinis curam plene habeat, non egens confirmatione summi pontificis aut alterius; unde constat resignationem non posse fieri nisi coram eis ad quos spectat electio, renunciavit suæ appellationi, promittens fratribus Ludovico Scuderio doctori eximio theologiæ, & Johanni Mannourri priori dignissimo Cervi-frigidi, optime de ordine meritis, & in hoc negotio a majori ministro deputatis, se deinceps provisioni per resignationem sibi a pontifice summo factæ, & ad regis supplicationem impetratæ cessurum, & bullas super hoc confectas traditurum majori ministro. »

Hæc Burgesius. Sed de xenodochio Meldensi nonnihil dissimulasse videtur. Narrat Plessæus monachos SS. Trinitatis, qui xenodochium illud una cum monialibus Hospitalariis administrabant, non solum vitæ dissolutioris, sed etiam rei familiaris dilapidatæ insimulatos, & ab episcopo, & a civibus Meldensibus, post multas acerrimasque hinc inde agitatas lites e xenodochio pulsos fuisse v. idus Februarii anno 1520. Parlamenti Parisiensis consulto, atque eodem anno mense Novembri aliam sedem extra portam Meldensem occupare cœpisse. Qua in re si injuriose aut minus æque actum est cum eis, nihilominus dicendi erant inviti, nedum spontanei, sedem mutasse.

Hist. eccles. Meld. t. 1. pag. 228.

« XXIV. Theobaldus Molitor*, sic pacifice, ait Burgesius, totum ordinem cœpit regere; in quo regimine se fidelem Dei ministrum exhibuit visitando suarum provinciarum domos, eis procurans sua liberalitate & commendatione affabili patronos quos sciebat suo ordini proficuos. Is etiam studiosorum Mecœnas erat munificus: ejus munificentiæ fructus amplissimos cum ceteris fratribus studentibus percepi. Nam in sua ad generalatum electione mihi sex aureos annuatim dandos promisit, & ut incenderet ad studia gloria præscripsit mihi orationem in futuro capitulo post triennium habendam; nec destitit quousque auxiliares & liberales manus mihi porrexisset in collatione nobis facta domus de Silva-Nepe, ad promovenda quantulacunque fuerunt nostra studia in sacra pagina. Gratitudinis ergo hoc tetrastichum suo duxi adscribendum sepulcro:

* Meûnier.

Vis in quo fuerint pietas doctrinaque scire!
Ista Theobaldus cum probitate tulit.
Hujus ut æterno majoris fama ministri
Sit, successores dic Deus hisce bea.

Postquam igitur hic reverendus & bonus pater major magna cum laude ordinem nostrum per tredecim annos rexisset, dormivit cum patribus nostris, sepultusque est in ecclesia Maturinorum anno 1568. 6. Maii; sicque vacavit per annum generalatus.

§ Sepulto piæ memoriæ Theobaldo Molitore majore ministro, electus est ordinis custos R. P. frater Guillelmus Mannourri doctor theologus Parisiensis & Cervi-frigidi prior, qui per literas convocavit quatuor provinciarum ministros ad cele-

A brandum capitulum generale in domo capitali de Cervo-frigido 23. Aprilis, anno 1570. pro electione novi majoris ministri. Ad quod quum in maximo numero convenissent ex omnibus provinciis ministri, seu eorum procuratores, & ad electionem essent præparati, surrexit unus ministrorum, qui protestabatur se appellaturum ab electione majoris ministri, quæ caderet in ministrum qui teneretur ære debito ordini nostro, & quæ fieret per novum modum votis in chartulis scriptis & secretis secundum dictamen sacri concilii Tridentini, & non secundum alios modos per pragmaticam sanctionem receptos. Hac interjecta

B protestatione, & nonnullis huic protestationi suffragantibus ministris, dissoluta est sine electione congregatio ministrorum, custodia in futurum annum proroganda. Sed quum plures ministri de congregatione ita dissoluta dolerent, nollentque ministri inferioris Germaniæ re ita infecta redire ad suos, pluribus sibi assumtis aliarum provinciarum ministris Luteciam discedunt, ibique canonice eligunt pro custode ordinis R. P. fratrem Bernardum Dominici ministrum de Metis, eumdemque postridie eligunt per vota secreta in majorem & generalem ordinis ministrum. De qua electione quum provocassent ad senatum Parlamenti mini-

C stri de parte protestationis, resque ab eodem senatu juridice discussa fuisset, tandem dictamine seu aresto dicti senatus electio prædicta tanquam sancta & juridica confirmata est die 11. Aug. anno 1570.

XXV. Bernardus Dominici* sic cœpit administrare pacifice totum ordinem, & regit ad hunc usque diem. »

* Dominique.

Hactenus Jacobus Burgesius.

Ex Massaco.

« Ad ordinis regimen assumtus R. P. Bernardus de recuperanda domo S. Thomæ de Formis sollicitus, statim ejus restitutionem a summo pon-

D tifice Pio V. enixe postulat. Ipsam Innocentius III. in gratiam beati Johannis de Matha ordini nostro tradiderat possessionibus dotatam amplissimis; postea vero a canonicis S. Petri de Urbe detentam testatur bulla Bonifacii IX. anno 1390. Pius ille pontifex ordini nostro, quem pluribus effert præconiis, bulla data anno 1571. xv. cal. Novemb. jubet domum possessionesque restitui, pœnis gravioribus expressis adversus detentores: constituit S. R. ecclesiæ cardinalem Jacobum de Sabello, tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin, Urbis vicarium, & emin. cardin. Carolum de Rambouillet, tituli sanctæ Euphemiæ, ordinis protectorem, ut ordini

E nostro efficacis defensionis præsidio assistentes, illam restitutionem observari faciant. Hanc bullam executioni mandatam fuisse probant acta capituli generalis anni 1573. in quo P. Bernardus beneficium illud a summo pontifice concessum, & fratres se misisse qui hanc domum occuparent, exponit. Quandiu in ea permanserint religiosi nostri, vel a quo tempore canonici iterum eam detinent, incertum.

Ab eodem summo pontifice, ministerio patris Boschet in theologia magistri Parisiensis, quem vicarium suum generalem in Italia constituerat,

vasa ad usum cultus divini, & ornamenta benedicendi facultatem impetravit. Sic continetur in brevi dato 7. Octobris 1575. in quo expositum est, in provinciis regni Galliæ ministros ad vitam institutionem conservasse, ex intento regulæ; triennales autem fuisse in Hispania. Hæc autem institutio ad triennium sumserat exordium ex decreto R. P. Guaguini dato Parisiis die 30. Aug. 1497.

Primus ipse Bernardus patres Hispanos jurisdictionem ipsius respuentes sustinuit. Inde factum est ut summi pontificis Gregorii XIII. implorata auctoritate, ab eo commissarius apostolicus fuerit delectus ad visitandas Hispaniæ provincias & Portugalliæ, brevi dato 7. Novembris 1576. Inde Hispaniam petiit anno 1584. ibique ad provinciæ Castellæ regimen instruxit formam constitutionis, ejus nomine inscriptam & Matriti impressam anno 1630. postquam a successoribus revisa fuerit & confirmata, & in pluribus capitulis ejusdem provinciæ immediate sequutis recepta. Alia etiam statuta ad usum Galliæ provinciarum a P. Burgesio ministro Duacensi disposita probari curaverat in comitiis generalibus anni 1573. Ea sunt quæ cum statutis anni 1429. Duaci typis edita fuere anno 1586.

Eo administrante domus Pontisarensis instituta, ecclesiam, claustra & refectorium a Claudio Alef Parisiensi, & Juliano de Nantonville Carnotensi, clericis, sociisque duodecim adjunctis, in eremo prope Pontisaram constructa erexit Gregorius XIII. *in unam domum ordinis SS. Trinitatis redemtionis captivorum sub regula S. Augustini, ad instar aliarum ejusdem ordinis domorum sub obedientia, superioritate & correctione superiorum ordinis.* Quæ quidem verba expresse continentur in bulla ejusdem Gregorii data idibus Martii anno 1578.

P. Bernardus recte tractans verbum veritatis plurimos Lutherana hæresi atque Calviniana labe infectos assiduis concionibus reduxit ad ovile Christi. Moritur plenus dierum & laborum anno ætatis 80. administrationis 27. reparatæ salutis 1597. mense Februario. Sepultus est in ecclesia cathedrali Metensi sub cathedra in qua concionem habuerat apud populum fidelem per 48. annos, theologi officio functus.

XXVI. Franciscus Petit minister Parisiensis, qui 28. ejusdem mensis *custos* electus ordinis in domo Parisiensi a ministris provinciæ Franciæ, ad dignitatem generalis assumitur in domo Cervifrigidi Sabbato ante Dominicam IV. post Pascha, die 18. Aprilis 1598. suffragiis ministrorum quatuor provinciarum. Eadem qua prædecessor ratione confugit ad summum pontificem Clementem VIII. a quo simile diploma commissarii apostolici ad visitandas extra regnum provincias obtinuit. Rexit per annos quatuordecim. Unum, eo regente, traditur notatu dignum, institutio congregationis PP. Discalceatorum in Hispania ab eodem Clemente anno 1599. *sub tamen omnimoda jurisdictione ministri generalis cum potestate eos visitandi per se vel per alium ejusdem congregationis ab ipso commissum.* Summus pontifex regulam primitivam ab eis statuit observandam. Nihilominus Paulus V. & Urbanus VIII. ejus successores, novis adjunctis constitutionibus, plura commutaverunt, præcipue quoad regimen; nullis autem eorum bullis, quæ ad neminem diriguntur, de nuditate pedum habetur mentio. Clemens exponit *accepisse pios nonnullos religiosos ordinis SS. Trinitatis redemtionis captivorum professores, divina inspirante gratia arctioris vitæ zelo ductos, primum dicti ordinis regulare institutum imitari cupientes, quum pristino rigore observare cœperint primitivam regulam, & ad illam nonnullas domos reduxerint, ideo motu proprio unam provinciam seu congregationem fratrum reformatorum & discalceatorum in Hispaniarum regnis erigit & constituit.* Duo ipsius successores summi pontifices eos appellant religiosos congregationis discalceatæ; ita ut quis fuerit eorum institutor religiosus, aut in quo loco primo fuerint congregati minime reperiatur. Hæc congregatio pluribus annis elapsis in Francia habuit initium. Sed dum in Hispania stabilitur, altera reformatorum non nudis pedibus in Gallia anno 1601. fundamenta jecit, quæ dicta fuit provincia Franciæ.

Tenente capitulo generali promotor conqueritur ministrum domus S. Michaelis de Pontisara Romam misisse fratres inscio generali, & adversus ejus auctoritatem moliri volentes. Surgens prædictus minister se nihil unquam contra auctoritatem generalis tentasse asserit: quod si quid procuratores illius simile egerint, illos abnegare; & quoad missionem eorum, arbitrio R. generalis subjacere. Verumtamen die 31. Martii ad ejusdem domus religiosos dirigitur bulla, in qua summus pontifex Clemens VIII. declarat *expositum sibi fuisse ipsos ante viginti annos reformationem suscepisse, promovente tunc temporis dicti ipsius monasterii ministro. Laudat quod ab eis feliciter inchoatum est, ut perseverent hortatur: deinde ut ea quæ ad ipsius reformationis conservationem & augmentum opportuna remedia adhibeantur, statuit eos in conventu S. Michaelis congregari, certiore tamen facto prius ministro generali, ut possit, si velit, interesse congregationi.*

Henrico IV. regi christianissimo gratus erat P. Franciscus generalis noster; ab ipso eleemosynarii decoratus fuit dignitate, qua etiam potiti successores regnantibus Ludovico XIII. & Ludovico XIV. Anno circiter 1603. e regno Hungariæ captivos 72. liberandos curavit. Vita functus 7. Julii 1612. jacet in sanctuario ecclesiæ sancti Maturini.

XXVII. Ludovicus Petit nepos Francisci, decretorum doctor, minister ejusdem domus sancti Maturini, & in ea *custos* electus a ministris provinciæ Franciæ die 12. Julii, postea generalis in domo capitali Cervi-frigidi, Dominica ultima quæ erat 26. dies Augusti, non expectata Dominica de *Cantate* anni sequentis, regis christianissimi mandato, & literis quibus significabatur ita placere suæ majestati, ac in votis esse ad evitandas perturbationes quæ solent plerumque diuturnitate temporis oriri, & ne quid tentaretur contra antiqua nostri ordinis privilegia, vel prærogativis hujusce regni derogaretur. Provinciæ ordinis extra regnum versare jam & agitare cœperant inter se consilium assistendi generalibus capitulis, huicque consilio & insolitæ prætensioni

» quatuor antiquarum regni provinciarum Franciæ » videlicet, Campaniæ, Picardiæ seu inferioris Germaniæ, & Normanniæ seu Britanniæ contradicebant ministri, opponentes ex ipsis tantum & » semper generalia capitula fuisse congregata; quod » magnarum postea contentionum fons fuit & origo. » P. Ludovicus duorum antecessorum sequutus viam » qua provincias exteras ad se reduceret, a summo » pontifice apostolici commissarii obtinuit titulum, » quo fretus per Italiam & Hispaniam visitationes » suas aggressus est, omniumque sibi existimationem & amorem conciliavit. Gratus Hispanis quorum linguam didicerat stadium theologicum quinque annis Cæsar-Augustæ decurrens.

» In Francia graves a patribus reformatæ congregationis sustinuit contentiones, pluribus jam occupatis » antiquorum monasteriis. Illi Parisiis novum erigere » tentaverant, impetratis a rege literis patentibus. » Verum quum eas postulant in commentarios senatus Parisiensis referri, opponente R. generali juxta » decretum capituli generalis anni 1612. quo prohibetur ne duæ ordinis domus in una constituantur » civitate, senatus-consulto a postulatione sua submoventur die 7. Junii 1617. Neque eo sedatæ contentiones, quæ longius processerunt in pravam » æmulationem quam veritum fuerat idem capitulum generale. In aliquibus Provinciæ domibus reformatione suscepta, & aliis in ea de novo institutis, obtinent a Paulo V. Febr. 15. anno 1619. » suæ congregationis confirmativum breve alterum » cum erectione novæ provinciæ sub novo visitatore, & unionem utriusque provinciæ sub uno vicario generali, servata subordinatione ordinis generali ministro. Sed forte ea subordinatione minus » servata, vel dictæ congregationis incrementum aliis » moleste ferentibus, concertationes illæ accrescentes » modo ad regis consistorium, modo ad senatum » Parisiensem delatæ fuerunt; unde decreta & præscripta plurima toto tempore administrationis P. » Ludovici Petit generalis, regis consistorii consulto » die 3. Maii 1634. dictæ reformatæ congregationis religiosi Cervi-frigidi ordinis domus primariæ » possessores remanent: ea lege jam usu perpetuo & » brevibus apostolicis firmata, quod in eadem domo » celebrarentur comitia generalia.

» Interim arguentibus patribus reformatis religiosos antiquioris observantiæ a primis moribus deviantes vota sua infringere, prodiit decretum die » 7. Dec. 1643. a Claudio Martin regi a consiliis » & eleemosynis, judice subdelegato ab illustrissimo » & reverendissimo in Christo patre DD. Jacobo » d'Angennes episc. Baiocensi, Urbani papæ VIII. » judice delegato. Eo decreto inter cetera declaratur » patribus antiquioris observantiæ uti licere lineis & » carnibus vesci, exceptis diebus Adventus Domini, » & aliis ab Ecclesia prohibitis; neque teneri celebrare officium nocturnum ipsa media nocte; generalis & ministrorum electiones aut institutiones ad » vitam more consueto futuras; posse tamen destitui » quoscunque prælatos in casibus a regula præscriptis, » forma ibi contenta, & non aliter: tributum cuique » domui ad redemtionem captivorum imponi solitum singulis annis, procuratori generali solvendum; omnia vero donata a fidelibus ad redemtionem, eidem operi consumenda omnino absque « ulla diminutione seu reservatione. Confirmata fuerunt hæc statuta die 4. Aprilis 1645. regii consistorii placito, quo rex strictissime prohibet ne quis « ordinis religiosus qualescunque pecunias colligat, « neve peregrinationem pro redemtione captivorum « aggrediatur, nisi prius vel generalis vel capituli generalis accepta scripto licentia. «

His procellosis temporibus patrum Discalceatorum congregationis Hispaniæ, eorumque provinciarum augebatur numerus, ne pene quidem opponente generali ordinis, contentionibus in Gallia « subortis penitus distento; ita ut electio ministri generalis ab eis electi pro sua congregatione in Hispania anno 1632. mense Maio ab Urbano VIII. « 12. Julii ejusdem anni fuerit confirmata: alterum « ab eodem pontifice die 3. Decembris 1636. obtinuerunt diploma, quo declaratur generalem electum secundum formam præscriptam, nulla alia confirmatione indigere. Non ita se res habuit erga patres ejusdem congregationis qui in Gallia sedem « fixerunt; imposita si quidem illis fuit ea conditio, « subjacendi jurisdictioni generalis totius ordinis in « Gallia residentis. Istorum institutionem primum « testatur bulla Urbani VIII. data die 12. Septembris 1629. iisdem Clementis VIII. bullæ verbis « expressa. Eo diplomate congregatio dictorum Discalceatorum tribus tantum constat conventibus, « 1.° Sancti Dionysii de Urbe, in quo nulli commorantur religiosi nisi Francigenæ; 2.° S. Laurentii Aquensis in Provincia; 3.° Sanctissimæ Trinitatis in diœcesi Nannetensi, scilicet Castrobrienci « in Britannia; nec in isto permanserunt. Verum « postea plures alios conventus in Provincia instituerunt; & anno 1634 idem pontifex Urbanus VIII. « visitatoris commisit officium P. Francisco a Trinitate, qui videtur dictæ congregationis in Francia « primus efformator. «

R. P. Ludovicus Petit domum Parisiensem in « spiritualibus & temporalibus auxit non parum, cujus adornando templo studuit attentius. Vitam sanctorum patrum Johannis & Felicis supra chori subsellia, ibique & in navi Christi mysteria majori « mensura pingi curavit. Altare majus & tabernaculum exquisitissimo opere ædificavit, & pretiosissimo marmore. Fornice una auxit navim, quam « a choro distinxit odeo. Odeum alterum construxit « in quo apposuit arcam organi. Alia quædam in interiori domo ac ruri suscitavit ædificia. Tandem « septuaginta & tres annos natus inter mortuos annumeratus est, Parisiis 5. Octobris 1652. intra « majoris altaris cancellos in crypta quam sub gradibus ædificaverat depositus. Quadraginta annorum « spatio administravit ordinem; & ipso promovente « 281. ex diversis Africæ regionibus redemti fuerunt captivi. Aliquot ante obitum annis procuratori suo generali Romam misso beatorum patriarcharum nostrorum Johannis & Felicis postulavit « beatificationem, publicatam ab Alexandro VII. « anno 1666. »

Addimus ejus epitaphium ex Sammarthanis.

PIIS MANIBUS.

Eheu vita mortalitium fugax! R. P. F. Ludovicus

Petit Columerius, decret. doctor, decennis habitu ordinis SS. Trinitatis donatus, virtute ac literis imbutus, a profess. ad majora studia Cæsar-augustam Aragonum missus a bonæ mem. R. P. Francisco Petit generali minist. totius dicti ord. cui erat ex patre nepos, post illius amanuensis factus. Faiaceum rexit domum, Mitriacam subinde, & ab anno M. DCXI. *hunc sancti Maturini convent. Rapto e vivis reverendissimo generali prædicto, electione solenni quatuor provinc. renuntiatus est generalis dicti ordinis anno* M. DCXII. *Fidem, integritatem & vigilantiam in eo moderando servavit. Ruri, domique hunc conventum Parisiensem redintegravit, promovit, auxit. Sacram hanc ædem consummavit, odeum, organum, & hoc altare majus, veræ pietatis aram, a fundamentis erexit: plurima contulit ornamenta, picturasque, vivax in tantis operibus, etiam fuit redemptionis captivorum studiosissimus. Tandem obiit fato mortalium anno* M. DCLII. *die 16. mensis Octobris, ætatis suæ 73. Ossa illius hic subtus expectant, donec veniat immutatio ejus. Tu pie lector, adde preces, & eheu!*

« XXVIII. Claudius Ralle domus S. Maturini » minister, ait Massacus, Ludovico Petit successit; » custos ordinis electus Parisiis die ejusdem mensis » decima, ibi quoque ad generalatum assumtus in » comitiis generalibus die 5. Decemb. ejusdem anni, » regis expresso mandato, congregatis propter bel- C lum civile, quo ingruente nulla erat ad Cervum- » frigidum viarum securitas; & non expectata eodem » jussu regio Dominica IV. post Pascha propter reli- » giosorum extra regnum oppositiones; quibus ab » Innocentio X. in forma confirmationis bullam ob- » tinere impulsus, sed cum clausulis & exceptionibus » quæ postea graviorum contentionum fundamenta » jecerunt, tam brevi temporis intervallo majorita- » tem tenuit, ut nec minimum clarioribus gestis ad- » ministrationem suam commendare potuerit, extre- » mum si quidem implevit vitæ suæ diem Novem- » bris 14. anno 1654. Verum omnium laborum P. » Ludovici Petit, cui fuit a secretis per triginta octo D annos, in partem venerat. Cum duobus antecesso- » ribus intra ecclesiæ sancti Maturini sanctuarium de- » positus fuit, in quo legitur ejus epitaphium. Paulo » ante obitum facta est, ipso jubente, 42. captivorum » redemtio, quos præ gaudio amplexatus lectum pe- » tiit; nec subinde convaluit. Antequam e vivis abiret, » successorem habere voluit & confirmare in admi- » nistratione domus Parisiensis: cujus accepta dimis- » sione religiosi P. Petrum Mercier in ejus locum » suffecerunt.

» XXIX. Petrus Mercier electus in domo Cervi- » frigidi, ad quam generale capitulum ad Domini- » cam IV. post Pascha anno 1655. quæ erat dies 25. E Aprilis, fuerat convocatum a P. Antonio Basire, » domus Catalaunensis ministro, ordinis *custode*, ad » instar prædecessoris sui Romæ confirmationem im- » petravit absque clausulis quidem, verum repugnan- » te jure ordinis, hisque regulæ plumbatæ verbis, » *postquam electus fuerit, ipsius ordinis curam plene habeat & libere gerat.* Attamen versus finem pontifi- » catus Innocentii X. & postea sedente Alexandro » VII. religiosi provinciarum extra regnum inten- » tum suum ita ardenter prosequuti sunt, ut convo- » cationem capituli generalis in Urbem obtinuerint » a Romano pontifice contra usum ab ordinis princi- A pio institutum & firmatum. Quare regii consistorii « edicto die 20. Aprilis 1656. & aliis subsequenti- « bus rex vetat ne quis religiosus e regno ad dictum « capitulum accedat. Celebratur anno 1656. mense « Augusto; & in eo eduntur a deputatis provincia- « rum Hispaniæ, Lusitaniæ & Italiæ, constitutiones « adversantes moribus ac juribus religiosorum qua- « tuor provinciarum Galliæ, in eo præcipue quod « generale capitulum spectat. «

Compositis in Gallia a P. Mercier contentioni- « bus cum patribus reformatæ congregationis, pactis « conventis, regii consistorii edicto die 16. Februarii « 1661. firmatis, domorum ordinis Hispaniarum « B visitationem aggressus, ad eas bis profectus est. Re- « versus, Franciæ quasdam lustravit & visitavit pro- « vincias. Parisiis tandem decorandæ & ornandæ S. « Maturini ecclesiæ operam dedit: aræ sacræ circum- « ductos, atque chorum inter & navim ferreos can- « cellos egregii operis, columnis distinctos marmo- « reis erexit in loco odei a patre Ludovico Petit « constructi; navis iidem, cujus aream variis stravit « lapidibus, parietes tectorio ligneo opere exquisitio- « ris sculpturæ circumtexit. Administrationis decursu « e Tuneti & Algeriæ regnis 255. captivorum re- « demtionem promovit. Laboribus & annis confec- « tus 26. Maii 1685. obiit ætatis 71. generalatus « trigesimo anno. Jacet in ecclesiæ choro, ubi ejus « epitaphium lapidi insculptum. »

Addiderunt Sammarthani diploma, seu rescriptum Alexandri VII. quo summus pontifex electionem Petri Mercier ratam habuit. Illud transcribi curavimus inter instrumenta. Chart. XIX. col. 566.

« XXX. Eustachius Teissier, pergit Massacus, regiæ Fontis-Blandi minister, Parisiis *custos* electus, « ad generalem dignitatem apud Cervum-frigidum « 20. Martii anno 1686. evehitur, non expectata « Dominica quarta post Pascha mandato regis, qui « consuetum electionis diem accelerari voluit, ut reli- « giosorum provinciarum extra regnum oppositioni- « bus occurreretur. Qui quidem religiosi electioni P. « Teissier intercesserunt præfatis innixi Romæ editis « constitutionibus, quibus ministri dictarum antiqua- « rum quatuor provinciarum spoliantur jure semper « infracto, quo ad ipsos solum pertinebat interesse « generali capitulo, & majorem ministrum eligere. « Decreto congregationis regularium anno 1687. P. « Teissier electio nulla declaratur. Senatus Parisiensis « edictum die 11. Februarii 1688. jubet eamdem « electionem tanquam canonicam ab omnibus ag- « nosci, & vetat ne dictæ constitutiones anni 1656. « vim legis ullam habeant. Inde inter provincias « Franciæ & extra regnum exortum schisma usque « ad annum 1703. «

E Provincia oriundus erat P. Teissier non longe « a sancti patriarchæ nostri Johannis de Matha natali « loco. Voverat in discalceata congregatione, ex qua « paulo post ad antiquam observantiam translatus: in « domo nostra Avenionensi in hospitali eidem domui « a fundatione sua annexo ægrotorum curam gerens « spiritalem, & Christo Jesu in ejus membris deser- « viens pro fratribus animam exposuit. In ipsius ge- « neralatus primordiis dictæ domus ministri nomina- « tione & jurisdictione privatus fuit vice-legati usur- « patione; hinc ejusdem domus ruina & pernicies, « præcipue ex ablata jurisdictione superiorum ordinis, «

» quibus nulla jam supererat auctoritas corrigendi abusus inde magis ac magis accrescentes. P. Teissier corde optimo præstans atque modestia, sacrorum studiorum apud nos reparator, dilectus Deo, regi acceptus, gravi tandem & longa ægritudine confectus, inter filiorum suorum fletus & preces efflavit animam in domo Fontis-Blaudi 8. die Januarii 1693. Exultant Domino ejus ossa humiliata in crypta quam vivens mortem cogitans sibi suisque fratribus ædificaverat apud S. Petrum de Avone annexam ejusdem domui parochiam. Captivorum 130. redemtionem ex Algerio procuravit.

» XXXI. Gregorius de la Forge domus regalis Fontis-Blaudi minister. Is primum Parisiis *custos*, deinde generalis electus more solito apud Cervum-frigidum 7. Novembris ejusdem anni. Vetuit enim iterum rex propter momenta superius allata, ne Dominica quarta post Pascha expectaretur. P. de la Forge reformatæ congregationis professus, ex ea ad antiquiorem translatus observantiam, primo domus Fontis-Blaudi a R. P. Teissier in sui locum institutus minister, quem postea ob graves quibus tenebatur infirmitates, vicarium suum generalem nominavit. Custodiam gerens P. de la Forge provincias extra regnum ad generalis obedientiam revocare tentavit; sed ei non successit labor, nisi electo generali. Eo fine Romam petiit an. 1695. unde in Galliam rediit eodem anno, nullo percepto fructu, at melius perspecta mente atque consilio adversantium; nec cessit a proposito. In curiam Romanam per procuratorem suum causam vehementer egit; & officiis regum christianissimi & catholici adjutus, per eorum in Urbe legatos diversis inter proposita successive concessis patribus provinciarum extra regnum anno 1703. ad tam ardenter optatam pervenit conciliationem, ab omnibus certe probandam, nisi provinciis Franciæ oneri plurimum fuisset. Unde ministri quatuor provinciarum adversus eam protestati sunt, ex eo quod ejus conditionibus eorum subverterentur jura, & spoliarentur suffragio quo ab immemorabili potiti fuerant in generalibus ordinis capitulis, neque de iis tractandis ipsorum nomine aliquem commiserant, insuper quod esset res peracta ipsis inconsultis. Ad Cervum-frigidum comitia indicta fuere ad Dominicam quartam post Pascha an. 1704. In his opus perfecit suum P. de la Forge, vocatis pro libito quibusdam quasi deputatis quatuor provinciarum; quod multarum graviumque concertationum causa fuit.

» Per tredecim circiter annos generalem ordinis administrationem tenuit, solutis sæpe legibus; vir ingenio vivaci, in suscipiendis audaciori, plurimos habuit adversantes. Ruit sæpe sæpius aut evanescit quidquid non ponderat justitia nec prudentia dirigit. Domum Parisiensem ministri abdicatione vacantem ipse minister Fontis-Blaudi regendam aggressus est novo œconomatus titulo, formula insuper obsoleta decenni œconomatu potitus ad judicium tanquam de abusu appellatur. Litem mors composuit. Captivos 85. ex diversis Barbarorum regnis liberandos curavit. Hydropisi consumtus 27. Aug. 1706. obiit in pago de Limais ad Sequanam apud ejusdem loci parochum, sui secretarii fratrem, quo se transferri voluerat ad remedia capienda rustici cujusdam loci de Chaudrais, remediis suis famosi. Corpus in domo nostra Pontisarensi tanquam viciniori fuit tumulatum; cor ad domum Fontis-Blaudi delatum. «

5 Ex ejus morte renovandarum de electione generalis ac etiam custodis, difficultatum enata est occasio; quippe comitia anni 1704. provinciali Franciæ antiquioris observantiæ, mortuo generali, custodis titulum & auctoritatem per devolutionem tribuerant, contra jus antiquum ministrorum provinciæ Franciæ, qui in tali casu a suo provinciali ad eligendum custodem convocabantur. De eo tamen custodis officio devoluto reverendo patri Michaeli Darde domus Verberiæ ministro, tunc temporis provinciali, ne minima quidem controversia fuit; sed ipso e vivis sublato anno 1708. de eodem custodis seu vicarii generalis titulo, sede vacante, acris exorta est contentio inter aliquos quibus ordinis regimen per interim fuit commissum, eo prætextu quod nullus existeret provincialis. Id regimen ad annum 1710. perseveravit. Interea provinciæ tam intra quam extra regnum consultæ per literas censuerunt a ministris domorum provinciæ Franciæ antiquioris observantiæ eligendum provincialem; atque ab iis electus est eo anno die 7. Decembris R. P. Claudius de Massac sacræ facultatis Parisiensis doctor theologus, minister sancti Maturini, & eo titulo *custos* & vicarius generalis conclamatus, uno intercedente & reclamante provinciali provinciæ Franciæ congregationis reformatæ, prædictis innixo constitutionibus Alexandri VII. in regno prohibitis; cujus tamen reclamatio & intercessio regii consistorii edicto die 7. Julii an. 1711. cecidit; & sic in gratiam patris de Massac res peracta. «

Universa pene tunc Europa bellis agitata, ad exitum deduci non poterat convocatio capituli pro eligendo ministro generali. Pace feliciter data P. de Massac capitulum generale universi ordinis indixit apud Cervum-frigidum ad Dominicam quartam post Pascha an. 1716. secundum placita præscripta in congregatione an. 1704. quod ægre tulerunt ministri quidam quatuor antiquarum Franciæ provinciarum; quippe jus suum quo ab immortali gaudebant, assistendi omnes & singuli generalibus capitulis, intactum & integrum conservari volebant. Sed interveniente commissariorum regis consilio, omnes pro forma an. 1704. observata steterunt. «

XXXII. Claudius de Massac, sic omnium deputatorum ex provinciis tam intra quam extra regnum concursu & unanimi suffragio electus fuit in generalem ordinis ministrum. Optandum sane ut singula ad sedandas in posterum contentiones provisa atque decreta in eo capitulo anni 1716. felicem sortiantur exitum. »

Hactenus ipse Massacus.

ADDENDA

ADDENDA hisce duobus tomis, & corrigenda.

COL 140. D. Petrus IV. d'Orgemont episc. A Parisiensis permutavit decem solidos Parisienses annui reditus die Veneris XI. Martii 1383. nunc 1384. ex regest. 124. chartophylacii regii.

Col. 160. Legavit idem ecclesiæ Turonensi, cujus canonicus fuerat, 200. libras Turonenses pro anniversario.

Col. 150. C. Guillelmus Chartier episcopus Parisiensis regi juravit fidem 16. Junii 1448. ex regestis cameræ computorum.

Col. 152. E. Ludovicus de Beaumont episc. Parisiensis regi fidem dixit 15. Julii 1472.

Col. 159. D. Franciscus I. de Poncher episcopus Parisiensis regi fidem dixit apud sanctum B Germanum in Laia, 4. Apr. 1518. nunc 1519.

Col. 251. A. Stephanus de Bray thesaurarius Sacræ capellæ Vincennarum benefecit monasterio S. Catharinæ Paris. Vallis Scholarium an. 1432.

Col. 251. C. Carolus Bouvard abbas sancti Florentii Salmuriensis, erat simul thesaurarius Sacræ capellæ Vincennarum, quem Ludovicus Texier presbyter, prior d'Allone, funebri oratione laudavit, edita in-8.° Salmurii 1648.

Col. 264. C. Cardinalis decanus S. Germani Autissiodorensis, de quo Franciscus le Charron ad annum 1418. erat Ardicinus de la Porte Novariæ in ducatu Mediolanensi nobilibus editus C parentibus. Is utroque jure apprime instructus, Romam petiit, ubi clericus cameræ, literarum apostolicarum corrector & advocatus consistorialis factus est. Decanatus sancti Germani Autissiodorensis gratia exspectativa a Martino V. pro more horumce temporum donatus, illa promoto ad ecclesiam Noviomensem 20. Julii 1425. Johanne de Mailly, potiri nisus est, sed incassum. Capitulum enim die 5. Octobris anni ejusdem spreta gratia, Johannem Robert decanum elegit, ut diximus. Canonicos quidem mox excommunicavit delegatus sane a summo pontifice Johannes de la Rochetaillée archiepiscopus Rotomagensis. D At nihilominus facta a capitulo electio, & a Johanne episcopo Parisiensi & ab ipso senatu confirmata fuit. Ardicinus vero anno sequenti 24. Maii a Martino V. ad purpuram evectus est titulo sanctorum Cosmæ & Damiani, dictusque cardinalis de Novaria, non de Navarra, ut scripsit Franciscus le Charron, qui cardinalem decanum vocans, hunc a dignitate nobiliori, licet posteriori sic vocat. Defunctus autem Romæ Ardicinus die 9. Aprilis 1434. sepultus est in basilica sancti Petri cum epitaphio.

Col. 279. fidem datam implere, translatosque ad ecclesiam metropolitanam canonicos sancti E Germani Autissiodorensis annunciare sperabamus; ast dum litigant, dum moliuntur, lustrum est.

Col. 303. B. Ascelinus decanus S. Marcelli testis legitur in charta Mauricii Parisiensis episcopi pro canonicis sancti Reguli Silvanectensis anno 1173.

Col. 323. B. num. XXX. Johannes Hamelin, non Tamelin, Parisinus, ex monacho S. Maglorii abbas, benedictus fuit die 12. Aprilis 1448. ab episcopo Meldensi, assistentibus abbate Fossatensi & priore sancti Eligii Parisiensis, præsentibusque abbatibus S. Dionysii, sancti Germani & sanctæ Genovefæ, ex codice ms. sanctæ Genovefæ.

Col. 324. C. Guido de Montmirel abbas S. Maglorii, regi fidem juravit 28. Junii 1493.

Col. 325. D. Carolus Boucher abbas sancti Maglorii, regi fidem dixit 7. Septemb. 1520.

Col. 405. D. Johannes II. Geoffroy abbas sancti Dionysii, regi fidem dixit mense Aprili 1464. ante Pascha, id est 1465. ex regestis cameræ computorum.

Col. 406. D. Johannes III. de Villiers abbas S. Dionysii, fidem regi juravit 10. Nov. 1475.

Col. 409. B. Aimarus Gouffier abbas sancti Dionysii, regi fidem dixit Ambiani 19. Junii 1517.

Col. 552. C. Gerardus de Sully filius Georgii de Sully & Antoniæ de Châteauneuf, prior sancti Dionysii de Carcere 1480. Mortui-maris & S. Reveriani, necnon abbas sancti Medardi Suessionensis, obiit 1484.

Col. 573. D. Ludovica Adelaïs d'Orléans quondam abbatissa Calensis, rubentibus pusulis obiit in prioratu beatæ Magdalenæ de Triangulo 19. Febr. 1743. ibidemque sepulta est die 21. ætatis 45. professionis monasticæ 25.

Col. 585. E. num. XV. N. de S. Theodore monialis Vallis-gratiæ, electa est abbatissa ejusdem 5. Aprilis 1741.

Col. 632. D. Carola de Caumont abbatissa Issiaci, obiit 24. Septemb. 1741. ætatis 63.

Col. 638. B. Avelina priorissa erat de Salceia anno 1270. quo frater ejus de Lovans miles, notum facit eam quotannis dimidium bladi modium accipere & certam portionem terræ tenere prope parcum Challiaci, quæ post obitum Avelinæ redirent ad fratrem, cujus erant illa bona propria.

Col. 640. C. Susanna de Navailles priorissa de Salceia, obiit 18. Novembris 1742. annos nata 84.

Col. 649. B. Maria Armanda de Rohan Chabot priorissa de Bono-auxilio, obiit 29. Januarii anno 1742. annum agens 50.

VII. Johanna Francisca Rossignol abbatissa Malæ-noæ ab anno 1739. facta est priorissa de Bono-auxilio post Mariam Armandam.

Col. 847. A. XLIII. Ludovicus Sanguin de Livry superioris germanus, nominatus est a rege abbas Livriaci 24. Augusti 1741.

Col. 849. C. XIII. N. de la Cliie vicarius major episcopi Carnotensis, nominatus est a rege abbas Rochæ ineunte Junio 1742.

Col. 871. C. Maria Francisca du Vivier abbatissa sanctæ Genovefæ, obtinuit ut utraque

abbatia in unam sanctam Genovefam coalesceret, exeunteque anno 1742. translatæ sunt moniales e Villula ad Calloellum.

Col. 924. A. Ludovica de Montpeiroux abbatissa Portus-regis, obiit die 25. Sept. 1741. ætatis 62. cui successit

VI. Clara de Montmorin de Saint-Herem germana episcopi Lingonensis & abbatissæ Jotri. Primum abbatissa Mercoriæ in diœcesi Mimatensi 29. Januarii 1729. tum Monstrolii diœcesis Laudunensis mense Julio 1739. inde Portus-regis mense Octobri 1741. translata est ad Fontem-Ebraldi mense Aprili 1742.

VII. N. Vauban ex abbatissa Monstrolii Laudunensis, facta est Portus-regii mense Jun. 1742.

Col. 927. D. Anna Benigna Constantia Julia de Rohan abbatissa Pentemontis, obiit 5. Febr. 1743. ætatis 55.

XXVIII. Maria Catharina de Bethisi de Mezieres, ex abbatissa S. Remigii de Landis fit Pentemontis VIII. calendas Martii 1743.

Col. 930. A. Agnes abbatissa Mali-duni a nobis omissa, innotescit ex chronico abbatiæ Longi-pontis, cui vendidit mense Octob. 1276. 30. arpenta terræ arabilis, totum terragium & omne jus suum in territorio de Meroliis.

Col. 1000. Post typis impressas congregationis a Missione domus, hæ nobis innotuerunt:

Domus Trecis in Campania fundata anno 1637. a Renato de Bresle episcopo Trecensi & Natali Brulard de Sillery commendatore ordinis Melitensis. Fundator quoque audit Natalis domus institutæ Annecii anno 1639. satagentibus apud beatum Vincentium a Paulo Justo Guerin & Johanna Francisca Fremiot de Chantal. Missi etiam anno eodem Portugalliæ regis ad preces Ulyssiponem congregationis alumni, qui anno 1640. Cranostaviæ in Polonia sedem habuere. Anno 1641. Dominicus Seguier Meldensis episcopus fundatam Creciaci in Bria domum ab N. de Lorthon regi a secretis approbavit. Anno 1643. hujus congregationis alumnos Cadurcensis episcopus Alanus de Solminihac Cadurcum invexit. Insequenti Ludovicus XIV. regina matre Anna Austriaca suadente, misit eosdem Sedanum, ubi ab Eleonorio d'Estampes de Valançai Remensi archiepiscopo instituti sunt. Eodem anno 1644. Franciscus Mallier Trecensis episcopus consilio Petri de Gondy ducis de Retz, eis contulit prioratum seu domum hospitalem *de la Chaussée-lès-Montmirail*, quos anno 1677. Carolus episcopus Suessionensis apud Montem ipsum Mirabilem instituit, annexo prioratu de consensu Trecensis episcopi. Hoc adhuc anno Jacobus Raoul Santonensis episcopus seminarium sacerdotibus a Missione regendum commisit, rusticosque instruendos de consensu totius cleri, qui fundationem sponte auxit. Anno 1645. Martinus Lucas abbas sancti Hilarii Carcassonensis, necnon præfectus xenodochii Cenomanensis & præpositus ecclesiæ collegiatæ & regalis B. Mariæ de Coeffort, hanc congregationi a Missione de consensu episcopi dedit ecclesiam cum appendiciis, rege probante anno 1646. & senatu regium diploma in commentarios referente anno 1650. Eodem adhuc anno 1645. Achilles de Harlay de Sancy episcopus Macloviensis & abbas commendatarius S. Mevennii, presbyteros a Missione apud sanctum Mevennium advocavit, probantibus Alexandro VII. pontifice, & rege Ludovico XIV. Seminarium illis moderandum dedit Bartholomæus Delbene episcopus Aginnensis, anno 1650. Idem biennio post præstitit Petrus de Bertier episcopus Montalbanensis. Anno 1654. Balthasar Grangier episcopus Trecorium eos accivit, Michaele Depault domino de Rumelin Trecorensi canonico fundatore. Eodem anno Franciscus Fouquet episcopus illos Agatham advocavit, quos factus archiepiscopus Narbonam transtulit anno 1661. Metis quoque sedem habere cœpit congregatio hoc anno, Ambiani & Noviomi anno 1662. in fano sancti Brioci 1666. Lugduni & Neapoli 1668. apud S. Florum 1674. Senonis & Andegavi 1675. Fonteniaci in Pictonibus 1675. Atrebati 1677. Biterris, Electi, Culmiæ in Polonia & Bastitæ in insula Corsica, 1678. Bellovaci 1679. Carnoti, Autissiodori, Turonis & Perusiæ, 1680. Catalauni, Divione, Pictavii, Bononiæ & Reggii in Longobardia, 1681. Burdigalæ, Montuzeti, Bajocis, Cracoviæ & Ticini, 1682. Sarlati & Pali, 1683. Manoscæ in diœc. Sistaricensi, 1685. Mauratæ & Stradomi secus Cracoviam, 1686. Vilnæ & Premisliæ, 1687. in fano S. Pauli Leonensis, 1689. apud beatam Mariam, dictam *la Delivrande*, diœc. Bajocensis, 1692. Venetiæ in Aremorica, 1701. apud Vallem-floridam, *Val-fleury*, 1702. Engolismæ 1704. Avenione 1705. Tolosæ 1707. Burgi in Bressia 1708. apud S. Remigium Genuensem 1709. & in insula Borbonica ad Orientem majoris insulæ de Madagascar, dictæ olim Mascaregnas, in fano sancti Servantii prope sanctum Maclovium, 1712. apud sanctum Adalbertum prope Dantiscum & Mlawæ, 1713. Appamiæ 1715. apud Mornantum in diœcesi Lugdunensi, *Loublin* & *Ploch*, 1717. Gnesnæ 1718. Carnoti in seminario sancti Caroli in locis de *Siennatiez* & Uladislaviæ, 1719. in insula Franciæ, olim insula Mauricii, 1722. Bituricis & Villæ-francæ in Ruthenis, 1723. Albuneæ, Tibure & Oira, 1729. aqud B. Mariam de Spina prope Catalaunum, 1732. Figiaci denique & Majoricæ, 1736.

Col. 1064. D. Johannes VII. de Duyson major Franciæ prior, 1359.

Col. 1066. B. Philibertus Bertheau 1539. major prior Franciæ.

Col. 1130. C. 3. Concilium Pictaviense habitum est anno 1100. IX. calendas Decemb. non vero 1104. ut post Mabillonium dicimus.

Col. 1187. C. Renatus episcopus Carnotensis regi fidem dixit 15. Maii 1496.

Col. 1188. B. Erardus episcopus Carnotensis fidem regi juravit 15. Decembris 1507.

Col. 1232. D. Germanus abbas sancti Petri sacramentum regi dixit 29. Julii 1514.

Col. 1268. C. Carolus Irenæus Castel de A S. Pierre abbas Tironii unusque e quadraginta viris academiæ Gallicanæ, obiit Luteciæ tertio calend. Maii anno 1743.

XL. N. Malherbe vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis, nominatus est an. 1743. abbas Tironii exeunte mense Junio.

Col. 1300. C. Maria Catharina de Mezieres translata est e sancto Remigio ad Pentemontem apud Parisios, VII. calendas Martii 1743.

Col. 1310. A. n. XXXV. Johannes Henricus Cochois, &c. abdicato munere, *dele has duas posteriores voculas.*

Col. 1310. B. n. XXXVI. Isaac, &c. *Expunge* B *has tres lineas, quarum loco substitue:* N. de Galifet nominatus est a rege abbas sancti Carauni, VII. calendas Novembris anno 1742.

Col. 1316. A. Gerardus, &c. *dele quatuor lineas,* Gerardus enim erat abbas Clari-fontis, non Carnotensis, sed Laudunensis, nunc Suessionensis.

Col. 1320. B. n. XXXIV. N. Vidaud de la Tour, abdicante Galletio, nominatus est a rege abbas Castrodunensis, VII. cal. Martii an. 1743.

Col. 1605. C. Segemundus Meldensis episcopus adfuit anno 881. concilio apud Martyrium S. Macræ in finibus Remorum, habito pro electione Bellovacensis episcopi.

Col. 1724. D. Elisabeta Pajot abbatissa B. Mariæ in foro Meldensi, obiit die 7. Januarii 1740. cui successit ejusdem adjutrix.

In instrumentis bis per imprudentiam edidimus chartam fundationis Livriaci, coll. 193. & 273.

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA
AD TOMUM VIII.
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA.

QUÆ PERTINENT AD ECCLESIAM CARNOTENSEM.

I.

Ex chartul. S. Petri.

Aimericus episcopus Carnotensis firmat aream Frotgingi canonici.

890. CUM christianissimus atque catholicus, divinæ moderationis ope suffragante invictissimus imperator Augustus, sanctæ & universalis ecclesiæ statum provectionis fastigii dignitate sublimare cuperet, ne aliqua sui habitus parte fuscare videretur, pari voto, parique consensu imperii sui optimatum protulit edictum, ut universa canonicorum claustra in regno suo consistentia absque census conditione deinceps absoluta permanerent; quatenus absolutiva libertate donata, sinceriorem per succedentia tempora divini cultus Domino valeant exhibere militiam. Quod etiam inclyta ejus proles, successor videlicet rex Carolus, patris imitamina sequens, B sub auctoritatis suæ præcepto perpetim observandum mandavit. Ego igitur in Dei nomine Aimericus, nullis præcedentibus stipendiorum meritis, sed sola favente divina miseratione humilis Carnotensium episcopus, supradictorum principum sacræ constitutionis memores, compertum esse volumus cunctis matris ecclesiæ sanctæ Mariæ fidelibus, nostrisque, qualiter quidam diaconus & canonicus noster, Frotgingus nomine, ab ejusdem ecclesiæ nobiliter educatus cunis, veniens in præsentiam nostram humiliter postulavit, ut ex sua area, quam quidam presbyter & canonicus S. Petri Winnemarus, viam universæ carnis abiens ei olim noscitur reliquisse, firmitatis cartulam exinde facere & roborare nostro nomine delegaremus; quod quidem per consensum canonicorum & fidelium nostrorum dignum duximus C faciendum. Est autem ipsa area in prospectu civitatis Carnotis infra claustrum sancti Petri, ad Meridianam scilicet plagam, habens in longum perticas 33. & in uno capite perticas 8. & dextrum unum; in altero vero capite perticas 7. & dextrum unum. Terminatur autem ab uno latere & una fronte terra Fratrum sancti Petri, ab altero latere via publica, & una fronte exitus in claustrum, infra has terminationes præfatam aream cum vinea, quæ eidem areæ supposita esse videtur perpetua, per hujusmodi cartulam ei habendam concedimus. Ita duntaxat, ut juxta memoratorum principum decreta, absque census exactione eam obtinens, liberioris obsequii cultibus Domino valeat famulari. Censum vero nullum cuipiam, sicut supra dictum est, exinde exolvat, nisi illum qui ad divinæ servitutis pertinere videtur mi- D litiam. Insuper etiam ei licentiam damus, ut salvo pontificali jure, vel sicut in regali continetur præcepto, cuicumque confratri in eadem canonica Domino militanti libuerit, potestatem habeat eandem concedendi, A aut venundandi. Hæc vero cartula ut per succedentium temporum curricula inviolabilem, inconvulsamque obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & canonicorum nostrorum propriis manibus roborandam decrevimus. Data est anno secundo Odonis regis feliciter. Ingelgaldus sacerdos indignus scripsit.

II.

Ex chartul. S. Petri.

Aganus episcopus Carnotensis monachis sancti Petri clausum vinearum restituit.

Circa 940. EGO Aganus nullis existentibus meritis, sed sola Domini gratuita pietate episcopus Carnotensis ecclesiæ, super quodam monasterio nostro pene diruto, B in honore S. Petri dicato condoluimus, quod non longe ab ipsa distat civitate, illudque a fundamento reædificare, & canonica institutione clericorum cunctorum graduum inibi Deo servire, sanctam exercendo religionem jussimus. Tempore siquidem pacis jam olim splendide locus ille viguit in canonicis Domino militantibus, & in exercitiis bonorum operum bene decertantibus. Sed ingruentibus paganorum infestationibus, ceterisque supervenientibus pressuris, ipsum pene desolatum invenimus. Nunc autem adjuvante Dei gratia, primos religionis renovare usus (volumus) ut ibi laus Domini perenniter celebretur canonicali authentico in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus perpetuali ritu observandum. Interea est quædam terra in absiditate redacta S. Petri, haud procul ab ipso monasterio, ubi clausus C fructiferæ vineæ indominicatus quondam fratrum ejusdem cœnobii exstitit: sed a nostrorum quodam antecessorum alimoniæ eorum subtractus, dominioque episcopali inepta cupiditate detentus, qui terminatur ab uno latere via publica ad sancti Martini quæ ducit monasterium, ab alio terra de eadem potestate, ab una fronte terra de eadem potestate & S. Piati, ab altera autem, via quæ ducit ad sancti Petri monasterium. Ego igitur Aganus constitutus antistes, cui divinitus judicii statera & æquitatis est concessa, una cum consensu & obsecratione fidelium nostrorum dantes reddimus juste eandem clausi indominicati terram, ut habeant, secure teneant, possideantque in propriis usibus stipendiariis absque ulla repetitionis calumnia, & desuper securi ædificent, plantent & construant. Dedimus etiam in D alio loco ipsis quoque canonicis terram prope civitatem, quæ incipit a loco ubi terminatur terra sancti Aniani, usque ad portam ejusdem S. Petri monasterii, cum ascensu & descensu vallis quæ terminatur, &c. Actum Carnotis civitate publice in domo matris

ecclesiæ. Aganus humilis episcopus, Arnulfus subdiaconus, Alcharius, Gauzo presbyteri, Suggerius, Lambertus canonici, Bernardus presbyter, Giroardus vicedominus, Aymo, Burchardus laici.

III.

Ex chartul. S. Petri. *Ragenfredus episcopus vineæ clausum canonicis sancti Petri donat.*

949. EGO Ragenfredus sanctæ Mariæ matris ecclesiæ humilis episcopus, notum esse volumus cunctis ecclesiæ fidelibus, qualiter quemdam vineæ clausum proprio sumptu & labore a nobis plantatum, pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum, canonicis monasterii sancti Petri in suburbio Carnotinæ civitatis, usu stipendiario perpetualiter donamus: ad confirmandam istius donationis causam dignum duximus ex prædicta vinea cartam fieri jamdictis canonicis, cum assensu Graulfi qui abbatiam S. Carauni tenere cernitur, &c. Quatenus vero hæc pagina validius firmitatis obtineat robur, manibus propriis firmavimus, & canonicis nostræ ecclesiæ roborandam decrevimus. Ragenfredus Carnotum præsul hujus donationis paginam fecit: Graulfus abbas S. Carauni, Waracco, Bernardus, Ragenbaldus presbyteri, Arduinus, Alcarius, Aimericus, Malbertus, Ebroinus, Wido, Ardradus, Isaac presbyteri, Ardradus levita, Lambertus, Gauzlinus subdiaconi, Humbertus, Hervæus, Dodo clerici. Actum Carnotis civitate in domo matris ecclesiæ. Data idibus Junii anno XIII. regnante Ludovico rege feliciter.

IV.

Ex chartul. S. Petri. *Charta Ragenfredi episcopi pro restituendis monachis in abbatia sancti Petri.*

Circa 954. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ragenfredus nullis exstantibus meritis sanctæ sedi Carnotinæ sublimatus antistes. Quotiescumque, &c. Cum a secularium negotiorum tumultibus, quibus plus necessitate quam voto implicitus teneor, paululum animum expedissem, totum me intra me colligens, cœpi in admirationem habere beneficia miserationis divinæ erga salutem stirpis humanæ: quemadmodum quos diligit vulnerando medicabili dextera medetur, & paterno percutiendo affectu, salutis ac sanitatis prospera subministrat. Cujus clementiæ magnitudo licet ubique terrarum se dignanter impendat, ut mihi tamen videtur, præ reliquis nostræ sedis diœcesim suæ dilectionis amore dignam duxit, dum exigente filiorum suorum peccaminum mole, ita eam verbere disciplinabilis correctionis submisit, ut efferam gentem paganorum quaquaversum cædibus, incendiis, depopulationibus debacchari sine aliqua retractatione permiserit. Nullus honor impendebatur locis, voraci eos indifferenter flamma lambente, nulli dignitati, ætati, vel sexui accedebant remedia parcendi, gladio impiissimæ crudelitatis universa metente. Tunc omnia hujus episcopii destructa sunt, igne monasteria consumpta, ecclesiæ pene omnes fundo tenus dirutæ. Si quæ vero eorum evasere manus, domesticæ oppressionis tam privatorum quam potentiorum senserunt detrimenta. Tandem prospiciens de excelso propitiatio superna indoluit afflictorum lachrymis, & gemebundis miserorum querelis, sicque cœlis misericordiæ rorem stillantibus, obsidioni pene protritæ urbis Dominus se subveniendo indulsit, dum post illorum bellorum validissimam oppressionem diu optatæ pacis gaudia arridere concessit. Interea non multo post Agano vir illustris hujus ecclesiæ sublimitatis indeptus pontificatum, totam animi intentionem in reædificandis monasteriis, restruendisque ecclesiis dirigere sategit. Erat in suburbio jamdictæ urbis Carnotis celebre a priscis temporibus monasterium in honorem principis A apostolorum dicatum, regularibus disciplinis assuetum, sed præmissa vastatione neglectum, vixdum in parvula ecclesia in canonica institutione transluctum, cui nostris temporibus præerat venerabilis vir Alveus, quamvis sub schemate canonici amator & cultor religionis, qui persæpe cum præfato pontifice tractare cœpit qualiter quod animo deliberabat, opere ad effectum perduceret. Quod superna annuente gratia, & antistitis favorabili accedente suadela, sui compos effectus est voti. Præparatis siquidem impensis non parvæ jecit fundamenta fabricæ, & procedente temporis spatio superposuit basilicam quantitatis amplæ, pulchritudinis operosæ, sicut in præsenti est cernere. Illicoque auctoritate pontificali canonicorum servitia inibi delegavit. His ita se habentibus, ultimum vocationis suæ diem præsule sortito, ego Ragenfredus quamvis nullius meriti B prærogativa in hujus cathedræ fastigiatus sum solio. Quo intronizatus vigili meditatione cœpi animo conferre, si quid acceptum oculis divinæ majestatis valerem offerre, & quod proficuum foret remedio animæ meæ. Ad quod reor non se obtulit difficulter materiei præbitio. Namque pervidens præmissi S. Petri ecclesiæ clericos proclive se agentes, & relicto spiritualis militiæ exercitio, mente & actu sectari terrea & caduca, etiamque dictu committere nefaria, consultu bonæ memoriæ prænominati Alvei, abbatem cœnobii sancti Benedicti Vulfaldum accersivi, in quo, salvo discretionis bono, arctius & perfectius religionis censura valere prædicabatur ab omnibus. Quo adventante cum quibusdam ejusdem ordinis comitibus, una cum eo in antiquitatis C monasticæ observantiam [illegible] reformavimus locum. Quibus monachis ne incusandæ egestatis penuria subiret occasio evagandi foras, quæcumque eidem loco a prædecessorum nostrorum, aliorumque invasionibus injuste videbantur subtracta, tam ex beneficiis militaribus, quam ex nostro indominicato, ut se temporis obtulit ratio, reddere studuimus: quamquam vita comite si facultas suppeditaverit, pluriora reddere mihi animus suggerit. Quorum quidem huic pontificali privilegio quædam inserere ratum duximus. Reddimus itaque eis terram quandam a suis antecessoribus priscis temporibus possessam, postea malo ordine subtractam, quatenus illam pleniter possideant, veluti illorum prædecessores eam tenuisse multorum testimonio comprobatur. Ipsa vero terra conjacet infra & extra muros D Carnotis civitatis juxta portam Cinerosam. Terminatur vero uno latere via, quæ est exitus civitatis: altero vero latere terminatur terra sancti Petri Pictaviensis & sancti Aniani, &c. Dedimus etiam ex potestate sanctæ Mariæ in parochia Ursivillaris Germinionis villam in pago Dunensi cum 30. mansis cultis & incultis. In pago quoque Carnotensi dedimus ecclesiam quæ dicitur Immonis-villa cum 9. mansis & dimidio: ecclesiam quoque de Alona cum 3. mansis & dimidio: item capellam sancti Victoris in villa quæ dicitur Vernus cum molendino uno, & post obitum Odulfi totam villam, &c. capellam in Mitani-villare. Has omnes ecclesias concedimus eis concedentes decimas & remittentes synodum & circadas, simul & de ecclesia in Bodasi-villa quam ipsi omni tempore tenuerunt, ita E ut neque a nobis, neque a successoribus nostris eis unquam ullo modo requiratur. Reddimus etiam illis in pago Carnotino in villa quæ dicitur Britiniacus, mansos de terra 8. cum mansuris, terris quoque cultis & incultis. In Campechiaco mansum unum. In Empranivilla & Concretiis quicquid ex ipsa potestate haberi dinoscitur. In Gondrivilla mansos 8. cum brogilo & pratis. In Cepido mansum unum. In Fontinido mansum unum cum duobus arpennis de prato, &c. In monte Otrico molendinum unum cum arpennis de prato 10. In Mandrivilla molendinum unum, &c. Ut autem hujus privilegii auctoritas inconvulsam perpetualiter obtineat firmitatem, tam nostra, quam coepiscoporum nostrorum manibus subter roborandum

decrevimus. Actum Carnotis civitate publice. Ragenfredus civitatis Carnotensis præsul hujus auctoritatis paginam firmavit ac roboravit. Hildemannus archiepiscopus Senonensis, Graulfus abbas sancti Carauni, Arduinus archiclavus, Theodoricus presbyter, Aucarius presbyter, Adelaudus presbyter, Gauzzo decanus, Ardradus subdecanus, Radulfus presbyter, Bernardus presbyter, Aymo, Walerannus, Burchardus milites. Postea firmavere Joseph archiepiscopus Turonorum, Constantius Parisiorum episcopus, Gunhardus Ebroicæ episcopus, Mainardus Cinomannicæ episcopus, Mabbo Pauliniani Britanniæ episcopus, Nordoardus Redonensium episcopus, Tedbaldus comes, Hugo archiepiscopus filius Tedbaldi comitis, Odo comes, Hugo dux Franciæ, Hugo filius ejus, Ledgardis comitissa. Sequenti tempore Odo episcopus Carnotensium, Otto comes Burgundiæ, Suggerius decanus.

V.

Ex chartul. S. Petri.

Charta Ragenfredi episcopi Carnotensis pro abbatia sancti Petri Carnotensis.

Circa 954.

EGO Ragenfredus nullis existentibus meritis, sed sola Domini gratuita pietate Carnotensis ecclesiæ episcopus, &c. Cœnobium in honore apostolorum Petri & Pauli dicatum augustorum donariorum titulis longe lateque resplenduit, ac in multiplici monachorum numero, divina largiente gratia floruit, sed infestationibus paganorum ingruentibus, ceterisque supervenientibus pressuris, pene ad nihilum rediit, nunc vero adjuvante gratia Christi, pro modulo nostro renovavimus pristinos religionis usus, ut ibi perenniter laus Dei celebretur in psalmis, hymnis & canticis spiritalibus ritu observandum perpetuo. Ego itaque Ragenfredus Carnotum constitutus antistes, cui divinitus statera judicii & æquitatis est commissa, una cum consensu & obsecratione nostrorum fidelium, sicut ipsius cœnobii continetur in archivis, damus juste reddimus in propriis fratrum usibus stipendiariis quæ eorum alimoniæ subtracta a nostrorum quodam antecessorum nomine Elia, dominioque episcopali inepta cupiditate sunt detenta, atque in casamento militum cæca mente tradita; verum quia trinus, ut animus suggerit, peragere valemus, ipsis fratribus cum consensu monachorum in nostra ecclesia 12. præbendas, absque ulla repetitionis calumpnia dedimus, interminantes pontificali auctoritate & anathematis condemnatione, tam præsentibus quam futuris, ut nemo antistitum, clericorum, seu laïcorum, sicut in illorum continetur privilegiis, eos in nullo molestet negotio, nec eorum terras invadat, nec ejusdem potestatis homines distringere præsumat, & quod in alio prætermisimus, omnibus præter monachos ipsius loci in eligendo abbatem denegamus facultatem. Eligant autem monachi sibi bonorum operum exemplis eos commonentem, antistiti offerentes, dono benedictioneque donandum. Itaque omni sollicitudinis inquietudine remota tranquillam in Dei servitio ducant vitam, nostri memores inter communium vota orationum. Si quis autem his pontificalibus decretis obviare, aut irrita facere præsumserit, jaculo damnationis confodiatur æternæ, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit, atque cum Juda proditore, nisi ab hac intentione resipuerit, damnandus gehennalibus flammis cum diabolo pereat. Ut autem hujus privilegii auctoritas inconvulsa permaneat, tam nostra quam coepiscoporum manibus, ducisque subter roborandam decrevimus. Actum Carnotis civitate publice. Signum Ragenfredi episcopi Carnotensis. S. Hugonis archiepiscopi filii Theobaldi comitis. Sig. Joseph archiepiscopi Turonum. S. Gunhardi episcopi Ebroicæ. S. Nordoardi episcopi Redonensis. S. Suggerii decani. S. Gradulfi abbatis. S Ardradi subdecani. S. Huberti succentoris. S. Hugonis ducis. S. Hugonis filii ejus. S. Theobaldi nobilissimi comitis. S. Odonis comitis filii Theobaldi comitis. S. Ledgardis comitissæ. Sig. Buchardi. Sig. Galeranni.

VI.

Ex chartul. S. Petri.

Odo episcopus terram, vineam & Plascenciacum villare monachis sancti Petri donat.

VEnerabilis & Deo amabilis Odo pontifex ecclesiæ 974.
Carnotensis, dum in conventu nobilium clericorum & laïcorum consedisset, cœpit prudenti ratione & canonica auctoritate tractare de statu sanctæ sibi commissæ ecclesiæ, & ministros, quibus ecclesiarum commissarum a se cura transfusa fuerat, sagaci adhortatione monere, ut in sibi commissis ecclesiis diligentissimis invigilarent excubiis, & sanctæ religionis cultum irreprehensibili functione exequerentur. Cumque hæc & alia multa profluo sermocinaretur eloquio, tandem ventum est ad cœnobium S. Petri, situm in suburbio Carnotinæ urbis, jam olim a monastica institutione quibusdam ex causis depravatum, & canonicali sub regimine redactum, sed nuperrime ab antecessoribus suis præsulibus pristinum monasticæ religionis reformatum esse gradum, qui & eidem loco, prout tempus dictavit, & ut possibilitas se obtulit, in stipendiis monachorum unde adhuc sustentantur, in eleemosyna obtulerunt, essetque eorum deliberatio impendere pluriora, nisi substracti fuissent funere mortis invidæ. Cumque hæc & nonnulla alia erga eundem locum beneficia ab eisdem antecessoribus exhibita auribus sancti antistitis promulgata essent, ille eorum exemplis incitatus, quin potius divinæ pietatis gratia tactus, respondit narrantibus non minori affectu jam pridem circa idem cœnobium se teneri desiderio, seque aliqua ex parte ad efficientiam perduxisse, nisi quæ omnibus notæ sunt officientes sibi emersissent causæ. Interea ut hæc deliberationis voluntas omnibus ex parte nota fieret, dedit ad eumdem locum terram vinealem viginti solidorum, quæ est proxima civitati Carnotinæ, sita ad Septentrionalem plagam, juxta brogilum episcopalem terminatur ex una parte terra de eadem potestate, ex altera parte terra canonicorum, tertia parte S. Mauricii, quarta vero parte via publica, quæ ducit ad civitatem: dedit etiam quamdam villulam ex toto sitam in Belsia, nomine Plascenciacum villare, ut omni tempore utrumque possideant, tantum ut ipsius memoriam habeant in suis sacris orationibus. Si quis autem hanc donationem irritam facere voluerit aut annullare, perpetuæ excommunicationis detrimenta, tam ab ipso quam ab coepiscopis ipsius incurrat, sociatus diabolo & angelis ejus, & cum his qui mittendi sunt in stagnum ignis æterni, ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur; sit illius perditio cum Juda proditore, sentiat damnationem cum Dathan & Abiron quos viventes terra absorbuit, perseveret super eum illa perpetualis divinæ ultionis indignatio, qua damnabuntur illi quibus dicetur in judicio: *Discedite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus*, amen. *Matth. 25. 41.* Ut autem hæc donatio perpetuam & inconvulsam obtineat firmitatem, tam manu domini episcopi, quam totius ecclesiæ subterroborari ex animo dignum visum est. Odo Carnotensis ecclesiæ præsul firmavit. Suggerius decanus, Salico ypodecanus, Suggerius claviger, Lambertus archidiaconus, Rodolphus præcentor, Wido archidiaconus, Alcarius præpositus, Atto præpositus, Erembertus archidiaconus, Hilduinus subædituus, Vuairaco, Ardracus, Ebroinus, Isaac, Guenilo presbyteri, Humbertus, Guinemandus, Hildegarius, Erveus, Johannes, Tendo levitæ, Gausbertus miles, Fulcarius, Romaldus, Vidbertus, Hugo, Albertus, Salo, Gilduinus, Grimlinus indignus sacerdos scripsi. Data nonis Februarii anno XX. Clotharii regis.

VII.

Ex chartul. S. Petri.

Charta Fulcherii abbatis sancti Leobini.

981. IN nomine cunctipotentis, Fulcherius qui abbatiam sancti Leobini, quæ est in suburbio Carnotis per largitionem senioris mei Odonis comitis tenere videor, notum esse volo cunctis successoribus meis, qualiter agripennos sex & amplius de vinea ex potestate supradicti S. Leobini Sigemundo presbytero cum duobus monachis sancti Petri, Petro & Durando per manum firmam censualiter concessimus. Terminatur ex duabus partibus de ipsa potestate, & de aliis partibus viis publicis. Per hanc vero cognitionem ita eis ad censum concedimus, ut hanc terram firmiter teneant & possideant, & annis singulis in festivitate sancti Leobini, quæ est XVII.º kal. Octobris in censum solidos tres, denarios quinque persolvant. Et si de hoc negligentes fuerint, legaliter emendent, & vineam non perdant, sed habeant licentiam vendendi vel dandi cuicunque voluerint; ita ut venditiones & census ad seniorem veniant. Ut autem hæc carta firmior sit, manu propria eam firmavi, & seniori meo ejusque fidelibus roborandam obtuli. Actum Carnotis publice. Odo comes. Fulcherius abbas. Vivianus. Rodbertus. Teudo. Evrardus. Odo. Data in mense Februario, anno XXVII. regni Clotarii regis.

VIII.

Ex chartul. S. Petri.

Odo præsul quasdam terras reddit monachis sancti Petri.

IN Christi nomine Odo Carnotensis ecclesiæ cathedra sublimatus, notum esse volumus filiis nostræ ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris, quia adiit præsentiam nostram turba monachorum, cui videtur Vuibertus humilis abbas præesse, in suburbio ejusdem urbis posita, ut eis videbatur, quædam a nostra mansuetudine exposcens rationabilia. Reclamabant enim ipsi monachi in proximo dictæ civitatis quasdam terras nostro episcopio interminatas, quas eis reddendas a nostra religione summopere deposcebant. Sed nos præcedentium hujus sedis episcoporum sequentes pro posse vestigia, qui eundem locum sublimare, & prout possibile fuit, possessionibus ditare maluerunt, non solum quæ in calumnia erant restituere deliberavimus, sed etiam quæ ex D nostro ibi contigua erant indulgere censuimus, quæ & illis stipendia fierent & pro nobis omnique statu nostræ ecclesiæ quotidiana orationum ab ipsis impenderetur merces. Terra autem de qua loquimur, pars quædam conjacet in villa, quæ dicitur Manus villaris, & terminatur ex duabus partibus terra sanctæ Mariæ de rebus fratrum dictæ sedis, uno latere terra episcopii & fratrum, altero latere via publica, quæ traducit ad Amiliacum villam. Concessimus etiam eis in altero loco, qui dicitur Campus follis, quæ sub nostra ditione partim videbamur habere: quæ etiam terra terminatur uno latere via publica, altero latere usque ad concussam precariam quam Herveus tenet, una fronte terra sancti Piati & de potestate episcopali, altera fronte prope vallem, quæ dicitur sancti Karauni. Hæc igitur omnia E sicut præmissa sunt, nostra auctoritate & consensu ecclesiæ nostræ, tam clericorum quam laicorum eis concedimus, & ut perpetuam obtineant stabilitatem unanimiter decrevimus, & ut inviolato robore conserventur, subscriptione manus propriæ omniumque fidelium nostrorum adnotatione correximus. Si quis autem contra hoc beneficentiæ nostræ donum se opponere voluerit, aut id infringere tentaverit, perpetuæ maledictionis confodiatur anathemate partemque cum his habeat æternis detrusus incendiis, qui dixerunt Domino

Job. 21. 14. Deo, *recede a nobis, scientiam viarum nolumus.* Sig. Odonis. S. Sugerii decani. S. Hugonis archiepiscopi. Sig. Fulconis. Sig. Fulcherii. S. Helgaldi. S. Giraldi. A Signum Widonis. Signum Aimerici. Signum Rodulphi. Signum Attonis. Signum Alcherii. Signum Vingerii. Signum Gelduini. Signum Areberti. Signum Hilduini. Signum Johannis. Signum Hervici. Signum Adam. Signum Ardradi. Signum Lamberti. Signum Bernardi. Signum Dodonis. Signum Fulconis. Signum Odilardi. Signum Romaldi. Signum Alonis. Signum Isaac. Sig. Vulgisi.

IX.

Diploma Lotharii regis pro monasterio S. Petri.

Ex chartul. S. Petri.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris 985. videlicet, Filii & Spiritus sancti, Chlotarius propitia divinitate rex. Sicut de tabernaculi gloriæ Dei decore B in præsenti sæculo cogitantibus, in domo æternitatis ipsius vitæ referatur aditus, ita ejusdem pervasoribus proculdubio in inferni barathro perpetuæ mortis patebit ingressus. Huic spei fideliter incumbendo invisibili veritate gaudemus, huic inhærendo firmamur. Quapropter universalis Dei ecclesiæ omnium fidelium nostrorumque, tam præsentium quam succedenti sæculo futurorum noverit pia sagacitas, quia fideles nostri regni, Odo scilicet Carnotensium præsul, atque illustrissimus comes, fidelis noster, ac inter alios magis dilectus Odo cum sua æque conjuge Berta, nepte utique nostra dulcissima, magnificentiæ nostræ genua suppliciter adierunt, accedente quoque etiam in hoc incliti ducis fidelis nostri Hugonis favorabili obsecratione, ut quoddam monasterium, quod in suburbio C prænotatæ videlicet Carnotinæ civitatis in honore beatissimorum duodeni apicis principum Petri & Pauli Deo propitio constat nobiliter fundatum, non minimo grege ibi opinabiliter redolente monachorum contemplativæ vitæ institutione, probabiliter retractandum, nostræ serenitatis aliquo munere sublimius dignaremur decorare. Est enim egregium decus eique Christo favente in sæculorum progenies ipsius monasterii celsitudo semper in tripudio, gloria monachorum in triumpho & exultatio plebis spiritali in jubilo, quod prædicti fidelis nostri comitis Odonis, sive prope sive longe in ejusdem monasterii possessione pertinere seu respicere videtur, vel fidelium devotione futuro tempore conferetur, ibidem nostræ soliditatis processu, quasi muro & quodam antemurali, ab omni exactione, quam terrena justitia videtur exigere, liberum redderetur & immune. Igitur de Dei causa atque ejusdem loci reverentia pie pertractantes, per deprecationem præfatorum fidelium nostrorum, maxime tamen supplicibus votis consensuque pariter benigno superius nominati fidelis nostri Odonis comitis, necne ipsius præfatæ conjugis, quorum, ut dictum est, suppliciter invigilanti solertia præsens nostræ authoritatis supradicto monasterio conferatur anchora ex more regiæ celsitudinis, atque constituimus prænotatum oratorii locum cum cunctis finibus rerum in universis comitatibus sive beneficiis sæpe memorati fidelis nostri Odonis comitis sibi adjacentium universaliter ab omni respectu judicum ordine mundi decurrente inviolabili soliditate solutum & illibatum permanere; ea si quidem ratione, ut ab hodierna die & deinceps remota omnium potestate, nullo aditu, nullo tempore aliquis principum, ecclesiasticorum aut sæcularium, pontificum, ducum, comitum, vicariorum, vel quorumlibet diversi generis officialium in claustro prædicti monasterii, aut in cunctis rebus, juxta quod superius decretum est, ipsi adjacentibus aliquas impetat exactiones, id est neque bannum, neque districtum, aut quidquid in aliquo terrenæ justitiæ titulo dici potest, videatque pia ac provida sollicitudine tum ecclesiastica, tum sæcularis celsitudo præsentis ac futuræ generationis, ut id quod pro Salvatoris exoptabili amore, pro scelerum integerrima ademptione, pro beatæ spei perenni perceptione apostolis summi apicis concedimus, caste & inviolabiliter, sugillatis penitus calumniis totius

perfidæ conceptionis conservet in perpetuum & roborante bonitate defendat in ævum. Quoniam quidem tunc servi Dei attentius & liberius vacabunt orationibus, si non inquietabuntur corda eorum querimoniis forensibus. Ut autem in Dei nomine hoc edictum authoritatis nostræ in sæculorum successione validiori innitatur vigore, manu propria ipsum subflipulavimus & annuli nostri sigillatione informari atque nobilitari imperavimus anno Incarn. Dominicæ DCCCCLXXXVII.[a] anno XXXI. regnante domino Lothario gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio. Ego Arnulphus notarius ad vicem domini Adalberonis archiepiscopi & summi cancellarii recognovi. Signum Odonis comitis, signum Gilduini, signum Fulcherii, signum Alcherii, signum Teudonis, signum Huberti & filii ejus Huberti, signum Hodonis, signum Hugonis, signum Rainaldi, signum Erchembaldi, signum Gilonis, sig. Guafcelini, signum Adraldi, signum Hervei, signum Haimonis, signum Nivelonis, signum Roberti.

X.

Ex chartul. S. Petri.

Donum Hildegardis vicecomitissæ Castriduni.

Circa 1020. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Catholicæ veræque matris ecclesiæ, &c. . . . . . . His aliisque quampluribus sanctorum dictis ac sacræ scripturæ mysteriis edocta & admonita, ego Hildegardis vicecomitissa Castriduni, do sanctissimo Petro Carnot. cœnobii alodum meum de Bellomonte cum terris cultis & incultis, & silvis, piscatoriisque ibidem pertinentibus, assentiente & annuente filio meo Hugone archiepiscopo Turonorum, videlicet eo tenore quo post exitum meum sepeliar in claustro monachorum, ut semper transeuntes super meum tumulum orent pro me jugiter. Hoc viderunt & annuerunt Castridunenses proceres qui sunt scripti subter. Si quis vero, &c. auctoritateque filii mei archipræsulis Hugonis anathematizatus permaneat. Hugo archipræsul, Gaufridus nepos ejus, &c.

X I.

Ex tabulario Columbensi.

Restauratio monasterii Columbensis ab Odolrico episcopo Aurelianensi.

1028. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus sancti. Robertus gratia Dei Francorum rex. Noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium industria, nostrorumque tam præsentium quam futurorum solers astutia, qualiter excellentiæ nostræ serenitatem humiliter adiens venerabilis Aurelianensium præsul Odolricus humilius postulavit, ut quod Deo præordinante de abbatia, quæ dicitur Columbas, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructa, non longe a Novigento castro facere dispofuerat, auctoritate nostri præcepti roborare dignaremur. Cujus petitioni libenter annuimus. Res autem de qua sermo est, ita a principio habet. Jamdicti præsulis Odolrici avunculus Rogerius Belvacensis episcopus, videns præscriptam abbatiam, quam de nobis ipse, & antecessores ejus de nostris, jure beneficiario tenuerant; videns, inquam, supranominatam abbatiam, tam sua quam suorum negligentia priorum miserabiliter direptam, ædificio deturpatam, officio miserabilius profanatam, Deo tangente, tactus dolore cordis intrinsecus, ad hoc se viriliter accinxit, ut & locum reædificaret, & rebus sibi jure contiguis redintegraret, ac officio servientium clericorum, prout res pateretur, ad tempus exornaret. Cujus pio desiderio piissima Dei bonitas adeo aspiravit, ut infra tempus non multum quod animo conceperat oculis videret. Nam & ecclesiam a A fundamentis speciose perfecit, rebus ditavit, clericis & ornatu non modico decoravit. In hac tamen adhuc animi intentione suspenso, ut si Deus annueret, eam quandoque monastico ordine insigniret. Volens autem totius bonitatis Deus, ejus hæredes istius eleemosynæ fieri coheredes, Rogerio episcopo cum hac bonæ voluntatis inhiatione sanctis Patribus aggregato, suus nepos Odolricus præsul, qui ei jure hereditario succedebat, velut alter Heliseus avunculi pia facta corde complexus, laudavit, & ejus bonam intentionem efficaciter adimplevit. Abbatiam denique sæpius nominatam abbate proprio nomine Berangero, & monachis sublimavit, & de suo proprio gratanter augmentavit. Præscriptis itaque nominatim omnibus, quæ dedit seu restituit avunculus, subscribentur & illa quæ nepos B studuit augere devotus. Prius data hæc sunt, scilicet ipsa villa quæ dicitur Columbas, cum omni integritate, & cum terris cultis & incultis, cum vineis & pratis, cum tota vicaria, & bannis, & incendiis, taleis & omnibus legibus ceteris, pascuis, aquarumque decursibus, & molendinis, & decem arpennis pratorum in loco, qui dicitur Sanguisugario, & in insula de Cauda arpenni duo pratorum, & in loco qui dicitur Folia, arpenni sex, in suburbio etiam Novigenti 7. areæ hospitum, cum suis arpennis, & decem arpenni, & dimidium binearii. Et super castrum terra arabilis, quantum possunt tria paria boum culturare omni fationi, & silva Tedhildis cum terris cultis & incultis. In villa vero quæ dicitur Candela, est terra arabilis quantum sufficit duabus carrucis, & 18. areæ hospitum, & 15. C arpenni de pratis, & una exclusa, quæ reddit sol. II. Et in vico qui dicitur Oismetellus molendinum unum. In Senantis etiam villa ecclesia S. Aniani cum quatuor areis hospitum, & in Rus villa, septem hospites. Est præterea Brochantellus cum terris cultis & incultis, cum pratis & silvis, & omni integritate sua. Villa vero quæ dicitur Rosetus cum terris cultis & incultis, & omnibus ad illam pertinentibus. Est etiam altera villa quæ dicitur Bardulphi vallis, dimidium cum terris cultis & incultis. Præterea Hildulphi villa cum ecclesia, & vicus Sarefeolus, cum terris cultis & incultis, & omnibus appenditiis. Et in Picato-villari solidos sex de censu, cum quatuor hospitibus. Hæc omnia supradictæ abbatiæ collata Rogerius episcopus nostræ auctoritatis petiit astipulatione, & anuli nostri impressione D roborari. Et nos ejus petitioni libenter annuimus per omnia. Res autem quas nepos ejus Odolricus adauxit, ecclesia quæ est in suburbio castri Novigenti in honore sancti Sulpicii dicata, & vineæ ipsi ecclesiæ attiguæ ultra ripam fluminis. Ercheincortis villa præterea cum duabus silvis & pratis, & omnibus appenditiis. Præterea dat supranominatus episcopus B. Mariæ Columbensi in civitate Aurelianensi ecclesiam S. Columbæ in alodo sitam, cum terra & mansionibus ad eandem ecclesiam pertinentibus. Item in territorio Aurelianensi, in vicaria scilicet Oscilensi, quæ vulgo dicitur Oisellus, ecclesiam cum altare in honore sancti Petri apostoli dicatam, & quicquid ad ipsam ecclesiam pertinere videtur, & farinarium de Spilso. Vineas vero quas in suo dominicatu tenebat, silvam vero cum terris cultis & incultis, ad eandem potestatem pertinentibus, & quan- E tum alodi in eadem villa ex paterno jure possidebat. Nos igitur hujus iterum præsulis Odolrici piæ petitioni gratanter adquiescentes, hoc nostræ immunitatis præceptum pro divino amore, & nostræ remedio animæ, ad opus illius sancti monasterii fieri decrevimus, per quod regali auctoritate præcepimus, ut nullus vicecomes, neque aliquis publicus, aut aliquis ex judiciaria potestate, in ecclesias, loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quæ ab antiquis temporibus vel modernis juste & legaliter collatæ sunt memoratæ ecclesiæ, nec in eas res, quæ deinceps a catholicis conferendæ sunt, audeat ingredi, vel ad causas audiendas, vel ad freda requirenda, aut tributum vel bannum exigendum, aut

[a] Error in anno Incarnationis. Mabilio Annal. tomo quarto pag. 37. & 689. substituendum credidit 986. Nos emendandum existimamus 985.

A paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam colonos super ipsius terram commorantes distringendos, seu propter alias redhibitiones, aut illicitas occasiones quærendas, nostris & futuris temporibus contra voluntatem abbatis ipsius ecclesiæ. Concedimus præterea supramemorati monasterii abbati & monachis, & auctoritatis nostræ præcepto roboravimus, ut quidquid ex his quæ data sunt aut danda præscripto monasterio, facere disposuerint, causa tamen utilitatis & honestatis, liberam per omnia habeant potestatem; nullusque procerum, comitum, vel episcoporum, vel abbatum, in ipsa villa quæ adjacet monasterio, mansionaticum agere præsumat, absque voluntaria ipsius loci abbatis & monachorum permissione, sed servi Dei ibi commanentes omni libertate potiti, militiam Domini absque ulla inquietudine valeant jugiter explere. Quatenus autem per omnia tempora hoc præceptum inviolabiliter conservetur, manu propria firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus. Actum publice Parisius anno Incarnati Verbi M. XXVIII. regnante Roberto rege quadragesimo. Signum Odolrici Aurelianensis episcopi, qui hoc præceptum fieri petiit, Isambardi fratris ipsius episcopi, & heredis ipsius beneficii, Hugonis filii ipsius Isamberti, Fulberti episcopi, Franconis episcopi, Warini episcopi, Barnerii episcopi, Radulphi decani sanctæ Crucis, Odonis comitis, Willermi comitis, Herfridi præcentoris, Fulconis comitis Andegavensis, Balduini comitis, Droconis comitis, Ivonis comitis, Burcardi de Montemoranci, Gilduini vicecomitis Carnotensis, Lancelini de Balgenciaco, Manassæ comitis, Aderaldi vicecomitis de Novigento castello, Radulfi Barbati, Almarici de Monteforti, Wazonis militis, Hungerii Ragenaldi vicedomini, Germundi Finitimi, Radulphi Taxonis, Hildegarii de Senentis, Gerrici, Ribaldi Drocacensis, Fulconis Drocacensis vicecomitis, Alberti de Walardone, Gauzfridi vicecomitis de castro Dunensi. Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

XII.

Ex chartul. S. Petri.

Robertus archiepiscopus Rotomagensis liberam reddit ecclesiam Fontaneti apud Velocasses in gratiam monachorum sancti Petri in Valle.

1033. DEO & Domino nostro Jesu Christo præsidente, decernimus ego Robertus gratia Dei Rotomagi archipræsul, & coepiscopi nostri Herbertus Lisiniæ civitatis, Rodbertus Constantiæ, Radbodus Saxiæ, Hugo civitatis Ebroicæ, decernimus, inquam, atque sancimus, ut ecclesia de Fontenido pro amore & honore sancti Petri apostolorum principis & magistri, ab hac die in perpetuum ab omni sit inquietudine tam episcopi, quam archidiaconi remota, eodem modo quo & Gesiaci cella sancti Petri Carnotensis cœnobii, cui illa ecclesia est subjecta; ab omni, inquam, respectu & inquietudine permaneat secura; tribus his solummodo exceptis, videlicet ipsius ecclesiæ reconciliatione, olei & sacri chrismatis perceptione, & pœnitentium reconciliatione, quæ omnia, sicut opus fuerit, ab episcopo cujus est diœcesis postulentur; & ab eodem gratis & absque ulla primum postulatione, vel donatione propter honorem sancti Petri conferantur; ut & nos & successores nostros ab omni jugo peccati dignetur absolvere supradicti magistri nostri potestas & misericordia. Et ut hæc notitia inconcussa permaneat, manibus nostris eam roboravimus, signo quoque & nominibus corroboravimus, & Guascelino archidiacono qui sub me propius intererat, consignandam & confirmandam, & aliis clericis & laïcis nostris proposuimus. Si quis vero antichristus, &c. Hanc autem sigillationem, vel ut ita dicam, sigillationem, singuli singulorum nominibus coepiscoporum subscribi decernimus. Rodbertus archipræsul, qui hoc opus pietatis incœpit & perfecit. Rodbertus Constantiæ, Herbertus Lisiniæ, Radbodus Saxiæ, Hugo Ebroicæ, Maingisus Abrincarum, Willelmus, Richardus, Rodulfus, Hugo, Wascelinus archidiaconus, Henricus abbas S. Audoëni, Balduinus archidiaconus, Henricus presbyter & decanus, Rodulfus capellanus, Herluinus levita & canonicus, Corbucio, Willelmus Pascharius capellanus, Rodulfus de sancto Sancsone, Atto levita & capellanus, Odo præpositus, Odo levita & Osmundus Tuteborti, Rogerius filius Hunfridi, Lescelinus, Guimundus parvus, Rogerius filius Odonis præpositus de Noiomo, Albertus ostiarius, Rodulfus filius Osberti.

XIII.

B *Statutæ ab Arnulfo abbate sancti Petri Carnotensis preces annuæ Roberto archiepiscopo Rotomagensi.* *Ex chartul. S. Petri.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego frater Arnulfus, sancti Petri Carnotensis cœnobii licet indignus abbas cum fratribus mihi commissis, notum esse volo nostris successoribus, quia pro caritate & multa benignitate, quam nostro loco & nobis impendit propter honorem sancti Petri amplectendæ memoriæ archipræsul Rotomagi dominus Rodbertus, de ecclesia nostri siquidem cœnobii, de qua omnem violentiam archidiaconi & successorum ejus removit, in perpetuum, sicut in archivo nostro continetur scriptum, quod quidem ipse frequenter nominandus archipræsul domnus Rodbertus coram se scribi fecit, & nobis servandum perpetuo contulit, pro hac, inquam, benigna C caritate notum esse volumus, quia gratanter constituimus atque sancimus ut pro anima ejus ab hac die in æternum unus pauper quotidie pedes lavetur, reficiatur, vivens procuretur, mortuus sepeliatur, opportunis diebus psalmus in conventu plenario pro eo cantetur, *Exaudiat te Dominus, &c.* Per singulas hebdomadas missa pro eo specialiter celebretur cum plenario conventu; multa enim alia præter hæc beneficia nobis largitus est, quæ omnia sibi recompenset manu benignissima qui vivit & regnat unus Deus in Trinitate perfecta. Et ut hæc recompensatio firma permaneat in secula, manibus nostris & nominibus confirmavimus, & in nostro aureo textu sancti Evangelii ad inviolabile testimonium posteris nostris scribi mandavimus. Arnulfus abbas. Ebrardus monachus. Beringarius decanus. D Richerius monachus, &c. 1033.

XIV.

Theodericus episcopus monasterio S. Petri concedit altare regiæ capellæ ab omni liberum debito. *Ex chartul. S. Petri.*

SI pietatis ac religionis constat esse ad laudem & gloriam summi & æterni regis in ecclesiis in honore martyrum seu etiam confessorum constitutis a fidelibus honorificentias exhibere, quanto magis his quæ in memoria illius sunt stabilitæ, super quem catholica fundata est ecclesia, cui etiam a superno conditore commissis cœlorum clavibus ligandi atque solvendi pontificium constat esse traditum! Unde pro æternæ felici- E tatis acquisitione quam ipsius interventione apostolorum principis apud animarum liberatorem speramus facilius adipisci, altare quod situm est in ecclesia quæ regalis capella regia vocatur concedo Carnotensi ecclesiæ in præfati apostoli memoria constitutæ ad stipendia monachorum inibi Deo militantium, ea conditione, ut ab hodierna die & per succedentia tempora ab omni conditione & comparatione, a synodali circada, ab omni debito vel parata absoluta permaneat; ita ut nunquam nos neque successores nostri ab ipsa capella regali horum aliquid unquam requirere, vel recipere, vel repetere præsumant. Et ut nostræ liberalitatis magnificentia omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus esset nota, summo *Circa 1038.*

studio & diligentia exarari præcipimus, quatenus quod manu propria signo crucis impresso statuimus esse ratum, per curricula succedentium temporum maneat inconvulsum. Et si quis hujus eleemosynæ portiunculam tentaverit esse violandam, quod absit, iram Dei incurrat, atque nostra nostrorumque omnium auctoritate convictus abscedat, & pro illicita præsumptione venturi in fine sæculorum judicis sententia perpetuo anathemate se perfossum, atque in inferno inferiori retrusum sine fide doleat. Teodericus præsul qui dedit hanc donationem, Arnulphus præcentor, Agobertus succentor, Fulcherius archidiaconus, Hildegarius subdecanus, Hugo præpositus, Guido Rubens, Rodbertus, Bernerius, Ingelrannus.

X V.

Donationes factæ monasterio sancti Aviti.

Ex chartul. S. Aviti.

1045. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Cum juxta sapientis præceptionem timere Deum & mandata ejus observare sit omnis homo, oportet omnem sexum & ætatem, quantalibet vigilantia Deum timendo vicia cavere, & quanto potest conamine Deum amando cuncta quæ mandavit custodire, nullo enim alio modo constat hominis perfectionem haberi posse. Ideo ego Wanelo, videlicet S. Martini thesaurarius, mecum sæpe reputans, totaque animi cogitatione perpendens, ut quam mihi omnium creator benignus indidit imaginem suam, nulla sui parte mutilatam, nulloque vitio deformem, sed sine macula & ruga integram suo auctori, unde originem traxit, acceptabilem servare ac reddere possim, quasdam meæ possessionis res de beneficio Carnotensis episcopi, scilicet de abbatia S. Aviti, ecclesiæ ejusdem sancti Aviti in usus sanctimonialium ibidem Deo famulantium donare, & de mea proprietate in suam remittere decrevi. Sunt autem prædictæ res in pago Dunensi, hoc est ipsa ecclesia tota S. Aviti cum omnibus suis appendiciis, præter militum beneficia, videlicet, cum tota parochia quæ prædictæ ecclesiæ adjacet. Parochia autem durat tota via quæ ducit ad Castridunum ex sinistra parte usque ad montem Chemars, qui locus distat a porta castelli centum & undecim passibus, ex dextra parte usque ad quadrivium Gillemari, & ab illo quadrivio a dextra parte usque ad montem Petri, ita etiam quod Troita villa est in eadem parochia cum medietate decimæ recta via quantum durat feodus Roberti Mulette usque ad flumen, quod Edera nuncupatur, & cum capella sancti Petri sita infra mœnia Castriduni, & cum parochia ejusdem capellæ, quæ durat a turri Castriduni a sinistra parte, sicut pervenitur* ad turrim, usque ad quarterium* sancti Leobini, unde canonici qui eidem ecclesiæ beati Petri deserviunt, per concessionem abbatissæ sancti Aviti in eadem ecclesia ponantur, & per consuetudinem in uno quoque anno unam possessionem suæ matri ecclesiæ ad solemnitatem sancti Aviti reddant, & presbyter ejusdem capellæ cum presbytero sancti Aviti panem & vinum partiatur, & corpus sui parochiani defuncti usque ad montem Chemars cum sua processione afferat, & ibidem presbyter sancti Aviti suscipiat. Est etiam omnis decima & sepultura tota medietas foriæ sancti Aviti, census, decima, prensiones vinearum de S. Albino & quodcumque tenere videor in dominio apud crucem sancti Alemannii. Do etiam eis terram trium carrucarum, & VII. agripennos vinearum ubicumque invenerint in meo dominio, & apud crucem supradictam S. Alemannii apudque sanctum Albinum. Concedo eis totam terram vastam & desertam, ut a modo in perpetuum habeant absque ulla repetitione, & absque calumnia & consuetudine, ita libere ut ego & mei antecessores tenuerunt, decimam vero ubicumque invenerint in meo dominio ipsius ecclesiæ est. Ad Curcellas decima de Moncellutis, census, decima & prensiones vinearum, Odelinum servum cum filiis & hæreditate, & omnibus quæ possidet, Drogonem servum cum filiis & filiabus & omnibus quæ possidet. In villa Steriac terram cum decima. De probata villa decimam annonæ & decimam vini omnesque consuetudines, quas illic tenere videor in dominio. Apud Dale-Papsevillam decimam unius agripenni vineæ. Apud Castanetum decimam unius agripenni vineæ. Apud ulmum Blesiacensem unum agripennum & dimidium de terra. In Crespavilla decimam. Præterea concedo eis ecclesiam de Jalantio cum decima & sepultura, & atrio toto, & pensionibus vini, & totam terram ipsius villæ, quam in dominio habeo. Concedo etiam eis Odonem militem, qui vocatur Volpardus, cum omni fisco quod de meo jure tenet. Deinde augeo eis pastionem centum porcorum in silva mea, quæ vocatur Porticus, & ligna ejusdem silvæ ad calefaciendum seu operandum ubicumque necesse opus fuerit sibi absque ulla calumpnia & consuetudine. Impetravi etiam apud præsulem & archidiaconum ejusdem ecclesiæ, ut altare quod meum erat, dum viverem, darent eis perpetuo habendum, eo pacto ut sine aliqua reductione a modo habeant, nec synodum aut circatam solvant, sed & hoc ab eis impetravi ut presbyteri qui supradictam ecclesiam deservierint, in nullius archidiaconi sive decani sint potestate, nisi tantummodo in pontificis. Has igitur res, ut supra dictum est, sancto Avito concedo pro remedio animæ meæ, parentumque atque propinquorum meorum, ea ratione ut ille locus nulli personæ, nulli regulæ, nulli unquam ecclesiæ, præter ecclesiam sanctæ Mariæ Carnotensis, subjiciatur. Abbatissam autem ibi sanctimoniales ipsius loci viciniique religiosi eligant, salvo eo quod si de mea progenie aliquis supradictam abbatiam tenuerit, ipse donum gratis faciat, nihilque aliud in prædicto loco se habere cognoscat. Si quis autem hanc donationem, quod absit, infringere, aut violare ullo modo temptaverit, gehennæ flammis ultricibus in perpetuum damnetur. Quatinus autem hæc donatio principaliter firma stabilisque permaneat, manu propria eam subtus firmavi, senioribusque atque fidelibus corroborandam obtuli. Factum est istud in aula Theodorici Carnotensis episcopi anno millesimo XLV. ab Incarnatione Domini. Signum Theodorici episcopi. S. Fulcherii archidiaconi. S. Wanelonis archiclavi . . . . Sig. Johannis medici. S. Fulberti nepotis episcopi. S. Adeliciæ monachæ . . . Signum Hilgaudi fratris episcopi, &c.

* al. de turri
* al. cœmeterium.

X V I.

Henricus I. rex Francorum canonicis Carnotensibus liberum concedit fiscum Unigradum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Henricus Francorum rex Dei gratia. Si erga cultum sanctorum & utilitatem ecclesiarum antiquorum institutio nos voluit esse devotos, quanto magis erga singularem memoriam nostræ salvationis, videlicet Dei Genitricis, quam post Deum credimus & confidimus non solum nostræ salutis amminiculum, sed & plenum effectum! Unde pro acquisitione æternæ felicitatis admodum sollicitus, circumspexi si circa me aliquid haberem, quod ejus famulatui & promerendæ gratiæ impendere possem: & hoc mihi aliquantisper cogitanti ad memoriam rediit canonicorum Carnotensis ecclesiæ, quam sæpius inculcaverant, petitio, per quam a diversis exhibitionibus & exactione illa, quæ vulgari nomine Vicaria vocatur, illum fiscum, cui Unigradus* vocabulum est, liberum & quietum deinceps esse concederem. Ego vero petitionis ipsorum exaggerando cumulum, universa concedo quæcumque quælibet terra præfati fisci mihi & meis hactenus persolvere consueverat, quatenus in eo habitantes tutius vivere, & idcirco quæcumque ab eis usibus canonicorum debentur, plenius valeant reddere, 1048.

* al. Ingreium.

exceptis quatuor sextariis vini de unoquoque arpenno, A quos mihi advocationis gratia retinui, quatinus si in posterum quis ei fisco injuriam inferre temtaverit, rege auxiliante superno, me advocatum sibi sentiat esse infestum. Et ut nostræ liberalitatis munificentia omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus & nostris esset nota, summo studio & diligentia præcipimus exarari & sigilli nostri impressione signari: quatinus quod manu propria signo crucis impresso statuimus esse ratum, per curricula succedentium temporum maneat inconvulsum. Et si quis hujus conventionis esse tentaverit violator, quod absit, iram Dei incurrat, atque nostra nostrorumque auctoritate convictus abscedat, & pro illicita præsumptione auri libras centum regali fisco persolvat. Actum publice Parisius anno Verbi Incarn. M. XLVIII. indictione prima, regnante Henrico rege XVIII. anno, B XV. kalendas Maii.

XVII.

Ex chartul. S. Petri.

Charta Henrici regis pro monasterio sancti Petri.

1058. HENRICUS gratia Dei Francorum rex. Cum regalis solium dignitatis multiplex virtutum cultus exornet, liberalitas tamen & munificentia inter has præcipuum locum tenet. Notum sit ergo omnibus, quod quidam meus fidelis Albertus nomine, filius Ribaldi nobilissimi viri, nostræ serenitatis adiit præsentiam, obnixe postulans, ut regali pietate nostræ munificentiæ assentando, suis precibus aurem inclinare dignaremur, videlicet ut quamdam ecclesiam, quam pater ejus fidelis noster Ribaldus in honore B. Germani Altissiodorensis C episcopi, in Bruerolensi vico pro salute animæ suæ construxerat, sancto Petro apostolo, in cœnobio suburbii Carnotinæ urbis, atque ex rebus quas ex nostro beneficio possidere videbatur præfatam ecclesiam, tam ipse quam ejus fideles pro Dei amore clementia locupletare liberaliter quivissent. Cujus justam petitionem judicantes cum episcopo Agoberto, in cujus diœcesi ecclesia est, necnon & optimatibus nostris dignum duximus pro nostra salute & integritate regni nostri assensum præbere. Damus itaque ei licentiam ut præfatam ecclesiam ex nostro beneficio quod possidet, amplificet, & quidquid ei conferre voluerit, ita sit liberum ab omni judiciaria potestate solutum, ut idem fidelis noster Albertus hactenus a nobis tenuit, &c. Placuit etiam nostræ pietati huic operi addere de rebus D quas ipse Albertus dedit præfatæ ecclesiæ, &c. Ego Albertus nobilissimi Ribaldi filius cupiens celestium mereri consortium, favente carissima conjuge Adelaisa, liberam ab omni calumnia hominum ecclesiam de Bruerolensi vico, quam pater meus in honore sancti Germani episcopi construxit, cum atrio, sepultura & & decima ecclesiæ quæ in manu nostra esse videtur, sancto Petro Carnotensi concedo, ut monachi eamdem ecclesiam teneant, altare quoque ejusdem ecclesiæ quod ab episcopo Carnotensi in feudo tenueram. Huic largitioni meæ dominus Agobertus episcopus cum consensu canonicorum qui cum ipso erant Drocis in curia regis, addidit petitione Landrici abbatis & nostra flexus. Item censum ipsius vici cum decima mercati concedo, &c. Similiter monachis sancti Petri concedo liberum E transitum per totam terram, ut nulla unquam consuetudo ab eis requiratur de piscibus, de corvis, seu de rebus omnibus quæ monachorum esse ostenduntur. Possem addere, quæ mei fideles loco prædicto contulerunt, sed quia alias scriptum est, corroborare hanc cartam sigillo regis cum nominibus optimatum festino, &c. Signum Radulfi comitis, sig. Walterii comitis filii Radulfi, sig. Hugonis comitis, sig. Alberti, signum Theudonis fratris ejus, sig. Guarini fratris ejusdem, sig. Frederici, sig. Balduini, sig. Simonis, sig. Agoberti episcopi, sig. Hugonis decani, sig. Guillelmi præpositi, signum Sigonis, signum Ascelini, sig. Gencelini decani.

XVIII.

Cella Leodonis-curiæ data monasterio sancti Petri Carnotensis a Walterio comite.

Ex chartul. S. Petri.

SUmme necessarium est unicuique nostrum, ut ex his quæ in hoc mundo sunt sibi a Deo collata, &c. . . . . Idcirco ego comes Walterius pro salute animæ meæ & remedio animarum antecessorum meorum superiorem ecclesiam Leodonis-curiæ fratribus cœnobii sancti Petri Carnotensis per deprecationem Landrici abbatis concedo atque submitto, quatenus monachi ejusdem cœnobii liberam habeant & possideant, sicut ego & pater meus Droco comes habuimus & possedimus, remota omni consuetudine & inquietatione archidiaconi. Concedo etiam terram intra vallem, sicut olim castrum fuisse videtur; decimam quoque pecudum atque jumentorum, candelam, & panem, necnon sepulturam hominum inibi habitantium: inferius quoque unum furnum cum terra in qua situs est, qui omnibus incolis superioribus & inferioribus sit singularis. Quod si solus non sufficit omnibus, nemo alterum ædificandi potestatem habeat neque superius, neque inferius, nisi monachi quorum erit emolumentum furni. Do etiam per campos terram quantum aratrum eorum arare poterit cum decima.... Assensum denique omnibus fidelibus meis præbeo quatenus de rebus propriis quas ex nostro beneficio videntur tenere, tam in terris quam in decimis, licentiam habeant dandi sancto Petro, ut præfatus locus, cui dedimus initium, deserviatur a monachis die noctuque, & non solum per me, sed etiam per fideles meos augmentetur, ut pariter beato Petro apostolo interveniente a peccatorum vinculis absoluti, &c. . . . . Si quis autem profanus diabolico instinctu hanc chartam contradicendo annullare tentaverit, &c. . . . . Placuit etiam chartam hanc, ut inconvulsa permaneat, manu propria cum crucis signo corroborari; manibusque meorum fidelium corroborandam tradi ratum duximus, quorum nomina subscripta habentur die quæ Dominica dicitur Septuagesimæ, anno vigesimo nono Henrici regis, super altare sancti Petri Gesiaco, quæ præfati cella est cœnobii, publice. Teduinus vicecomes Mellentis castri. Gualo vicecomes castri Calidi-montis. Nivardus de Monteforti. Radulfus Malus-vicinus. Gualterius de Pensiaco. Drogo de Conflante. Guarnerius & Amalricus de Ponte-Iseræ. Radulfus Delicatus. Walterius Francus. Ericus & Ingelerius fratres.

1060. vel 1056.

XIX.

De villula quadam pagi Wastinensis reddita monachis sancti Petri in Valle.

Ex chartul. S. Petri.

EGo Landricus cœnobii sancti Petri Carnotensis abbas notum esse volo, quia adii præsentiam Gaufridi Andegavorum comitis cognomine Martelli, apud eum querimoniam faciens, de ejus nepote Gaufrido territorii scilicet Guastinensis comite, qui terram quæ Villula dicitur, quondam a Teduino milite sancto Petro datam, suo cuidam militi injuste dederat, & S. Petro usurpando tulerat, quod audiens comes egre tulit: & has litteras nomine proprio, nominibusque primatum suorum corroborari jussit. Gauffridus Andegavorum comes, Bartholomeus archiepisc. Turonorum, Joannes de Cainone castro frater archiepiscopi, Ivo Malacorona, Teodericus filius Unbergæ. Rainaldus de Castello Gunterii. Richardus de Castello-Landonis. Guidbertus, Godefridus filius Ausgardis. Radulphus de Mallivilla.

Ante 1067.

XX.

XX.

Spicil. t. 6. pag. 451. *Charta Arraldi Carnotensis episcopi de præbenda concessa Cluniacensibus.*

EVangelicis atque apostolicis monemur institutis atque etiam majorum nostrorum provocamur exemplis, ut sic ex abundantia nostra Christi servorum temporalem indigentiam relevemus, quatinus æternorum abundantiam precibus eorumdem cum eis assequi valeamus; quod non ex tristitia, aut ex necessitate faciendum esse docet beatus Apostolus, quoniam hilarem datorem diligit Deus, nec magnum esse putat temporalia seminare, cum suo tempore spiritalia debeamus indesinenter metere. Quapropter ego Arraldus ecclesiæ Carnotensis indignus episcopus & ejusdem ecclesiæ canonica fraternitas, notum fieri volumus omnibus ortodoxis ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quod nos pariter bona fama virtutum Cluniacensis monasterii tanquam florentis horiuli suavissimo liliorum atque rosarum odore perflati, & idcirco habendæ fraternitatis ejusdem monasterii desiderio divinitus inspirati, præbendam quam habebat Fulcherius filius Nivelonis sic fratribus prædicti monasterii rogatu ejusdem Fulcherii in perpetuos usus concedimus, & canonica auctoritate firmamus habendam, ut ab hac die in posterum usumfructum ejusdem præbendæ recipiant, & ad utilitatem monasterii sive per se, sive per suos ministros secundum suum velle disponant, nullumque hebdomadale servitium in nostra ecclesia pro eadem præbenda faciant; prædictus vero Fulcherius nichil temporale de præbenda ulterius recepturus, quia pro remedio animæ suæ ad voluntatem Dei & nostram, hanc elemosynam Cluniacensi monasterio fieri permittit, nostra spiritali fraternitate & communium orationum suffragiis quandiu vixerit, non carebit; imo & in vita & in morte propter hoc ipsum melius obtinebit. Ut autem scriptura ista certum habeat firmamentum, ego Arraldus præsul propria manu subter eam firmavi, & majorum ecclesiæ nostræ manibus confirmandam esse decrevi, regiaque manu postea roborandam domno Richerio nostræ ecclesiæ metropolitano deinceps obtuli roborandam. Signum Arraldi episcopi. Signum Ingelrani decani & cancellarii. Signum Arnulfi cantoris. Signum Hildegarii archidiaconi. Signum Hugonis archidiaconi. Signum Adelardi subdecani. Sig. Odonis ypocantoris. Signum Guiberti capicerii. Sign. Ivonis presbyteri. Signum Ascelini presbyteri. Signum Herberti presbyteri. Signum Droconis presbyteri. Signum Maurini presbyteri. Signum Frodonis presbyteri. Sig. Haldrici presbyteri. Signum Osberti presbyteri. Signum Fulcherii præpositi. Signum Guauterii diaconi. Sig. Herberti diaconi. Signum Arnulfi diaconi. Signum Sanzonis diaconi. Signum Fromundi diaconi. Signum Fulcherii filii Nivelonis, qui eadem præbenda vestitus erat. Signum Guidonis subdiaconi. Signum Guallini subdiaconi. Signum Ebrardi subdiaconi. Signum Bernardi subdiaconi. Signum Hilduini filii Gerardi subdiaconi. Signum Hilduini Saverici subdiaconi. Signum Guillelmi nepotis Osberti. Signum Stephani subdiaconi. Signum Frodonis subdiaconi.

XXI.

Juramentum Roberti Carnotensis episcopi coram Gregorio VII.

1076. EGo Robertus promitto omnipotenti Deo, & B. Petro apostolorum principi, cujus corpus hic requiescit, quod in quocumque tempore legatus apostolicæ sedis directus a domino nostro Gregorio, qui nunc est Romanus pontifex, vel ab aliquo successorum suorum item Romanorum pontificum ad me venerit, infra terminum, quem idem legatus mihi constituerit, Carnotensem episcopatum omni occasione sublata, vel fraude dimittam, & cum bona fide studebo, quatenus ecclesia illa secundum Deum ordinetur, nihil acturus me sciente, per me, vel per aliquam summissam personam, unde eadem ecclesia, vel clerici ejus meo studio, vel malitia læsionem aut detrimentum accipiant. Hoc sacramentum . . . . . domino nostro Gregorio VII. papæ ego Cono humilis presbyter tituli Christi martyris & virginis sanctæ Anastasiæ scripsi, & in ecclesia sancti Petri in confessione ad corpus ejus, ubi factum est, interfui. Interfuerunt etiam Joannes Portuensis episcopus, Theodinus archidiaconus, Gregorius, Bernardus diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ; & alii duo, videlicet Ingelrannus decanus Carnotensis ecclesiæ, & Ivo tunc magister scholarum in eadem ecclesia. Actum Romæ mense Aprili, indictione XIV.

XXII.

Rotrocus Nogenti comes dat cellam Nogentensem Huberto abbati S. Petri Carnotensis exauctorato. Ex chartul. S. Petri.

IN gremio sanctæ matris ecclesiæ quum fides habeat principatum, &c. . . . . . Unde ego Rotrocus Circa 1078.
callibus mundanæ conversationis irretitus, militiæ armis accinctus, præ omnibus peccatorum pondere pressus, veruntamen de multitudine misericordiarum Domini præsumo indignus opus bonum, & quod creditur laudabilius. Monasterium scilicet quod meus genitor Gauffredus in honore sancti Dionysii construere cœpit in territorio non longe distante a castello Nogiomo dicto, cupio amplius adornare & magnificare. Venerandæ quippe memoriæ abbas Landricus me adiens obnixe rogavit quatenus idem monasterium sancto Petro Carnotensi ob mei memoriam, & uxoris, filiorumque meorum, & pro anima supradicti genitoris mei & matris meæ, donarem. Quod ego libentissime annui, &c. Ut autem hoc stabile & inconvulsum permaneat, volo omnibus, tam præsentibus quam futuris, per succedentia tempora fidelibus notum esse, manibus omnium fidelium meorum me corroborandum tradidisse. Si quis vero, &c.

XXIII.

Erectio prioratus de Roinvilla. Ex chartul. S. Martini a Campis.

GAUSLENUS filius G. divitis, & uxor ejus Odelina, & Albertus filius H. vicedomini, & Ada Circa 1084.
mater ejus, annuente Hugone clerico, Deo, sanctoque Petro, Cluniacensi ecclesiæ ad obedientiam S. Martini de Campis, pro redemptione animarum suarum dederunt apud Rodanivillam medietatem ecclesiæ sancti Georgii martyris, altare scilicet, annuente Gaufrido Carnotensi episcopo, & Hildegario archidiacono, & terram unius carrucæ, & agripinnum terræ ad vineam faciendam, & ad hortum ac viretum sufficienter, & omnia hospitia ejusdem villæ, cum curtis & hortis, & medietatem pratorum ac molendinorum, ac furnos & omnem justitiam ejusdem villæ. Et hoc donum testantur Ingelrannus decanus, Joannes decanus Parisiensis, Adelardus subdecanus, Hilduinus cantor, Hilgotus, Albertus, Willelmus archidiaconus, Ebrardus capicerius, Giraldus presbyter, Werricus vicedominus, Ebrardus de Lanevilla, Willelmus præpositus, Roibertus Aculeus, Radulfus Lacunella, Germundus filius Avesgoti, Ebrardus Helmonis filius, Walterius filius Fledaldi. Qui etiam Walterius alteram partem ejusdem ecclesiæ, supradicta ratione sancto Petro & fratribus S Martini dedit, annuente uxore sua, & filiis testantibus istis supradictis. Et hoc donum concessit Teudo Caput ferri, & uxor ejus Hersendis, & Harduinus filius ejus, quia Valterius illud tenebat ab illis. Hic quoque Teudo idem beneficium a Werrico filio Engelranni de Noci sanctæ Mariæ canonico possidebat, qui & ipse

G. cum matre sua Ermentrude, pro anima patris sui A præfati, atque omnium amicorum suorum animabus concessit, positus in ecclesia supradicta. Testes sunt Walterius, Rainaldus filius ejus, Hugo filius Gausllini, Warinus filius Gausfridi, Rainaldus, Joannes & Walterius sacerdotes, Herveus, Varinus filius Willelmi, Varinus de Dominica Maria, &c.

XXIV.

Epistola Urbani II. de depositione Gausfridi, & electione ac consecratione Ivonis.

Edita inter epistolas Ivonis & in Conciliis.

1090. URBANUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis clero ac populo Carnotensi, B salutem & apostolicam benedictionem. Nos quidem, tum pro beatæ Mariæ semper virginis devotione ac reverentia, tum pro nostri officii debito, ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem, & curam specialius impendentes, ejusque labores diuturnos, quos a Gausfrido quondam episcopo passa est propensiore animo perpendentes, rei veritate diutius atque diligentius pertractata, largiente Domino justitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem prævenientes ac subsequentes, venerabilem virum Ivonem presbyterum, quem Gausfrido per nos deposito catholice atque canonice secundum nostra monita elegistis, ne quod ulterius hac in re impedimentum vestra ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecravimus. Nunc eum ad vos remittentes tanquam beati Petri C manibus consecratum, beati Petri vice vos rogamus & obsecramus, quatinus eum benigne suscipientes, debita, ut pastoris veri membrum, obedientia honoretis, debita sollicitudine quæ vobis annunciaverit, observetis: & ut ipse Deo placere, & eum pro vestris valeat excessibus digne intercedendo placare, vos quoque placere Deo totis conaminibus procurate. Si enim placere Deo studueritis, pastorem proculdubio Deo placentem habebitis: nos quoque in vestris opportunitatibus ad exaudiendum paratos invenietis. Porro de Gausfrido, qui sine conditione omni nostris in manibus episcopatum reddidit, indignum se patenter agnoscens, præcepimus & præcipimus, ne quis ei ullo modo ad episcopatum reinvadendum, vel infestandum, assensum accommodare præsumat: alias & ipsum & ipsius D fautores excommunicationi subjacere censemus. Obedientes vero monitis nostris gratia divina custodiat. Data Capuæ VIII. calendas Decembris.

XXV.

Ex chartis monasterii. *Charta fundationis monasterii S. Johannis in Valle.*

1099. QUia summi Patris ineffabili misericordia disponente, pastoralem curam, licet indigni & peccatores, suscepimus, ut assidua cordis vigilantia communi utilitati & saluti animarum diligenter providere studeamus, & ut in vespera nummum recepturi, dominicæ vineæ circumquaque propagines extendamus, superna gratia mentem nostram illustrante, & vero dilecto nostro quasi per compunctionis foramen manum promotionis & E auxilii ad nos extendente, sæpe & multum cogitavimus & cogitantes investigavimus, qualiter in hac urbe, vel in suburbio aliquam haberemus ecclesiam, in qua devota fidelium concio devotam & Deo dignam canonicam ageret vitam. Nunc igitur tandem Salvatoris nostri Jesu Christi magna & inexplicabilis benignitas, quæ bene clamantibus respondere, digne pulsantibus novit aperire, desideriorum nostrorum diutius non differens efficaciam, beati Johannis Varliacensis ecclesiam, locum scilicet opportunum & tam sacris institutionibus aptissimum, ut pote a populari strepitu civitatis aliquantisper sepositum nobis obtulit, & corda quorumdam fratrum loci ejusdem beneficia non satis ecclesiastice tenentium sic illustrando præparavit, ut secundum Apostolum mente excedentes, non jam sibi, sed Deo velint vivere, & fieri aliquod initium Dei creaturæ. Ego autem Ivo sanctæ Dei matris ecclesiæ Carnotensis Dei gratia episcopus communi consilio & assensu totius capituli primatumque nostrorum, in prætaxata sancti Johannis ecclesia canonicos tales esse decrevi, qui proprietate posthabita, canonicam habeant vitam juxta B. Augustini institutionem. Et quoniam sine temporalis boni sustentaculo intenti nequeunt esse divino servitio, illis quæ antea possidebant ad victus stipendia superaddidimus præbendæ uniuscujusque fratris de congregatione nostra defuncti, sive monachilem vel canonicalem habitum suscipientis, seu Jerosolymam vel in heremum proficiscentis, si præbendam dimiserit, vel sæculo renuntiantis, vel metu mortis, seu infirmitate, vel pro malo introitu præbendam suam dimittentis, totos redditus per integrum annum, ut in singulis diebus unius integri anni missas celebrent pro anima fratris cum defunctus fuerit. Concedimus etiam ut ecclesia beati Johannis in ecclesia B. Mariæ perpetualiter habeat præbendam, quam habebat abbas Albertus, cum canonicam susciperet normam. Dedimus & ecclesiam beati Stephani & omnia ad eam pertinentia, altare scilicet de Morentiaco cum parte synodi ad altare pertinentis, necnon & ecclesiam de Mundonis-villa liberam a synodo & circada & omni exactione, pariterque servos, & ancillas, & terras, sive cultas, sive incultas. Concedimus etiam sanctæ Fidis ecclesiam, & ecclesiam de Luciaco, & campipartem illius terræ, quam ante possidebamus, & omnes consuetudines terræ beati Johannis illius scilicet villæ, & terram cum oblatis de Osanivilla tam episcopalem, quam canonicalem. Terram etiam de Aucherivilla concedimus. Super hæc dedimus junioratum ecclesiæ de Pontegodonis cum omnibus domibus nostris, & totam avenæ farraginem, & & totam nostram terram ultra aquam, eo tempore incultam, & furnum ejusdem villæ: decimam quoque molendinorum & vinearum. Confirmamus etiam donum altaris ecclesiæ Semi factum a Goslino canonico & præposito sanctæ Mariæ, & donum vigeriæ de Valeia, & totius terræ de Moncellis cum omnibus consuetudinibus & feodis, necnon donum ecclesiæ Ardueluth cum omnibus hospitibus, & cum terra ad duas carrucas. Ut autem hoc nostrum caritatis opus per succedentia tempora firmum ac stabile maneat, litterarum memoriæ tradi fecimus, & impressione sigilli nostri, atque authoritate & præsentia Johannis & Benedicti Dei gratia cardinalium apostolicæ sedis confirmatum, manibus quoque canonicorum nostrorum, cæterorumque fidelium dedimus confirmandum. Si quis ergo aliquam huic institutioni canonicæ calumniam inferre, vel aliud quid annullare tentaverit, anathemate nostro percussus, Deum sibi sentiat iratum, & nisi digna satisfactione culpam correxerit, pœnis infernalibus deputetur. Præterea etiam constituimus ut si forte abbas supradictæ ecclesiæ defunctus fuerit, vel aliqua canonicali occasione fratres sibi abbatem de eadem congregatione vel alia aliqua regulari, si ibi idoneus inveniri non potuerit, eligant, & ad hanc electionem aliquos sani consilii sibi conjungant; abbas autem electus in communi capitulo beatæ Mariæ præsentetur, & ab episcopo recipiat abbatiam, & sicuti alii canonici in ecclesia B. Mariæ suam faciat septimanam. Ego Johannes cardinalis S. Romanæ ecclesiæ subscripsi.

Ego Benedictus gratia Dei sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis subscripsi. Ego Ivo Dei gratia Carnotensis episcopus subscripsi. α ✠. ω. Signum Ernaudi decani, Hilduini cantoris, Guillielmi archidiaconi, Seranni subdecani, Garini succentoris, Ragibaldi canonici, &c.

XXVI.

Ex authent. capituli Carnotensis.

Bulla Paschalis II. papæ ad Ivonem episcopum Carnotensem.

1100. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ivoni Carnotensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelium devotio celerem sortiatur effectum. Iccirco petitioni tuæ, carissime frater & coepiscope Ivo, benignitatis apostolicæ accommodamus auditum, ut quod juste omnibus sacerdotalis ordinis fratribus deberi cognoscimus, fraternitati tuæ singulari scripti confirmatione præstemus. Omnium siquidem episcoporum clericorumque rebus provisum est, cum in Arvernensi concilio considentibus archiepiscopis duodecim, episcopis 82. a domino prædecessore nostro beatæ memoriæ Urbano salubriter est statutum: *Si quis episcoporum, seu presbyterorum aut aliorum clericorum deficientium res invaserit, usque ad satisfactionem excommunicetur.* Hoc igitur synodale decretum nostra quoque auctoritate firmantes, de vestra singulariter domo pontificali statuimus, quam scilicet magnis expensis tua strenuitas ædificavit, ne quis obeunte te, vel tuorum successorum quolibet emigrante, seu occasione aliqua decedente, domum ipsam dissipare aut expoliare præsumat, nec ab ea supellex ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis absportetur, aut obruatur: universa etiam pontificali ædi appendentia, videlicet coquinæ, horrea, cellaria, torcularia, furni, furnorumque domus integra, & omnino a rapinis conserventur libera; silvæ præterea, & quidquid extra urbem aut intra urbem ad episcopi salarium pertinet, nec donentur, nec venundentur, nec occasionibus aliis distrahantur, sed a rapina omni violentiaque remota, successori, qui per Dei gratiam ecclesiam recturus est, conserventur. Sane si quis in crastinum archiepiscopus, aut aliquis in aliquo cleri officio, vel honore constitutus, si quis rex, sive princeps, aut dux, comes, aut vicecomes, judex, advocatus, sive defensor, aut qualibet secularis persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, excommunicationi subjaceat. Cunctis autem apostolicæ constitutionis decreta servantibus sit pax Domini nostri J. C. quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Scriptum per manum Petri notarii regionarii & scrinii sacri palatii. Datum Romæ per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis XVI. calend. Martii indictione VIII. Incarnationis Dominicæ anno M. C. pontificatus autem domini Paschalis II. papæ I.

XXVII.

Ex chartario domestico D. de Gagneres, in bibliotheca regia.

Bulla Paschalis papæ II. pro abbatia sancti Johannis in Valleia.

1103. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Alberto abbati canonicæ sancti Johannis Baptistæ in Carnotensi suburbio, ejusque fratribus regulariter victuris in perpetuum. Sicut injustum poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Proinde tam tuis, carissime fili Alberte, quam fratris nostri Ivonis Carnotensis episcopi petitionibus annuentes, vos & vestra omnia sedis apostolicæ protectione munimus. Ipsius enim fratris industria B. Johannis Baptistæ ecclesia, cui Deo auctore præes, sicut suis nobis litteris significavit, de seculari conversatione ad regularem canonicorum vitam Domino præstante translata est, assentientibus Carnotensis capituli clericis in ejusdem ecclesiæ jura transferri; quæ nuper ex illius beneficio

A tenuerant, præbendam videlicet sanctæ Mariæ perpetuo habendam, ecclesiam sancti Stephani cum suis appenditiis, mediam partem ecclesiæ de Ferni, ecclesiam sanctæ Fidis in suburbio Carnotensi, decimam de Olanivilla, cum terra quam habebant ibi canonici, & consuetudine quam habebat ibi præpositus, & medium molendinum. Vitæ itaque canonicæ ordinem, quem professi estis, præsentis privilegii auctoritate firmamus, & ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine abbatis vel congregationis licentia de claustro discedere liceat, interdicimus. Præterea per præsentis privilegii paginam apostolica vobis auctoritate firmamus terragium quod idem frater noster Ivo apud Luceium tenuerat & parochiam. Ad hoc adjicientes statuimus ut quæcumque ab eodem episcopo Carno-B tensi clericorum consensu pro communi fratrum sustentatione vestræ ecclesiæ concessa sunt, & quidquid in præsentiarum juste possidet, quæque etiam in futurum concessione pontificum, largitione principum, vel oblatione fidelium juste & canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, tam tuis quam canonicorum & pauperum usibus profutura, salva Carnotensis episcopi canonica reverentia. Vestræ etiam quieti providentes constituimus, ut obeunte te nunc ejusdem loci abbate, nullus illic in abbatem præponatur, nisi quem fratres omnes communi C consensu, vel fratrum pars sanioris consilii, cum episcopi Carnotensis, siquidem catholicus fuerit, & ejusdem capituli consilio secundum Dei timorem regulariter providerint eligendum. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum D judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Beneventi per manum Equitii gerentis vicem cancellarii IV. nonas Decembris indictione XI. Incarnationis Dominicæ 1103. pontificatus autem D. Paschalis II. papæ quarto.

Exstat & alia ejusdem Paschalis papæ ad prædictum Albertum data Carnoti per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii XIII. calendas Maii indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno 1108. pontificatus autem D. Paschalis II. papæ octavo.

XXVIII.

T. I. ampliss. collect. col. 621.

E *Diploma Henrici comitis Blesensis domum episcopalem ab omni onere liberantis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Ego Henricus comes, cognomine Stephanus, necnon & Adela uxor mea, cum filiis nostris, notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam laicis, quam clericis præsentibus & futuris, quia Ivo humilis Dei servus venerabilis ecclesiæ Carnotensis episcopus præsentiam nostram adiit, & a nobis obnixe postulavit, quatinus domum pontificalem, domum scilicet, quam ex lignea lapideam, ex vili reddidit speciosam, ab illa prava consuetudine, quam prædecessores nostri & nos habuimus Circa 1105.

in ea hucusque, liberam esse concederemus, ne scilicet A episcopis ab hac vita migrantibus, vel aliqua occasione decedentibus, præfata domus dissiparetur, ne quid ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis asportaretur vel obrueretur, ne a qualibet sua suppellectili spoliaretur, annona quoque, vinum, fenum, oves & boves & cætera animalia, omniaque mobilia, quæ sive in urbe, sive extra urbem congregata vel collecta fuerint ante obitum vel decessum episcoporum, a nobis & nostris intacta dimitterentur illis profutura, quibus episcopus reservare vel donare, seu per se, seu per echonomum suum decreverit, vel majores ecclesiæ personæ, si id episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Addidit etiam petitioni suæ, ut exactio, quam vulgo talliam vocant, quæ defunctis episcopis vel discedentibus fieri solet in servientes episcopi vel rusticos, simili B ratione condonaretur. Nos igitur tanti viri petitionem dignam frustrari indignum esse judicantes, & ecclesiasticas res augmentari potius quam deteri debere cogitantes, ob remedium animæ patris mei, & matris meæ, & uxoris meæ, filiorumque meorum rem prætaxatam a prava consuetudine liberam reddimus, domum scilicet, & domus ejusdem plumbum, ferrum, vitrum, lignum, lapides, cæteramque suppellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa usuaria, lectos, necnon coquinas & horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, silvas, ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur, annonam quoque, vinum, fenum, oves & boves, & cætera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra C urbem, ante obitum vel decessum episcopi cujuslibet intacta a nobis & nostris dimittimus, & nos, & filii nostri, illis profutura, quibus episcopus servare, vel donare, seu per se, seu per echonomum suum decreverit, vel majores personæ ecclesiæ, si id episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam ut prætaxata exactio, quæ defunctis episcopis vel discedentibus fieri solet in servientes episcopi vel rusticos, de cætero nunquam fiat. Et quia tam benigne ista concessimus, concesserunt mihi & uxori meæ episcopus & congregatio tota canonicorum B. Mariæ, ut per singulos annos anniversaria nostra celebrentur temporibus suis in ecclesia beatæ Mariæ. Si quis ergo prætaxatam pactionem annullare vel debilitare conabitur, concedimus, quantum in nobis est, ut tam in urbe, D quam in suburbanis divinum officium interdicatur, & tanti sacrilegii patratores admoniti, si non resipuerint, usque ad satisfactionem anathematis gladio severissime puniantur. Si qui autem futurorum episcoporum in domo supradicta turrim vel propugnacula ædificaverint, turris & propugnacula tantum destruentur; domus autem cum appendiciis suis inconcussa manebit. Ut autem pactum hoc firmum & inconcussum per succedentia tempora permaneat, placuit scripto mandari, & optimatum, tam clericorum quam laïcorum astipulatione roborari, & sigillorum nostrorum testimonio communiri. ✠ Sigillum Stephani comitis. ✠ S. Adelæ comitissæ. ✠ S. Guillelmi. ✠ S. Stephani. ✠ S. Odonis. ✠ S. Theobaldi. Testes ex parte comitis & comitissæ Stephanus Meldensis vicecomes, Galterius de Montemirabili, E Radulphus de Balgenciaco, Guilcherus de Castro Raginaldo, Guermundus de Castellione, Garnerius Maigot, Rotrocus comes de Pertico, Stephanus vicedominus, Herbertus de Castellione, Paganus de Verziaco, Herveus Belo, Hugo Berbellus, Ansoldus Berbellus, Robertus Belini, Bernardus Foristerius, Raginaldus capellanus, Alexander capellanus. Concessioni Theobaldi pueri interfuerunt Robertus Aculeus, Girardus filius vicedominæ, Guillelmus filius Hugonis Albi, Guillelmus filius Roberti Aculei, Guido expræpositus, Stephanus præpositus, Ernaldus tunc telonearius, Burdinus magister Theobaldi, Hugo monetarius, Haymo de Bercheriis, & multi alii in præsentia totius capituli. Concessioni vero Guillelmi comitis interfuerunt ex parte sua Robertus de Trecis, Rainbaldus Traton, Gervasius de Monte, Gamaldus de Vienna, Hugo de Orteyo, Gaufridus de Valeia, Stephanus præpositus, Guido expræpositus, Ugo frater ejus, Guarinus de Poevillari. Ex parte autem ecclesiæ interfuerunt isti subnominati canonici, Seranus subdecanus, Guillelmus archidiaconus, Guido de Puteolo, Gaufridus filius Gausleni de Leugis, Henricus filius Guidonis, Ernulphus nepos Ivonis episcopi, Gislebertus nepos Parisiensis episcopi. Præterea laïci Gauslinus de Leugis, Gauslinus & Milo filius, Gauterius filius Garini, Isardus Dr . . ensis, Paganus filius Durandi, Stephanus vicedominus, Girardus filius Borelli hujus ecclesiæ signiferi. Concessioni autem comitissæ de domo episcopali & de appendiciis ejus interfuerunt Johannes Tusculanus episcopus, Hubertus Silvanectensis episcopus, Guillelmus abbas de sancto Satiro, Rainaldus abbas de Spanaio, Tiberius Romanus legatus papæ, Rogerius de Juviliaco, Gauslinus de Leugis, Ansoldus puer, Galeranus de Puteolo, Albertus Ruffus, Robertus de Deserto, Johannes filius Falconis, Robertus filius Guillelmi Gon, Guillelmus de Firmitate, Adam de Cruce, Hugo de Castro Theodorici, Hugo Panetarius, Burdicius archipincerna comitissæ; Hilderius frater ejus & marescallus comitissæ, Gazo de Sazanio, Hugo Jams, Garinus filius Ahardi de Bonavalle, Hugo de Liseus, Henricus de Villamorro, Thomas Stephani filius.

XXIX.

Philippus I. rex Francorum jubet bona episcoporum Carnotensium defunctorum intacta servari. Spicil. t. 13. pag. 296.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1105.
Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volumus universis in regno Francorum per futura tempora successuris, quod domnus Ivo S. Carnotensis ecclesiæ venerabilis episcopus humili devotione celsitudinem nostræ serenitatis adierit obnixe deprecans, ut pravam consuetudinem in domibus episcopalibus ejusdem ecclesiæ a comite Henrico cognomine Stephano, & Adela uxore ejus, concessione filiorum suorum Willelmi & Theobaldi, Odonis, Stephani, remissam & libertatem prædictis domibus & rebus in eisdem collectis a prædictis comitibus donatam concederemus, & nostra pragmatica sanctione firmaremus. Cujus pio desiderio assentientes, & æquissimæ postulationi aurem inclinantes, secundum tenorem scripti, quod de prædictis rebus prætaxati comites fieri decreverunt, nostræ majestatis auctoritate res prætaxatas a prava consuetudine liberamus, domum scilicet, & domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque supellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon coquinas & horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, silvas ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur; annonam quoque, vinum, fenum, oves & boves, & cetera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata, vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra urbem, ante obitum vel discessum episcopi cujuslibet intacta manere firmamus, illis profutura, quibus episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per œconomum suum decreverit, ut majores personæ ecclesiæ, id est episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam ut exactio, quæ defunctis episcopis, vel discedentibus fieri solet in servientes episcopi vel rusticos, de cetero nunquam fiat. Hæc omnia sicut a prædictis comitibus concessum est & firmatum, & nos, ut prædictum est, concedimus, & per pragmaticam sanctionem nostram firmamus testificante * charactere nostri nominis, & * testificato sigillo nostræ majestatis. Philippus Dei gratia Francorum rex. Actum & confirmatum Parisiis anno

Dominicæ Incarnationis M. C. V. anno vero regni A nostri XLVI.

XXX.

Bulla Paschalis II. papæ pro cœnobio sancti Petri Carnotensis.

1106. PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guillelmo abbati venerabilis monasterii sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quod juxta Carnotum situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur dilectio tua ad sedis apostolicæ portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requisivit, nos supplicationi tuæ clementer annuimus & beatorum apostolorum Petri & Pauli Carnotense cœnobium, cui auctore Domino præsides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub tutela apostolicæ sedis excipimus. Per præsentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quæcumque prædia, quæcumque bona pontificum concessione, regum & principum liberalitate, vel aliorum fidelium legitimis oblationibus ad ipsum hodie monasterium pertinent, vel in futurum pertinere contigerit, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis visa sunt nominibus annotanda. Ecclesia sancti Hilarii, sancti Leobini, Campifauni, Manuvillaris, Mitanvillaris, Verni, Alonæ, Boafvillæ, Reclainvillaris, Imonisvillæ, Germenonisvillæ, Ursivillæ, Alpedani, capellæ regiæ, salvo juxta consuetudinem solius episcopi jure in eis tantum quæ ad proprium ordinem pertinent; item altaria sex, videlicet altare de Bruerolis, & de Armentariis, & de Roheria, & de Buxeto, & de Cruciaco, & de Castellariis, sicut a venerabili fratre nostro Ivone episcopo institutum est, sine ulla redemtione ulterius habenda, libera & quieta a synodo & circada, & ab omni consuetudine, & ab omni inquietatione, sive ab exactione justitiæ a presbyteris in prædictis locis servientibus, exceptis his quæ ad proprium ordinem eorum pertinent, de quibus presbyteri illi episcopo seu archidiacono respondeant. Confirmamus etiam vobis ecclesiam de Giziaco & ecclesiam de Fontaneto in pago Vulcassini, in parochia Rotomagensi, sicut hactenus a vestro monasterio libere possessæ sunt. Et in Carnotensi ecclesia beatæ Mariæ præbendas sex ita libere & integre possidendas, sicut a bonæ memoriæ Rainfredo Carnotensi episcopo eidem vestro monasterio contributæ sunt. Decernimus itaque ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, &c. Hæc quoque de cetero subjungimus, ut idem monasterium cum suis appenditiis, & ejus monachi ab omni secularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, quatinus in sanctæ religionis observatione seduli, quieti Domino largiente permaneant. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam, &c.

Hoc privilegium lectum est atque approbatum in capitulo beatæ Mariæ Carnotensis præsentibus Ivone episcopo, Ernaldo decano & aliis. Scriptum per manum Rainerii secretarii regionarii & notarii sacri palatii. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Laterani per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii octavo idus Januarii indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno 1106. pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ septimo.

XXXI.

Modificatio, seu explicatio & limitatio præfati Paschalis II. privilegii.

GUILLELMUS abbas sancti Petri, suique monachi privilegium quoddam pro tuitione rerum suarum a bonæ memoriæ Paschali papa impetraverant. Sed quædam in illo privilegio continebantur, unde canonici beatæ Mariæ molestabantur, quæ utrorumque assensu sic modificata sunt. Ecclesiam beati Petri, sanctique Hilarii ecclesiam, & quidquid intra muros earumdem ecclesiarum est, libere & quiete possidebunt monachi, & quodcumque forisfactum ibi fuerit, absolute illorum erit, pontificali tantum jure excepto. Extra muros B vero & extra corpora ecclesiarum quodcumque vel a quocumque forisfactum fuerit, ad decanum vel subdecanum pertinebit, exceptis illorum forisfactis, qui de pane monachorum vivunt, qui ubicumque in parochia beati Hilarii forisfecerint vel intra muros monachorum, nichil nisi abbati & monachis emendabunt, salvo semper jure episcopali. Insuper quieti sacerdotum sancti Hilarii provisum est, quod immunes a potestate decani vel subdecani sint, exceptis hiis: in commonitione parochianorum suorum obedientes erunt, & in excommunicatione & absolutione, & extra muros & extra ecclesiam a quibuscumque atrium fractum fuerit, sacerdotes a decano vel subdecano aquam benedictam ad reconciliandum atrium requirent; sic tamen quod servientes qui de pane monachorum vivunt, nullam C decano vel subdecano emendationem facient, sicut supra dictum est; si vero decanus vel subdecanus aquam eis negaverint vel prolongaverint, ipsi sacerdotes in domo episcopi accipiant, & atrium reconcilient, & statim cantent, & si de hiis, scilicet de parochianorum admonitione, vel excommunicatione, vel absolutione, vel de aquæ benedictæ petitione, ut determinatum est, decano vel subdecano obedire noluerint, vel omiserint, commoniti in capitulo B. Mariæ venient, & si ibi se purgare potuerint, sola manu purgabunt se; si vero super his determinatis se purgare non potuerint, ibi veniam accipient, & hoc usque tertio; quarto autem si in culpa reperti fuerint, decanus vel subdecanus abbatem extrudat, ut eos submonebunt, & tunc per abbatem expellentur, & alii introducentur, sic tamen ut per omnia D jus episcopi conservetur. De cetero provisum est ut sacerdotes parochianos suos monachorum debita reddere nolentes, ad præceptum abbatis & monachorum excommunicent, sed eos sine licentia decani vel subdecani absolvere non poterunt. Sacerdotes ecclesiarum Campifauni vel Manuvillaris decano & subdecano, sicut ceteri suburbani sacerdotes subjecti erunt. Ecclesiæ vero postquam reconciliatæ fuerint, pro qualibet violatione ipsarum vel cimiteriorum nunquam cessabunt, & aqua benedicta nunquam eis negabitur. His emendatis, privilegii firmitas assensu episcopi & totius capituli integra & inconcussa manebit.

XXXII.

E *Charta Adelæ comitissæ pro cœnobio Bonevallensi.* *Ex chartario Bonævallis.*

EGO Adela vicecomitissa uxor Stephani comitis, 1109. omnibus successoribus tam meis, quam monachorum Boneval. per præsentis chartæ notitiam decrevi notificare, qualiter injuriam, quam illis monachis feceram, studui emendare, ne illius exemplo posteri mei præsumant similem attemptare. Aliquando enim erga ipsos propter unum meum hominem, quem eorum servitores occiderant, irata fueram, & quasi in ultionem, descriptionem . . . . quæ consuetudinaris tallia nominatur, in burgo Bonevallensi fieri præceperam. Quod graviter tolerantes abbas & monachi, me adierunt, & antiquorum scriptorum testimonio, nec nihil, nec alicui hoc licere monstraverunt. Ego tamen non

A illico acquievi, & prout ira trahebat, aliquanto tempore in proposito perduravi. Illis autem instantibus & precibus assiduis requirentibus, ne novam & nocivam consuetudinem in burgo illorum inducerem, tandem ira sedata, & pœnitudine ducta de his quæ feceram, quam expetierant monachi satisfactionem feci ante altare sanctorum martyrum Marcellini & Petri, Florentini & Hilarii, concedentibus & volentibus filiis meis Theobaldo comite & Stephano, in præsentia Ivonis Carnotensis episcopi, & Bernerii tunc ibidem abbatis, & Guillelmi abbatis sancti Petri. Actum apud Carnotum anno gratiæ 1109.

XXXIII.

Ex chartario domestico a D. de Gagneres descripto, nunc in biblioth. regia.

1110.

B *Charta Ludovici VI. regis Francorum pro Bernerio abbate Bonevallensi.*

IN nomine summi & æterni regis Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Nihil æque sublimitati regis condecens esse dinoscitur, quam humilium Christi servorum justis petitionibus aures pietatis clementer inclinare, atque omnes ab eis, ut quiete Deo servire valeant, inquietudines & vexationes propellere. Noverint igitur universi tam præsentis temporis, quam futuri, quod religiosus Bernerius abbas monasterii Bonevallensis, quod situm est in comitatu Dunensi, intervenientibus pro eo & cum eo nobilibus viris & fidelibus nostris Theobaldo comite Blesensi & Hugone vicecomite Castriduni, sublimitati nostræ humiliter supplicavit, ut quia Bonevallense monasterium a piæ recor- C dationis antecessoribus nostris Francorum regibus fundatum fuerat & dotatum, regalis etiam munificentiæ libertate ac protectione corroboratum, sicut gloriosi regis Clotarii [a] præceptum insertum litteris & sigillo suo munitum, quod idem abbas in auribus nostris recitaverat, publice testabatur, nos quoque, qui auctore Deo regiæ dignitatis apicem obtinemus, juxta exemplum præfati gloriosi regis idem monasterium cum omnibus bonis & possessionibus suis in defensionis nostræ dextra susciperemus, & per diuturna seculorum spatia propugnaculo institutionis nostræ & regalis auctoritatis privilegio contra perturbationes & oppressiones infestantium muniremus. Quorum petitionibus dignis benignum inclinantes auditum, ob nostram etiam & nostrorum in præscripto monasterio memo- D riam æternaliter conservandam, ipsum Bonevallense monasterium cum omnibus bonis suis quæ modo possidet, vel quæ divina gratia inspirante possessurum est, in nostra speciali provisione ac protectione suscipimus, & illam etiam emendam & satisfactionem, quam Adela nobilis comitissa mater præfati comitis Theobaldi, approbantibus eodem comite & fratre suo Stephano, fecit monachis super infractione libertatis Bonevallensis ratam habemus & confirmamus. Actum publice Stampis anno Incarnati Verbi M. CX. regni nostri anno secundo, XVIII. calendas Octobris. Signum Theobaldi comitis Blesensis, signum Stephani fratris ejus, signum Hugonis vicecomitis Castriduni, signum Gaufridi filii sui, signum Ansello de Garlanda, signum Guidonis de Menevilla, signum Roberti Clementis, signum E Ursionis Trudonis de Stampis, signum Alberici de Montbarro, signum Pagani de Dunois.

XXXIV.

Ex Soucheti notis ad vit. B. Bernardi Tiron. pag. 358.

1113.

Charta fundationis abbatiæ Tironiensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ivo Carnotensis ecclesiæ minister humilis, ac Arnaudus decanus, necnon commune capitulum beatæ Mariæ, notum fieri volumus, tam præsentibus, quam futuris, quod domnus Bernardus venerabilis abbas cum grege sibi commisso parvitatem nostram humiliter adierunt, petentes ut eis concederemus carrucatam terræ unam de terra beatæ Mariæ, quæ est super rivulum, qui dicitur *Tiro* infra Gardiensem parochiam, ad ædificandum monasterium, & claustrum, & cetera usui fratrum necessaria. Quorum petitio, quia digna impetratione, & multis profutura, & nostræ honestati & eorum utilitati convenire visa est, donamus ei prædictam terram quietam & immunem a synodo & circada, ab omni consuetudine parochiali, & ab omni exactione, & perpetualiter habendam concedimus, salva obedientia quæ episcopo juste debetur. Ut autem per succedentia tempora firmum & stabile hoc donum permaneat, præsenti scripto mandavimus, & signis manibus nostris factis roboravimus. Signum Ivonis Carnotensis episcopi. Signum Arnaudi decani. Signum Georgii cantoris. Signum Hugonis subdecani, &c. Datum Carnoti per manum Vulgrini cancellarii, tertio nonas Februarii, anno ab Incarnatione Domini M. CXIII. regnante Ludovico Philippi filio.

XXXV.

Charta Ivonis episcopi Carnotensis emendantis quæ præpositi ecclesiarum rusticarum in eis perverse agebant.

Ex chartul. cap. Carnot.

Circa 1114.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Ivo Dei gratia Carnotensium humilis episcopus, notum fieri volo cunctis sanctæ ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quia canonici ecclesiæ michi commissæ meam adeuntes præsentiam, clamorem & querimoniam . . . . . de præpositis suis . . . . . qui privatis commodis inhiantes communem fratrum utilitatem in quibuscumque poterant, minuebant, & quasdam res eis jure debitas per injuriam sibi retinebant, pauperes ecclesiæ sub eorum patrocinio constitutos diversis calamitatibus afficiebant, & sævæ rapacitati inservientes exigebant ab eis nummos, annonam, oves, agnos, anseres, gallinas, & habebant medietates cum rusticis ecclesiæ, quod non licet, & mittebant servientes suos cum equis per præposituras, qui quærebant annonam a rusticis suis, sicut & dominus, & faciebant sæpe parari sibi ingentia prandia, tam præpositi quam servientes, sine licentia capituli, . . . capiebant, & de hominibus ecclesiæ relevationem terrarum, de conjugandis feminis venditiones & plurima carritia faciebant, quod non licet, exceptis duobus. Presbyteros in ecclesiis ponebant sine licentia capituli; capiebant homines ecclesiæ & verberabant eos, & in carceres mittebant sine jussione capituli; de arietibus accipiebant plus quam 12. nummos, de porcis plus quam 2. solidos, quod non licet. Mittebant etiam alios servientes sine equis, qui exigebant a rusticis alia plura. Faciebant etiam plura quæ sui juris esse diratiocinari non poterant. Et ut tantis injuriis finem imponerem multis modis supplicationibus postulabant. Quorum petitioni assensum præbere, quia rationabilis erat, dignum judicans, cupiensque eorum providere quieti, volensque ut eorum murmuratio cessaret, odium sopiretur, peccatum expelleretur, pax & quies pauperibus ecclesiæ restitueretur, consilio optimatum nostrorum decrevimus canonicos justam habere causam, & præcipimus ne in rusticis ecclesiæ præpositi deinceps has exactiones haberent, nec ulterius communem in supradictis utilitatem minuerent. Concessimus etiam quod beneficia ecclesiæ quæ precariæ dicuntur, & factæ erant precariæ, quia quod omnium erat quatuor vendebant, in communes redigerentur usus: sic scilicet, capella & ad eam pertinentia, villa quæ dicitur Catheras & ad eam pertinentia, Tuetvilla cum append. Dionvillare decima, terra capicerii de Fontanis, terra de Calniaco & casis, junioratus omnes, villa quæ dicitur Landelle & ad

a Hoc Lotharii regis præceptum datum est nonas Julii regnante rege Klotario anno 23.

eam pertinentia, molendini novi de Ferrariis, molendini A de Britiniaco, & Jei, capella Vindocinensis, ecclesia de Carannivilla, terra de Monte Oduini & de Afrancvilla, & cetera omnia quæ censum vel annonam reddunt. Concessimus etiam de domibus canonicorum quod Carolus rex & Froboldus episcopus inde constituerunt. Si quis autem, quod nolumus, ad damnum canonicorum hæc in pejus mutare præsumpserit & non resipuerit, maledictus atque excommunicatus permaneat, & cum eis qui in fine mundi audituri sunt: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, portionem & societatem habeat. Ut autem hæc concessio firmiorem per futura tempora obtineret vigorem, & a successoribus nostris verius & certius crederetur, & diligentius observaretur, has litteras fieri jussi, & manu propria & sigilli mei impressione firmavi.

XXXVI.

Ludovicus rex confirmat dona ecclesiæ Josaphatensi facta a Gaufrido & Gosleno de Leugis.

1117. IN Christi nomine. Ego Ludovicus Dei dispensante misericordia in regem Francorum sublimatus, notum fieri volo, tam futuris quam & instantibus, quod nostram adierunt præsentiam domnus Gaufredus Carnotensis episcopus, domnusque Goslenus ejus frater, rogantes, quod pro animæ nostræ remedio quædam de suis beneficiis sive feodis, quæ pro suis animabus ecclesiæ beatæ Mariæ, denominatæ Josaphat, juxta suam dispositionem contulerant, ecclesiam videlicet C beati Arnulphi cum decima, cum omni terra plana, culta vel inculta, præter feodum militum, ecclesiam quoque de Operatorio in honore sancti Martini sitam, cum decima & cum terra, quantum ad opus atrii necessarium fuerit, & in terra sua, quam versus Perticum prædictus Goslinus possidet, loca ad ædificandas duas villas, & præter hoc in unaquaque villa carrucatam terræ unam, & juxta Leugas locum ad ædificandum ecclesiæ atrium, domos, & cætera ibi habitantibus necessaria, eidem ecclesiæ, quantum ad nostram regiam pertineret majestatem, in perpetuum concederemus. Quod ita & fecimus; verum ut hoc ratum & firmum permaneat in sempiternum, præsentem cartam nostri authoritate sigilli & nominis nostri caractere firmari & corroborari disposuimus. Actum Parisius anno Incar- D nati Verbi 1117. regni nostri IX. Adelaidis reginæ III. astantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Anselli dapiferi. Signum Hugonis constabularii. Signum Gisleberti buticularii. Signum Guidonis camerarii. Data per manum Stephani cancellarii.

XXXVII.

Ex apograp. D. de Gaignieres in biblioth. regia.

Charta G. episcopi Carnotensis pro Bernerio Bonevallensi abbate.

1118. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Quoniam dispositiones ecclesiasticarum rerum episcopali curæ faciendas decretorum & canonum paginæ concedunt, oportet ipsos episcopos vigilanter attendere, ut qualiscumque disceptatio sit inter homines, ut fidelis quis inveniatur, ipsi sibi bene conscii pio affectu & sincero intuitu disponant quæ disponenda sunt; illis præcipue manum extendentes, qui renunciaverunt mundi actibus, & nudam crucem Christi nudi secuti sunt. Si enim, ut dicit regula Patrum, exigente caritate, episcopus servus est plebis, non dominus, multo magis oportet, ut eorum quibus mundus crucifixus est, minister sit & servus. Quod ego G. humilis Carnotensis ecclesiæ minister attendens, notum facio cunctis ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod vir religiosus Bernerius Bonevallensis monasterii abbas humilitatem nostram adierit, supplicans mediante Galterio ejusdem loci archidiacono, ut ecclesiam B. Mariæ in castro Galardone sitam, quam per pecunias a manu laici occupaverant quidam clerici incircumcisi, Bonevallensi monasterio concederemus. Cujus petitioni, quia saluti animarum convenire michi visa est, assensum præbens, præsente & concedente ipso laico, Guidone nomine, qui eam hactenus occupaverat, prætaxatam ecclesiam Bonevallensi monasterio concessimus, eo tenore ut clerici præbendas suas in vita sua habeant, si caste vixerint, & in ecclesia ipsa, sicut decet, Deo servierint; post obitum vero eorum, usibus suis monachi eas retineant. Adjecimus etiam ut quidquid hactenus de casamento Carnotensis ecclesiæ concessione possidentium & præsidentium per B annum & diem quiete possederunt, de cetero nostra concessione quiete possideant, sicut bonæ memoriæ prædecessor noster Ivo episcopus concessit, & privilegii sui munimine confirmavit, salvo legum tramite, & salvo in omnibus jure Carnotensis ecclesiæ. Confirmamus etiam eis capellam sancti Vincentii, quæ Carnoti sita est juxta portam Cinerosam, quam dedit eis Hugo vicecomes. Gausfredus Dei gratia episcopus Carnotensis subscripsi. Galterus archidiaconus S. Ernaldus decanus S. &c. Datum Carnoti VIII. idus Junii anno ab Incarnatione Domini millesimo CXVIII. indictione XI. anno autem episcopatus nostri tertio.

XXXVIII.

Fundatio monasterii Jugi-Dei.

Ex autograp. Tyronensi. 1118.

MIrabilia testimonia tua, Domine, in id nos provehunt, ut qui terrenis maliciis occupati tibi odibiles efficimur, signis & prodigiis tuis, dum ea corde capimus, ad celestia subvehamur. In nomine Dei mei Jesu Christi, ego Guiscardus Beljoacensis dominus cunctis patefacio visionem alto plenam prodigio que nuper mihi accidit: cum enim in camera mea de Thamais noctis insisterem secreto silentio, subsequens apparuit mihi visio. Videbam enim sex venerandos viros habitu huic mundano valde dissimili redimitos, sed maximo relucentes splendore, jugis in collo ligatis circum dictum locum meum de Thamais terras triturare, sanctumque virum Bernardum Tyronensium monachorum abbam carruce manubrium tenentem, eos ut recto triturarent rigulo stimulo stimulare. Atque ex hinc uberrimos fructus pullulare vidi. Qua diu & perspicaciter excogitata visione, prenoscens ex his quid in futurum significarent, sanctum adii virum Bernardum predictum; cui suoque monasterio locum ipsum de Thamais cum ejus appendiciis universis donans, sex ab ipso depoposci viros in ipso loco sub Domini jugo pro mea, antecessorum & successorum meorum, cunctorumque fidelium & defunctorum salute omnipotenti Deo deprecaturos. Qui hoc sub sequentibus condicionibus & largicionibus libenti animo michi concessit; volens ut propter visionem predictam de sex religiosis jugum trahentibus locus ipse de cetero Jugum-Dei vocitetur. Largiciones autem sunt hec. Locum ipsum inpost de Jugo-Dei appellandum, cum suis appen- E diciis, ita liberum & immunem ut tenebam, nihil penitus justicie vel alterius cujusvis superioritatis michi vel meis successoribus retinens, sibi suoque monasterio Tyronensi donavi & dono. Utque in eo magnus excrescat religiosorum numerus atque laudabilius & magnificentius Deo deserviatur, eidem suoque Tyronensi monasterio in perpetuum concessi & concedo, quod si quid ipse suique successores pro suo Tyronensi monasterio vel predicta de Jugo-Dei cella largicione fidelium, emptu, vel alio quovis titulo acquisierint, illud eis ex nunc pro in futurum amortizo, etiam si feudale existat; devocione autem quam ad ipsum cœnobium habeo, ipsum me successoresque meos dominos Beljoacenses tribuo & dono in perpetuum monasterii & ipsius

religiosorum promptos & humiles defensores: quod A si quis successorum meorum requisitus in defensione defecerit, penam quingentarum librarum in auro cocto ipsis religiosis exolvendarum Tyronensibus ipso facto incurret. Testes inde sunt Rondanus de Alarze, Gotroynus de Marze, Petrus de Villafranca, Wido de Courrambleyo, Gerardo de Pratellis, Ivo de Curvavilla, Gausfridus de Bellovidere, Anselmus de Alesfilia, Hymbertus de Malaspina, Roffredus de Veterivico, Villermus de Camamerula, Paganus de Alestiaco, Sulpitius de Varennis, Stephanus de Alarchan, Durandus de Stoldis, Bernardus de Poyle, Hugo de Cheneve, Amblardus de Bello regardo, Hymbertus de Valleguitonis & plures alii. Acta & firmata sunt hec in Tyronensi cænobio per traditionem presentium & mee bipenne super magnum altare consentientibus B filiis meis Hymberto, Guilcardo & Gouttoyno, & filiabus meis Aalide & Maria, quarto calendas Julias anno gracie millesimo centesimo decimo octavo, regnante excellentissimo rege Hludovico. Christianorum nomen & gloriam Christus Dei filius conservet, augmentet & dilatet per infinita secula seculorum, amen.

XXXIX.

Ex chartario Josaphati.

Bulla Calixti II. papæ de fundatione monasterii beatæ Mariæ de Josaphat.

1119. CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Girardo abbati monasterii S. Mariæ Josaphat * juxta Leugas, in Carnotensi videlicet parochia situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, ut fidelium devotio celerem sortiatur effectum. Proinde nos, dilecte in Christo fili Girarde abbas, tam tuis quam venerabilis fratris nostri Gaufredi Carnotensis episcopi petitionibus annuentes, beatæ Mariæ monasterium, cui Deo auctore præsides, in apostolicæ sedis tutelam excipimus, & contra pravorum hominum nequitiam auctoritatis ejus privilegio communimus. Statuimus enim ut quæcumque bona, quascumque possessiones idem cœnobium in præsenti legitime possidet, sive in futurum largiente Deo, juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant: ecclesiam scilicet sancti Martini de Operatorio, & ecclesiam sancti Arnulfi cum decimis & terra, quam dedit Goislenus de Leugis. Nulli ergo omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salva nimirum Carnotensis episcopi canonica reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Ego Calixtus catholicæ ecclesiæ episcopus. Data Remis per manum Crysogoni sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii calend. Novembris indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno 1119. pontificatus autem domni Calixti secundi papæ anno primo.

* quod

XL.

Calixtus papa confirmat decretum a Gaufrido adversus simoniam latum.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gaufrido Carnotensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Quæ religionis honestate perspecta in Dei ecclesia statuuntur, inconcussa debent stabilitate servari. Si quidem, frater in Christo carissime, de commissa tibi ecclesia omnem simoniacam expellere desiderantes pravitatem, assensu decani, præcentoris, subdecani, succentoris, & cæterorum prælatorum ecclesiæ statuisti, congregatione fratrum id ipsum approbante atque unanimiter postulante, ut nec decanus, nec præcentor, nec subdecanus, nec succentor, nec ulla alia ecclesiastica persona, vel canonicorum quisquam de honoribus ecclesiæ, vel præbendis quidquam exigat vel accipiat, vel per se, vel per suppositam manum: nullus eorum qui canonici fiunt pro præbenda quidquam det vel promittat, aut per se similiter, aut per suppositam manum, neque post decessum prælatorum, qui nunc in ecclesia vestra vivunt, ullus vel decanus, vel præcentor, vel subdecanus, vel succentor in locum ipsum statuatur, quousque in communi capitulo liquido juret pro officio suo nihil dedisse vel promisisse, quousque etiam juret se pro præbendis nihil exacturum vel accepturum, aut per se, aut per suppositam manum: similiter post decessum simplicium canonicorum, qui modo in Carnotensi ecclesia vivunt, nullus in locum eorum canonicus sufficiatur, nisi ante in communi capitulo juret, vel tutor suus pro eo, si ipse infra annos fuerit, se pro præbenda nihil dedisse aut promisisse, nec per se, nec per suppositam manum. Hanc igitur constitutionem ad honorem Dei & animarum salutem a fraternitate tua provisam, nos præstante Deo, authoritate sedis apostolicæ confirmamus, & ratam in posterum permanere sancimus, &c. Datum Remis per manum Crysogoni sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis ac bibliothecarii IV. nonas Novembris indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno 1119. pontificatus domini Calixti secundi anno primo, &c. 1119.

XLI.

D *Gaufridus ecclesiæ sancti Johannis bona confirmat.*

QUia summi Patris ineffabili misericordia disponente, pastoralem curam, licet indigni & peccatores, suscepimus, ut assidua cordis vigilantia communi utilitati & saluti animarum diligenter providere studeamus, & ut in vespera nummum recepturi, Dominicæ vineæ circumquaque propagines extendamus, superna gratia mentem nostram illustrante, & vero dilecto nostro quasi per foramen compunctionis manum promotionis & auxilii ad nos extendente, sæpe & multum cogitavimus qualiter ecclesiasticæ religionis instituta semper in melius crescerent, & ei deservientes bonis humanæ vitæ necessariis sustentari possent. Ego itaque Gaufridus sanctæ Dei matris ecclesiæ Carnotensis Dei gratia episcopus communi consilio & assensu totius capituli & primatum nostrorum, canonicis B. Johannis ecclesiæ Valliacensis, qui proprietate posthabita, canonicam habent vitam, secundum tenorem privilegii domni Ivonis prædecessoris nostri, concessi totos redditus per integrum annum præbendæ uniuscujusque fratris de congregatione nostra defuncti, sive monachilem, sive canonicalem habitum suscipientis, seu Jerosolymam, vel in heremum proficiscentis, si præbendam dimiserit, vel seculo renunciantis, vel metu mortis seu infirmitate, vel pro malo introitu præbendam suam dimittentis. Et quia aliquid munus prædicti patris privilegium continere videtur, nos superaddimus ut quocumque modo persona mutetur, præfata beati

Circa 1119.

C E

beati Johannis ecclesia totos præbendales reditus per A
integrum annum habeat, ut in singulis diebus uniuscumque anni missas celebrent pro anima fratris cum defunctus fuerit. Concedimus etiam secundum tenorem privilegii prædicti Ivonis, ut ecclesia beati Johannis in ecclesia beatæ Mariæ perpetualiter habeat præbendam, quam habebat abbas Albertus, cum canonicam susciperet normam. Concedimus etiam ecclesiam beati Stephani, & omnia ad eam pertinentia, altare scilicet de Morenciaco cum parte synodi ad altare pertinentis, necnon & ecclesiam de Mondonisvilla liberam a synodo & circada & omni exactione, pariterque servos & ancillas, & terras, sive cultas, sive incultas. Concedimus etiam sanctæ Fidis ecclesiam, & ecclesiam de Luciaco, & campipartem illius terræ, quam ante possederat Ivo episcopus, & omnes consuetudines terræ B. Johannis, B
illius scilicet villæ, & terram cum oblatis de Ossainvilla, tam episcopalem quam canonicalem. Terram etiam de Ancherisvilla concedimus super hæc in junioratu ecclesiæ de Ponte Godonis cum omnibus domibus nostris, & totam avenæ farraginem, & totam terram nostram ultra aquam, & furnum ejusdem villæ. Decimam quoque molendinorum & vinearum. Confirmamus etiam donum altaris ecclesiæ Scini factum a Gauslino canonico & præposito sanctæ Mariæ, & donum vigeriæ de Valleia, & totius terræ de Moncellis cum omnibus consuetudinibus actum ab Hugone vicedomino hujus civitatis. Confirmamus quoque donum totius terræ Eddevillæ cum omnibus consuetudinibus & feodis, necnon donum ecclesiæ Ardelecth cum omnibus hospitibus, & cum terra ad duas carrucas. C
Ut autem hoc nostrum opus caritatis per succedentia tempora firmum ac stabile maneat, litterarum memoriæ tradi fecimus, & impressione sigilli nostri atque authoritate confirmatum, manibus quoque canonicorum nostrorum cæterorumque fidelium dedimus confirmandum. Si quis ergo aliquam huic canonicæ institutioni calumniam inferre, vel aliquid adnullare temptaverit, anathemate nostro percussus, Deum sibi sentiat iratum, & nisi digna satisfactione culpam correxerit, pœnis infernalibus deputetur. Præterea etiam constituimus ut si forte abbas supradictæ ecclesiæ defunctus fuerit, vel aliqua canonicali occasione decesserit, fratres sibi abbatem de eadem congregatione, vel aliqua alia regulari, si ibi idoneus inveniri non potuerit, eligant, & ad hanc electionem aliquos sani consilii sibi conjungant. D
Abbas autem electus in communi capitulo B. Mariæ præsentetur, & ab episcopo recipiat abbatiam, & sicut alii canonici in ecclesia beatæ Mariæ, suam faciat septimanam. Ego Gaufridus Dei gratia Carnotensis episcopus subscripsi. Signum Ernaudi decani. Signum Jerogii cantoris. Signum Gauterii archidiaconi. Signum Samsonis subdecani. Signum Garini succentoris. Sig. Vulgrini cancellarii. Sign. Radulfi camerarii. Signum Gauslini archidiaconi. Signum Ausgerii archidiaconi. Signum Bernardi archidiaconi. Signum Landrici archidiaconi. Signum Odonis archidiaconi. Signum Hugonis capicerii. Signum Galeranni abbatis S. Andreæ. Signum Hugonis præpositi. Signum Henrici præpositi. Signum Garini præpositi sancti Karauni. Signum Haimonis presbyteri. Sig. Gauterii presbyteri. Sign. E
Guarini presbyteri. Signum Roberti diaconi. Signum Radulphi diaconi. Signum Vitalis diaconi. Signum Zachariæ subdiaconi. Signum Drogonis subdiaconi. Signum Pagani de Mongervilla. Signum Alberti subdiaconi. Signum Philippi canonici. Signum Gauslini Rufi subdiaconi. Signum Menardi subdiaconi.

XLII.

Charta Gaufridi episcopi Carnotensis fundantis ecclesiam canonicorum sancti Mauricii. *Ex chartario Josaphati.*

EGo Gaufridus Dei gratia Carnotensium episcopus, notum esse volo, tam futuris quam præsentibus, me juxta Leugas quamdam constituisse ecclesiam, canonicorum sancti Mauricii, in quorum parochia erat, consensu, Helisendis etiam vicedominæ, & Girardi filii ejus, qui ecclesiæ sancti Mauricii advocati erant, voluntate & assensu, eo videlicet tenore, ne habitatores a me constitutæ ecclesiæ quicquam ullo tempore accipiant quod ad ecclesiam sancti Mauricii pertineat parochiale, nec etiam clericum, nec militem, nec servientem in parochia sancti Mauricii consistentem, nisi canonici S. Mauricii consenserint, vel præfatæ ecclesiæ ordinem prius receperint, præter Leugarum dominum, ejusque uxorem & filios, qui sui juris sunt, & ad quam elegerint parochiam ire possunt. Quod si aliqui juxta præfatam ecclesiam habitaverint, omnes ad parochiam S. Mauricii pertinebunt, & parochialia exsolvent, præter illos tantummodo qui de cibo prædictæ ecclesiæ vivent. In parochiis autem cæterarum ecclesiarum consistentes, in quibus recipiendis jura ipsarum ecclesiarum non offendantur, ad quodcumque ecclesiasticum officium celebraverint, recipere possunt. Hæc si a prædictis habitatoribus violata fuerint, nisi intra dies 8. vel 15. suam per se cognoscentes transgressionem, vel ab aliis commoniti canonicis S. Mauricii emendaverint, post supradictum dierum spatium quamdiu neglexerint emendationem, correctioni subjaceant. Hæc res in plenario capitulo B. Mariæ III. idus Januarii præsentibus canonicis sancti Mauricii & consentientibus, nostra est auctoritate firmata, & in præsentia venerabilis viri Hildeberti Cenomanensis episcopi, & primatum ecclesiæ nostræ, quorum signa subscripta sunt, assensu roborata, anno ab Incarnatione Dom. 1120. episcopatus vero nostri tertio. Fuerunt autem præsentes & consentientes, & signa subscripta habentes, ipse domnus Gaufridus episcopus, Hildebertus Cenomanensis episcopus, Ernaudus decanus, Samson subdecanus. Testes vero cum suprascriptis interfuerunt, domnus Willelmus abbas sancti Petri, domnus Stephanus abbas sancti Johannis, Gerogius cantor, Guarinus succentor, Gualterius archidiaconus, Hugo de Leugis præpositus, Hugo præpositus, Heinricus præpositus, Radulfus camerarius, Hugo capicerius, Gauslinus archidiaconus, Auscherius archidiaconus, Bernardus archidiaconus, Haimo presbyter, Guarinus presbyter, alter Guarinus presbyter, Vitalis, Willelmus Moignart, Herbertus Belosinus, Robertus de sancto Mauricio, Paganus de Mongervilla, Guarinus præpositus S. Carauni, Zacharias, Ebrardus, Herbertus cantores. Signum Gaufridi episcopi, signum Hildeberti Cenomanensis episcopi, Ernaudi decani, & Sansonis subdecani. 1120.

XLIII.

Diploma Ludovici VI. Francorum regis pro monasterio Tironiensi. *Ex tabulario monasterii Tiron.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Cum regalis præeminentiæ semper sit ecclesias, præcipuumque religiosa loca a noxiis præservare, ac liberaliter de privilegiis dotare, quibus mundanos fluctus evitent, eapropter & hiis motus, ego Hludovicus Dei dono rex Francorum humilis, affectione pervalida, quam ad mihi devotissimos monachos Tironenses habeo per me noviter fundatos, ipsos semper volens donis multiplicibus accrescere, ut eo magis preces effundant Altissimo pro nostris peccaminibus redimendis, quo munificentiis regiis præservati, quietam magis & tranquillam ducent 1120.

vitam, in aliquantam etiam viciffitudinem fanitatis illius perincurabilis infirmitatis precibus venerabilis & Deo devotiffimi viri Bernardi ipforum monachorum Tironenfium patris recuperatæ, eorum quieti & tranquillitati nunc & pro in futurum folerter intendens, ne per curiarum vagitus faliendo, a divinis obfequiis fequeftrentur, ac in perpetuum valitura & duratura regali munificentia, tam noftra abfoluta, quam ordinaria authoritate & poteftate, eis & eorum monafterio in perpetuum concedimus & largimur, quod ipfum monafterium Tironenfe fuper adminiftrationes, & membra fua fibi fubjecta, præfentia & futura, in omni regni noftri folo exiftentia, ficuti fpirituale caput eft, ita omni temporali emineat & fulciatur ditione, dominio & fuperioritate, volentes & in perpetuum præmiffis, tam abfoluta quam ordinaria, authoritatibus & poteftatibus ordinantes & largientes, quæ quibufvis forisfacto, refforto, appellatione, deffectu juftitiæ, realitate, perfonalitate, & quacumque civilitate & jurifdictione temporali, ac quibufcumque aliis fuperioritatibus membra & adminiftrationes ipfæ, & earum & eorum miniftri & religiofi, necnon membrorum ipforum & adminiftrationum ipfarum familiares fubditi, & homines quicumque, præfentes & pofteri, coram ipfo Tironenfi monafterio capite fuo, tanquam immediato fuperiore, omiffis quibufcumque mediis, immediate refpondeant, caputque ipfum monafterium Tironenfe, ac ejus abba, conventus & cæteri miniftri & religiofi, necnon eorum familiares, fubditi & homines quicumque, præfentes & futuri, quibufvis forisfacto, refforto, deffectu juftitiæ, appellatione, realitate, perfonalitate, & quacumque civilitate & jurifdictione temporali, ac quibufcumque aliis dominiis & fuperioritatibus, poft ipfius monafterii Tironenfis curiam, coram magnis præfidentialibus noftris Parifius, vel alibi, ubi noftra præcellens & fuprema regalis curia refidebit, immediate & folummodo habeant & teneantur refpondere, nec agere, refpondere vel fe deffendere fuper quibufvis forisfacto, refforto, appellatione, deffectu juftitiæ, realitate, perfonalitate & quacumque civilitate, feu quibufcumque aliis per aliquos juftitiarios, five regios, five alios, coram fe tanquam fuperioribus, fed nec per alium modum, nec alibi quam ubi præmiffum eft, ipfi abba, conventus, monafterium, miniftri religiofi, familiares, fubditi & homines præmiffi, præfentes & pofteri, compellantur inviti, nec aliquid jurifdictionis, dominii vel fuperioritatis fuper ipfos monafterium, abbam, miniftros, religiofos, fubditos & homines præmiffos, & eorum bona, five ex officio, five ad partis inftantiam, occafione alicujus præmifforum, vel alias, ab ipfis juftitiariis, five regiis, five aliis intentetur, nec fuper eos in aliquo cognofcere habeant vel videre, ipfos enim in fpeciali noftra gardia & tuitione alias & nunc fufcepimus, & adhuc fufcipimus per præfentes; fed & ut omnes eis vim inferentes, vel inferre volentes, forisfacientes, & fua detinentes, occupantes, retinentes & denegantes, fuofque debitores & alios, quos in judicium evocare voluerint, in omni regni noftri difperfione conftitutos, coram ipfis præfidentialibus, vel aliis, fi maluerint, juftitiariis regiis, tam in reali quam in perfonali, & five in civili, five in criminali, ipfi abba, conventus, monafterium, miniftri & religiofi præmiffi evocare & trahere poffint, ac quod per noftræ prædictæ falvagardiæ fignificationem & notificationem, deffenfionem & inhibitionem ex parte noftra ipfis vim inferentibus, vel inferre volentibus feu comminantibus, & aliis fuis malefactoribus fiendam, & legitimum affecuramentum dandum & dari faciendum, & compellendum per corporum fuorum, fi expedire viderint, arreftationem, captionem & incarcerationem, & alias, violentos ipfos forisfactores, moleftatores & malefactores a violentiis ipfis malefactis & moleftiis propellere, & de illatis fatisfacere, fua detinentes, occupantes, retinentes & denegantes ad ea reftituenda & reddenda, & debitores ad fua debita eis

A folvenda, per fuorum bonorum arreftationem, captionem, venditionem & exploitationem compellere, ipfi præfidentiales, & alii juftitiarii, clientes, & fervientes regii refragantes, coram ipfis præfidentialibus vel aliis juftitiariis regiis, prout religiofi maluerint, evocando, authoritate regia, abfque aliis noftris, vel fucceflorum noftrorum Francorum regum, vel quorumvis juftitiariorum, feu officiariorum regiorum fcriptis, vel mandatis, ex nunc in pofterum in perpetuum omnino poffint & valeant hæc noftra, ficuti præmiffum eft, tam abfoluta quam ordinaria, authoritatibus & poteftatibus & regali munificentia in perpetuum valitura eifdem concedimus & largimur. Te quoque, fancte vir & venerabilis Bernarde, tuofque fucceffores abbas Tironenfes ex domo, familia & confulta regiis in perpetuum effe volumus, B & eorum qui de domo, familia, feu confultu regiis funt, libertatibus, prærogativis, privilegiis fuis & immunitatibus gaudere in perpetuum largimur, conftituimus, ac etiam ordinamus. Intuitu fiquidem dulciffimi filii noftri in ipfo Tiron. cœnobio per nos Deo oblati, & digniffimos, de quo lætabundi exultamus, redemptori noftro referentes fructus, confideratione etiam precum devotarum & orationum, quæ pro vivis & defunctis Francorum regibus cotidie fingulifque horis Altiffimo in ipfo monafterio porriguntur, necnon multimodorum beneficiorum & obfequiorum, quæ ab ipfo fancto abba & fuis religiofis habuiffe nos cognofcimus, quibus ex caufis ipfum monafterium de bonis a Deo nobis collatis fundavimus & dotavimus, augmentum, honorem & tranquillitatem ipfius monafterii, & ipfius religioforum, C præfentium & futurorum, præ ceteris quibufcumque defiderabiliter affectantes, has & alias multifarias largitiones, libertates & prærogativas eifdem & fuis fuppofitis conceffimus & largiti fumus. Vos fucceffores noftros Francorum reges, & veftras gentes ipfas firmas tenere, & ab aliis teneri, per vifcera mifericordiæ Jefu Chrifti, & per eam quam optatis paradifi gloriam obnixius deprecantes. Has autem noftrarum perempniitatum & regiarum largitionum editiones nemo infringere quomodolibet audeat in futurum. Qui autem fecus egerit, indignationem & forisfactum regiæ celfitudinis fe noverit incurriffe, unde in fupradictorum omnium robur & teftimonium, præfentes figilli regii authoritate & nominis noftri caractere communienda duximus. Acta funt hæc in prædicto monafterio Tironenfi fe-D cundo idus Aprilias anno graciæ millefimo centefimo vicefimo aftantibus nobifcum in ipforum monafterio, quorum nomina fubtitulata funt & figna. Signum Anfelli dapiferi ✠. Signum Hugonis conftabularii ✠. Signum Gilberti buticularii ✠. Signum Widonis camerarii ✠. Data per manus Stephani cancellarii.

XLIV.

Charta Ludovici VI. Francorum regis pro Bernerio Bonevall. abbate.

Ex chartario domestico a D. de Gaignieres exscripto nunc in bibl. regia. 1122.

IN nomine fummi & æterni regis. Ludovicus Dei gratia Francorum rex, univerfis tam inftantis temporis quam futuri notificare decrevimus, qualiter fidelis nofter Hugo de Pufatato Carnotenfis vicecomes E contentiones, quas malorum depravatus confilio, contra religiofum virum Bernerium abbatem & monachos Bonevallenfis monafterii, quod fitum eft in pago Dunenfi, injufte aliquando moverat, per admonitionem noftram in melius refipifcens difponente Deo ftuduit emendare. Quidam Stampenfis clericus Fredericus nomine, allodium quoddam dictum Balnoletum a progenitoribus fuis jure hereditatis legitimæ fibi demiffum prætaxato monafterio Boneval. quondam in eleemofynam dederat quiete poffidendum; & donum illud cum ceteris dictæ ecclefiæ donariis gloriofi regis Clotarii conceffione firmatum erat, ficut charta annuli ejus impreffione fignata, quam in confpectu noftro præfati abbas & monafterium produxerunt, publice teftabatur.

Contigit autem propter inquietationes hostium & guerras, quæ tunc temporis multæ erant, quod monachi dicti cœnobii, sicut ex multorum testimonio nobis innotuit, ob custodiam terræ suæ patrem jam dicti Hugonis eximiæ probitatis & strenuitatis virum, prædictæ villæ Balnoleti, & aliarum quarumdam villarum adjacentium, quas similiter nostris eleemosynis possidebant, advocatum & defensorem fecerunt. Exinde prædictus Hugo occasione malignandi accepta, in monachorum villis, quæ, ut dictum est, tuitioni patris sui concessæ fuerant, gistum & procurationes quotiescumque per ipsas villas transitum faceret, de jure se habere declamabat; sed monachis contradicentibus, & tam de authenticis scriptis, quam ex probabili multorum testimonio . . . . . . & libertatem terræ suæ quam per multa annorum curricula absque alicujus infestatione possederant, protestantibus, tandem inspiratione divina & admonitione nostra, atque consilio nobilis comitis Theobaldi pœnitudine ductus vicecomes, coram regia majestate nostra, audientibus ipso comite & omnibus qui aderant, atque videntibus, de omnibus gravaminibus quæ ob hanc causam terris monachorum injuste intulerat, rectitudinem fecit, & neque gistum, neque procurationem, neque consuetudinem aliquam, sed nihil omnino in supradictis eorum villis de jure se habere cognovit. Post hanc vero ipsius cognitionem factam, quia terris monachorum valde necessaria & admodum utilis erat sæpefati Hugonis tuitio, ut ad id efficacius exequendum propensiori devotione teneatur astrictus, ad nostrum & jam dicti comitis consilium monachi sæpe dicti in villis illis quas in sui tuitione vicecomes suscipiebat, cum propter negotium terræ veniret, semel in anno procurationem, si eam capere vellet, non de jure aliquo, sed de liberalitate sua sola ei concesserunt habendam. Quod dictus vicecomes gratanter accipiens, & monachorum terram pro posse suo defensaturum in fide sua se promittens, ut mala quæ eis fecerat indulgerent affectu, propter donum illud quod per manum venerabilis viri Ivonis Carnotensis episcopi de capella sancti Vincentii & domibus suis apud Carnotum Bonevallensi cœnobio, jam dudum devote contulerat, quodque confirmando iterum replicabat, quidquid de fenis suis dono . . . . . monachi possent acquirere absque aliqua contradictione sui vel heredum suorum quiete & libere eis de cetero possidendum concessit, &c. Actum Parisiis publice anno Incarnati Verbi 1122. regni nostri XV. astantibus in palatio nostro quorum nomina subscripta sunt & signa. Signum Stephani dapiferi, signum Gilberti buticularii, signum Hugonis constabularii, sig. Alberici camerarii. Data per manum Stephani cancellarii.

X L V.

Ex chartul. S. Petri.

Charta cessionis ecclesiæ sancti Dionysii de Nogento-Rotroci, factæ Cluniacensibus a monachis sancti Petri Carnotensis.

1124. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Gaufridus gratia Dei sanctæ Carnotensis ecclesiæ episcopus, omnibus tam futuris quam præsentibus, notum fieri volo qualiter Dei præveniente gratia inter monachos de *Nogent*, & monachos S. Petri Carnotensis pacem quam aliquandiu turbaverat ille qui turbas * * * fraternam societatem quam schismatis auctor dividere conabatur, composuimus; ut ea quæ radix est omnium malorum cupiditas cederet caritati * * * In capitulo prædicti sancti Petri in præsentia nostra, & priorum ecclesiæ nostræ, affuerunt ejusdem monasterii abbas Willelmus & monachi, affuerunt & monachi de *Nogent*, Bernardus prior, &c. Ibi prænominatus abbas Willelmus & monachi omnes a maximo usque ad minimum laudaverunt & concesserunt ecclesiam de *Nogent* cum omnibus quæ ad eam pertinent, omni calumnia per-

A petuo sepulta silentio, monachis de *Nogent*, & * * Cluniacensibus in pace possidendam. Laudaverunt etiam & concesserunt omnia privilegia quæ beatæ memoriæ Urbanus & Paschalis Romani pontifices super eadem ecclesia Cluniacensibus fecerunt. Monachi vero de *Nogent* pro sola caritate Dei & fraterna dilectione reddiderunt mihi ut darem, & dedi præfato abbati Willelmo, & monachis S. Petri ecclesiam de Braiolo cum omnibus quæ habebant in ea, & cum decimis, præter vineas suas, & earumdem decimas vinearum, & præter cetera quæ ibidem propria eo die quo concordia ista firmata est, possidebant, quorum & propriorum decimas sibi retinuerunt. Hoc autem abbas Cluniacensis Petrus laudavit atque concessit suarum attestatione litterarum pacis supradictæ tenorem continentium, quæ B ibidem nobis audientibus recitatæ fuerunt, &c. . . . . Hanc autem concordiam nostri quoque canonici in capitulo beatæ Mariæ laudaverunt. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. CXXIV. episcopatus nostri anno octavo, præsentibus istis, Sansone Carnotensi decano, & aliis canonicis, Bernerio abbate Bonevallensi, Stephano abbate de Valcia, Galeranno abbate sancti Andreæ, & aliis monachis & clericis.

X L V I.

Diploma Ludovici VI. Francorum regis pro prioratu sancti Germani in Laia.

Ex tabulario Columbensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex universis Dei 1124.
C ecclesiæ cultoribus, tam posteris quam instantibus, & præcipuè successoribus nostris Francorum regibus certum haberi, firmum teneri volumus, quod universa beneficia, quæ antecessores nostri Francorum reges ecclesiæ beati Vincentii & sancti Germani de Leja, videlicet Robertus rex, qui ecclesiam ipsam a fundamento fundavit, & Hainricus rex filius ipsius, & Philippus pater noster contulerunt, vel in posterum quilibet concessuri vel donaturi sunt, & nos bona voluntate & utili concedimus & firmamus; inprimis totam villam prædictæ ecclesiæ adjacentem omnino liberam & quittam cum sanguine & latrone, & omnibus forisfactis in corpore villæ factis, sive omnibus consuetudinibus de corpore villæ moventibus; omnem quoque D decimam vini, & annonæ meæ, & avenæ, quæ attinent ad allavium vel granavium Pissiaci, id est de Trel & de Charlavana, & de ipso Pissiaco; & decimam alveræ & annonæ, & leguminum & avenæ undecumque sit; similiter & decimam annonæ meæ, & avenæ, & leguminum de aquilina, & omnium crescentiarum meatum, si quæ in ea fuerint factæ; molendinum quoque Filiolicurtis, & unum modium annonæ habendum perpetuo uno quoque anno de molendino, quem pacto tali Columbenses monachi concesserunt fieri super stagnum S. Germani de Leja Bartholomæo de Fulcojo; terram etiam Gaudine; similiter & brancas de Leja quantum necesse fuerit ad focum monachorum, necnon & mortuum lucum, quantum sufficit ad usum monachorum, & etiam hospitum suorum, & pasturam totam pecoE ribus monachorum & hospitum suorum; & ut monachi centum porcos habeant libere discurrentes per totam Lejam tempore glandium, vivum etiam nemus quantum necesse fuerit ad ædificia monachorum vel nova facienda, vel vetera reparanda; Galterium quoque Colibertum & omnem ejus posteritatem, & quinque hospites apud Ruoldicurtem. Hæc omnia benigne concedimus monachis Columbensibus Deo sanctoque Germano servientibus; quæ ne in posterum alicujus malivoli possint invidia infirmari vel vetustate deleri, nostri nominis karactere & sigillo signari, & corroborari præcipimus. Actum publice apud sanctum Germanum, præsentibus episcopis nostris, Carnotensi videlicet Gaufredo, & Manasse Meldensi cum clericis suis, abbate

scilicet Stephano de Valeia, & Hugone de Leugis præposito, & Galterio de Bonavalle archidiacono, & aliis multis. Data per manum Stephani cancellarii anno Incarnati Verbi M. CXXIIII. regni vero nostri XVII. Adelaudis reginæ decimo. Astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Stephani dapiferi. Signum Gisleberti buticularii. Sig. Hugonis constabularii, camerario nullo.

XLVII.

Privilegium Honorii II. papæ pro cœnobio S. Petri Carnot. de pluribus ab eo confirmatis ecclesiis.

1127. HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Willelmo abbati monasterii sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quod in suburbio Carnotensis urbis situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Æquitatis & justitiæ ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam rerum suarum firmitatem & vigoris inconcussi monumenta conferre. Non enim convenit Christi servos divino famulatui deditos perversis pravorum hominum molestiis agitari, & temerariis quorumlibet vexationibus fatigari, similiter & prædia usibus cœlestium secretorum dedicata, nullas potentium angarias, nihil debent extraordinarium sustinere. Hoc nimirum caritatis intuitu, dilecte in Domino fili Willelme abba, venerabilisque fratris nostri Gaufridi Carnotensis episcopi precibus inclinati, tuis rationabilibus postulationibus annuentes, monasterium beatorum apostolorum Petri & Pauli in Carnotensi suburbio constitutum, cui Domino auctore præsides, præsentis scripti nostri pagina communimus; statuimus enim ut qualcumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum concessione episcoporum Carnotensium, liberalitate regum, largitione principum & oblatione fidelium juste & legitime possidet, sive in futurum largiente Deo justis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. Ecclesiam videlicet S. Germani de Alogia, cum capella de Domna-petra. Ecclesiam sancti Leobini de Braiaco. Ecclesiam sancti Romani de Braiaco. Ecclesiam sancti Petri de Arro cum capellis suis. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Evorea. Ecclesiam Villævilloms. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Stellionibus. Ecclesiam de Luigniaco. Ecclesiam de Domna-petra. Ecclesiam sancti Leobini de Castroduni. Ecclesiam sancti Stephani de Spelterol. Ecclesiam de Tornesiaco. Ecclesiam de capella Osane. Ecclesiam de Verrigniaco. Ecclesiam de Billoncellis. Ecclesiam de Sonnenchiis. Ecclesiam de Puteosa cum capella. Ecclesiam de Mansellaria. Ecclesiam de Resuntis. Ecclesiam de Morivillari. Ecclesiam de Mutionisvillari. Ecclesiam de Capella fortini. Ecclesiam de Rivellonio. Ecclesiam de Fursonisvillari. Ecclesiam de Vitraico. Ecclesiam de Belchia. Ecclesiam de Rudeto. Ecclesiam de Alneto. Ecclesiam de Monasteriolo. Ecclesiam S. Martini de Firmericuria. Ecclesiam de Nantilliaco. Ecclesiam de Olins. Ecclesiam de Aneto. Ecclesiam de Salecto. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Moncellis, cum capella de Sorel. Ecclesiam de Chalgeto. Ecclesiam de Vi. Redditum præbendæ ecclesiæ S. Martini de Valle. In episcopatu quoque Aurelianensi ecclesiam sancti Paterni. Ecclesiam de Niz. In Ebroicensi episcopatu ecclesiam de Belloloco. Ecclesiam sancti Christophori. Ecclesiam de Canziaco. Ecclesiam de Illeiis. Ecclesiam sancti Georgii. Ecclesiam de Purlaico. In episcopatu Sagiensi ecclesiam de Planchis. Ecclesiam sancti Laurentii. Ecclesiam de Brogilo amaro. Et in Rotomagensi episcopatu ecclesiam de Leoniscuria. Ecclesiam de Guerriaco. Ecclesiam de Aldoenivilla. Ecclesiam de Gundelicuria. Præterea in præfato Carnotensi episcopatu ecclesiam de Treione. Ecclesiam sancti Germani de Guastina. Ecclesiam de Isis. Hæ vero tres præfatæ ecclesiæ ab omni exactione & redditu synodi & circadæ immunes salvo jure episcopali in sua permaneant libertate. Decernimus ergo, &c. Ego Honorius catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Laterani per manum Aimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, VIII. idus Martii Indictione V. Incarnationis Domini anno 1127. pontificatus autem domni Honorii II. papæ anno tertio.

XLVIII.

Charta Gaufridi de Docio pro monasterio sancti Leonardi Ferrariensis.

NOtum sit quod Gaufridus Doeii dominus, quamvis omnino pauper nollet effici, intellexit esse implendum, qui divino spiritu intimante pro redemptione animæ sue suorumque consanguineorum omnem suam propriam terram Ferrarum, prout metatus est cum suis metatoribus, Deo fratribusque Tyronis tribuit, & insuper quicquid sui homines de suis casamentis darent, concessit; & molendini Tueboii tres sextarios annone, tres minas tritici, tresque siliginis, prima die Dominica Quadragesime esse reddendos, atque quinquaginta anguillas aque ejusdem molendini capias. Tali pacto quod si quatuor ad minus capiantur, quinquagesimus numerus in illis impleatur, & reddantur. Et si aliqua non capitur, nulla reddetur: necnon suam partem pratorum que cum Petro Perillii partiebatur, Andrea Raginaudoque filiis suis concedentibus, Stephano Viviano, tunc illius terre existente villico, Roberto Euroino atque Assellito Morinocato, & Andrea Aaie, Guidonoque filio Laurentii, Pagano montis, Raginaldo Folino, Seebrando Faiot testibus. Et istis supradictis donis Gaufridus pauper quamdam suam borderiam terre, prout Ferrarii habebat, auxit, Pagano de Petra rubeas & monacho fratre Gaufridi concedentibus pro redemptione suarum animarum. Circa 1130.

XLIX.

Innocentius II. papa, præbendas canonicorum secularium ecclesiæ sanctæ Magdalenæ Castrodunensis assignat canonicis regularibus. Ex chartul. domestico.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Archembaldo, abbati ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ de Castriduno, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc universalis ecclesiæ cura, &c. . . . . Quamobrem, dilecte in Domino fili Archembaude abbas, venerabilis fratris nostri Gaufridi Carnotensis episcopi precibus inclinati, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & beatæ Mariæ Magdalenæ ecclesiam, cui Deo auctore præsides, apostolicæ sedis patrocinio roboramus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, &c. . . . . . Porro decedentibus ejusdem ecclesiæ canonicis secularibus, nullus nisi vitam professus canonicam ibi substituatur; præcedentium autem canonicorum præbendas ad professos redire decernimus, ipsorum usibus profuturas. Nulli ergo, &c. . . . . . . Datum Resbaci per manum Aymerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii IX°. kalendas Martii indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XXXI. pontificatus autem Domini Innocentii papæ II. anno secundo. 1131.

L.

Ex tabulario Majoris monasterii.

Concordia inita inter monachos S. Petri Carnotensis, & Majoris monasterii, super præbenda & annualibus sancti Martini in Valle.

1132. EGo Gaufridus Carnotensis Dei gratia episcopus, notum fieri volo tam præsentibus, quam futuris ecclesiæ Christi fidelibus, quod canonici S. Johannis de Valleia habebant in ecclesia sancti Martini de Valle annuales defunctorum canonicorum, & monachi sancti Petri Carnotensis unam præbendam, & Leprosi alteram; quum postmodum a nobis Majoris monasterii monachis, assensu comitis Tetbaldi, jussu ac voluntate domini papæ Honorii data fuisset, & literis confirmata, consilium tam nostrum quam ejusdem comitis fuit, ut eam soli prædicti Majoris monasterii monachi obtinerent; canonici vero pro annualibus suis, & monachi sancti Petri, seu Leprosi pro præbendis suis competentem aliunde reditum acciperent. Diligenti itaque habita consideratione, consilio multorum virorum sapientum, necnon & domino papa Innocentio approbante, quidquid sæpe dicti Majoris monasterii monachi in ecclesia sancti Nicolai de Curva-villa habebant vel habituri erant, in manu nostra unde ecclesiam illam habuerant, reddiderunt; & nos eamdem prædictis S. Johannis canonicis de Valleia donavimus. Ipsi vero annuales quos in ecclesia sancti Martini capiebant, monachis Majoris monasterii eam possidentibus, dimiserunt; & duas illas præbendas, quas monachi sancti Petri & Leprosi in eadem ecclesia S. Martini habebant, deinceps tam monachis sancti Petri, quam Leprosis, de suo reddere concesserunt. Unde & competenti æstimatione tam a nobis, quam etiam a domino Tetbaldo comite, & aliis sapientibus viris, pacis & concordiæ causa statutum est, & ab utraque parte concessum, ut annis singulis reddant canonici de Valleia monachis sancti Petri pro præbenda illa sancti Martini LX. solidos Carnotenses, & in eorum deferant cellarium quatuor modios & dimidium annonæ de *Loen*, & duos modios avenæ, & duos sextarios pisorum, & duos modios vini competentis. Hoc etiam provisum est ut monachi S. Petri ad videndum & recipiendum supradictam annonæ, avenæ, & pisorum mensuram aliquem de suis in *Loeh* transmittant. Terminus horum reddendorum sic est: In Augusto annona; tempore vindemiarum vinum competens; denariorum viginti solidi primi in festivitate hyemali beati Martini, alii viginti in capite Quadragesimæ, ultimi viginti in Pentecoste. Quod si tanta contigerit vini paucitas aliquando, ut tempore vindemiarum supra viginti solidos vini modius solvatur, pro duobus modiis consuetis decem solidos reddent. Similiter & Leprosis pro sua præbenda ipsi canonici in omnibus reddent. Concesserunt etiam canonici, & promiserunt monachos Majoris monasterii se ita quietos semper facturos de duabus illis præbendis, & omnino liberos, ut quidquid contingeret inter monachos sancti Petri, & canonicos, seu Leprosos, pro eisdem præbendis, nihil a monachis Majoris monasterii deinceps quæreretur. Hæc vero concordia prius in domo nostra Carnotensi, præsente Tetbaldo comite, & Andrea de Baldimento, & Udone S. Petri abbate, cum monachis suis, ... & Hugone Valleiensi abbate, ... tractata est atque concessa; ubi ego pro Leprosis interfui, quia nox erat, & pro infirmitate sua ipsi per se interesse non poterant, sed totam rem in manu nostra posuerant. Affuit etiam domnus Bernardus abbas Clarævallensis, Gauterius archidiaconus, &c. . . . . . Postea autem in capitulo sancti Johannis de Valleia similiter est concessa illa concordia in præsentia nostra, ubi etiam affuerunt Hugo abbas sancti Johannis cum toto capitulo suo, Udo abbas sancti Petri, Gauterius prior sancti Martini, Gauslenus frater meus, &c. . . . . A In capitulo etiam sancti Petri concessa est ista concordia in præsentia nostra, ubi interfuerunt Udo abbas, Gauzlenus præpositus, nepos meus, &c. . . . . In conventu quoque Leprosorum hæc concessa est concordia in præsentia similiter nostra, præsentibus etiam Johanne episcopo Sagiensi, Bernardo abbate Clarevallensi, Gauzleno fratre meo, Gauzleno nepote meo, &c. . . . . Ego etiam hanc concordiam una cum Tetbaldo comite feci & concessi; & ut in perpetuum firma permaneat, sigilli nostri munimento firmavi. Actum anno ab Incarnatione Domini 1131. indictione 9. epacta 20. concurr. 3. XV°. kalendas Februarii.

L I.

B *Fundatio prioratus beatæ Mariæ Magdalenæ Meduntensis.*

Ex Semmarthanis.

AD certificandam notitiam literis tradimus, quod Guillermus Malevicinus miles optimus, dum bellum inter Hugonem de Novocastello, & Rogerium de Toënio dominum Novigenti haberetur, expeditionem super Novigentum adducens graviter vulneratus est, timensque mori, ecclesiæ Columbensi ad monachatum se reddidit; qui Columbas adductus, quotidie & pene tota die de monachatu loquebatur devotissime, promittens, quod si convalesceret, & Deus dederit tempus vitæ ad pœnitentiam protelaret, in castro Meduntæ ecclesiam in honorem beatæ Mariæ Magdalenæ construeret; quia hoc sibi concedi a rege Franciæ, & a C Carnotensi præsule, & a canonicis ipsius villæ facile impetraret. Cum autem postmodum gratia Dei convaluisset, a parentibus Carnuti deducitur sub occasione quod medicamina sibi necessaria Columbas inveniri non possent, quæ Carnoti copiose inveniret: hac occasione ductus & seductus, blanditiis carnalium amicorum delinitus, arma militaria sibi fabricari consensit: quibus fabricatis sibique delatis, rejecto habitu moniali & resumto seculari, equum ascendit, extendensque manum ut acciperet clypeum, statim in se divinam ultionem persensit. Nam igne in plaga quæ putabatur omnino plene sanata desæviente, interim ecclesiæ Columbensi se reddit, tamen divinum judicium effugere non potuit: quod ipse sentiens rejecto habitu seculari, & resumpto monachali, in monasterio beati D Petri Carnoti, tamen sub professione Columbensi, in afflictione & dolore corporis, & contritione & humiliatione cordis, quod ipso die quo habitum monachi abjecerat, & resumpserat, spiritum emisit. Cujus corpus a fratribus suis & amicis Columbas delatum in claustro est funeratum. Tunc Samson frater ejus qui eo tempore Carnotensi ecclesiæ præpositus, postmodum ad archiepiscopatum est provectus, de ejus anima sollicitus, vel volens supplere in quantum poterat, quod ille promiserat, postulavit & impetravit a Ludovico rege Franciæ, & Gaufredo Carnotensi præsule, & a canonicis Medontæ, ut denique concederent Medontæ fieri ecclesiam in honore beatæ Mariæ Magdalenæ, quæ esset sub ditione Columbensis ecclesiæ. Tali causa, talique occasione fundata est ecclesia B. Mariæ Magdalenæ in E castro Medontæ, anno Incarnati Verbi M. C. XXXIII. 1133.

L I I.

Bulla Eugenii III. in gratiam monasterii Tironiensis.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Guillelmo Tironensi abbati ejusque 1147. fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus:

& Tironense monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsenti scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis nominibus annotanda subjunximus. In regno Angliæ in episcopatu sancti David, ecclesiam sanctæ Mariæ de Chatmeis cum appenditiis suis. In episcopatu sancti Andreæ de Scotia abbatiam sanctæ Mariæ Rochaburgensis cum appenditiis suis, ecclesiam sanctorum martyrum Joannis & Pauli de Ogra cum appenditiis suis, ecclesiam sancti Egidii de Castenariis, ecclesiam S. Leonardi de Ferreriis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Asneriis, ecclesiam sancti Michaelis de Lucezio, ecclesiam sanctæ Mariæ de Telio, ecclesiam sancti Laurentii de Brigia, ecclesiam sancti Petri de Audita, ecclesiam sancti Martini de Hildrevilla, ecclesiam sanctæ Mariæ de Jarzia, ecclesiam sanctæ Mariæ de Aguille, ecclesiam sancti Johannis Baptistæ de Murgeriis, ecclesiam sancti Andreæ de Anglia cum appenditiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Mapedroella, ecclesiam sanctæ Mariæ de Titileia, ecclesiam S. Crucis de Insula. In archiepiscopatu Rotomagensi ecclesiam S. Sulpicii de Germunvilla, ecclesiam sancti Martini de Crasvilla, ecclesiam S. Laurentii de Calcia, ecclesiam S. Martæ de Baschevilla, ecclesiam S. Silvestri de Clara, ecclesiam S. Mariæ de Turneio, ecclesiam S. Joannis de Monteursino, capellam S. Mariæ Magdalenæ super Sequanam. In pago Ebroicensi ecclesiam sanctæ Ceciliæ de Guest, ecclesiam S. Anastasiæ, ecclesiam S. Martini de Busseio, capellam S. Mariæ, & ecclesiam S. Lupi de Chavigneio, ecclesiam S. Bartholomæi, & ecclesiam S. Mauricii de Cherenthaio. In episcopatu Karnotensi ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ prope Briherii-vallem, ecclesiam sancti Remigii de Neronio, ecclesiam sancti Spani de Abluis, ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ de Oiseno, ecclesiam sancti Michaelis de Climart, ecclesiam sanctæ Mariæ de Ledo, ecclesiam sanctæ Mariæ de Cumbris, ecclesiam sancti Laurentii de Gastina, ecclesiam sancti Vincentii de Maieroliis, ecclesiam sancti Martini de Brenella, ecclesiam sancti Vincentii de Arseciis, ecclesiam sancti Germani de Colungis, ecclesiam sancti Petri de Hargenvilla, ecclesiam sancti Leobini de Quinque fontibus, ecclesiam sanctæ Mariæ de Planis, ecclesiam sancti Nicolai de Foetellis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Hironio, ecclesiam sancti Andreæ de Silvelonia, ecclesiam S. Mariæ de Molendino novo, ecclesiam sanctæ Mariæ de Monterium, ecclesiam de Risubovis, graneas etiam Tyronii, Sanctas valles, Cintreium, Villarium maffredi, Gimigneium & aliud Gimigneium, Childreium, Spesovillam, Culturam, Pertas, Ogeriivillam, Leporisvillam, Villandonum. In episcopatu Segiensi capellam sanctæ Mariæ Magdalenæ de Resno, Runcheriam, ecclesiam de Corgehot, Mesnilbertre, ecclesiam sancti Jovini, ecclesiam de Montechevrel, ecclesiam de Martigneio, ecclesiam de Nuikio. In episcopatu Bajocensi ecclesiam sancti Antonini de Montebargis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Strata, capellam Guillelmi de Crevecor, ecclesiam sanctæ Mariæ de Rensiaco, ecclesiam de Budunello, capellam de Tigerio. In episcopatu Meldensi, ecclesiam sancti Sepulchri de Montegihelli cum suis appendiciis & decimis, & locum de Dormant cum suis possessionibus. In episcopatu Pictavensi ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ de Rusaio, Locum de Puteolis, locum de Trusseia, locum de Megum, locum de Tiliaio. In episcopatu Nannetensi locum de Septem fagis, locum de Trapa, locum de Oiseleria. In episcopatu Andegavensi locum de Sauceia. In episcopatu Cenomannensi ecclesiam S. Michaelis de Planicie, ecclesiam S. Joannis de Grandirivo, ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ de Crucisvalle, ecclesiam sanctæ Mariæ de Passubovis, locum de Vadobruneti, ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ de Montetallario, ecclesiam sanctæ Mariæ de Belloloco, ecclesiam sanctæ Mariæ de Cohardum, ecclesiam S. Mariæ de Vallibus, ecclesiam sancti Sulpicii de Pail, ecclesiam S. Mauricii juxta Cortpoltrain, ecclesiam sancti Georgii de Blimart, ecclesiam sancti Silvestri de Montelusello, ecclesiam sancti Joannis Baptistæ de Jarreia, ecclesiam S. Audoëni de Turnemio, abbatiam sanctæ Mariæ de Jugo-Dei, cum suis & prænominatorum locorum decimis, redditibus & possessionibus. Et ut divinum officium apud vos honestius celebrare valeatis, & loca vestra securiora possideatis, concedimus ut in possessionibus vestris oratoria & cimeteria habeatis, absque detrimento tamen circumadjacentium parochiarum; sane laborum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas, nec a servientibus vestris parochialia exigere præsumat: sepulturam quoque vestrorum locorum liberam vobis esse concedimus, ut eorum qui se in eis sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva justitia tamen matricis ecclesiæ. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus perturbationibus, seu vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ institutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmium æternæ pacis inveniant, amen. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. ✠ Ego Albericus Ostiensis episcopus s. ✠ Ego Octavianus diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano s. ✠ Ego Julius presbyter cardinalis tituli sancti Marcelli s. ✠ Ego Imarus Tuscul. episcopus s. ✠ Ego Guido presbyter cardinalis tituli sanctorum Laurentii & Damasi s. ✠ Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ s. ✠ Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli s. ✠ Ego Joannes diaconus cardinalis sanctæ Mariæ novæ s. ✠ Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu s. ✠ Ego Jacinctus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmidin. Data Parisius per manum Hugonis presbyteri cardinalis agentis vicem domni Guidonis diaconi cardinalis & cancellarii, tercio kalendas Junii indictione x.ª Incarnationis vero Dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo septimo, pontificatus vero domni Eugenii papæ tertii anno tertio.

L I I I.

Præceptum Theobaldi comitis pro Castriduno.

Quoniam Deus veritas est, & qui veritatem impugnant, Deum quoque constat impugnare, que 1148.
vera scimus, ne posteros lateant, stilo memorie mandando, posteritati transmittere curavimus. Quamobrem ego Theobaldus comes existentium presentie & futurorum posteritati notum fieri volo, quod antecessores mei ab antiquo dederunt ecclesie beate Marie Magdalene Castridunensis, sicut capelle eorum, ne alicui

A liceret exhibere sancta ad sacramenta juranda in villa Castriduni, preter ministros prefate ecclesie, omnibus duellis vel sacramentis, que in curia eorum, seu manu prepositorum ipsorum in prefata villa insumpta vel arramissa fuissent, que videlicet ipsi per se possent accipere vel dimittere. Judicia vero, que tunc temporis de ferro esse solebant, in curia eorum seu prepositorum ipsorum insumpta in prenominata ecclesia ferrentur. Ego autem Theobaldus comes hoc donum & hanc institutionem antecessorum meorum prefate ecclesie beate Marie concedo & in perpetuum confirmo. Et quoniam judicia ferri, que in temporibus antecessorum meorum esse solebant, prevaricata erant, addo insuper & confirmo, ut omnia judicia seu de ferro, sive de aqua, in curia mea seu prepositi mei apud Castrumdunum insumpta, vel aliunde per justiciam nostram adducta: B sacramenta vero de duellis & aliis rebus, sicut superius dicta sunt, ita teneri precipio, exceptis sacramentis, que unus homo fecerit alteri, si fuerint arramissa ante me vel ante prepositum meum in parochiis aliis, in quibus insumpta fuerint, expectabuntur & agentur. Hoc autem laudavit & concessit Theobaldus filius meus. Ne autem alicui deinceps prefatam dignitatem illius ecclesie infringere vel minuere liceret, hanc cartam fieri & sigilli mei auctoritate confirmari præcepi. Hujus rei testes sunt Radulphus capellanus meus, qui hec sigillavit. Hugo vicecomes Castriduni. Reherius de Veteri vico. Hubertus Paganus. Hugo Vigerius. Gaufridus de Montefoleti. Aubertus monachus. Odo Estrivarius, tunc prepositus Castriduni. Bernardus decanus. C Theobaldus de Jupeello. Theobaldus de Mellenvilla. Trosellus. Signum ✠ Theobaldi filii mei. De concessione Theobaldi sunt testes Reherius de Veteri vico. Hugo filius ejus. Odo de Miroaut. Galterius de Bernon. Hugo Vigerius. Bernardus de Doua. Lanbertus Saccus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M.° C.° XL.° VIII.° rogatu Fulcherii abbatis predicte ecclesie, regnante Ludovico rege Francorum, Gosleno episcopo Carnotensi cathedra residente.

L I V.

Ex chartul. S. Aviti.

Fundatio parthenonis sanctæ Gemmæ.

1148. EGO Theobaldus Blesensis comes, omnibus hominibus, tam præsentibus quam futuris, notum fieri volo quod Garnerius Bisolius dedit Deo & ecclesiæ D sancti Aviti Castridunensis, & sanctimonialibus ibidem Deo servientibus quidquid habebat apud S. Gemmam, videlicet terram sufficientem agriculturæ duorum boum, & X. denarios census, Aurelianensis monetæ, & tres sextarios avenæ ad mensuram Vindocinensem, & tres denarios, & tres panes, & tres cappones annuatim reddendos, pro uxore sua filia Odonis de Montigniaco præfatæ ecclesiæ pro infirmitate sua reddita, & ubi defuncta est.

Huic autem eleemosynæ Hugo Bisolius, frater prædicti Garnerii diu calumniam intulit; sed tandem ratione cogente precibus meis adquiescens eam præfatæ ecclesiæ in perpetuum concessit, &c. Actum est hoc apud Villam-Berfodi anno Incarn. Dominicæ M. CXLVIII. E

L V.

Ex chartario Josaphati.

Ceditur monasterio Josaphatensi terra Ulmeti.

1149. IN anno quo mortuus est dominus Gaufridus Carnotensis episcopus, evolutis post obitum ejus XLV. diebus, anno videlicet ab Incarn. Domini M. CXLVIII. Guillelmus de Meherolt & Ytta uxor ipsius hebdomada Martii II. XL.me III. fer. V. ipsius hebdomadæ, hora diei vespera, cum jam sol ad occasum festinaret, præmoniti a Raynaldo Claudo monacho, in capitulum sanctæ Mariæ Josaphat, una cum Gauterio fratre Ytte venerunt, & terram de Ulmeto, quam eatenus hereditario jure calumniati fuerant, monachis inibi Deo servituris in perpetuum quiete & absolute possidendam devotissime concesserunt, quibus receptis in societatem omnium bonorum, quæ usque in finem seculi in ipsa facienda erant abbatia, dicente domino Girardo abbate: *Per hanc societatem concedat vobis omnipotens Deus vitam æternam*, respondentibusque qui aderant, *amen;* Guillelmus lætus effectus, dixit solummodo: istud *amen* magis valet, quam tota terra Ulmeti. Inde perrexerunt in ecclesiam, & super altare sanctæ Mariæ ipsum donum posuerunt. Jusserunt quoque Simonem filium suum, qui aderat infantulus, in hac chartula scribi, promittentes se illum adducturos, concessurum quod ipsi concesserant, quam citius equitare posset. Testes Herbertus de Penchat, Robertus Arnulphi sutoris, Garinus de S. Amulpho, Richardus de Gacel & alii.

L V I.

Canonici Carnotenses Goslenum electum episcopum Sugerio regni administro significant & probant.

CARISSIMO domino & amico suo Sugerio Dei gratia venerabili abbati S. Dionysii. R. humilis decanus & totum capitulum Carnotensis ecclesiæ, plurimam in Domino salutem & dilectionem. Noverit discretio vestra, carissime Domine, quod accepta a vobis regia licentia loco Domini regis, die statuta convenimus in capitulum nostrum, & invocata sancti Spiritus gratia, pari voto, unanimique consensu elegimus nobis & ecclesiæ nostræ in episcopum domnum Goslenum archidiaconum nostrum, virum utrique liberalem, idoneum, & literatum: idipsum approbantibus viris religiosis abbatibus qui præsentes erant, omnique applaudente populo, & Deo gratias referente super electione talis personæ, quæ utilis esse creditur ecclesiæ, & regno fidelis. Rogamus igitur carissimam nobis dilectionem vestram, ut huic nostræ electioni, quæ a Domino, sicut credimus, facta est, & quam vobis, & viva voce, & scripto præsentare curavimus, assensum præbere, & electo nostro regalia reddere vice domini regis dignemini, valete. 1149.

L V I I.

Sugerii assensus.

SUGERIUS Dei gratia B. Dionysii abbas, capitulo Carnotensi, Roberto scilicet decano, & aliis, salutem & dilectionem. Quod unanimiter, & communi pace pontificem vobis domnum Goslenum archidiaconum elegistis, valde nobis placet. Enimvero ipsum honestum & liberalem, & audivimus & credimus. Nos autem quantum ex parte domini regis, cujus vices agimus, facere habemus, huic electioni libenter assensum præbemus. De regalibus vero, sicut in curia dominorum regum Francorum mos antiquus fuisse dinoscitur, cum episcopus consecratus, & in palatium ex more canonico fuerit introductus, tunc ei reddentur omnia. Hic est enim redditionis ordo & consuetudo, ut, sicut diximus, in palatio statutus regi & regno fidelitatem faciat, & sic demum regalia recipiat.

L V I I I.

Bulla Eugenii papæ III. pro Guarino abbate sancti Johannis in Valeia.

Ex chartario domestico D. de Gagneres, in bibliotheca regia.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Guarino abbati ecclesiæ B. Johannis Valeiacensis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam professis in perpetuum. Quotiens istud, &c. Eapropter, dilecti in Domino filii, &c. præfatam ecclesiam sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; 1150.

statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona, &c. firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In ecclesia beatæ Mariæ Carnotensis totos redditus per integrum annum præbendæ unius cujusque fratris ex congregatione canonicorum, ipsius ecclesiæ, cum eam quacumque occasione dimiserit, ut quoquo modo persona mutetur, in usus vestræ ecclesiæ beneficium præbendale cum omni integritate deveniat. Integram præbendam quam ecclesia vestra in ecclesia beatæ Mariæ perpetualiter habet, quam habebat bonæ memoriæ abbas Albertus cum canonicam susciperet normam, ecclesiam sancti Stephani cum pertinentiis, scilicet altare de Morenciaco cum parte synodi ad altare pertinentis, ecclesiam de Mondonisvilla cum pertinentiis liberam ab omni exactione, synodo, circada, ecclesiam sanctæ Fidis cum parochiali jure de novo burgo, qui vocatur Castelleth, ecclesiam de Luciaco, & campipartem de illa terra, quam ante possederat bonæ memoriæ Ivo Carnotensis episcopus, terram de Olanivilla, tam episcopalem quam canonicalem, cum oblatis, terram de Ancherisvilla, in villa de Pontegodani, prioratum ecclesiæ ipsius villæ cum omnibus domibus episcopalibus, totam avenæ farraginem, totam terram episcopi quam habetis ultra aquam Auduram, plateam quam dedit vobis venerabilis frater noster Gosslenus Carnotensis episcopus, donum altaris ecclesiæ de Serneio a Gosleno canonico & præposito ecclesiæ sanctæ Mariæ, ecclesiæ vestræ factum, donum vigeriæ de Valeia, & totius terræ de Moncellis cum omnibus consuetudinibus factum vobis ab Hugone vicedomino Carnotensi, totam terram de Eddevilla cum consuetudinibus & feodis, ecclesiam Ardelecth cum omnibus hospitibus & terra ad duas carrucas, ecclesiam S. Nicolai de Curvavilla, cum ecclesia sancti Petri ejusdem villæ, ecclesiam S. Dionysii de Puteis, S. Mariæ de Gohosvilla cum pertinentiis, ecclesiam de Trembleio cum decimis, ecclesiam beatæ Mariæ de Teliu cum decimis, ecclesiam de Braioso cum pertinentiis, ecclesiam sancti Saturnini de Camburciaco cum pertinentiis, ecclesiam sancti Martini de Loiniaco, cum pasnagio porcorum vestrorum, villam Armentarvillam cum decima, quam ab ecclesia sancti Benedicti admodiationem accepistis pro 3. frumenti modiis & 4. avenæ ipsi annis singulis persolvendis, villam Albereth, & villam Nerlu, terram de Curvaulmo, & omnes alias terras quas apud Carnotum habetis, ecclesiam de Garneio cum terra ad unam carrucam, quam pro animæ suæ redemtione Nivardus de Nonancurte ecclesiæ vestræ concessit, ecclesiam de Orrevilla cum decima quam dedit vobis Hugo filius Guinemari per manum præscripti Ivonis Carnotensis episcopi, in loco qui dicitur Guoriart dimidium cum pratis secus Auduram fluvium, apud sanctum Priscum molendinum, prata quæ de beneficio beatæ Mariæ apud Ataias habetis, terram quam jure proprietatis tenetis apud villam Soors. Præterea census domorum, terrarum, vinearum, & decimas segetum & vinearum, quæ tam in Carnotensi civitate quam suburbio vestri juris existunt. Obeunte vero te, dilecte fili Guarine abbas, nullus ibi qualibet surreptione, astutia, vel violentia præponatur, nisi quem fratres secundum Dei timorem & B. Augustini regulam providerint eligendum. Electus autem communi capitulo beatæ Mariæ repræsentetur, ab episcopo Carnotensi abbatiam & benedictionis gratiam suscepturus; qui nimirum in ecclesia beatæ Mariæ sicut & alii canonici suam faciet septimanam. Decernimus ergo, &c. amen, amen, amen. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Ferentini per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris XVI. cal. Aprilis indictione XIV. Incarnationis Domini 1150. pontificatus vero domni Eugenii papæ III. anno septimo.

Habetur & alia bulla omnino similis Innocentii papæ III. inscripta Garino abbati, data Laterani per manum Thomæ sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii Neapolitan. electi, XII. calendas Martii indictione IV. Incarnationis Domini anno 1215. pontificatus vero D. Innocentii papæ III. anno 18.

LIX.

Bulla Eugenii papæ III. pro Theobaldo abbate sancti Carauni. *Ex chartul. S. Carauni.*

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Tebaldo abbati S. Carauni, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam professis in perpetuum. 1150.

Quoniam sine observantia sacræ religionis, nec ecclesiastici corporis membra in caritatis unione consistunt, nec gratus Deo famulatus impenditur, religiosis locis instituendis & institutis conservandis omnimodam diligentiam adhibere nos convenit, & ne a pravis hominibus ausu temerario conquassetur, apostolicæ auctoritatis privilegio communire. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Inprimis si quidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Dei timorem & beati Augustini regulam per studium & providentiam venerabilis fratris nostri Gosleni Carnotensis episcopi in eodem loco auctore Domino constitutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Integros redditus præbendarum & præpositurae quas in ecclesia vestra canonici seculares temporibus præfati fratris nostri Gosleni & prædecessoris ejus bonæ memoriæ Gausfridi Carnotensium episcoporum juste tenuisse noscuntur, ab eodem fratre nostro Gosleno usibus & necessitatibus vestris rationabili providentia deputatis, & ecclesiam de Dordan cum appenditiis suis. Obeunte vero te, dilecte in Domino fili Tebalde, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consilio, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum. Electus autem Carnotensi episcopo præsentetur, abbatiam ab eo & benedictionis gratiam recepturus. Adjicimus etiam ut quia tanquam noviter in religione plantatis majorum suffragium vobis est omnimodis opportunum, ad consilium & auxilium Carnotensis episcopi pro succrescentibus vobis negotiis devotione debita recurratis, & ejus tanquam patris & fundatoris vestri præsidium in opportunitatibus humiliter requirentes, sine ipsius conscientia & consilio possessiones ecclesiæ nec permutare, nec vendere, nec alienare ullo modo debeatis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum, &c. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. (*Sequuntur plures cardinales.*) Datum Ferentini per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris XIII. calendas Aprilis indictione XIV. Incarnationis Domini anno M. CL. pontificatus vero D. Eugenii papæ III. anno septimo.

L X.

Charta Goslini episcopi Carnotensis pro Josaphatensi monasterio.

1151. EGo Goslinus Dei gratia Carnotensis episcopus, notum, &c. quod post obitum domni Goslini de Leugis avunculi mei, nos cum quibusdam ecclesiæ nostræ, & abbates plures qui ad exsequias ejus convenerant, in capitulum beatæ Mariæ Josaphat introivimus. Ibi duo filii ejus Gaufridus & Milo approbantes quod venerabilis illius monasterii abbas prædictum patrem, dum adhuc viveret, monastico habitu sibi sociaverant, quod defuncto sepulturæ locum in choro suo paraverant, eleemosynas, quas ille eidem monasterio contulerat, concesserunt, promittentes amplioris remunerationis exhibitionem, & beneficiorum incrementa, 1151. 2. calendas Octob. . . . coram venerab. abbatibus. Fulcherius abbas sancti Petri Carnotensis, Gaufridus abbas sancti Launomari Blesensis, Fulcaudus abbas sancti Johannis de Valeia, Theobaldus abbas sancti Carauni.

L X I.

Ludovicus VII. dimittit jus albergæ seu hospitii sancto Petro Carnot. in prioratu Leonis-curiæ.

1153. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex & dux Aquitanorum. Notum sit omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod venerabilis abbas sancti Petri Carnotensis Fulcherius, & dominus Radulfus prior Leonis-curiæ nos humiliter adierunt, & dictæ domus paupertatem & gravamen ostenderunt, ubi nos herbergagium habebamus in domo monachorum, &c.... De cetero jacere nostrum nihil constabit monachis, nihilque de suo proprio in adventu nostro eos expendere constituimus. Actum Parisius publice anno ab Incarnatione Domini M. CLIII. regni nostri XVII. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt, sine dapifero tunc eramus. Signum Guidonis buticularii, sig. Matthæi camerarii, sig. Matthæi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

L X I I.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Fundatio abbatiæ sancti Remigii de Landis.

1160. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Robertus Dei gratia Carnotensis ecclesiæ humilis minister, notum fieri volo, tam futuris quam præsentibus, quod cum ad ejusdem ecclesiæ regimen Dominus me vocasset, accessi ad locum qui dicitur S. Remigii visitationis gratia, quem locum quædam pauperculæ moniales dono & concessione fratrum nostrorum Macharii venerabilis abbatis & monachorum Floriacensis ecclesiæ in eleemosyna possidebant sub annuali censu unius aurei nummi valentis duos solidos & sex denarios Carnotensis monetæ. Quia vero prædictas moniales sub differentiori regula volui coerceri, ad ordinationem earum curam adhibui, & de quantitate illius possessionis, quantum beneficio monachorum in prædicto loco tenebant, fieri certior decrevi. Rogavi ergo dilectum nostrum virum venerabilem Macharium abbatem totumque Floriacensis ecclesiæ capitulum, ut beneficium impensum monialibus pro remedio animarum suarum ampliarent, & ad eludendam omnem deinceps contentionem metis terminarent. Dederunt itaque pro remissione peccatorum suorum abbas prædictus & monachi antedictis monialibus locum sancti Remigii, & duas carrucatas terræ eidem terræ contiguas, unam videlicet de terra sua propria, & alteram de feodali; quare docente caritate ample metati sunt eis, sicut usque hodie metæ casu affixæ demonstrant. Concesserunt etiam ipsis monialibus in toto nemore suo extra hayas & forestam, quantum illis poterit sufficere ad ignem & ad omnes domos earum, ita tamen quod aliis neque donent neque vendant. Præterea memoratus abbas & monachi concesserunt sæpedictis monialibus locum ad faciendum stagnum & molendinum juxta villam eorum, quæ dicitur *Sonchamp*, cujus stagni & molendini media pars erat de suo proprio, & alia de suo feodo. Hæc omnia, sicut prædixi, dederunt & concesserunt præfatus abbas & monachi per manum meam dictis monialibus perpetualiter habenda, libere & quiete possidenda pro annuali censu unius bizancii sibi semper reddendi in festo sancti Remigii: de reliqua vero terra & possessionibus sæpedictæ Floriacensis ecclesiæ nihil ulterius sibi vindicare præsumant moniales, vel servientes earum, nisi per licentiam abbatis & monachorum. Quoties vero in loco prædicto abbatissam poni, vel forte, quod absit, deponi contigerit, hoc ego & successores mei episcopi venerabili fratri nostro Machario, vel successoribus ejus abbatibus, ut illuc nobiscum accedant, denuntiabimus, & consilio ipsorum abbatissam ibi ponemus vel deponemus. Quod si abbas illuc venire noluerit, non ideo minus agemus ego vel successores mei episcopi, de substituenda ibi abbatissa, vel de deponenda. Præterea sciendum est quod sanctimoniales memorati loci liberam & canonicam electionem sicuti præmissam habebunt in capitulo suo, sed abbatissa faciet professionem mihi & successoribus meis, & sanctæ Carnotensi ecclesiæ, qui & ipsas & sanctimoniales benedicemus & consecrabimus; quod si idem locus, necessitate cogente, abbatia esse desierit, ipse locus cum terra quæ propria vel feodalis, sive censualis, ecclesiæ Floriacensis fuisse dignoscetur, antequam locus S. Remigii abbatia fuisset, ad proprietatem sæpedictæ Floriacensis ecclesiæ redibit: reliquæ vero possessiones quas vel in præsenti possident, vel in futurum, Deo volente, poterunt adipisci, in dispositione Carnotensis episcopi remanebunt. Statutum est etiam quod moniales sancti Remigii ex debito caritatis pro abbate Machario & monachis Floriacensibus erunt intercessores ad Deum, & abbatis quidem Macharii, cujus dispositione & beneficio cum assensu tum & voluntate totius capituli sui hæc illis collata sunt, & præsenti scripto firmata, anniversarium perpetuo celebrabunt; successorum vero ejus abbatum & omnium etiam monachorum sæpedictæ Floriacensis ecclesiæ audito eorum obitu, totus monialium conventus ad memoriam fraternæ caritatis celebrabit exequias. Conventus quoque Floriacensis similem devotionis recompensabit vicem defunctis abbatissis & monialibus. Hæc omnia sicut in præsenti cartula contenta sunt & fideliter intellecta concessi ego Carnotensis episcopus, unde præsens scriptum inter me & venerabilem abbatem Macharium & Floriacense capitulum sub chyrographi testimonio divisum mei authoritate sigilli firmavi, ut memoratus abbas & capitulum suum sigillis suis idem firmarent, impetravi. Ego Macharius Dei gratia Floriacensis ecclesiæ humilis abbas, nosque ejusdem ecclesiæ conventus considerantes instantiam & devotam sollicitudinem viri venerabilis Roberti Carnotensis episcopi, quam ipse circa pauperes moniales S. Remigii gerebat, ob remedium animarum nostrarum hæc omnia sicut in præsenti cartula contenta sunt & fideliter intellecta, eisdem pauperculis monialibus sancti Remigii in capitulo nostro communi assensu dedimus & concessimus, & in testimonium nostræ concessionis præsentem cartulam sub chyrographo divisam nostris sigillis communiri..... Actum hoc in Floriacensi capitulo anno ab Incarnatione Domini 1160. Ego Robertus episcopus Carnotensis assui & subscripsi, assistentibus nobiscum clericis nostris Milone archidiacono, Hamone capicerio, Briantio presbytero & canonico, Milone subdiacono & canonico, magistro Pagano, Roberto. Ego Macharius abbas assui & subscripsi, residentibus

nobiscum in capitulo nostro Ancelmo priore, Dagoberto subpriore, Berangerio presbytero, Gaufredo thesaurario, Girardo magistro operis, Stephano armario, Ernulpho cellerario, & cæteris fratribus nostris, &c.

L X I I I.

Bulla Alexandri III. pro episcopis Carnotensibus.

1162. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Roberto Carnotensium episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Et ordo rationis expostulat, & ecclesiasticæ utilitatis consideratio nos invitat fratres & coepiscopos nostros ampliori caritate diligere, & commissas eorum gubernationi ecclesias patrocinio sedis apostolicæ propensius communire, quatinus in suscepti executione officii tanto vigilantiores possint semper existere, quanto se a pravorum incursibus securiores viderint permanere. Eapropter, venerabilis in Christo frater Roberte episcope, tuis justis postulationibus benigno concurrentes assensu, ad exemplar felicis recordationis Adriani papæ prædecessoris nostri, Carnotensem ecclesiam, cui auctore Deo præsidere dinosceris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possides, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propicio, poteris adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, abbatiam sancti Andreæ, theloneum, census & alias possessiones ac redditus, quos habes in civitate Carnotensi cum immunitate sua. Item Fraxinetum, Basoche, Bercherie, Chabloium, Ermenodivillam, Pontem-Goeni, Balneolum, Mondonvillam, Tertre, Goderan, Spinterum, Theclin, Boscum sancti Martini, Mungerdivillam, Busseium, Vallem-Garengis, Caldum sancti Stephani, Loun, Pontem-Ebrardi, cum omnibus istarum villarum pertinentiis, casamenta etiam, & feoda, & omnia alia, quæ ad jus & mensam Carnotensis ecclesiæ pertinent. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, vel prædictam abbatiam, & reliquas possessiones a mensa episcopi quocumque modo alienare, seu in personatum concedere, auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata & integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva nimirum apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac domini Redemptoris nostri aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ jura sua servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Datum apud Dol per manum Normanni sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii VIII. cal. Octob. indictione II. Incarnationis Dominicæ anno 1162. pontificatus vero domni Alexandri papæ III. anno IV. Huic autem litteræ subscripserunt Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Jerusalem, Henricus presbyter cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei, Albertus presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina, Guillelmus presbyter cardinalis tituli sancti Petri ad Vincula, Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus, Hubaldus Hostiensis episcopus, Bernardus Portuensis & sanctæ Rufinæ, Galterus Albanensis episcopus, Jacinius diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin, Odo diaconus cardinalis sancti Nicholai in carcere Tuliano, Ardicio diaconus cardinalis sancti Theodori, Boso cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, Chintius diaconus cardinalis sancti Adriani, Johannes diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu.

L X I V.

Transactio Mauritium Parisiensem episcopum inter & abbatem Columbensem inita super ecclesia sancti Germani in Laia.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1163. Controversiam, quæ agebatur inter D. Mauritium episcopum Parisiensem ex una, & ex altera parte domnum Rogerum abbatem Columbensem & ejus fratres de monasterio sancti Germani in Laia, & de parochia ibi adjacente, Osmundo canonico Parisiensi & Miloni archipresbytero Mediolanensi fide promissa & pignoribus datis commiserunt prædictus episcopus cum consensu capituli sui, & abbas cum consensu fratrum suorum transactione terminandam. Controversia siquidem talis erat: conveniebat episcopus abbatem, & dicebat monasterium de Laia per omnia ad se pertinere duplici scilicet ratione, donatione scilicet Henrici regis Francorum, & quia infra terminos sui episcopatus constitutum esse asserebat, curam vero animarum populi illius loci & jus parochiale ad se spectare firmiter proponebat, tum quia infra ejus diœcesim populus ille constitutus foret, sicut dicebat, tum etiam & quia tunc per sacerdotem suum possidere & diu possedisse allegabat. Abbas vero e contrario respondebat, dicens se habere plura regum privilegia, & inficiabatur prædictum monasterium sive parochiam fore in episcopatu Parisiensi, & dicebat se possidere monasterium & jus parochiale totius loci, sacerdotem quoque nomine ejus ibi fore & possedisse tam parochiam quam monasterium sexaginta annis & eo amplius. Quorum ita rationibus hinc inde diligenter auditis, præceperunt Osmundus Parisiensis canonicus & Milo Mediolanensis archipresbyter ea quæ infra scripta sunt, ab utraque parte inviolabiliter observari: statuentes scilicet ut amodo monasterium & capella S. Egidii, & populus totius parochiæ chrismate & oleo Parisiensis ecclesiæ nutriatur, ecclesiaque S. Germani, seu altaria, seu capella sancti Egidii, si consecrari contingat, a prædicto episcopo consecrabuntur, clericis ejusdem parochiæ ordines dabit, curamque animarum recipiet domnus Rogerus abbas ab episcopo Parisiensi, eum investiet, & unusquisque successorum ejus infra annum benedictionis suæ requiret ab episcopo investituram, quam si distulerit facere, nihilominus habebunt prædictam curam. Dabit quoque parochiam suam abbas, & prædictam curam, sicut voluerit, uni de sacerdotibus Parisiensis confinii, de Alpeco scilicet vel de Mereo, si idoneum invenerit, alioquin undecumque voluerit, libere accipiat. Matrimoniorum quoque si emergat quæstio, in præsentia episcopi terminabitur. In signum quoque subjectionis & residentiæ quisque episcoporum Parisiensium infra annum creationis suæ bizantium ab abbate recipiet: cætera vero, præter illa quæ superius dicta sunt, sive in spiritualibus, sive in temporalibus libere & absolute ad abbatem Columbensem pertinebunt, ut nec de synodo, seu synodalibus, vel circata, aut aliquo alio modorum ex debito Parisiensi episcopo, vel ecclesiæ, seu decano, vel archidiacono ex pacto respondeat. Si vero contigerit episcopum ad monasterium S. Germani venire, remota processione & omni procuratione in hospitio suscipietur. Hæc autem statuta sunt, salva in omnibus sacrosanctæ Romanæ authoritate ecclesiæ. Actum est Parisiis anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CLXIII. Ego Mauritius

Parisiensis episcopus huic concordiæ consentio & subscribo. Ego Clemens decanus. Signum Alberti præcentoris, signum Guermundi archidiaconi, signum Simonis archidiaconi, sig. Girardi archidiaconi, signum Galteri capellani, signa Manerii, Theobaldi & Hilduini subdiaconorum, signa Herluini, Philippi & Hugonis puerorum. Ego Rogerus Columbensis abbas huic concordiæ consentio. Signum Durandi prioris, signum Guillelmi, qui dicitur panis & aqua, signum Roberti prioris sancti Germani, sig. Odonis cellerarii, signum Petri bajuli, signum Pauli prioris de Blassu. Ego Milo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archipresbyter a me facto subscribo. Ego Osmundus sanctæ Parisiensis ecclesiæ canonicus a me facto subscribo.

L X V.

Alexander III. Ludovico VII. Willelmum electum Carnotensem commendat.

1165. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei; carissimo in Christo filio Ludovico illustri Francorum regi, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectum filium nostrum Willelmum Carnotensem electum ad nostram præsentiam venientem, tum magnificentiæ tuæ obtentu, tum totius sanguinis sui respectu, & suæ honestatis ac probitatis intuitu, paterna benignitate suscepimus, & ipsum, dum apud nos fuit, prout decuit, honeste ac benigne tractantes, in suis petitionibus prompto animo curavimus exaudire. Eum itaque cum amoris nostri & gratiæ plenitudine ad propria remittentes, licet de superabundanti quodammodo videatur, regiæ excellentiæ propensius commendantes, serenitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus & exhortamur attentius, quatenus ipsum pro reverentia beati Petri, ac nostra, & suæ nobilitatis ac devotionis intuitu diligere, manu tenere, propensius & honorare intendas, & in justitia sua & commissæ sibi ecclesiæ attentius confovere: ut ipse idem circa regiam magnificentiam devotior omni tempore & fidelior apparere debeat, & nos quoque excellentiæ tuæ teneamur propter hoc gratiarum actiones uberrimas exhibere. Rogamus ad hæc celsitudinem tuam, & in Domino commonemus, quatenus causam ecclesiæ, quam velut propriam suscepisti tuendam, manu tenere satagas, & viriliter defensare, & ad exaltationem & incrementum ecclesiæ, sicut hactenus magnanimiter fecisse dinosceris, studium & operam constanter impendas, & ad hoc sicut rex christianissimus & magnificus princeps, modis omnibus elabores, &c. Datum apud Montem-Pessulanum XIV. kalendas Septembris.

L X V I.

Ex chartul. cap. Carnot.

Bulla Alexandri papæ III. qua capituli Carnot. privilegia confirmantur.

1173. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gaufredo decano & canonicis Carnotensis ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris, canonice substituendis in perpetuum. Ideo sumus quanquam immeriti ad universalis ecclesiæ regimen superna providentia deputati, ut pro singularum ecclesiarum statu sollicitudine debeamus pastorali satagere, & eas contra pravorum incursus apostolicæ tuitionis patrocinio communire, ne malorum incursibus exponantur, si ad eorum defensionem apostolicæ sollicitudinis providentia minus diligens fuerit vel remissa. Eapropter, dilecti in Domino filii, considerato fervore devotionis vestræ, quam circa nos & Romanam ecclesiam geritis, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ecclesiam vestram in qua estis divino obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: statuentes

A ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum & principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Gualdum S. Stephani, & ecclesiam, & omnes decimas ejusdem Gualdi; villam quæ dicitur Disconfectura, cum ecclesia ibidem constituta; ecclesiam de Fontanella; ecclesiam de Boseri; ecclesiam de Poli cum capellis & omnibus ad eas pertinentibus, & decimis Carnoti; ecclesiam sancti Saturnini cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Leodegarii de Alberiis, sicut a Willelmo Senonensi archiepiscopo, apostolicæ sedis

B legato curam & amministrationem Carnotensis ecclesiæ gerente libera & absoluta ab omni jurisdictione archidiaconi capitulo in perpetuum donata est & concessa, Milone archidiacono in cujus erat archidiaconatu; conniventiam & assensum præbente; præposituram de Alvers; præposituram de Unigradu; præposituram de Masengi; præposituram de Normannia cum hominibus, villis, territoriis, ecclesiis, capellis, decimis, & terragiis, & aliis consuetudinibus & libertatibus, & omnibus ad easdem præposituras pertinentibus. Ad hæc præsenti decreto sancimus, & auctoritate apostolica arctius prohibemus ne quis in civitate vestra vel suburbiis sibi contiguis absque auctoritate & assensu episcopi vestri & vestro ecclesiam, capellam, oratorium vel cimiterium construere audeat, salva apostolicæ

C sedis auctoritate. Insuper etiam nihilominus districte præsenti pagina prohibemus ne alicui liceat parochianos Carnotensis ecclesiæ excommunicatos, vel nominatim interdictos præ vobis ad divina officia, aut ad sepulturam recipere, vel eis absque satisfactione congrua absolutionis beneficium indulgere. Libertates quoque seu immunitates, sive a Romanis pontificibus, sive ab episcopis vestris, vel etiam a regibus & principibus vobis & ecclesiæ vestræ indultas, & antiquas & rationabiles consuetudines ipsius ecclesiæ confirmamus, & eas decernimus optinere perpetuam firmitatem. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia &

D integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa, sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, &c. Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. (*Sequuntur plurimi cardinales.*) Datum Anagniæ per manum Gratiani sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii V. idus Septembris indictione VI. Incarnat. Domini anno 1173. pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno XIV.

L X V I I.

E *Epistola Petri Cellensis abbatis ad Willelmum Senonensem archiepiscopum de electione Johannis Saresberiensis.*

IN insigni electione Carnotensi de magistro Joanne 1176.
stellam matutinam produxit Deus de thesauris suis. Affuit, affuit huic prædestinationis Dei partui vigilantissima sagacitas Domini mei, & manum obstetricantem supposuit, ne aborsum pateretur incommutabilis Dei præelectio. Deus, tibi laus, tibi gratiarum actio. Archiepiscope, tibi merces, tibi æterna remuneratio. Hoc opus de raritate admirabile, de singularitate incomparabile, de puritate commendabile, de bonitate speciali omnibus imitabile. Quando & ubi simile factum est in regno Franciæ, ut remotis omnibus

simoniæ speciebus, nullis munerum suffragiis incumbentibus, nullis clientum vellicationibus pruritum aurium excitantibus, solus Dei honor & populi salus in episcopali electione quæratur! Certe hoc in rationali & superhumerali tuo, pater amantissime, stylo ferreo, ungue adamantino scribetur, quod in vicariis Petri eligendis nulla te movet humana gratia, nullus favor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ avaritia. Trecensem episcopum, virum qui ministerium suum honorificat, elegisti, & consecrasti. Meldensi ecclesiæ tres viros honorificentissimos, domnum scilicet cardinalem, magistrum Petrum, & Simonem archidiaconum vicissim assignasti: sed nunc superlative hominem de alia gente, amore Dei tantummodo ductus, in ecclesia Carnotensi substituisti. Ubicumque hoc evangelium prædicabitur, dicetur quod sis amicus Sponsi, cum tam verax sis & fidelis, non jam in quærenda uxore Isaac, sed in inveniendo Joseph virum Mariæ. Vere Maria veneratur in Carnotensi ecclesia. Vere vir iste Joannes pretioso sanguine beati Thomæ pontificis & martyris intinctus, lege divina ad plenum instructus, bonis moribus & piis actibus ornatus, apostolico ad Timotheum catalogo virtutum bene depictus, ad Dei honorem, & ad vestram perpetuam laudem, columna factus est in ecclesia Dei. Revixit in vobis antiquus apostolicæ ordinationis ramusculus, cum pro patribus filii ungebantur, immo pro panibus omni sabbatho calidi cum thure substituebantur panes.

LXVIII.

Fundatio monasterii Albæ-curiæ.

Ex tabulario ejusdem monasterii. 1180.

EGO Arnulphus Dei gratia abbas de Marchasio-Radulfi, notum fieri volo, tam præsentibus quam futuris, quod venerabilis Guimbertus ecclesiæ Columbensis abbas, assensu totius sui capituli, capellam de *Haubecourt* quam quidam miles Albericus nomine in fundo suo ædificaverat, & monachis Columbensibus donaverat, cum decima decem agripennorum, quinque videlicet ex parte Stephani de Cresperiis ipso concedente, & quinque ex sua, precibus domini Gasconis de Pisciaco, abbatiæ de *Marcherous* concessit, salvo tamen ecclesiæ de Orgivalle jure parochiali, extra mansiones quas ibi facient canonici nostri, & hortos, & virgulta; fratres quoque nostros & sorores, & reliquam familiam nostram, excepto presbytero parochiano, & armenta nostra, & pecora ab omni jure parochiali, & decimatione ubicumque maneamus, libera tenemus. Erunt autem hi decem agripenni inter illam capellam, & villam Orgivallis citra rivulum a parte montis, in quo sita est eadem villa. De cæteris siquidem terris cultis, aut incultis, aut nemoribus, dono seu emptione in illa parochia, & decimatione nunc & in perpetuum decimas monachis ex integro reddemus, nec unquam alicujus Romani privilegii, nec alicujus ecclesiasticæ personæ, nec secularis munimine fulciti, quod in suis abbatiis seu de *Premonstré* quæ aliarum abbatiarum ordinis mater est & origo, si habeamus, sive in futuro habituri sumus, ab hac conventione resiliemus. Et ut hanc conventionem firmiter in perpetuum teneamus, sigilli nostri munimine roboramus, & ipsum dominum Gasconem de Pisciaco plegium de hoc contradimus: & si forte illico abbatem præficiemus, ab illo literas hujus conventionis dare faciemus infra 40. dies, quibus testes sunt abbas Columbensis, abbas de *Ressons*, Haimo hujus loci prior, Robertus de *Montpinçon* prior Columbensis, Philippus prior sancti Germani de Leya, Robertus de Ibreio, Renaldus prior sancti Cosmæ, Petrus presbyter Orgivallis, dominus Gasco de Pisciaco, & filii ejus Gasco & Robertus qui hoc concesserunt, Gaufridus de Caneveriis, & duo filii ejus Simon & Matthæus, Anselmus de Orgivalle, Gasco de Totoro & Robertus frater ejus.

A EGO Gasco de Pisciaco multis precibus a venerabili abbate Columbensi Guimberto obtinui, ut capellam de *Haubecourt*, quæ sui juris erat, canonicis de *Marcherous* possidere permitteret, & ædificia sibi necessaria construere. Ita sane quod decem agripennos, quinque videlicet in decimatione domini Stephani de Cresperiis ab omni decimæ reclamatione liberos haberent, & quidquid extra illos agripennos sive donatione, sive emptione, sive cultis, sive de incultis terris, aut nemoribus canonici in parochia Orgivallis & decimatione monachorum excolerent sine diminutione, nunc & in perpetuum, decimas ex integro monachis redderent, necnon in hoc privilegiis apostolicæ sedis, nec ecclesiasticæ alicujus personæ vel secularis munimine, nec prece, nec violentia adversus monachos uterentur.
B Et hujus pactionis tenendæ me fidejussorem & defensorem protestor, & hæredibus meis defendendam sigilli mei munimine delego; his denique adjicio, quod si illi loco abbatem præfici constiterit, ab illo literas istius conventionis sigilli sui munimine roboratas dari faciam infra XL. dies in quibus a monachis super hoc compellatus fuerit. Hujus rei testes sunt abbas Columbensis, abbas de *Marcherous*, abbas de *Ressons*, Robertus de *Montpinçon* prior Columbensis, Philippus prior sancti Germani de Leya, Robertus de Ibreio monachi, Gasco de Pisciaco, & filii ejus Gasco & Robertus qui hoc concesserunt, Gaufridus de Caneveriis, & duo filii ejus Simon & Matthæus, Anselmus de Orgivalle, Gasco de Totoro, & Robertus frater ejus, & Petrus presbyter de Orgivalle.

C EGO Euphemia ecclesiæ S. Mariæ de Altabrueria humilis priorissa, & totus conventus ejusdem loci, fratrum & sororum conventus, tam futuris quam præsentibus, notam fieri volumus compositionem illam quæ facta est inter Columbensem ecclesiam & nostram, super capella de *Haubecourt*. Capellam istam quidam miles Albericus nomine, qui eam in fundo suo ædificaverat, nobis donaverat; quam cum vellemus utpote nostram possidere, monachi Columbenses tam ex dono militis prædicti, quam ex jure parochiali ecclesiæ de Orgivalle, ad jurisdictionem suam dixerunt pertinere. Cum igitur inter nos & præfatos monachos super hoc negotio controversia versaretur, vir venerabilis Gasco de Pisciaco mediatoris functus officio, quæsivit quomodo
D inter duas ecclesias sine utriusque dispendio componeretur; modus compositionis fuit talis: Guimbertus abbas ecclesiæ Columbensis assensu totius conventus sui, quidquid in capella præfata cum decima decem agripennorum, quinque videlicet ex parte domini Stephani de Cresperiis, & quinque de sua, ecclesiæ nostræ concessit, salvo tamen ecclesiæ de Orgivalle jure parochiali. Erunt autem hi decem agripenni infra metas assignatas a superiore, videlicet valle, usque ad duas arbores subtus assignatas; de aliis terris omnibus, quæ sunt in decimatione Columbensis ecclesiæ, & id hoc quod nos poterimus acquirere, tam in plano quam in nemoribus, & ad culturam pertrahere, reddemus decimas Columbensi ecclesiæ, & hoc faciemus sine fraude, sine diminutione, sine dolo, sine contentione, nec
E unquam alicujus Romani privilegii, quod nunc habemus, vel in futuro habituræ sumus auctoritate munitæ, vel aliqua terrena potestate fulcitæ resiliemus ab hac compositione. Hujus rei testes sunt Gasco de Pisciaco, Geralinus socius ejus, Albericus de Haubecourt, Gauterus de Bazemont, hi sunt milites; Garinus Latiniacensis ecclesiæ quondam abbas, Gerragonus Neaflensis monachi, Gaufridus prior Altebrueriæ, Paganus de Fulcosa clericus, Stephanus de Cresperiis burgensis. Actum est hoc anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octuagesimo: & ad majorem istius rei confirmationem, ego Maria Dei nutu Fontiebraudi abbatissa, sigillum nostrum præsenti cartæ superaddimus, & compositionem factam concedimus.

LXIX.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta Gasconis de Pissiaco fundatoris monasterii Albæ-curiæ.

1184. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit Deus, noverit & omnis ecclesia fidelium, quod ego Gasco de Pisciaco fundator abbatiæ beatæ Mariæ de Alborum-curia, canonicis & fratribus inibi Deo servientibus dedi in eleemosynam perpetuam, totam terram, quæ est in valle circa eorum monasterium, prata, alneta, & vivarium a superiori via quæ vallem dividit ex transverso, usque ad magnam fagum in pratis ultra monasterium sitam: nemus juxta vivarium sicut est certis meis assignatum, & duos campos terræ supra montem juxta villam de *Haubecourt*. Præterea grangiam de Creia quæ est in loco qui dicitur Pancum, totamque terram ad eandem grangiam pertinentem, & campipartem campi Amaurici de Bethemonte, qui est juxta viam in prædicto loco, & censum campi Constantii. Quinetiam quatuor modios vini singulis annis in pressoriis meis de Fraxinis accipiendos, qui si ibi inventi non fuerint, de alio vino meo in eadem villa perficientur, & duo sextaria bladi, & duo avenæ ab heredibus Alardi de *Monametz*, annuatim recipienda. Dedi præterea triginta solidos ad oleum & luminaria supradictæ ecclesiæ de censu meo de Fraxinis accipiendos. Quinetiam sex sextaria salis quæ in villa mea quæ Mansiones dicitur, singulis accipientur annis: dedi quoque eis quidquid habebam in molendino de Musuellis. Hanc piam largitionem concesserunt filii mei Gasco, Robertus, Almaricus, Galterus, Gervasius, & donum concessionis mecum super altare B. Mariæ posuerunt. Quæ largitio mea ut stabilis & rata in perpetuum permaneat, eam testibus & sigilli mei auctoritate communivi. Testes Gaufridus de Callaveriis, Simon & Matthæus filii ejus, Girelinus de Poncerti, Robertus sine censu, Matthæus, Marcellus de Fraxinis, Gautherus de Boizemont, Hugo de Orgivalle presbyter, Joislanus presbyter de S. Gemma, Petrus de Cresperiis, Stephanus de Cresperiis. Actum anno Incarnationis Domini 1184. Philippo rege Francorum, Reginaldo Carnotensi electo, Haymone supradicti monasterii primo abbate.

LXX.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Philippus Augustus rex quædam largitur sanctimonialibus sancti Cyrici.

1185. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Noverint universi ad quos literæ præsentes pervenerint, quod monialibus sancti Cyrici ob animæ nostræ, & animæ patris nostri remedium donavimus decimam in perpetuum habendam totius panis & vini quod nos & regina expendemus apud sanctum Germanum in Loya aut apud Pissiacum, dum ibidem fuerimus. Quod ut ratum sit atque firmum, præsens scriptum sigilli nostri auctoritate communimus. Datum apud S. Germanum in Loya anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXV.

LXXI.

Ex tabulario monasterii Albæ-curiæ.

Compositio inter canonicos Albæ-curiæ & canonicos Pissiaci.

1187. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Quoniam per humanæ memoriæ lubricum frequenter suboritur contentionis occasio, & primo terminatas controversias nonnunquam recidivare contingit, canonici sanctæ Mariæ Pisciaci adversus canonicos de Albacuria, controversiam super decimis novalium Groyæ, quas canonici Pisciaci adversus canonicos de Albacuria repetebant, pace tandem terminantes, formam A compositionis ad conservationem memoriæ scripto tradere decreverunt; composuerunt autem communi assensu ex utraque parte in hunc modum. Quod de omnibus novalibus quæ canonici de Alba-curia usque ad præsens facturi sunt, ipsi medietatem decimæ canonicis Pisciaci fideliter & ex integro reddent, nec inde a campo aliquid amovere præsument ipsi vel eorum ministri, donec coram decimatore canonici Pisciaci partitio ejusdem decimæ facta fuerit. Actum Pisciaco anno 1187. Haymone abbate Albæ-curiæ, Petro de Belvaco abbate Pisciacensis ecclesiæ.

LXXII.

B *Venditio dotis Heluissæ sanctimonialis facta monachis beatæ Mariæ Boni-nuncii Aurelianensis ab Hermeniarde abbatissa & capitulo sancti Aviti.*

EGO Hermeniardis Dei gratia S. Aviti Castriduni 1190.
abbatissa & sorores capituli nostri, omnibus præsentes litteras inspecturis vel audituris notum esse volumus, quod Arnulfus de Rupibus dedit in eleemosynam libere & quiete domui nostræ de Mauduno sex solidos census in vineis, sitos in pago Aurelianensi, & decimam ad duos solidos, & novem denarios illorum sex solidorum pertinentem, alteros tres solidos & tres denarios sine decima, Bricio fratre suo concedente & volente, & nos Heluissam filiam prædicti Arnulfi in sanctimonialem recepimus & sororem. Deinde Odelina jam dictæ domus nostræ de Mauduno tunc temporis priorissa, pro necessitate ejusdem domus vendidit C totum memoratum censum & decimam monachis B. Mariæ Boni-nuncii, memorato Arnulfo præsente & volente, & coram Hugone decano sanctæ Crucis Aurelianis, & coram H. archipresbytero, & coram præpositis domini regis Franciæ Johanne & Rainaudo, & coram multis aliis, censum prædictum cum decima monachis B. Mariæ Boni-nuncii in perpetuum libere & quiete possidendum concedente. Ego autem & sorores capituli nostri venditionem illam concedimus, & eundem censum & decimam ecclesiæ B. Mariæ Boninuncii omnino quittamus & sufficienter garantiemus. Et ne hoc oblivione possit deleri, sigilli nostri munimine roboramus. Actum est hoc anno Incarnationis Domini M. CXC.

D

LXXIII.

Consuetudines capituli Carnotensis.

VEnerabilibus ac dilectissimis in Christo fratribus *Post ann.*
& amicis Nicholao decano & capitulo Cenoma- 1191.
nensi, Gaufridus decanus & universitas capituli Carnotensis, salutem cum devoto fraternæ caritatis affectu. Quod vobis, sicut accepimus, elegistis unius moris esse in domo Domini, nostris vos consuetudinibus conformantes & confirmantes, cum aliam sequi possetis ecclesiam, sub majori forte privilegio libertatis, gratum admodum gerimus & acceptum, specialem vestræ dilectionis gratiam in hoc & in aliis attendentes. Unde ad referendas opportuni temporis gratias vobis E nos recognoscimus debitores. Formam igitur & consuetudinum ac libertatum nostrarum, prout vobis per vestros nuncios intelleximus expedire, præsenti vobis pagina duximus describendam. Inprimis noveritis quod quilibet ecclesiæ nostræ canonicus quarumlibet personarum de familia sua, connumeratis etiam uxoribus, ac liberis, cæterisque familiis servientium suorum, ac suo etiam canonico, si ejus fuerit commensalis, plenam omnium habet tuitionem cum jurisdictionis ecclesiasticæ ac sæcularis integra potestate. Quod si canonicus de aliquo suorum justitiam refugerit exhibere, conquerenti defectum suum cogetur per ipsum capitulum emendare, tota, si opus fuerit, ad capitulum quæstione delata, omni prorsus episcopi nostri circa hoc

auctoritate seclusa, quod & de clericis chori non canonicis similiter observatur: si vero capitulum ipsum in juris exhibitione defecerit, tunc tandem per episcopum nostrum tota universitas nostra cogetur, ut plenam faciat conquerenti justitiam exhiberi, quod semper, ubi contra totum capitulum ab extraneis agitur, observatur. Episcopus enim universitatis nostræ judex est erga extraneos, & universitas judex est singulorum. Ita quod minimus etiam ecclesiæ nostræ canonicus ab episcopi jurisdictione liber penitus & immunis, capitulo prout suo domino stat aut cadit. Personæ tamen ecclesiæ nostræ, quæ & ipsæ canonici sunt, super hiis quæ universitatem nostram tangere non videntur, possunt coram episcopo in claustro tantum, & non alibi, conveniri, & juri stare tenentur sub reliquarum examine personarum ratione fidelitatis, quam ipsi episcopo sub hominio personatibus ipsis annexo ex antiquis temporibus consueverunt astringi, quæ videlicet ipsæ personæ super hiis quæ nostræ sunt potestatis . . . . . super præbendis, terris, hominibus, & etiam consuetudinibus nostris nulla possunt ratione ad episcopum trahi. Ad hæc in ecclesiis nostræ donationis, atque ministris & parrochianis earum nec episcopus, neque archidiaconus ullam obtinet potestatem, sed per comprehendales eorumdem locorum canonici pro dispositione capituli plena ibidem archidiaconi vice funguntur; appellationibus tantum & hujusmodi, quæ nonnisi ab episcopo fieri permittuntur, noster est episcopus, si præsens fuerit, requirendus, super quibus, & ipso forte absente vel ea exequi recusante, alterius episcopi licite possumus suffragium implorare. Si quis autem nostrum, vel universitas nostra, sive clericus de choro nostro, contra quamlibet personam vel collegium diœc. Carnot. causam habuerit super hiis quæ ad tuitionem ecclesiæ pertinere noscuntur, archidiaconus ille, ad quem id pertinet ex officio, irrequisito episcopo causam ipsam tenetur citato reo ad capitulum evocare, dictatam tandem a capitulo ipso sententiam effectui mandaturus, quam etiam ipsam sententiam idem archidiaconus tenetur gradatim pro arbitrio capituli & rei exigentia postmodum aggravare, vel potius exequi a capitulo aggravatam, & decanos, & presbyteros, quibus incumbit ad ipsius observationem sententiæ in ipso capituli loco ad mandatum capituli fidei vel juramenti astringere captione, episcopo nostro nec ante sententiam, nec post de jure aliquatenus resistente. In requirendis autem malefactoribus nostris hunc ordinem observamus, quod malefactor noster, si præsens fuerit, in loco ubi delictum committitur, ipse est in propria persona requirendus: alioquin requisito ejus officiali ad quem id noscitur pertinere, & juri stare nolente, terram illius eidem officiali commissam interdicto supponimus ordine prænotato. Hiis etiam duximus advertendum, quod in generali synodo injungitur ab episcopo presbyteris annuatim, ut quicumque ipsorum hominem, prædam, sive quamcumque rem ecclesiasticæ protectioni subjectam in sua invenerit parochia captam violenter, sive detentam, eam statim reddi postulet vel recredi, quod si nequiverit obtinere, locum illum statim subjiciet interdicto. Quod si res capta ad aliam forte parochiam transferatur, id ipsum incumbit eidem parochiæ præmissæ agendum. In recredentia vero facienda major ille, sive alterius nominis serviens, ad cujus curam & officium res capta noscitur attinere, ipse, & non alius, detentori fidejussor pro justitia exhibenda ubi debuerit assignetur. Quod si forte recredentiam detentor ipse negaverit, rem alienam violenter captam sive saisitam tenere aliqua occasione contendens, se nec per exceptionem nec per appellationem potest aliqua ratione tueri, quominus eam reddere vel recredere compellatur. Addimus præterea quod ecclesia nostra vel civitas Carnotensis, nec per episcopum, nec per aliam ecclesiæ nostræ personam, nec per capitulum nostrum potest interdicto supponi, quod utique licet

A capitulo pro delicto principis aut ministrorum suorum, qui etiam propter hoc extra urbem minime . . . . . . omni episcopi contradictione cessante, dum tamen ob sui reverentiam & honorem . . . . si præsens fuerit, requiratur semel, aut lata pro querelis nostris sententia in quocumque totius diœcesis loco, quo ad usque de ipsis fuerit nobis integre satisfactum, non potest de jure ab archidiacono, vel ab episcopo, seu ab alio aliquatenus relaxari, salva tamen archidiacono emendatione delicti, quod districtum vel rectum vulgariter appellatur. Super qua etiam archidiaconi a capitulo requisiti ejus consueverunt acquiescere voluntati . . . . quod in justitia exigenda vel exercenda negotium capituli per majorum absentiam personarum nullatenus retardatur, cum eis forte absen-
B tibus, hebdomadario sacerdoti urgente negotio liceat capitulum evocare, & justitiam nihilominus exercere. Archidiaconus vero vices suas . . . . . tenetur committere alicui canonico in ecclesia residenti. Has vero & alias consuetudines ac libertates nostras, scriptas & non scriptas, & maxime privilegiatas, quæ non omnes scriptæ, vel etiam memor . . . . . possunt ad præsens facile comprehendi, episcopus noster, quicumque pro tempore fuerit, tenetur nobis per juramentum ex consuetudine debitum ante ipsius consecrationem publice in capitulo præstandum firmiter tueri ac fideliter observare; verum si episcopus vel archidiaconus præmissis libertatibus nostris duxerit obviandum, nos in ipsius confusionem & pœnam cathedralem ecclesiam excepto . . . . . . sonitu campanarum supponere possumus
C interdicto, quin etiam archidiaconum ipsum, sicut quamlibet aliam jurisdictionis nostræ personam, possumus per nos ipsos omni contradictione cessante, episcopum vero tanquam juratum libertatis nostræ patronum, per majorem judicem pro rei exigentia severius coercere. Hiis tandem vobis, fratres carissimi, explanatis, nonnulla etiam de consuetudinibus nostris vobis necessaria, quæ non sunt scripta in libro hoc, noveritis multis urgentibus causis tacita remansisse, quæ nos vobis tempore opportuno, si ad nos duxeritis remittendum, parati sumus diligentius ac plenius explicare: in hiis studiosius ac perfectius tanto majorem operam ac diligentiam curavimus, sicut debuimus, adhibere, quanto vobis & ecclesiæ vestræ semper fuimus ac esse volumus firmiori vinculo caritatis ac spe-
D ciali familiaritate conjuncti: ad hoc venerabilium fratrum ac nunciorum vestrorum solertia non modica operante, qui circa hoc erga nos omnes & eos nostrorum maxime quibus suum ac nostrum commiseramus negotium opportune importune instantes, nostram ex hoc ipso gratiam usque adeo meruerunt, quod eorum moram ipsam & mores, quos in vestris exequendis negotiis humiliter & viriliter impenderunt, vobis nulla ratione potuimus non reddere commendatos. Illis igitur debita gratia inter vos gaudentibus & honore, longe forcius incumbit vobis, quatinus reverendum patrem & dominum Hamelinum divina providentia episcopum vestrum, qui vos & ecclesiam vestram tam inestimabili dicitur libertate donasse, præ omnibus benefactoribus vestris post primum ipsius fundatorem,
E si tamen illum duxeritis præferendum, honorare in omnibus humiliter & devote, ac ferventissima semper devotione diligere studeatis.

LXXIV.

Diploma Philippi Augusti in gratiam monasterii Albæ-curiæ. *Ex tabulario ejusdem monasterii.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, præsentes & futuri, quoniam universa quæ ecclesia de Alba-curia ex nostra largitione, sive ex Gasconis de Pisciaco, seu aliorum donatione fidelium juste possidet, 1192.

vel in posterum juste possidebit, in protectione & custodia nostra suscipimus & regia auctoritate confirmamus, salvis feodis nostris, & salvo tam nostro quam jure alieno. Quod ut perpetuam obtineat stabilitatem, sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato in hanc paginam præcipimus communiri. Actum apud sanctum Germanum in Laya anno Domini M. CXCII. regni nostri anno XIII. astantibus in palatio nostro his quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii, signum Matthæi camerarii, constabulario nullo. Data vacante cancellaria.

LXXV.

Conventio inter Reginaldum episcopum & capitulum Carnotense de præposituris.

1193. REGINALDUS Dei gratia Carnotensis episcopus. Noverit universitas vestra, quod cum carissimus avunculus noster Willelmus tunc Senonensis, nunc Remensis archiepiscopus, & sanctæ Sabinæ cardinalis apostolicæ sedis legatus, curam gereret ecclesiæ Carnotensis, contulit capitulo Carnotensi justitiam quatuor præpositurarum, quæ in eadem erant ecclesia, videlicet de Nogenio, de Fontaneto, de Amilliaco & de Belsia. Cum vero Dominus ad prætaxatæ ecclesiæ regimen nos vocasset, super justitiis prædictarum præpositurarum capitulo movimus quæstionem, quæ tamen intervenientibus viris prudentibus & honestis in præsentia etiam venerabilis patris nostri magistri Melioris SS. Johannis & Pauli presbyteri cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, sopita est in hunc modum, quod inhærentes vestigiis prædicti domini Remensis, donationem justitiarum prædicto collatarum capitulo approbamus in ea integritate, qua eam prædictus contulerat archiepiscopus eam confirmantes. Et ut prædicta ecclesia de manu nostra se aliquid gauderet beneficii recepisse, concessimus ut quatuor præpositurarum redditus, salvo jure nunc eas possidentium, integre commodo canonicorum accrescant, & tunc pleno jure quatuor prepositurarum redditus cum justitiis ad capitulum devolvantur. Capitulum vero in recompensationem collati sibi beneficii, ne Carnotensis ecclesia debito dignitatum numero fraudaretur, concessit nobis, ut de quatuor precariis quæ in eadem habentur ecclesia, videlicet de Normannia, de Mazingeio, de Auversio, & de Ingreio, quandocumque & quomodocumque eas vacare contigerit, faciamus præposituras, & easdem sicut & præposituras canonicis Carnotensibus libere cum justitiis conferamus, salvis redditibus matutinis & anniversariis deputatis & nemoribus, salvo etiam jure Gosleni de Hortenvilla in precariis quas habebat in præposituris; ita quod si aliquam præposituram vacare contingeret, nihil in ea possit reclamare, &c. Ut autem hoc inconcussum omni tempore perseveret, nec possit aliquatenus immutari, fecimus jurari in animam nostram nos istud in perpetuum fideliter servaturos. Ipsum quoque præstito juramento corporaliter firmaverunt decanus, cantor, subdecanus, succentor, archidiaconi, capicerius, camerarius, præpositi, presbyteri, diaconi, subdiaconi. Statutum est etiam ut quicumque substituentur canonici, corporale præstent juramentum, se hoc fideliter servaturos. Quod ut ratum & firmum observetur, &c. Actum publice in capitulo Carnotensi anno gratiæ M. CXCIII. mense Octobri.

LXXVI.

Ex chart. cap. Carnot. *Philippus II. Francorum rex confirmat conventionem de præposituris.*

1193. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, præsentes pariter & futuri, quod nos ad peti-
A tionem carissimi consanguinei nostri & fidelis Raginaldi Carnotensis episcopi & capituli ecclesiæ Carnot. confirmationem justiciarum, & donationem redditiuum quatuor præpositurarum, videlicet de Nogenio, de Fontaneto, de Amilliaco & de Belsia capitulo Carnotensi a prædicto episcopo cum omni integritate factam, & hujus rei recompensationem quatuor precariarum, videlicet de Normannia, de Masingeio, de Auversio & de Ingreio a præfato capitulo prænominato episcopo & ejus successoribus episcopis Carnotensibus factam, sicut in authentico scripto, tam prædicti episcopi quam præfati capituli continetur, approbamus & confirmamus. Quod ut firmam perpetuamque obtineat stabilitatem, sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato præsentem paginam
B præcepimus confirmari. Actum Silvanecti anno incarnati Verbi 1193. regni nostri anno 15. astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii, signum Matthæi camerarii, signum Droconis constabularii. Data vacante cancellaria.

LXXVII.

Conventio canonicos inter ecclesiæ B. Mariæ Carnot. & monachos sancti Petri in Valle.

G. decanus & universitas capituli Carnot. universis 1201.
præsentibus pariter & futuris præsentis paginæ notitiam casu quolibet habituris, salutem in vero salu-
C tari. Ex pia antecessorum religione statutum fuit, quod duas procurationes, alteram tertia feria Paschalis hebdomadæ, alteram in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli, & potum in vigilia ejusdem festi processioni ecclesiæ nostræ quando ad eos iret, conventus monachorum sancti Petri annuatim exhiberet, ut qui causa spiritualis refectionis in divinis militaremus officiis, non sine temporalis stipendii beneficio rediremus. Verum quia in dictarum procurationum exhibitione ob turbarum instantiam, nobis importune, illis damnose, utrisque inhoneste res fieri videbatur, & verti utrobique pluries in querelam, ad fugam discordiæ, & mutuæ affectionis custodiam antiqua illa institutio de assensu utriusque partis retracta est commodius in hunc modum: ita scilicet quod processio nostra personarum,
D canonicorum, clericorum, matriculariorum a memoratis procurationibus & potu, & missione pastillorum ad personas præfatis diebus de cetero abstineret, ab eisdem procurationibus prædicti monachi quieti perpetuo existerent & immunes; ipsi vero in recompensationem dictarum procurationum, potus & pastillorum, quidquid in decimis apud villam quæ dicitur Illeis in jure patronatus ecclesiæ ejusdem villæ, & in aliis, si qua sunt ibidem ad eos spectantia, capitulo nostro concesserunt perpetuo possidendum, etiamsi ad eos alicujus interdicti occasione processionaliter non veniremus; si autem res memoratas qualibet occasione diminui aut aliquatenus contigerit adnullari, nihil tamen in supradictis procurationibus poterimus reclamare. Verum quia memoratæ res in manu eorum tunc tem-
E poris non erant, statutum fuit quod donec ipsas nobis liberarent, quas se quam cito possunt bona fide juraverunt liberaturos, quindecim libras Carnotenses, septem tertia feria Paschalis hebdomadæ & octo libras in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli nostro capitulo pro prædictis procurationibus solvere tenentur. Quod ne possit processu temporis oblivione deleri, aut aliquatenus a posteris in irritum revocari, sigilli nostri appositione fecimus in memoriam præsentem paginam confirmari. Actum anno Dom. Incarn. 1201. mense Martio.

LXXVIII.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Fundatio monasterii beatæ Mariæ de Claretis.

1204. MATILDIS comitissa Perticensis omnibus christianæ fidei orthodoxis præsentem paginam inspecturis, in eo salutem, qui operatus est salutem in medio terræ. Qui piis & laudabilibus fidelium desideriis non applaudit, & ea in quantum facultas suppetit ad effectum perducere non laborat, maxime cum eis Christi ecclesiæ dilatatio cognoscatur, exinde subsidium vitæ religionis habeant professores, se, quod Dominus ab omnibus avertat, catholicis divinorum mandatorum immemorem profitetur, & eisdem se operarium comprobat negligentem. Universitati itaque vestræ volumus intimari, quod Gaufridus quondam comes Perticensis maritus noster in suorum compunctus recordatione peccatorum, & metuendi diem judicii cordis oculis anteponens, pro redemptione suæ animæ & nostræ, necnon antiquorum nostrorum pariter & hæredum, dedit & concessit de voluntate & consilio domini Stephani fratris sui, in perpetuam, liberam & quietam eleemosynam Boveriam cum omnibus pertinentiis suis cujusdam abbatiæ habitatorum, quam ædificare proposuerat, usibus profuturam. Sed quoniam antequam hoc consummasset, vocante Domino, viam carnis ingressus est universam, dum in lecto ægritudinis accubaret, multis viris honestis præsentibus, abbatibus videlicet, & aliis religiosis viris, personisque illustribus & famosis, moriens nos vocavit, & ad perficiendum quod proposuerat, sub fide nostri matrimonii nos adjuvans, insuper nos fide corporaliter præstita obligavit ad hoc effectui mancipandum, nostræ relinquens optioni, quatenus de quo placeret ordine monachos, vel sanctimoniales religiosas eligeremus, eisque locum ædificandæ abbatiæ competentem & idoneum, & redditus cum suorum hominum consilio provideremus. Nos igitur jam memorati mariti nostri Gaufridi quondam comitis Perticensis jussionibus, & ultimæ satisfacientes voluntati, communicato cum episcopis, abbatibus, aliisque viris prudentibus & honestis, tam clericis, quam laïcis, consilio, locum in nemore de Clareto construendæ elegimus abbatiæ, dictumque monialibus Cistercienses ordinis concessimus, quas venerabili patri nostro Raginaldo Carnotensi episcopo præsentavimus, & de voluntate mea in ipso loco ipsis moniales instituit regi regum in perpetuum obsequium impensuras. Nos itaque de propria & libera voluntate nostra, de assensu Thomæ filii nostri donamus & concedimus prædictis monialibus in perpetuam, & liberam & quietam eleemosynam decem marcas in Anglia in manerio nostro de Hagenet, in festo sancti Remigii annuatim percipiendas. Præterea dedimus, &c. Quod ut ratum inconcussumque permaneat, præsentem paginam fecimus inde conscribi, & sigilli nostri munimine roborari. Datum anno gratiæ 1204. mense Julio apud Lopam per manum Raginaldi capellani nostri.

LXXIX.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta comitum Perticensium pro monasterio de Claretis.

1218. GUILLELMUS Dei gratia Catalaunensis episcopus, & comes Pertici, universis præsentes literas inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam volumus pervenire, illustrem virum Gaufridum quondam comitem Pertici, carissimum fratrem nostrum, inspirante Spiritu sancto, in animo concepisse, & Deo vovisse, se ædificaturum abbatiam unam, sed antequam tam pium & devotum propositum duxisset ad effectum, morte præventus diem clausit extremum. Tamen ne ipsius propositum irritum remaneret, uxori & hæredibus suis, nobis præsentibus & audientibus injunxit, & firmiter in extrema voluntate præcepit,
A ut ejus supplerent in hac parte defectum. Stephanus autem frater noster dilectissimus præsens fuit, audivit hoc, voluit & laudavit. Uxor autem prædicti Gaufridi Matildis videlicet, tunc temporis comitissa Pertici, ut animam mariti sui exoneraret voto prædicto, domum monialium de Claretis ædificare incœpit, sed morte præventa non potuit consummare. Verumtamen Thomas ejus filius tunc comes Pertici, ad consummationem quam mater incœperat, manum apposuit, & redditus monialium ampliavit. Nos autem quidquid ab ipso Thoma nepote nostro datum est dictis monialibus, sive in redditibus, sive libertatibus, sive aliis modis, laudamus, volumus & approbamus, sicut in ipsius cartis continetur quæ subnotatæ scribuntur.

B THOMAS comes Pertici omnibus ad quos literæ istæ pervenerint, salutem. Noverit universitas vestra, quod donationi medietariarum videlicet de Boneria, monialibus de Claretis Cisterciensis ordinis, a venerabili patre nostro Gaufrido comite Pertici, & Matildi uxore ejus carissima matre mea liberaliter factæ, favorem præbemus & assensum, eam præsentibus literis confirmantes, & volentes eas supradictas possessiones in perpetuum possidere. Insuper nos charitatis intuitu, memoratis monialibus, & præcipue in remissionem peccatorum antecessorum nostrorum & nostri, dedimus liberaliter, & concessimus in eleemosynam medietariam de Ponte, & usuarium ad omnia necessaria earum in nemore de Clareis, & duo arpenta prati apud Tilium, & unum burgensem apud Nogentum liberum
C ab omni consuetudine, & tallia & exactione seculari, & quidquid habebamus in molendino de S. Victurio in perpetuum possidendum. Ut autem hæc donatio firma sit stabilitate subnixa, eam sigilli nostri impressione duximus roborandam. Datum anno gratiæ 1213. mensis Maii.

NOS autem considerata devotione prædictorum, scilicet Gaufridi venerabilis fratris nostri comitis Pertici, & Matildis uxoris ejus venerabilis, & Thomæ comitis Pertici, nostri nepotis charissimi, & commendabili conversatione monialium prædictarum, omnes donationes ipsis factas laudamus, volumus & confirmamus, sicut in dicti Thomæ nepotis nostri chartis plenissime continetur. Insuper nos intuitu charitatis
D dedimus & concessimus in puram, quietam & perpetuam eleemosyam prædictis monialibus pro remedio animæ nostræ & pro salute antecessorum nostrorum, tria arpenta prati apud Tilium contigua duobus arpentis, quæ Thomas nepos noster clarissimus comes Pertici eisdem donavit. Unde dictæ moniales nostrum anniversarium facient in perpetuum. Præterea dedimus & concessimus eisdem monialibus unum burgensem apud Nogentum in burgo Pratorum, scilicet Johannem Hotoie & hæredem ipsius immunem & liberum ab omni tallia, & consuetudine, & exactione sæculari, & domum ipsius in perpetuam eleemosynam, & duas censivas, quarum una est sita intra metas ipsarum monialium, quam Robertus Haie defunctus quondam tenuit, & unam, quam Guillelmus Lummelart tunc
E temporis possidebat. Præterea quittamus & liberas facimus sæpedictas moniales & ipsarum homines per totam terram nostram ab omni consuetudine & exactione sæculari, & peagis super rebus, quas vendere, sive emere, ducere, vel reducere voluerint ad proprios usus suos. Quod ut firmum & stabile in futurum permaneat, in hujus rei memoriam præsentes literas notari fecimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno gratiæ 1218.

LXXX.

LXXX.

Abbatia Rosetensis a procurationibus eximitur.

1219. UNiversis præsentes literas inspecturis officialis Carnotensis, salutem in Domino. Notum facimus nos anno & die infra vidisse, tenuisse, & perlegi in judicio coram nobis tunc pro tribunali sedentibus fecisse literam tenorem sequentem continentem. Universis in Christo fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint, G. permissione divina ecclesiæ Carnotensis minister humilis, perpetuam in Domino salutem. Universitati vestræ notum facimus, quod sicut ex testimonio Agnetis Rosetensis ecclesiæ abbatissæ, & totius loci conventus didicimus, Gaufridus ecclesiæ Carnotensis quondam episcopus, cum ecclesiam beati Hilarii dedicasset, B ejusdem loci paupertatem consideravit, & literis suis confirmavit in perpetuum habendam, quod nec episcopus, nec archidiaconus, nec decanus ibi aliquam procurationem possent ulterius reclamare, & quod sanctimoniales in præfata ecclesia habitantes, sine prædictarum personarum licentia, talem capellanum habere poterunt, qualem ipsæ voluerint. Dictæ vero sanctimoniales synodalia, nec circadas solvere tenentur, nec earum capellanus ad synodum ire tenetur. Quam libertatem nos ratam & gratam habentes & approbantes ad petitionem carissimæ sororis nostræ Hersendis tunc ejusdem loci priorissæ, sigilli nostri munimine roboravimus. Actum anno gratiæ 1219. mense Augusti. Actum in judicio anno Domini 1467. die 8. Octob.

LXXXI.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Dimittitur monasterio S. Magdalenæ Castrodunensis capella regia ejusdem oppidi.

1220. UNiversis præsentes literas inspecturis, tam præsentibus quam futuris, capitulum beati Andreæ de Castriduno, salutem in Domino. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod contentio quæ inter nos ex una parte, & capitulum S. Mariæ Magdalenæ de Castriduno ex altera, versabatur super capella quæ est in palatio comitis apud Castridunum, quam pius comes Ludovicus nobis contulerat cum suis pertinentiis, sicut in ejusdem comitis literis continetur, post multas altercationes, de consilio bonorum virorum in D hunc modum terminata est; quod nos quidquid juris in jamdicta capella, & in ejus reditibus & proventibus reclamabamus, ecclesiæ beatæ Mariæ Magdalenæ de Castriduno quittavimus, & in perpetuum concessimus quiete & pacifice possidendam. Quod ut ratum & stabile perseveret, quoniam literas pii Ludovici super dono capellæ, quum alia ejusdem principis beneficia erga ecclesiam nostram in eisdem continerentur, reddere noluimus, præsentem paginam annotari fecimus, & sigilli nostri duximus munimine roborandam. Actum anno gratiæ M. CCXX. mense Novembri.

LXXXII.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Fundatio abbatiæ Gaudii-vallis.

1221. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos concessimus dilecto & fideli nostro Bartholomæo de Roya, primo Franciæ camerario grangiam, quam Hugo de Annomonte de assensu & voluntate Agnetis uxoris suæ & liberorum vendidit in perpetuum dicto Bartholomæo pro ducentis libris & centum solidis, sitam intra nemora Essartorum & Montisgaudii, cum 20. arpentis bosci, & 35. tam terræ quam prati, supra censum, quem in prædictis habebam, ita quod Bartholomæus ibidem canonicos Præmonstratenses numero duodecim pro remedio animæ nostræ, & parentum nostrorum, & A ipsius Bartholomæi, uxoris ejus, parentum & amicorum... Et sciendum quod duodecim illi canonici tenentur missas & alia divina officia singulis diebus celebrare in capella dicti Bartholomæi apud Essarta. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri authoritate & regii nominis caractere confirmavimus. Actum Parisiis anno Incarnationis Dominicæ M. CCXXI. regni vero nostri XLII. astantibus in palatio quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo, buticulario nullo. Sign. Bartholomæi camerarii, signum Matthæi constabularii. Data vacante cancellaria.

LXXXIII.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Dedicatio basilicæ Gaudii-vallis.

GALTERUS divina permissione ac apostolica auctoritate Carnotensis ecclesiæ minister humilis, 1224. universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum nos ecclesiam Gaudii-vallis Præmonstrat. ordinis die sancto Pentecostes in honorem beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, sanctorumque Laurentii & Quintini martyrum dedicaremus, quam ecclesiam nobilis vir Bartholomæus de Roya Franciæ camerarius de suis bonis fundavit, sacrisque dictorum sanctorum reliquiis Roma sibi allatis decoravit, præsentes nobis fuerunt idem Bartholomæus, & nobiles viri Almaricus comes Montisfortis, Guido de Monteforti patruus ejusdem domini, Burchardus dominus Marleii, & Matthæus frater ejus, C Guillelmus Crispinus, & alii plures hujus regni proceres; qui per inspirationem divinam & nostram monitionem, aliqua de bonis suis in perpetuam eleemosynam contulerunt ecclesiæ supradictæ, quorum largitiones fecimus inferius annotari. Videlicet dictus Bartholomæus, locum ipsum in quo ecclesia ista est fundata, grangiam suam de Gonessia cum appendiciis suis, grangiam suam d'Epone cum appenditiis suis, quam emit a domino Roberto de Hacquavilla, vineas suas de Maulia, prata Meduntæ quæ sua sunt, post decessum suum. Dictus comes Almaricus, ducenta arpenta nemoris sui in Aquilina essartanda; terræ campum grangiæ ædificandæ aptum & commodum, ab eadem foresta non longe situm, usuarium in plana foresta adhuc extra deffensa, sicut hujusmodi alia abbatia, usuaria in eadem foresta, & alia quæ in carta dicti comitis plenius continentur. Dictus vero Guido de Monteforti, centum solidos annui redditus in præpositura sua de Beyna. Guillelmus vero Crispinus, unum modium salis, & unum millenarium halecum percipienda apud Dangutum in prima Dominica Quadragesimæ. Amicia vero uxor ejusdem Guillelmi, de assensu viri sui XL. libratas annui redditus, percipiendas post obitum patris sui in redditibus suis quos habebat apud Montem Calvisium. Margarita vero soror ejusdem Amiciæ, 10. libratas percipiendas singulis annis supra forestam versus Stampas, similiter post decessum patris sui. Præfatus etiam dominus Bartholomæus pater earumdem dominarum, in gratiam alterius filiæ suæ Ælidis decem libratas percipiendas E in teloneo suo de Roya. Burchardus vero dominus Marleii, 20. solid. redditus percipiendos in redditibus suis de Meulento prima die Decembris. Nos vero donationem & eleemosynam omnium prædictorum, sicut pie & provide per eos factam esse dignoscitur, supradictæ ecclesiæ, sicut & omnes alias donationes, si qua de cætero rationabiliter facta fuerit, bonam & gratam habemus, approbamus & confirmamus. In cujus rei testimonium præsentes literas regii & nostri munimine fecimus roborari. Actum in dicta ecclesia Gaudii-vallis anno Domini M. CCXXIV.

LXXXIV.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Fundatio Amalrici de Mellento in gratiam monasterii Albæ-curiæ.

1225. EGO Amauricus de Mellento miles, salutem. Noverit universitas vestra, me pro salute animæ meæ, & patris & matris meæ, & omnium parentum meorum & benefactorum, vivorum ac defunctorum, dedisse & concessisse, & his præsentibus literis confirmasse Deo & ecclesiæ beatæ Mariæ de Alba-curia, & ejusdem abbati & conventui, quamdam capellam, quam in honore beatæ Dei genitricis Mariæ apud Hayam comitis prope Locumveris ædificavi, cum duodecim libris Turonensibus redditus; quos denarios assignavi singulis annis capiendos in festo S. Remigii in meis redditibus de *Quiterne*, & cum tribus acris nemoris mei extra jamdictæ capellæ herbergamentum, videlicet, tali modo quod abbas & conventus jam dictæ abbatiæ, duos suos canonicos sacerdotes ad eamdem capellam transmittent, qui in honore Dei & suæ beatissimæ genitricis Mariæ, in eadem capella servient, & in perpetuum ministrabunt; & cum Deus locum emendaverit, & creverit usque ad valorem viginti librarum redditus, unum alium suum canonicum sacerdotem ad eamdem capellam transmittent, qui cum aliis duobus canonicis ibidem Deo serviet, & in perpetuum ministrabit, &c. Actum fuit hoc publice anno gratiæ 1225. VIII. idus Aprilis.

LXXXV.

Ex chartis D. d'Herouval.

Concordia inter canonicos Carnotenses & monachos sancti Petri.

1225. UNiversis præsentes literas inspecturis, Guillermus cancellarius, Stephanus archidiaconus, & Johannes Blesensis archidiaconus Carnotensis, salutem in omnium Salvatore. Cum inter viros venerabiles decanum & capitulum Carnotense ex una parte, & viros religiosos Guidonem abbatem & conventum B. Petri Carnotensis ex altera, super diversis articulis dissensio multiplex haberetur, placuit partibus quod in nos compromitterent, & compromissum vallarent legitime sub hac forma:

B. decanus & capitulum Carnotense universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus universis, quod cum inter nos ex una parte, & abbatem & monachos S. Petri Carnotensis ex altera, esset discordia super querelis infra scriptis, tandem in hanc formam pacis amicabilem convenimus, videlicet quod tam nos quam ipsi monachi de communi consensu elegimus viros venerabiles & discretos, videlicet Guillelmum cancellarium, Stephanum archidiaconum, Johannem Blesensem archidiaconum Carnotensem, qui juraverunt quod de omnibus querelis utriusque partis infra scriptis bona fide secundum cognitionem, quam per se ipsos vel per alios habent, vel habere poterunt, tam facti quam juris scripti, quam consuetudinis, quam usus utriusque ecclesiæ, videlicet ecclesiæ beatæ Mariæ Carnotensis, & monasterii beati Petri Carnotensis, inspectis instrumentis, quæ partes eis exhibuerunt, reddent utrique parti jus suum, & hoc facient de plano, sine advocatis & sine exceptionibus dilatoriis, ordine judicii non servato: si autem videbitur eis bonum & expediens ab utraque, vel etiam ab altera parte tantum, aliquam probationem exigere, hoc facere poterunt, & utraque pars potestatem cogendi testes concessit eisdem; poterit etiam utraque pars rationes suas in scriptis eisdem tradere ad ipsorum instructionem, & hoc totum facere debent infra Dominicam in Ramis palmarum, nisi terminus fuerit de consensu partium prorogatus. Promisit etiam utraque pars se bona fide observaturam quod isti tres dixerint, & pœnam centum marcharum promisit utra-

A que pars sibi invicem, si dicto prædictorum non staret. Actum est etiam expresse, quod sive isti quocumque casu interveniente dictum suum non dixerint, sive dixerint, & altera pars contravenerit, causa manente in eo statu in quo nunc est, habeatur recursus ad judices delegatos. Poterunt etiam arbitri pronuntiare absente parte altera, die bona fide partibus ad hoc faciendum assignata, & sine partibus procedere poterunt in negotio bona fide. Querelæ capituli beatæ Mariæ Carnotensis sunt istæ: Petit capitulum Carnotense ab abbate & conventu sancti Petri Carnotensis medietatem decimæ de Illeriis cum jure patronatus ecclesiæ ejusdem villæ, & quidquid ibidem spectat ad eos, ut eis dimittant, sicut tenentur ex compositione jurata quam fecerunt cum eodem capitulo. Petit etiam B fructus ejusdem decimæ ab eo tempore quo potuerunt monachi liberare prædictas res ecclesiæ Carnotensi, scilicet a viginti annis elapsis, quindecim libris exinde annuatim deductis, quos fructus qui supersunt, æstimat capitulum quadringentas libras. Petit etiam ut de eo quod ecclesiam dederunt, satisfaciant competenter. Querelæ monasterii sancti Petri Carnotensis sunt istæ: Dicit monasterium sancti Petri, quod solet recipere annuatim a capitulo Carnotensi tantum quantum sex canonici Carnotenses, videlicet duodecim libras Carnotenses de firma eorum, quæ olim erant quatuor precariæ ecclesiæ Carnotensis, videlicet de Masengiaco, de Auversio, de Ungreio, de Normannia, & modo conversæ sunt in utilitatem capituli Carnotensis, sive factæ sint præposituræ, sive non. Modo vero cum per C viginti & sex annos ad minus non fuerit dicto monasterio satisfactum de prædicto redditu, vel de precariis, vel de aliis quæ tenet capitulum Carnotense loco precariarum, vel de præposituris, vel de aliis, petit dictum monasterium sancti Petri a capitulo Carnotensi trecentas libras ratione præteriti temporis; ratione vero futuri temporis, cum sex canonici Carnotenses majorem percipiant utilitatem annuatim ratione dictæ conversionis in utilitatem capituli Carnot. quam quindecim librarum Carnot. petit monasterium S. Petri a capitulo Carnotensi quindecim libras Carnotenses annuatim, vel plus si justum fuerit: quæ prædicta petit monasterium sancti Petri sibi solvi, vel de præposituris, vel de bursa capituli Carnotensis, vel de aliis compensatis, vel excambiatis sibi satisfieri a capitulo beatæ Mariæ D Carnotensis. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo secundo mense Decembri.

EGO Guido divina permissione sancti Petri Carnotensis abbas, totusque ejusdem loci conventus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus universis, quod cum inter nos ex una parte, & capitulum Carnotense ex altera, esset discordia super querelis infra scriptis, tandem in hanc formam pacis amicabilem convenimus, videlicet quod tam nos quam capitulum Carnotense de communi consensu elegimus viros venerabiles & discretos, videlicet Guillelmum cancellarium, Stephanum archidiaconum, & Johannem Blesensem archidiaconum Carnotensem, qui juraverunt quod de omnibus querelis E utriusque partis infra scriptis bona fide secundum cognitionem quam per se ipsos vel per alios habent, vel habere poterunt, tam facti quam juris scripti, quam consuetudinis, quam usus utriusque ecclesiæ, videlicet ecclesiæ beatæ Mariæ Carnotensis, & monasterii beati Petri Carnotensis, inspectis instrumentis, quæ partes eis exhibuerunt, reddent utrique parti jus suum, & hoc facient de plano, sine advocatis & sine exceptionibus dilatoriis, ordine judicii non servato: si autem videbitur eis bonum & expediens ab utraque, vel etiam ab altera parte tantum, aliquam probationem exigere, hoc facere poterunt, & utraque pars potestatem cogendi testes concessit eisdem; poterit etiam utraque pars rationes suas in scriptis eis tradere ad ipsorum

instructionem, & hoc totum facere debent infra Dominicam in Ramis palmarum, nisi terminus fuerit de consensu partium prorogatus. Promisit etiam utraque pars se bona fide observaturam quod isti tres dixerint, & pœnam centum marcharum promisit utraque pars sibi invicem, si dicto prædictorum non staret. Actum est etiam expresse, quod sive isti quocumque casu interveniente dictum suum non dixerint, sive dixerint, & altera pars contravenerit, causa manente in eo statu in quo nunc est, habeatur recursus ad judices delegatos. Poterunt etiam arbitri pronuntiare absente parte altera, die bona fide partibus ad hoc faciendum assignata, & sine partibus procedere poterunt in negotio bona fide. Querelæ capituli beatæ Mariæ Carnotensis sunt istæ: Petit capitulum Carnotense ab abbate & conventu S. Petri Carnotensis medietatem, &c. *ut supra.* Querelæ monasterii sancti Petri Carnotensis sunt istæ: Dicit monasterium sancti Petri, quod solet recipere annuatim a capitulo Carnotensi tantum quantum sex canonici, &c. *ut supra.* Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo secundo mense Decembri.

TAndem vero cum auctoritate hujusmodi compromissi super querelis utriusque partis supra scriptis, bona fide, secundum cognitionem quam per nosmetipsos, vel per alios habuimus, vel habere potuimus, tam facti quam juris scripti, quam consuetudinis, quam usus utriusque ecclesiæ, videlicet ecclesiæ beatæ Mariæ Carnotensis, & monasterii B. Petri Carnotensis, inspectis instrumentis, quæ partes nobis exhibuerunt, & rationibus intellectis & receptis in scriptis, quas partes nobis tradere voluerunt, parati essemus utrique parti jus suum reddere judicio mediante, prælegerunt partes supradictas controversias & querelas motas ad invicem nostræ bonæ fidei pro bono pacis committere, non per judicium, sed ad nostræ voluntatis arbitrium terminandas; promittentes & præstito juramento firmantes, quod ratum haberent & firmum, & inviolabiliter observarent quidquid super hujusmodi controversiis & querelis pro bono pacis duxerimus ordinandum, super quo fecerunt confici suas patentes literas in hunc modum.

UNiversis præsentes literas inspecturis, H. decanus & universum capitulum Carnotense, salutem in Domino. Ad universorum notitiam volumus pervenire, nos promisisse, & juramento præstito firmavisse, quod nos ratum habebimus & firmum, & inviolabiliter observabimus quidquid venerabiles fratres & concanonici nostri Guillelmus cancellarius, Stephanus archidiaconus, & Johannes Blesensis archidiaconus Carnotensis, ad suæ voluntatis arbitrium pro bono pacis duxerint ordinandum super controversiis & querelis, de quibus inter nos ex una parte, & viros religiosos abbatem & conventum sancti Petri Carnotensis ex altera, in prædictos fratres & concanonicos nostros fuerat compromissum, sicut in literis nostris & in literis ipsorum abbatis & conventus confectis super hoc plenius continetur. In cujus rei memoriam & munimen præsentes literas auctoritate sigilli nostri fecimus communiri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo quinto mense Junio.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Guido abbas sancti Petri Carnotensis, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Ad universorum notitiam volumus pervenire, nos promisisse, & juramento præstito juravisse, quod nos ratum habebimus & firmum, & inviolabiliter observabimus quidquid venerabiles viri Guillelmus cancellarius, Stephanus archidiaconus, & Johannes Blesensis archidiaconus Carnotensis, ad suæ voluntatis arbitrium pro bono pacis duxerint ordinandum super controversiis & querelis, de quibus inter nos ex una parte, & viros venerabiles decanum & capitulum Carnotense ex altera, in prædi-

A ctos viros fuerat compromissum, sicut in literis nostris & in literis decani & capituli Carnot. confectis super hoc plenius continetur. In cujus rei memoriam & munimen præsentes literas auctoritate sigillorum nostrorum fecimus communiri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo quinto mense Junio.

NOs itaque de utriusque partis controversiis & querelis pro bono pacis, bona fide, etiam de consensu partium taliter ordinamus: medietas decimæ de Illeriis cum jure patronatus ecclesiæ ejusdem villæ, eamdem medietatem decimæ contingentis, & quidquid spectabat vel spectaverat ibidem ad monachos cum omnibus pertinentiis & proventibus, quod petebat capitulum Carnotense, abbati & monasterio S. Petri B Carnotensis jure perpetuo remanebit, nec in hiis, nec in fructibus præterito tempore perceptis vel in posterum percipiendis ex eis capitulum Carnotense aliquid de cetero poterit reclamare: duos vero presbyteratus ecclesiæ de Illeriis conferent alternatim monasterium S. Petri & capitulum Carnotense, quia ibidem habet & tenet ad præsens ex concessione reverendi patris G. Dei gratia Carnotensis episcopi alteram medietatem ejusdem decimæ cum jure patronatus eamdem medietatem contingentis, & quidquid ibidem olim spectaverat ad episcopatum vel episcopum Carnotensem. Ordinamus etiam ut capitulum Carnotense remittat & quittet abbati & monachis sancti Petri omne jus personale & reale, quod in dicta medietate decimæ de Illeriis, vel proventibus, vel pertinentiis ejusdem me-C dietatis decimæ, & jure patronatus ecclesiæ ejusdem villæ eamdem medietatem contingentis habebat, vel habere poterat capitulum Carnotense. Præter hæc ordinamus, ut capitulum Carnotense remittat quantum in se est abbati & monachis sancti Petri juramentum, quo dicebat dictos abbatem & monachos sibi liberanda prædicta decima, cum jure patronatus & pertinentiis per suas literas obligatos, quarum literarum tenorem præsentibus literis duximus inserendum.

GUIDO divina miseratione sancti Petri Carnotensis abbas, & universitas fratrum ejusdem capituli, universis præsentibus pariter & futuris præsentis paginæ notitiam casu quolibet habituris, salutem in vero salutari. Ex pia antecessorum religione statutum fuit, quod D duas procurationes, alteram in tertia feria Paschalis hebdomadæ, alteram in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli, & potum in vigilia ejusdem festi processioni ecclesiæ Carnot. quando ad nos veniret, annuatim exhiberemus, ut qui causa spiritualis refectionis in divinis laborassent officiis, non sine corporalis alimoniæ refectione redirent: verum quia in dictarum procurationum exhibitione ob turbarum instantiam illis importune, nobis damnose, utrisque inhoneste res fieri videbatur, & verti utrobique pluries in querelam, ad fugam discordiæ & mutuæ affectionis custodiam antiqua illa institutio de consensu utriusque partis retractata est in hunc modum: ita scilicet quod processio illarum personarum, canonicorum, clericorum, matricularum a memoratis procurationibus, & potu, & E missione pastillorum ad personas præfatis diebus de cetero abstineret, & ab eisdem procurationibus perpetuo existeremus quieti & immunes. Nos vero in recompensationem dictarum procurationum, potus & pastillorum, quidquid in decimis apud villam quæ dicitur Illeriis, in jure patronatus ecclesiæ ejusdem villæ, & in aliis, si qua sunt ibidem ad nos spectantia, habebamus, capitulo Carnotensi concessimus perpetuo possidendum, etiamsi ad nos alicujus interdicti occasione processionaliter non venirent. Si autem res memoratas qualibet occasione diminui aut aliquatenus contigerit adnullari, nihil tamen in supradictis procurationibus poterunt reclamare. Verum quia memoratæ res tunc temporis in manu nostra non erant, statutum

fuit quod donec ipsas eis liberaremus, quas nos quam citio possemus bona fide juravimus liberaturos, quindecim libras Carnotenses, septem tertia feria Paschalis hebdomadæ, octo libras in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli sæpedicto capitulo pro prædictis procurationibus, potu & pastillis annuatim redderemus, & sex denarios in utroque festo pueris qui cereis & thuribulo deservirent: sed quia scriptum est *qui non laborat, non manducet*, de assensu utriusque partis firmatum fuit & confirmatum, quod si præfatis diebus ad monasterium nostrum alicujus rei aut interdicti occasione dicta processio non veniret, nullam eis denariorum summam de prædictis procurationibus solvere teneremur. Quod ne possit processu temporis oblivione deleri, aut aliquatenus a posteris in irritum revocari, sigillorum nostrorum appositione fecimus in memoriam præsentem paginam confirmari. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo primo, mense Martio.

Abbas vero & monasterium sancti Petri pro procurationibus, pastillis & potu, quas procurationes, pastillos & potum idem abbas & monasterium processioni & personis beatæ Mariæ Carnotensis consueverant exhibere, annuatim solvent capitulo Carnotensi XXV. libras Carnotenses, videlicet XII. libras tertia feria Paschalis hebdomadæ, & XIII. libras in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli, & sex denarios in utraque processione pueris quos cereis contigerit & thuribulo deservire; quas summas pecuniæ abbas & monachi tenebuntur suis terminis solvere capitulo Carnotensi, etiamsi alicujus interdicti occasione, vel ex alia causa probabili, cui interdicto vel causæ negotium, vel querela, factum, vel culpa abbatis vel conventus, vel cujuslibet monachorum, vel alicujus de eorum familia occasionem præbeat qualemcumque, ad monasterium sancti Petri beatæ Mariæ Carnotensis processio non accedat, præcipue quia fructus prædictæ medietatis decimæ de Illeriis in omnem percepisset eventum, si eam abbas & monachi sancti Petri eidem capitulo liberassent, alias vero termino quo processio beatæ Mariæ ad monasterium B. Petri non accesserit, summam illius termini nullatenus solvere tenebuntur. De querelis etiam quas abbas & monachi sancti Petri habebant contra decanum & capitulum Carnotense, taliter ordinamus: præpositurae antiquæ de Nogento, de Fontaneto, de Amilliaco, de Belsia cum omnibus præpositurarum proventibus & redditibus, qui olim fuerunt præpositis deputati, & omnes præpositurarum pertinentiæ, cum omni suo emolumento & onere, Carnotensi capitulo integre & pacifice in perpetuum remanebunt, præpositurae novæ de Normannia, de Masengiaco, de Auversio, & de Unogradu, quæ fuerant olim precariæ, cum omnibus redditibus, & proventibus, & pertinentiis earumdem precariarum, cum omni emolumento & onere novis præpositis remanebunt; nec abbas vel monachi sancti Petri in præposituris antiquis, vel redditibus, seu proventibus & pertinentiis, quas Carnotense capitulum modo habet, nec in præposituris novis, quæ fuerunt olim precariæ, vel in redditibus, seu proventibus & pertinentiis, quas novi præpositi modo habent, nec in fructibus præterito tempore perceptis vel percipiendis ex antiquis præposituris vel novis, aliquid inposterum poterunt reclamare. Ordinamus etiam ut idem abbas & monachi remittant & quitient capitulo Carnotensi & novis præpositis jus omne, si quod habebant vel habere poterant, in antiquis præposituris, vel novis, vel in proventibus, vel redditibus, vel pertinentiis earumdem, vel in fructibus, qui futuro tempore percipientur ex eisdem, vel qui ex eis præterito tempore sunt percepti. Præcipimus etiam partibus in virtute præstiti sacramenti, quod ordinationi nostræ, quam pro bono pacis fecimus, assensum præbeant in præsenti, & eam observent inviolabiliter in futuro, & de hoc suas patentes literas ad invicem sibi tradant. Præcipimus etiam partibus quod jurent quod hanc ordinationem fideliter & firmiter observabunt, nec contra eam aliquo venire tempore, per se vel per alium attentabunt. In cujus rei memoriam & munimen præsentes literas auctoritate sigillorum nostrorum fecimus communiri. Actum anno Domini M. CC. XXV. mense Julio.

LXXXVI.

Erectio monasterii Arcissarum in abbatiam.

Ex historia comitum Pertici ab Egidio Bry conscripta. 1225.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Nos Guillelmus Dei gratia Catalaunensis episcopus & comes Pertici, inspirante Domino nostro Jesu Christo & gloriosa Virgine matre ejus, saluti animæ meæ & antecessorum nostrorum providere cupientes, in loco qui dicitur *Arcisses*, quem dilecti in Christo abbas & conventus Tironensis cum omnibus pertinentiis suis nobis liberaliter contulerunt, quamdam abbatiam in honore genitricis Dei virginis Mariæ, sub abbatia sancti Salvatoris de Tironio ejusdem ordinis, pia intentione statuimus de redditibus nostris, possessionibus & bonis aliis, in præsenti seculo nobis a Deo collatis fundare, & ædificare intendimus, & dotare, ea quæ inferius exprimentur, dictæ abbatiæ & monachis ibidem Deo servientibus, tam in terris, quam nemoribus, molendinis, bladis, vineis, stagnis, pratis, redditibus & rebus aliis in puram eleemosynam libere & quiete, pacifice & absolute concedentes, conferentes in perpetuum, & in hunc modum assignantes. Videlicet omnia molendina nostra de Rivereyo, tam ad bladum quam ad tanium: ita quod nos, nec heredes nostri, nec illi qui castellaniam de Rivereyo tenerent, in tota castellania de Rivereyo alia poterunt de cetero construere molendina, nec in eisdem aliquid reclamare, sed dicti monachi ejusdem abbatiæ modis omnibus dicta molendina sine contradictione aliqua meliorare, augmentare poterunt, & prout utilitati suæ potius viderint expedire. Dedimus & concessimus apud Rivereyum quinque arpenta vinearum nostrarum, & quoddam arpentum apud Nogentum, quod comparavimus de Thoma Bouvet; dedimus & concessimus omnia prata nostra quæ habebamus apud Condeium, & quamdam partem pratorum nostrorum quam habebamus apud Tilium, videlicet omnia prata quæ nuncupantur de Larefar; dedimus etiam & concessimus apud Marchesvillam tres carrucatas terræ contiguæ, ita quod illi qui excolent illas terras, in nostris nemoribus de Marchesvilla usuarium suum habebunt libere & quiete, videlicet nemus vivum ad herbagium, & nemus mortuum ad calefaciendum, & pessonem porcorum suorum, & pasturam aliorum animalium suorum, ibidem in domibus suis nutritorum. Dedimus & concessimus totam emptionem quam fecimus ab Odone de Ulmo & heredibus suis apud Nongentum, videlicet herbergamentum, virgulta, terras, redditus, molendina, & omnes res ad eamdem emptionem pertinentes, cum omni libertate & immunitate quam prius tenebamus; dedimus & concessimus stagnum de Bernellis, cum omni libertate qua ipsum tenebamus, ita quod ibidem facere poterunt & construere quidquid prius ibidem facere & construere poteramus. Dedimus & concessimus medietatem nemoris nostri de Maurisylva nobis in eodem continentem, quod quicquid monachi quondam in eodem nemore habebant in nostra parte, de cetero non haberent. Dedimus & concessimus in foresta nostra de Perchet, decem quercus ad valorem decem librarum ad usum vinearum suarum annuatim & domorum: & si forte grossum nemus aliquo tempore deficere contigerit, de alio nemore quod ibidem erit, & de meliori percipere poterunt annuatim usque ad valorem decem librarum annuatim; & si capere noluerint, ille qui tenebit dictam forestam, quisquis sit, loco supradicti

nemoris, monachis supradictis decem libras communes monetæ Perticensis reddere tenebitur annuatim; volumus etiam quod supradicta abbatia & illius monachi, omnia supradicta sicut divisa sunt in diversis locis, & libere, quiete, pacifice & absolute in perpetuum teneant & possideant cum eadem libertate & immunitate, qua nos & antecessores nostri quondam tenuimus & possedimus. Quod ut ratum & stabile in perpetuum remaneat, præsentem paginam sigilli nostri munimine roboravimus. Actum apud Thiron anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quinto mense Septembri die Nativitatis beatæ Mariæ virginis.

LXXXVII.

Ex autogr. S. Petri.

Fundationem Aquæ approbat G. abbas S. Petri.

1226. G . . . divina permissione sancti Petri Carnotensis abbas, totusque ejusdem loci conventus, universis presentem paginam inspecturis, salutem in Domino. Noveritis universi quod nos ob favorem nobilium comitis & comitisse Carnotensis, & ad petitionem reverendi patris G . . . episcopi Carnotensis, concessimus quod in parochia nostra sancti Victurii de Vere, in terra domine Veris, salvo in omnibus jure abbatis nostri & ecclesie, tam archidiaconali, quam alio ad nos pertinente in parochia supradicta, secundum quod se habet ordo Cisterciensis erga archidiaconos suos & prelatos, salvo etiam jure presbyteri parochialis parochie supradicte, liceret construi abbatiam monialium ordinis Cisterciensis; ita quod predictus pater de dampnis, si que nobis contingerent ex dicta concessione, nobis tenetur satisfacere, & ad plenum providere. Item idem pater tenetur providere ut presbyter parochialis dicti loci super jure suo parochiali indemnis conservetur; ita quod propter predictam concessionem nullum ad nos posset habere recursum. In cujus rei memoriam & testimonium presentes literas sigillorum nostrorum munimine fecimus confirmari. Actum anno Domini M.° CC.° vicesimo quinto mense Februario.

LXXXVIII.

Ex autogr. S. Petri.

Episcopi diœcesani pro fundanda Aqua consensus.

1226. GALTERUS divina permissione Carnotensis ecclesie minister humilis, in Domino salutem. Noveritis universi quod dilecti nostri Guido abbas & conventus sancti Petri Carnotensis, ob favorem nobilis Johannis comitis & Isabelle comitisse Carnotensis ad petitionem nostram concesserunt quod in parochia sua S. Victurii de Vere, in terra domine Veris, salvo in omnibus jure abbatis sui & ecclesie sue, tam archidiaconali quam alio ad ipsos in dicta parochia pertinente, secundum quod se habet ordo Cisterciensis erga archidiaconos suos & prelatos, salvo etiam jure presbyteri parochialis & parochie predicte, liceret construi abbatiam Cisterciensis ordinis; ita quod nos de dampnis, si que ipsis contingerent ex dicta concessione, ad plenum satisfacere teneremur, & etiam quod presbyterum parochialem indempnem conservaremus; ita quod ad ipsos nullum posset habere recursum. Nos autem volentes dictorum abbatis, & conventus, & presbyteri parochialis dicti loci jus illesum conservare; approbantes etiam dictam concessionem nobis factam, salvo jure eorum tam archidiaconali, quam alio in predicta parochia, quam presbyteri parochialis, prout superius est expressum, promisimus quod tam de dampnis eorumdem abbatis & conventus, quam presbyteri parochialis, ipsis ad arbitrium abbatis & prioris sancti Petri Carnotensis, qui pro tempore fuerint, ad plenum satisfaciemus. In cujus rei memoriam & testimonium presens factum & scriptum sigilli nostri munimine fecimus confirmari. Actum anno Domini M.° CC.° vicesimo quinto mense Februario.

LXXXIX.

Fundatio & dotatio abbatiæ monialium de Aqua. *Ex autographo.*

EGO Johannes comes Carnotensis & dominus Oysiaci, & ego Isabella comitissa Carnotensis, & domina Ambasiæ, uxor ejus, omnibus presentes literas inspecturis notum facimus, quod nos amore Dei, & pro remedio animarum nostrarum & antecessorum nostrorum fundavimus quamdam abbatiam monialium ordinis Cisterciensis in honore Dei, & beatæ Mariæ virginis, & omnium sanctorum, apud Aquam sitam prope Carnutum; & eisdem monialibus, & aliis in eadem abbatia de cetero Deo servientibus dedimus, & habere concessimus in puram & perpetuam eleemosynam L. libras annui reditus, videlicet in festo sancti Remigii XXX. libras, & in Pascha Domini XX. libras in prefectura nostra Carnotensi annuatim percipiendas. Quod ut ratum & stabile permaneret, literis nostris commendavimus, & sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Datum anno Domini M. CCXXV. mense Aprili. 1226.

XC.

Literæ associationis monasterii B. Johannis in Valle Carnot. cum monasterio S. Quintini Belvacensis. *Spicil. t. XI. pag. 367.*

UNiversis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, Garnerus ecclesiæ beati Johannis de Valeia Carnotensis abbas humilis, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. 1228. Cum secundum Apostolum omnes simus unum corpus in Christo, singuli autem alterius membra; sicut nec corpus a capite, ita nec membra corporis censeri debent a membris capitis aliena: cum igitur a longe retroactis temporibus a visceribus matris nostræ ecclesiæ beati Quintini Belvacensis fuerimus spiritualiter propagati, & ab ipsa tanquam a fonte sacræ religionis fluenta sumpserimus per venerabilem patrem ac venerandæ memoriæ Ivonem, qui cum floreret in eadem ecclesia religionis novella plantatio sub beati Augustini regula digne Omnipotenti militans, fratribus ibidem Deo servientibus abbas præfuit; sed tanti patris sanctitas eminens tanquam civitas in virtutum acumine constituta, diu latere non potuit; quinimo ejus religionis celebri fama longe lateque diffusa Dei voluntate præambula, adeptus est cathedram ecclesiæ Carnotensis, qui ecclesiæ nostræ patronus & fundator exstitit, & inter alia beneficia quæ nobis paterna pietate contulit, ad ultimum in signum dilectionis & perpetui fœderis thesauro sui corporis, ac suæ sepulturæ præsentia nostram ecclesiam illustravit: unde cum internæ dilectionis affectu nos pius pater & patronus dilexerit, sicut in fine patuit, dignum fuit ut canonici sancti Quintini ejus spirituales filii a patris actibus non degeneres, tum propter ejusdem ordinis similitudinem, tum propter paternam venerantiam & ejusdem corporalem præsentiam quasi triplici funiculo juncti nobis essent spiritualiter & uniti; & rursus vice versa decens fuit admodum & honestum, tum quia eandem normam ordinis profitemur, tum quia ab eis observantiarum regularium primitias habuimus, ut ipsis essemus tanquam membrum suo cohærens capiti grata vicissitudine, indissolubili charitatis fœdere fœderati; verum quia tantæ dilectionis confœderatio usquemodo per negligentiam vel oblivionem novercam memoriæ tepide fuit & segniter observata, eam nostris temporibus renovare volentes, de communi fratrum nostrorum consilio, & ipsorum beneplacito & assensu, societatem cum eis contrahimus spiritualem, præsentibus literis annotatam; sed quoniam quanto anima præpollet corpori, tanto spiritualia corporalibus præferuntur, a spiritualibus inchoantes, dilectissimis fratribus nostris canonicis sancti Quintini Belvacensis, de fratrum nostrorum

unanimi consensu concedimus participationem orationum, & eleemosynarum, & aliorum bonorum quæ fiunt & fient amodo, tam in nostræ congregationis capite, quam in membris: id etiam statuentes quod quandocumque obitus abbatum beati Quintini nobis nuntiari contigerit, statim audito obitu, novem lectionum officium, & in sequenti die *Beati immaculati*, & missam matutinalem cum diacono & subdiacono solemniter faciemus; nomina ipsorum abbatum in nostro martyrologio conscribentes, & revoluto cujuslibet anni curriculo ipsa die obitus amodo præbendam panis & vini eisdem concedimus per manum eleemosynarii pauperibus erogandam: de canonicis autem ejusdem ecclesiæ est a nobis provida deliberatione statutum, quod audito canonici obitu, novem lectionum officium, & *Beati immacnlati*, & missam matutinalem pro ipso decantabimus, præbendam unius canonici ea die pro ipso pauperibus assignantes: quilibet autem nostræ congregationis canonicus & sacerdos unam missam, & alii non sacerdotes unum psalterium decantare, tam pro abbate quam pro canonico mortuo tenebuntur; sane propter hæc quæ circa obitus abbatum & canonicorum sic specialiter sunt expressa, nolumus intermitti illud commune anniversarium & solemne, quod pro communitate canonicorum sancti Quintini singulis annis facere consuevimus, immo etsi diligenter fecimus, diligentius in posterum faciemus; illud etiam salubri consilio statuentes, quod si aliqua persona extranea aliquod gravamen ecclesiæ B. Quintini intulit, tam in consilio quam in auxilio, eidem tenebimur subvenire. Et ut major inter nos & ipsos familiaritas denotetur, statuimus quod quandocumque aliquem de ipsorum canonicis ad nos quocunque modo venire contigerit, nisi eum fugitivum vel excommunicatum esse constiterit, ipsum recipiemus gratanter, eum quamdiu apud nos moram fecerit fratrem nostrum & concanonicum reputantes. Ut autem prælibata societas recensita frequentius non marcescat, insinuatione præsentium literarum venerabilem patrem abbatem sancti Quintini affectuosissimis precibus exoramus, quatenus frequentissime, quod optamus, vel ad minus semel in anno dignetur sui gratia nos videre. Et ut hæc quæ superius sunt statuta inposterum firmius conserventur, præsentes literas fecimus annotari, & sigillorum nostrorum munimine roborati. Datum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo.

X C I.

Ex autographo. *Dotatio monialium de Pantoison, modo de Aqua.*

1229. EGO Johannes comes Carnotensis, & ego Isabella uxor ejus notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod Nicolaus filius Guidonis quondam majoris sancti Petri Carnotensis, concessit nobis & quittavit de assensu abbatis & conventus sancti Petri Carnotensis ad edificationem abbatie monialium de Pantoison faciendam liberam & hostisias in feodo de Pantoison, de quo feodo ipse est homo ligius abbatis & conventus sancti Petri Carnotensis; videlicet domum que fuit Radulphi Hure cum appendiitiis suis, & que erant de dicto feodo, que tenebant filii defuncti Radulphi Hure, scilicet Girardus, Laurentius, Philippus & Isabella ad censum a dicto Nicolao, & domum defuncti Clementis molendinarii cum appenditiis que similiter erant de dicto feodo, que tenebant Eremburgis quondam uxor ipsius Clementis & heredes sui ad censum ab ipso Nicolao. Concessit etiam nobis & in nos transtulit quicquid juris & justicie ad ipsum spectabat, tam in decimis & terris, quam in omnibus aliis contentis infra metas abbatie monialium de Pantoison limitatas & ordinatas tempore date presentium literarum: nos vero in commutationem & excambium, & recompensationem omnium predictorum, & juris & justicie que in predictis dictus Nicolaus habebat, concessimus & donavimus eidem Nicolao & ejus successoribus in perpetuum octo barillos terceolagii annui redditus, qui barilli vulgariter appellantur *Cesteres*, tales de quibus sex faciunt modium Carnotensem, in tribus arpentis vinearum, que sunt Agnetis relicte defuncti Guillelmi & Alis, & heredum ejus, in uno arpento vinearum, que sunt Gilloti dicti Magni, & Marie uxoris ejus, inter viam que ducit ad Soors & Bellumlocum monachorum sitis in vindemiis, a predicto Nicolao & ejus successoribus singulis annis integre & libere percipiendos. Quos octo barillos terceolagii annui redditus dictus Nicolaus tenebit a dictis abbate & conventu S. Petri Carnotensis in feodum, cum alio feodo de Pantoison. Preterea in recompensationem & excambium omnium predictorum, & juris & justitie que in predictis dicti abbas & conventus habebant, ne ipsorum feodum in aliquo diminueretur, concessimus, voluimus & volumus ut dicti octo barilli terceolagii annui redditus sint de feodo dictorum abbatis & conventus, & quod idem juris & justitie habeant dicti abbas & conventus in predictis octo barillis terceolagii & in vineis de quibus percipiunt, quod nos habebamus ratione terceolagii. Et sicut propter defectum dicti Nicolai vel ejus successoris, qui predictos octo barillos terceolagii annui redditus tenebit in feodum a dictis abbate vel conventu, vel ob alias causas competentes, poterunt dicti abbas & conventus assignare ad res predictas; & licebit dictis abbati & conventui assignare ad dictos octo barillos terceolagii annui redditus in dictis vineis, & in manu sua capere sine aliqua contradictione. Et sub hac forma & hoc modo accepit dictus Nicolaus dictos octo barillos terceolagii annui redditus in feodum a dictis abbate & conventu sancti Petri Carnotensis de assensu & voluntate nostra. In cujus rei testimonium & confirmationem nos presentes literas scribi fecimus, & sigillorum nostrorum appositione communiri. Actum anno gratie millesimo ducentesimo vigesimo nono mense Decembri.

X C I I.

Ludovicus rex Carnotensi episcopo Vallis viridis porprisiam extra Parisios concedit.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. 1230.
Universitati vestræ notum facimus, quod nos dilectionis & devotionis affectum, quem ad nos habet dilectus ac fidelis noster G. Carnotensis episcopus attendentes, porprisiam quamdam suam extra muros Parisienses prope ecclesiam beatæ Mariæ de Campis, quæ olim fuit Fratrum Minorum, & Vallis viridis nuncupatur, sicut clausura murorum loci ipsius se comportat, memorato episcopo suisque successoribus ad ecclesiæ suæ Carnotensis . . . . . . in augmentum regalium concessimus in perpetuum libere possidendam. Quod ut ratum & firmum permaneat, præsentes literas sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum anno Domini 1230. mense Septembri.

X C I I I.

Testamentum Galteri Carnotensis episcopi.

OMnibus præsentes literas inspecturis, Galterius permissione divina Carnotensis ecclesiæ minister 1234.
humilis, salutem in Domino. Notum fieri volumus, quod nos considerata hujus vitæ incertitudine, volentes nobis in futurum præcavere, dum adhuc essemus in bono statu, de mobilibus nostris taliter duximus ordinandum & disponendum. Volumus igitur & præcipimus ut omnia mobilia nostra ubicumque sint, tam in blado quam in vino, quam etiam in equis, vasis argenteis, anulis, & rebus aliis quibuslibet, vendantur per manus executorum nostrorum qui inferius nominabuntur, & omnia debita nostra, quæ debemus, ante

omnia persolvantur. Debita autem quæ debemus sunt hæc: illustri dominæ Blanchæ Francorum reginæ mille libræ Turonenses, quarum medietas ad instantem Purificationem B. Mariæ, & alia medietas ad Ascensionem Domini proximo venturam est persolvenda; abbati de Strata sexcentæ libræ Parif. ibi persolvendæ ubi ipse novit, quia eas habueramus per manum ipsius; abbati Bonevall. 150. libræ Turonenses; abbati sancti Launomari Blesensis 200. libræ Parisienses; abbati sancti Petri Carnotensis 100. libræ Parisienses; 200. libræ Parisienses quas habuimus a Johanne Burgensi de Medonta, distribuantur æqualiter hiis piis locis, scilicet Fratribus Prædicatoribus sancti Jacobi, Fratribus Minoribus, monialibus de Aqua, infirmis de Bonleuga, & mulieribus conversis, quæ Filiæ Dei nominantur Carnot. Item octoginta libræ Parisienses, quas habuimus a dicto Johanne Burgensi de Medonta, altera vice dentur monialibus de Aqua. Item ducentæ libræ Turonenses, quas habuimus aliquando a domina regina, dum essemus cum ipsa & cum domino rege in Britannia, & multa expendissemus, persolvantur eidem, si eas habere voluerit, quod non credimus. Aliqui tamen de executoribus nostris accedant ad ipsam, & loquantur super hoc cum eadem. Item census, quos acquisivimus & emimus a vicedomino Carnotensi inter villam Carnotensem, damus & dimittimus ecclesiæ Carnotensi in perpetuum habendos pro anniversario nostro singulis annis in perpetuum faciendo; ita quod quilibet clericus chori qui interfuerit eidem anniversario, habeat sex denarios, & matricularii simul quinque solidos; totum residuum usque ad summam centum solidorum distribuetur canonicis qui anniversario nostro interierunt, ita quod medietas distribuetur illis qui vigiliis interierunt, & medietas illis qui missæ interierunt. Quos census si episcopus habere voluerit, & dictos centum solidos in anniversario persolvere modo supradicto, habeat eos cum vendis & omni alio jure. Quod si eos episcopus habere noluerit, habeat eos capitulum in totum cum vendis & omni alio jure, ita duntaxat quod totum distribuatur in anniversario nostro modo supradicto. Item relictæ Stephani de Nicochet debemus LX. libras Carnotenses, ecclesiæ Columbensi L. libras Parif. quas habuimus per manum O. quondam cellerarii ejusdem loci cum adhuc esset cellerarius, & LXX. libras eidem ecclesiæ ex alia parte, quas habuimus per manum abbatis ejusdem loci Item capicerio Carnotensi XXV. libras Turonenses, & alia omnia minuta debita quæ frater Hugo novit, ubi debemus persolvantur, & volumus ut fratri Hugoni super hiis & omnibus aliis quæcumque spectant ad negotia nostra, credatur indubitanter tanquam nobis, utpote qui est vir religiosus & in omni veritate & fidelitate probatissimus. Item magistro Reginaldo Carum tempus L. libras Turonenses. Item L. libræ Turonenses, quas quondam habuimus de intestatis, volumus ut distribuantur pauperibus & piis locis nostræ diœcesis. Item volumus ut si de mobilibus nostris post solutionem debitorum nostrorum superfuerit, C. libræ Turonenses dentur in subsidium Terræ sanctæ, & C. libræ Turonenses ecclesiæ Pontiniacensi, totum vero residuum mobilium nostrorum quidquid remanserit, distribuatur per manus executorum nostrorum piis locis & pauperibus, ubi melius viderint faciendum. Quod si de mobilibus nostris omnia debita nostra non potuerint persolvi sufficienter, volumus & præcipimus ut etiam capellæ nostræ vendantur, & plena debitorum solutio fiat. Si vero absque earum venditione debita possint persolvi, capellæ nostræ dentur hiis locis: ecclesiæ Carnotensi detur magna capella nostra de baldequino antiquo, casula scilicet, dalmatica & tunica, insuper & mitra nostra, & baculus sive crocia: ecclesiæ Pruliacensi, in qua nobis elegimus sepulturam, dentur dalmatica & tunica de baldequino novo, & casula de melioribus casulis nostris. Deinde ecclesiæ Fontis Joannis, Eleemosynæ, Cisterc. Pontiniacens. Bonevall. detur unicuique earum capella una, una casula cum dalmatica & tunica. De gentibus & familia nostra, qui nobis servierunt, dimittimus super fratrem Hugonem, qui eos melius novit, ut ad ipsius arbitrium quibus & quantum sit dandum, detur. Executores autem hujus testamenti & ordinationis nostræ, per quorum manus & prudentiam hæc omnia, sicut hic sunt expressa, diligenter ac fideliter compleantur, esse abbates volumus & constituimus viros venerabiles & amicos nostros Pruliacensem, Eleemosynæ, Cisterciensem, & de Strata ordinis Cisterciensis, Stephanum archidiaconum, vel Henricum fratrem ejus archidiaconum Blesensem, & Matthæum subdecanum Carnotensem, & fratrem Hugonem conversum Vallium Sarnaii procuratorem domus & negotiorum nostrorum. Ut autem hæc firma habeantur & rata, conscribi fecimus diligenter, & sigillo nostro roborari. Actum anno Domini 1234. in vigilia beati Nicholai episcopi & confessoris.

XCIV.

Judicium in reos necis Joannis prioris de Gisiaco. *Ex tabulario monasterii S. Petri in Valle.* 1246.

UNiversis præsentes literas inspecturis officialis curiæ Carnotensis, in Domino salutem. Noveritis quod cum mors religiosi viri Joannis quondam prioris de Gisiaco imponeretur Roberto de Villeta militi & Guillelmo Perier armigero, & propter hoc essent de terra domini regis banniti, tandem de hac impositione sibi facta ad hanc pacem coram nobis devenerunt. Prædicti miles & armiger facient processiones, quæ vocantur vulgariter *Hachées*, unam & primam a loco in quo dicuntur maleficium perpetrasse, usque ad sepulturam prædicti prioris, aliam in ecclesia Rothomagensi, & alias in ecclesiis cathedralibus provinciæ Rothomagensis, singulas in singulis, & unam in ecclesia Parisiensi, aliam in ecclesia Carnotensi, aliam in ecclesia sancti Petri Carnotensis, alias processiones facient in diebus Dominicis, vel in solemnibus festivitatibus, si inciderint, nudis pedibus, induti bracis & camisiis de grossissimo sacco, & prædictus armiger habebit in collo suo panellum suum perforatum, & caput suum emittet per foramen, & virgas deferent in manibus suis, & sic facient in singulis processionibus prædictis, quousque singulæ compleantur omnino: & in singulis processionibus dicent sic alta voce: Nos facimus hoc pro facto quod imponebatur nobis de morte Joannis quondam prioris de Gisiaco & pro bono pacis, & de singulis ecclesiis referent literas testificantes quod fecerint processiones modo qui hic est expressus. Item prædictus miles & Petronilla uxor ejus, necnon & armiger prædictus nunquam de cetero habebunt, nec facient estagium suum, sive residentiam suam, in terra vel dominio seu potestate monasterii sancti Petri Carnotensis, vel prioratuum ejusdem: nec tenebunt aliquid de ecclesia sancti Petri Carnotensis, vel prioratibus ejusdem, nec aliquid acquirent nec acquirere poterunt unquam sub potestate & dominio sancti Petri Carnot. vel prioratuum ejusdem. Item prædicti miles & Petronilla uxor ejus, & dictus armiger, si quid habent vel possident sub dominio & potestate sancti Petri Carnotensis, vel prioratuum ejusdem, illud vendent aut permutabunt, & omnino ponent in perpetuum extra manum suam, & quantum ad proprietatem, & quantum ad possessionem. Item prædicti Robertus miles & Petronilla uxor ejus, & dictus Guillelmus armiger sub dominio & potestate prioris & prioratus de Gisiaco nunquam poterunt prandere, vel cœnare, vel pernoctare, sed si necesse habuerint iter agere per terram prædicti prioratus, transire poterunt tantummodo per eam, per aliam autem terram pertinentem ad monasterium sancti Petri Carnotensis, si necesse fuerit eis iter peragere, poterunt prandere, cœnare & pernoctare, hoc salvo quod nunquam poterunt habere vel facere estagium suum sive

residentiam suam sub dominio & potestate sancti Petri Carnotensis, sicut superius est expressum. Item prædicti miles & Petronilla uxor ejus ballum Simonis filii Johannis quondam majoris de Fontaneto militis dimiserunt & resignaverunt coram nobis in manu abbatis sancti Petri Carnotensis, & eidem abbati quittaverunt & donaverunt coram nobis ad faciendam inde suam voluntatem: qui prædictus Simon juravit coram nobis excambiare & assignare de consilio amicorum suorum prædictæ Petronillæ matri suæ dotalitium suum in terra, quam idem Simon habet extra dominium & potestatem S. Petri Carnotensis & prioratus de Gisiaco, facta legitima æstimatione terræ suæ per probos & fide dignos, & dicta Petronilla excambium sibi factum recipiet & acceptabit: & si prædicta terra sua quam prædictus Simon habet extra dominium & potestatem S. Petri Carnotensis & prioratus de Gisiaco, non suffecerit ad valorem dotalitii in pecunia æstimati, residuum dotalitii æstimatum in pecunia solvet annuatim matri suæ in certa pecuniæ quantitate in termino vel in terminis qui ad hoc faciendum præfigentur; & si dictus Simon defecerit in solvendo ad terminum, vel terminos qui præfixi fuerint, abbas sancti Petri Carnotensis dominus suus compellet eum ad solvendum, & tradet dictæ Petronillæ literas suas de compellendo ipsum Simonem; & si abbas sancti Petri nollet ipsum compellere, aut in compellendo esset negligens & remissus, dicta Petronilla tamen propter hoc ad terram vel ad redditus quoscumque existentes sub dominio vel potestate sancti Petri Carnotensis, vel prioratuum ejusdem, vel ad aliquid aliud existens sub eisdem dominio & potestate nullo modo poterit assignare, nec facere assignari. Item prædictus miles in nativitate B. Joannis Baptistæ quæ erit anno Domini 1248. iter Jerosolymitanum arripiet, & postquam mare transierit, in terra Transmarina moram faciet per tres annos continue, & transactis illis tribus annis frater Herveus dictus Blondel, nunc abbas Bonevallis, poterit, si voluerit, eum revocare infra duos annos postea proximos sequentes; & si prædictus abbas Bonevallis alibi transferretur, ubicumque erit, ejusdem revocationis potestatem habebit; & si idem abbas Bonevallis interim decesserit, dominus archiepiscopus Rothomagensis, qui pro tempore erit, ejusdem revocationis similiter potestatem habebit; & si infra prædictos duos annos, nec per prædictum abbatem, nec per prædictum archiepiscopum revocatus fuerit, elapsis & completis in terra Ultramarina quinque annis, libere reverti poterit dictus miles. Similiter dictus armiger iter Jerosolymitanum arripiet in nativitate B. Johannis Baptistæ prædicta, & per annum continuum in terra moram faciet Transmarina. Istam pacem, prout superius est expressa, in singulis articulis superius expressis concesserunt & acceptaverunt coram nobis prædicti Robertus de Villeta miles, Petronilla uxor ejus de voluntate & mandato dicti Roberti mariti sui, & dictus Guillotus armiger, & tactis sacrosanctis juraverunt dictam pacem bona fide in omnibus articulis observare, & contra eam in nullo unquam venire, supponentes se spontanee in omnibus præmissis jurisdictioni curiæ Carnotensis, ubicumque transferant domicilia vel personas. Insuper pacem istam manuceperunt pro dicto milite coram nobis Guillelmus Gaulart de Villete & Petrus de Florecort milites, & Eustachius de Guetreville armiger, & tactis sacrosanctis juraverunt coram nobis, quod si prædictus miles pacem istam non observaverit, aut in aliquo unquam contravenerit, ipsi & singuli eorum prisionem tenebunt Carnotis ad submonitionem abbatis S. Petri Carnotensis infra muros, donec dictus Robertus de Villeta miles illum articulum hujus pacis adimpleverit contra quem venerit, & quod hanc prisionem totiens tenebunt Carnotis ad submonitionem abbatis sancti Petri Carnotensis, quotiens dictus miles Robertus de Villeta contra pacem in aliquo venerit supradictam, supponentes se spontanee quantum ad hoc jurisdictioni curiæ Carnot. ubicumque transferent domicilia vel personas. Insuper prædictus Guillelmus Gaulart, Petrus de Florecort milites, & Eustachius armiger, dictusque Robertus de Villeta miles recognoverunt coram nobis quod Joannes Gaulart, Guillelmus Malusvicinus, Guillelmus de Boonville, Guillelmus de Emanville, Joannes de Dammeville, Eustachius de Mamiliaco, Stephanus de Meherou, Stephanus de Mesnilio, Petrus Bovenel, Petrus de sancto Cyrico, Simon de Cauda milites, Petrus de Guetreville, Guido de Villeta, & Adam de Villeta armigeri manuceperant prædictam pacem pro prædicto Roberto milite de Villeta simili modo & simili præstito juramento. Præterea Nales soror prædicti Joannis defuncti quondam prioris de Gisiaco de voluntate & assensu Raginaldi de Ucheriis ejus mariti, & etiam idem Reginaldus pacem prædictam in omnibus & singulis articulis acceptaverunt, juramento tactis sanctis præstito promittentes quod contra pacem istam nunquam venient, nec prædictis Roberto militi de Villeta & Guillelmo Perier armigero occasione mortis prædicti Joannis prioris, aliquod malum facient, nec per quemcumque in curia vel extra curiam hanc procurabunt. Insuper abbas sancti Petri Carnotensis prædictam pacem pro conventu suo voluit & acceptavit coram nobis; & hæc pax ita demum tenebit, si dominus rex eam concesserit: & statim post concessionem domini regis infra tres septimanas proximo tunc sequentes prædicti Robertus de Villeta miles & Guillotus Perier armiger, processiones incipient facere supradictas, & prædictam pacem deinceps, prout tenentur, ut superius est expressum, adimplebunt; & similiter dicta Petronilla uxor dicti Roberti pacem, prout tenetur, ut superius est expressum, deinceps adimplebit. In cujus rei & facti testimonium, robur & firmitatem præsentes literas ad petitionem & instantiam prædictorum Roberti de Villeta militis, Petronillæ uxoris ejus, Guillelmi Perier armigeri, Simonis filii Johannis quondam majoris de Fontaneto militis, Guillelmi Gaulart de Villeta militis, Petri de Florecort militis, Eustachii de Guetreville armigeri, Nales sororis prædicti defuncti Joannis prioris, & Reginaldi de Ucheriis mariti ejus, & dicti abbatis sancti Petri Carnotensis, sigillavimus sigillo curiæ Carnotensis. Actum anno Domini 1246. mense Julio die Dominica in octavis beatæ Mariæ Magdalenæ.

X C V.

Capitulum Carnotense apud Meduntam transfertur. *Ex chartario cap. Carnot.* 1253.

GILO D. G. Senon. archiep. R. Paris. G Aurelian. G. Autissiodor. P. Meldensis & N. Trecensis eadem gratia episcopi, venerabilibus viris & in Christo dilectis R. decano totique capitulo Carnotensi, salutem & sinceram in Domino caritatem. Versutiis humani generis inimici, qui nocte dieque circuit quærens quem devoret, est a christianis Deo fidelibus, maxime ab illis quibus est aliorum cura commissa, prout videtur expediens, obviandum; præsertim in loco, ubi idem inimicus suæ crudelitatis aculeos ministrorum suorum pernicioso officio præsentialiter noscitur exercere, ut in tuto sit innocentia & refrænetur audacia malignandi, furorque in cursu existens cedenti nocere nequeat, ut jam fecit. Cum igitur causa necis horribilis & horrendæ piæ recordationis R. quondam cantoris Carnot. communi & deliberato consilio concilii auctoritate ad locum ipsum duxerimus accedendum, invenientes ex certis indiciis & conjecturis non multum dubiis, tutum non esse, nec expediens Carnotensi ecclesiæ hiis diebus quod moram ibi faciat capitulum propter pericula quæ inde possent contingere infinita, & quod prodesse quandoque loci mutatio consuevit, ut innocentes securi impiis nocendi opportunitate sublata, horis quietis & debitis valeant Domino famulari. Non sine cordis amaritudinibus & dolore, sed quia via tutiori semper est

eſt procedendum, approbatione provincialis concilii & conſenſu majoris & ſanioris partis canonicorum Carnot. inventorum ibidem, cum omnes eſſent coram nobis vocati ad locum eumdem, ordinamus quod capitulum Carnotenſe a Carnoto infra feſtum B. Thomæ apoſtoli proximò venturum recedat, & apud Meduntam moram faciat, & in eccleſia beatæ Mariæ ejuſdem loci ab ipſo capitulo & canonicis divina officia celebrentur horis ſolitis & debitis in eccleſia Carnotenſi, & ſuam primam reſidentiam faciant infra muros caſtri ejuſdem, ſicut infra muros civitatis Carnotenſis fieri conſuevit, nec in alio loco quam apud Meduntam capitulum faciant, ſeu de electionibus vel aliis negotiis ſpiritualibus vel ſecularibus ad capitulum ſpectantibus tractent vel ordinent, ſed in loco prædicto hæc omnia faciant, ſicut antea facere conſueverant in eccleſia vel in capitulo Carnotenſi, nec aliquis canonicorum Carnotenſ. Carnoti moram faciens, vel alibi, niſi in locis, ubi hactenus extra Carnotum conſueverunt percipere fructus ſuos, reſidentiam ſuæ præbendæ faciat, vel groſſum ipſius præbendæ ſeu diſtributiones aliquas percipiat, nec officiat Carnot. eccleſiæ vel altari, donec aliud ſuper prædictis fuerit ordinatum. Hunc autem locum eligimus, quia in Carnotenſi diœceſi ſub ſecura dominatione, videlicet domini regis, conſiſtit. Et ex nunc excommunicamus in ſcriptis omnes illos qui contra hanc ordinationem noſtram aliquid præſumpſerint attemptare. Datum Pariſius anno Domini 1253. die Mercurii poſt feſtum beati Martini hyemalis.

XCVI.

Innocentius IV. concedit tranſlationem capituli ad Meduntam.

1254. INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Senonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Petitio dilectorum decani & capituli Carnotenſis nobis exhibita continebat, quod olim inter burgenſes Carnotenſes ex una parte, & ſervientes quorumdam canonicorum ejuſdem eccleſiæ ex altera, in feſto Pentecoſtes contentione ſuborta.... duobus ex parte ſervientium a quibuſdam civibus Carnotenſibus interfectis, & quibuſdam canonicis dictæ eccleſiæ, ne punirentur ex hoc, in familiares ſuos recipientibus homicidas, quia quondam magiſter Reginaldus de Spina cantor ipſius eccleſiæ quemdam ex eiſdem canonicis de receptione talium redarguit perſonarum.... idem canonicus moleſte ferens ei fuit graviter comminatus, & idem cantor ſequenti nocte dum ad matutinas accederet, exſtitit interfectus; cumque poſtmodum canonici id ad bonæ memoriæ N. Senonenſis archiepiſcopi loci metropolitani deceſſoris tui audientiam deferre in provinciali concilio procuraſſent.... in deteſtationem ipſius criminis, & quia non erat tutum in civitate Carnotenſi morari, auctoritate concilii ſtatuerunt, ut in villa Meduntæ Carnotenſis diœceſis capitulum reſideat Carnot. ac in eccleſia beatæ Mariæ ejuſdem loci celebrent, nec alibi capitulum fiat, neque tractetur de electionibus vel aliquibus aliis negotiis, tam ſpiritualibus quam temporalibus, antequam ſuper hoc foret aliter ordinatum, noſque proceſſum eumdem duximus per noſtras literas approbandum.... auctoritate præſentium indulgemus, ut in nominata villa Meduntæ primas & alias reſidentias faciant. Nulli ergo, &c. Datum Anagniæ ſecundo calendas Octob. pontificatus noſtri anno duodecimo.

XCVII.

Sententia lata in concilio provinciali in homicidas Reginaldi de Spina cantoris Carnotenſis.

1255. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Anno Domini M. CCLV. die Martis ante feſtum B. Arnulfi continuata a die Lunæ præcedenti, nos

A Henricus Dei gratia Senonenſis archiepiſcopus, Raynaudus Pariſienſis, Guillermus Aurelianenſis, Guido Altiſſiodorenſis, Nicolaus Trecenſis Dei gratia epiſcopi, & Alermus miſeratione ejuſdem electus Meldenſis confirmatus, in negotio inquiſitionis factæ authoritate concilii provincialis ſuper interfectione bonæ memoriæ R. quondam cantoris Carnotenſis, auditis probationibus, & præſumptionibus habitis contra Hugonem de Chaverneio canonicum Carnotenſem & Colinum fratrem ejus, qui ſe voluntati & ordinationi concilii ſubmiſerunt, præſtito ſuper hoc juramento, & appoſita pœna, de bonorum conſilio dictum noſtrum & ordinationem noſtram proferimus in hunc modum: videlicet quod dicti Hugo & Colinus frater ejus per quinquennium continuum apud Oxenfort in Anglia B morentur, & elapſo dicto quinquennio non revertentur citra mare, niſi prius nos archiepiſcopus Senonenſis & ſuffraganei noſtri certificati fuerimus a diœceſano loci illius & aliis perſonis authenticis per patentes literas, quod per dictum & continuum quinquennium moram fecerint in loco ſupradicto. Et præcipimus ut iter arripiant infra octabas Aſſumtionis beatæ Virginis continue profecturi. Et ex nunc privamus perpetuo dictum Hugonem voce & loco in capitulo Carnotenſi, ita quod in electionibus vel aliis tractatibus in Carnotenſi capitulo ſe non ingerat de cætero, nec aliquatenus admittatur. Item nos iidem ſupradicti iiſdem anno & die in negotio inquiſitionis factæ authoritate provincialis concilii ſuper interfectione cantoris prædicti, auditis confeſſionibus Gilleberti dicti loci & Jacobi dicti la C Benfoie clericorum, & aliis probationibus habitis contra ipſos, de conſilio bonorum authoritate ejuſdem concilii ſententialiter diffinimus dictos Gillebertum & Jacobum in carcere retrudendos, donec authoritate concilii extrahantur. Et ſi extrahantur authoritate concilii, ex nunc definimus ipſos ultra mare in terra Jeroſolymitana exilio perpetuo deportandos. Actum Pariſiis anno & die Martis prædictis.

XCVIII.

De tranſlatione capituli Carnotenſis.

HENRICUS Dei permiſſione Senonenſis archiepiſcopus, venerabilibus viris R. decano & capi- 1256.
tulo Carnotenſi, ſalutem. Cum vos auctoritate pro- D vincialis concilii apud Meduntam occaſione interfectionis bonæ memoriæ Raginaldi quondam cantoris eccleſiæ Carnotenſis reſidentiam faceretis, & ad preces & inſtantiam regis vobis auctoritate concilii dederimus in mandatis, ut ad Carnotenſem rediretis eccleſiam, ibidem uſque ad octavas nativitatis beatæ Mariæ virginis proximò præteritas commoraturi, uſque ad inſtantem Brandonum Dominicam, de voluntate venerab. fratrum noſtrorum...... terminum prædicti receſſus prorogamus...... injungentes vobis ſub pœna excommunicationis, quod ex tunc ad prædictum locum Meduntæ redeatis, donec ſuper hoc a nobis & ſuffraganeis aliud auctoritate concilii fuerit ordinatum. Datum anno 1255. in feſto Converſionis ſancti Pauli.

E

XCIX.

De eadem tranſlatione.

HENRICUS D. P. Senon. archiep. R. Pariſ. 1256.
G. Aurel. G. Autiſſiod. A. Meldenſis, N. Trecenſis & G. Nivern. eadem gratia epiſcopi ſuffraganei eccleſiæ Senonenſis, venerabilibus viris decano & capitulo eccleſiæ Carnotenſis, ſalutem. A veſtra memoria non credimus excidiſſe, quod pro nece & interfectione bonæ memoriæ R. de Spina quondam cantoris Carnotenſis, dum ad matutinas ſurgeret interfecti, auctoritate provincialis concilii extitit ordinatum, ut recederetis a Carnoto, ac in villa Meduntæ Carnotenſis diœceſis veſtrum capitulum reſideret.... Cumque

ad preces regis . . . . . auctoritate ejusdem concilii vobis fuisset indultum, ut apud Carnotensem ecclesiam rediretis ad instans festum Omnium sanctorum . . . quia tamen nulla vobis hactenus est facta securitas, ut secure morari possitis . . . . . mandamus vobis quatinus infra instantes octabas Omnium sanctorum a Carnoto recedatis, & apud Stampas infra easdem octabas vos transferatis, in ecclesia beatæ Mariæ de Stampis celebraturi. Datum Senonis in provinciali concilio anno Domini 1256. die Martis post festum B. Lucæ evangelistæ.

C.

Ex chartul. Carnot.

Transactio Ludovici regis cum Matthæo episcopo Carnotensi.

1259. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis quod super procuratione seu gisto, quod apud Carnotum in domo episcopi super episcopum habebamus, & super alia procuratione seu gisto, quod apud Fresneium villam suam ab eodem episcopo petebamus, inter nos pro nobis & successoribus nostris, & dilectum & fidelem nostrum Matthæum Carnotensem episcopum pro se & successoribus suis consentiente capitulo Carnotensis ecclesiæ talis compositio intercessit: quod nos omne jus gisti & procurationis ejusmodi, quod ab ipso episcopo vel ab ejus successoribus exigere poteramus, omnino memorato episcopo suisque successoribus quittavimus in perpetuum & quittamus; ita quod nec nos nec successores nostri possimus ab ipso vel ejus successoribus ratione gisti vel procurationis in prædictis locis vel alibi ullo unquam tempore aliquid exigere in futurum. Idem autem episcopus pro hac quittatione & pace promisit nobis & concessit dare quinquaginta libras Turonenses annui redditus in perpetuum, de quibus duximus taliter ordinandum, videlicet quod nos ob devotionem præcipuam, quam ad ipsam ecclesiam beatæ Mariæ Carnotensis habemus, de prædicto redditu duas capellanias in eadem ecclesia institui volumus & fundari in duobus novis altaribus, quorum unum a dextra parte prope introitum portæ crucis ecclesiæ ejusdem in honore cunctorum sanctorum Angelorum Dei, aliud vero a sinistra parte prope introitum portæ crucis ejusdem ecclesiæ in honore sacrarum Virginum construetur, quorum uterque capellanus de prædicta summa 15. libras Turonens. percipiet annuatim. Tenebitur autem uterque ipsorum diebus singulis pro nobis, quandiu vixerimus, missam celebrare, secundum quod est in ecclesia consuetum: post decessum vero nostrum missam quæ dicitur pro defunctis fidelibus singulis diebus uterque celebrare tenebitur capellanus. Collationem autem dictarum duarum capellaniarum nobis tantummodo retinemus prima vice, & postmodum ad capitulum in perpetuum pertinebit. Volumus tamen quod talibus conferantur, qui alia beneficia ecclesiastica non habeant, & qui jam ad sacerdotium sint promoti, vel qui promoveri debeant in proximis ordinibus successive, & qui personaliter & continue resideant in eisdem, &c. Donamus autem & concedimus de residuo dicti redditus ad faciendum distributiones secundum capituli dispositionem canonicis & clericis ejusdem ecclesiæ in quinque anniversariis infra nominatis viginti libras Turonenses, videlicet in anniversario clari genitoris nostri Ludovici quatuor libras Turonenses, in anniversario piæ recordationis genitricis nostræ Blanchæ quatuor libras Turonenses, in anniversario recolendæ memoriæ fratris nostri R. quondam comitis Atrebatensis, & eorum omnium qui in Ægypto & in aliis Transmarinis partibus nobis ibidem existentibus decesserunt, quatuor libras Turonenses, in nostro etiam post decessum nostrum similiter quatuor libras Turonenses, & in anniversario carissimæ uxoris nostræ Margaritæ reginæ post decessum ejusdem quatuor libras Turonenses. Actum Carnoti anno Domini M. CCLIX. mense Augusto, regni vero nostri XXXIII. adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Johannis buticularii. Signum Alphonsi camerarii. Sign. Egidii constabularii.

C I.

Indulgentias in dedicatione ecclesiæ Carnotensis largitur Alexander IV.

Ex chart. eccl. Carnot.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo & dilectis filiis capitulo Carnotensi, salutem & apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus multum desiderantes nos reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cum igitur, sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris fuit propositum coram nobis, ecclesia vestra, in qua multorum sanctorum reliquiæ pretiosissimæ sub veneranda custodia conservantur, & ad quam de diversis partibus ob reverentiam gloriosæ Mariæ semper virginis causa devotionis innumera confluit multitudo, debeat in proximo dedicari, nos cupientes ut eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confessis ad ipsam ecclesiam accedentibus proxima die Dominica post festum B. Lucæ, qua dedicabitur, sicut fertur, & usque ad proximum sequens festum Nativitatis Dominicæ accedentibus tres annos & totidem quadragenas, illis vero qui ad ecclesiam ipsam in anniversario die dedicationis ipsius ecclesiæ, & usque ad sequens festum ejusdem Nativitatis Domini accesserint annuatim, annum unum & XL. dies de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagniæ X. calendas Aprilis, pontificatus nostri anno sexto. 1260.

C I I.

Institutio decani in ecclesia collegiata sancti Andreæ Castridunensis.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Petrus miseratione divina Carnotensis episcopus, salutem in Domino. 1263. Noveritis quod cum ex officii nostri debito visitaremus diocesim Carnotensem, tandem ad ecclesiam sancti Andreæ de Castridunensi accessimus, in eadem ecclesia visitationis officium impleturi, & reformaturi in eadem ecclesia illud quod tunc reformare possemus, & videremus reformationis officio indigere. Quam quidem ecclesiam cum invenerimus sine capite, utpote decani solatio penitus & consilio destitutam, nos attendentes, quod super hoc grave sustineret dispendium ecclesia supradicta, & gravius posset in posterum sustinere, si sine capite diutius remaneret, & ob hoc ex pastoralis diligentiæ debito futuris ipsius ecclesiæ periculis occurrere cupientes, cum capitulo ejusdem ecclesiæ de creatione decani, qui eidem ecclesiæ tanquam decanus præesset in posterum & prodesset, cœpimus diligenter habere tractatum. Porro certa die de communi assensu nostro & ipsius capituli ad tractandum plenius super hoc assignata, vocatis omnibus de capitulo qui debuerant vocari, & præsentibus omnibus qui voluerunt, potuerunt & debuerunt interesse, interveniente assensu totius capituli, in eadem ecclesia decanatus ordinavimus dignitatem,

volentes ac statuentes quod de cetero ipsi ecclesiæ totique capitulo præficiatur decanus, per quem & de cujus consilio negotia prædictæ ecclesiæ cum assensu & consilio dicti capituli procurentur fideliter & tractentur, & cui dictum capitulum & canonici tanquam decano seu capitaneo ejusdem ecclesiæ obediant & intendant, prout in aliis collegiatis ecclesiis Carnotensis diocesis decanos habentibus hactenus observari & fieri consuevit. Cujus decanatus collatio & ipsius decani institutio ad nos & successores nostros episcopos Carnotenses pertinebit; ita tamen quod nos & successores nostri dictum decanatum nonnisi canonico ejusdem ecclesiæ conferre poterimus, quousque præbendæ ejusdem ecclesiæ ad certum numerum redigantur, sed extunc poterit episcopus Carnotensis, qui pro tempore fuerit, dictum decanatum canonico vel non canonico conferre, prout ei visum fuerit expedire. Decanus etiam quicumque fuerit, a nobis vel successoribus nostris Carnotensibus episcopis in memorata ecclesia institutus, post institutionem suam antequam recipiatur a canonicis, jurabit in capitulo personalem residentiam in eadem ecclesia se facturum, & quod infra annum a tempore institutionis suæ si non sit presbyter, se faciet in presbyterum ordinari. Præterea decanus qui pro tempore fuerit, ut nunc duplices distributiones quotidianas in dicta ecclesia percipiet & habebit, & quando in ipsa ecclesia, in qua nondum adhuc est certa distinctio præbendarum, præbendæ & canonicorum institutio ad certum & distinctum numerum reducentur, decanus quicumque pro tempore fuerit, duas præbendas integras obtinebit in ecclesia supradicta, & fructus & proventus percipiet earumdem cum duplicibus distributionibus, prout dictum est superius. Præterea de cura animarum canonicorum ejusdem ecclesiæ, capellanorum, clericorum de choro & familiarium eorumdem prædicto decanatui in toto vel in parte annectenda, vel etiam aliis personis in ipsa ecclesia, vel extra ipsam ecclesiam, prout nobis visum fuerit expediens, committenda, quia nondum plene super hoc deliberavimus, nihil ad præsens ordinamus, sed potestatem nostram ordinandi super hoc loco & tempore retinemus, & quando commode poterimus, deliberatione præhabita super hoc, curabimus ordinare. Datum die Jovis post Pentecosten anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio.

C I I I.

Ex chartul. Carnotens.

Petrus episcopus homines suos a servitute eximit.

1274. UNiversis præsentes literas inspecturis officialis Carnotensis, salutem in Domino. Noveritis nos literas reverendi patris domini episcopi Carnot. quæ sequuntur vidisse, & de verbo ad verbum legisse sub hac forma. Universis præsentes literas inspecturis, P. miseratione divina Carnotensis episcopus, salutem in Domino. Notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod nos de voluntate & assensu capituli Carnotensis, considerata utilitate nostri episcopatus & ecclesiæ Carnotensis, omnes homines nostros de corpore utriusque sexus, & eorum natos quos habebamus apud Fresneium villam nostram & in villulis adjacentibus, tam infra parochiam Fresneii quam in parochiis Hymonville magne & Tancrenville manumittimus, & ipsos absque ullo retentu servilis conditionis plenarie damus & reddimus libertati, pro qua manumissione dicti homines nobis quadringentas libras Turonenses persolverunt in nostri episcopatus augmentationem recompensative convertendas. De qua pecuniæ summa recognoscimus nobis integre satisfactum. In cujus rei testimonium & munimen præsentes literas dedimus dictis hominibus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Dom. 1274. mense Junio. Quod autem vidimus hoc testificamur. Datum præsentis scripti anno Domini 1274. die Lunæ post festum SS. Fabiani & Sebastiani.

C I V.

Ex necrolog. eccles. Senon.

Simon episcopus Carnotensis fidem archiepiscopo & ecclesiæ Senonensi præstat.

ANno Domini M. CCLXXX. reverendus pater Simon de Perruchio in Carnotensem episcopum per sedem apostolicam in Romana ecclesia confirmatus ac etiam consecratus, veniens in diœcesi Senonensi circa Ascensionem Domini, antequam intraret diœcesim Carnotensem, ex parte reverendi patris domini Gilonis Dei gratia Senonensis archiepiscopi, per probos viros de ecclesia Senonensi requisitus fuit curialiter, ut accederet ad ecclesiam Senonensem, ipsi archiepiscopo ac ecclesiæ Senonensi professionem facturus, prout hactenus, ut tenentur, fecerunt singuli episcopi suffraganei ecclesiæ Senonensis. Ipse vero Simon Carnotensis episcopus respondit se non credere ad hoc teneri, & velle super hoc deliberare, maxime cum ipse in Romana curia immediate post consecrationem suam professionem fecisset debitam, ac etiam consuetam. Quod audiens dictus archiepiscopus, per eosdem probos viros prædicto episcopo inhiberi fecit auctoritate metropolitana, ne ipse episcopus in diœcesi Carnotensi ordines celebraret, seu aliud officium pontificale in dicta diœcesi exerceret, donec fecisset ipsi & ecclesiæ Senonensi professionem superius nominatam. Qua inhibitione ipsi episcopo sic facta, idem episcopus contra mandavit ordines suæ diœcesis, quos ad diem Sabbati post Pentecosten jam fecerat evocari. Demum deliberatione ab eodem episcopo habita cum peritis, tandem die Jovis ante nativitatem B. Johannis Baptistæ, scilicet XII. calendas Julii, qua die ipso anno celebrata fuit Senonis sancta synodus, præfatus Carnotensis episcopus Senonas venit, & in ecclesia Senonensi receptus cum processione solemni, prout consueverunt recipi novi episcopi Carnotenses, tanquam aliorum episcoporum decani; ipse episcopus finita processione prædicta, super majus altare prædicto archiepiscopo & ecclesiæ Senonensi solemniter & publice fecit & legit professionem debitam a singulis episcopis suffraganeis Senonensi ecclesiæ fieri consuetam, & propria manu subscripsit. Actum Senonis præsentibus prædicto archiepiscopo & religiosis viris fratribus Philippo sancti Johannis, Johanne sancti Remigii, Odone sancti Pauli Senonensis, Nicolao Dei-loci, Johanne de Morigniaco, Thoma de Jardo, Hugone de Calmis, Guillelmo de Castro-Nantonis abbatibus, Johanne archidiacono, Girardo decano Senonensi, Stephano Wasltinensi, Stephano Meledunensi, Johanne Pruvinensi, Simone Stampensi archidiaconis, magistris Guillelmo de Mailli & Odone de Blesi, Simone Cornuti & Jacobo de valle Ederæ canonicis Senonensibus, Guillelmo de Calvomonte camerario Carnotensi, Johanne de Albiniaco, magistro Raignaudo & Monciaco canonicis Carnotensibus, & magistro Roberto Cornuti Senonensi & Carnotensi canonico.

C V.

Archiv. episcop. Carnot.

Imponuntur sex libræ abbatibus Carnot. diœcesis.

SIMON miseratione divina Carnotensis episcopus, dilectis sibi in Christo de Burgo medio Blesensi, de Nealpha veteri, & de Josaphat Carnot. abbatibus, salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum a vestra non credamus memoria recessisse in nuper præterito provinciali concilio a reverendo patre G. Dei gratia Senonensi archiepiscopo, & omnibus ejus suffraganeis, ac omnibus capitulorum abbatibus, prioribus conventualibus non exemptis Senonensis provinciæ in dicto concilio convocatis & existentibus, ordinatum fuisse & unanimiter concordatum, quod pro statu & negotiis ecclesiæ Gallicanæ speciales nuncii jam a dicto concilio deputati ad Romanam curiam mitterentur, nobisque

a dicto concilio datum fuit in mandatis, ut secundum A summam nobis ab eodem concilio nominatam per diœcesim nostram vestrûm cuilibet certam pecuniæ summam duceremus imponendam, secundum quod vobis suppetunt facultates, nobis vel mandato nostro Carnoti solvendam infra certum terminum a nobis præfigendum. Nos vero diligenti inquisitione & consideratione super præmissis præhabitis, communicatoque bonorum & peritorum consilio, cuilibet vestrûm imposuimus sex libras Parisienses solvendas Carnoti nobis vel officiali nostro, quem ad hoc specialiter deputamus, si nos abesse contigerit, infra diem Dominicam qua cantatur *Lætare Jerusalem*, pro negotio memorato. Vobis authoritate dicti concilii & nostra mandamus, quatinus de dicta pecuniæ summa satisfacere infra dictum terminum nullatenus obmittatis; B vobis præcaventes, ne iter dictorum nunciorum propter defectum solutionis prædictæ valeat retardari, quia statim cum poterunt audiri rumores certi de creatione summi pontificis, necesse habebunt iidem nuncii arripere iter suum. Si quos autem casus, gravamina, vel capitula habeatis, per quæ vestræ ecclesiæ opprimantur, super quibus per sedem apostolicam consilium habere debeatis, ea infra dictum terminum, si placet, cum dicta pecunia transmittatis. In signum autem præsentis mandati vobis directi sigilla vestra præsentibus apponatis. Datum anno Domini 1280. Sabbato post Cineres.

C V I.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Fundatio monasterii Pissiacensis. C

1304. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Honor & reverentia summi regis per quem leges & regna consistunt, non immerito nos inducunt, claraque progenitorum nostrorum exempla nos provocant, ut quantum Rex ipse regum altissimus ad celsiorem regiminis populi sui gradum pia nos miseratione provexit, quanto majora de ipsius manu bona suscepimus & dona largissima gratiarum, tanto ad ea quæ redduntur in oculis suæ majestatis accepta, & quæ divini nominis laudes & gloriam suique cultus augmentum respiciunt, ac temporale stabiliunt, & certum præparant nobis regnum, vacare solertius, & magnificentius agere debeamus, ut per gratæ recognitionis effectum nobis beneficia multiplicemus, qui dat affluenter ac non improperat, ac per religionis amorem, pietatis studia & opera D caritatis, misericordiam Deo propriam consequamur, & gratiam inveniamus tempore opportuno. Hinc est quod nos ad memoriam revocantes eximiæ dilectionis affectum & intimæ affectionis zelum, quem egregius confessor B. Ludovicus olim rex Francorum, avus noster, ad ecclesiam beatæ Mariæ villæ Pissiaci, in qua renatus fonte baptismatis christianæ fidei & salutis nostræ primordia suscepisse dignoscitur, & villam ipsam originis suæ locum, dum præsentis vitæ commodis fungeretur, habebat; & ad ordinem Prædicatorum, in quo divini cultum nominis, religionis decorem, & virtutum exempla laudabilia inter religiones ceteras prælucere conspicimus, & ad sorores beati Dominici ejusdem ordinis, quæ spretis oblectationibus hujus E mundi pro Christi amore, cui virginitatis suæ pudicitiam devoverunt, carnem suam cum concupiscentiis crucifigunt, claustrales carceres voluntarie appetentes, ut post vitæ hujus labores in thalamum sponsi sui & tabernacula recipiantur æterna, nostræ considerationis oculos & devotionis intuitum convertentes, in prædicta villa Pissiaci monasterium in quo sorores prædicti ordinis pro nobis & successoribus nostris ac statu regni prædicti, necnon pro nostræ ac carissimæ consortis nostræ, ac parentum nostrorum remedio animarum, bonorum omnium largitori preces & hostias offerunt salutares in honorem Dei omnipotentis, ac B. Mariæ virginis & beatorum Petri & Pauli apostolorum, ac A totius cœlestis curiæ, necnon ad celebrem & specialem confessoris præfati memoriam, cujus præclaris operibus & meritis sanctitatis virtus altissimi regnum ipsum perpetuo splendore luminis illustravit, fundare decrevimus, illudque de bonis nobis oblatis a Domino, dotavimus in hunc modum videlicet, &c. . . . . . Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Nealphæ mense Julio, anno Domini M. CCCIV.

C V I I.

Philippus rex dat ecclesiæ Carnotensi centum annui redditus libras in gratiarum actionem pro felici pugna Montium in Pabula. *Ex chartul. cap. Carnot.*

B PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, ad perpetuam rei gestæ memoriam. Si regnum Francorum, 1304. quod a priscis temporibus divina stabilivit potentia, multisque ditavit beneficiis, & honoribus decoravit, novissimis temporibus doli Sathan adinventor, persecutor pacis, & totius maliciæ seminator invidens quod regnum ipsum virtus divina sic vallasset per circuitum, in Flandriæ partibus, Domino permittente, tetigerit, subditosque nostros partium earumdem in superbia & abusione contra nos fecerit nequiter rebellare, ipsosque totius incentor nequitiæ sic in sua rebellione firmasset, ut cogitantes iniquitates pessimas in corde, tota die nobis constituerent prælia, ita ut ecclesiis & aliis sacris locis, villis & aliis regnicolarum habitationibus circumpositis summæ vastationis jacturæ deditis per eosdem plures nobiles & alias personas regni ejusdem, quod gravius est, hujusmodi causa rebellionis mors amara rapuerit, nec in iis aversus esset furor eorum, sed potius eorum superbia ascendisset; tandem immensa Christi pietas suæ gloriosæ matris Mariæ virginis piis provocata precibus, ad regnum ipsum cujus regimen nobis miseratio divina commisit, cor paternum reflectens, videns inimicorum nequitiam multam nimis, & cor eorum impœnitens, nos cum fideli exercitu Gallicano ad faciendam vindictam in natione illa Flandrensi contra rebelles ipsos sub fortis manus suæ tegumento direxit, nobisque mensis Augusti die 18. die Martis post festum Assumtionis ejusdem Virginis in loco qui Mons in Pabula nominatur, contra ipsos ad nos in contumaci multitudine venientes ad pugnam conscensis, placuit Altissimo post longam (cum) inimicis prædictis dimicationem, eos in ventum superbiæ altius elevatos ad ima dejiciendo potenter elidere, eisque cum pluribus eorum ductoribus & capitaneis in mortis laqueum per nostrum & ejusdem nostri exercitus ministerium sub potenti Domini manu deducere, & gloriosum de ipsis nobis præbere triumphum, sicque mirabilis Deus mirabiliter pro nobis voluit operari, ut merito dici possit illam a Domino & non ab homine victoriam factam esse. Quapropter nos in humilitatis spiritu confitentes Domino, eique & sacratissimæ Genitrici illius devotæ laudis sacrificium offerentes, regratiamur ei qui sedens super thronum judicavit causam justitiæ regni sui, & ut Dominus qui tamen vir pugnator delevit impios ante faciem nostram, in suis laudetur operibus, ejusque non obliviscantur mirabilia, & beatissima virgo mater ejus Maria de præstito nobis per ejus suffragia filii sui auxilio honoretur, nos ad laudem & gloriam ejusdem Domini nostri & beatæ Mariæ virginis genitricis ejus, ecclesiæ Carnot. in ipsius Virginis honore fundatæ, centum libras Parisienses annui & perpetui redditus ob nostram & carissimæ consortis nostræ Johannæ Francorum reginæ, & liberorum nostrorum salutem, pacem & tranquillitatem regni nostri, nostrorumque fidelium subjectorum, concedimus ab ipsius ecclesiæ decano & capitulo nomine dictæ ecclesiæ habendas, tenendas & percipiendas libere & pacifice in perpetuum, absque coactione vendendi vel extra manum

suam ponendi, & absque præstatione financiæ cujuscumque, capiendasque in thesauro nostro Parisiensi singulis annis in festo Dominicæ Ascensionis, donec eas in locis & rebus competentibus duxerimus assidendas: volentes & statuentes quod dictæ centum libræ Parisienses, videlicet canonicis duæ partes, ac vicariis, capellanis, & aliis quibuscumque personis de choro ipsius ecclesiæ existentibus, qui in primis vesperis dictæ diei Martis, in matutinis, & solemni missa diei Martis prædictæ intererunt, residua tertia pars distribuatur juxta consuetudinem ecclesiæ memoratæ. Quod ut ratum permaneat, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum in castris prope Insulam anno Domini 1304. mense Septembri.

CVIII.

Ex chartul. Carnotensi.

Canonici Carnotenses eligendi facultatem postulant.

1315. EXcellentissimo Domino suo domino Ludovico Dei gratia regi Francorum & Navarræ illustri sui humiles & devoti Theobaldus decanus & universitas capituli Carnotensis cum sui & ecclesiæ suæ recommendatione humili perennem in Christo coronam. Cum bonæ memoriæ Johannes quondam episcopus noster viam universæ carnis ingressus sit, ad vos dirigimus viros veros & discretos, dilectos nostros P. subdecanum & H. præpositum de Auversio in ecclesia nostra latores præsentium, ad vobis denuntiandum obitum episcopi supradicti, necnon ad postulandum & petendum a vestra regia majestate licentiam eligendi, celsitudini regiæ supplicantes, quatenus eligendi licentiam episcopum in ecclesia nostra nobis liberaliter concedatis. Valeat celsitudo vestra regia per tempora longæva. Datum anno Domini M. CCCXV. die Sabbathi post festum S. Remigii.

CIX.

Optatis capituli annuit rex Ludovicus.

1315. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, dilectis filiis decano & capitulo ecclesiæ Carnotensis, salutem & dilectionem. Petitam per procuratores vestros ad hoc legitime constitutos, a nobis licentiam eligendi pastorem & episcopum in ecclesia vestra ad præsens vacante per mortem J. quondam ipsius episcopi, vobis tenore præsentium concedentes, requirimus vos attente, quatenus dispendiis ipsius ecclesiæ, quæ propter vacationem ipsius diuturnam, sive propter electionem discordem valerent eidem ecclesiæ provenire, volentes providius obviare, talem personam & de gremio ipsius ecclesiæ in concordia studeatis eligere, quæ præesse sciat, valeatque prodesse. Datum in abbatia Regalis montis die nono Octobris M. CCCXV.

CX.

Johannes Paslé transfertur ab Atrebatensi ad Carnotensem ecclesiam.

1327. CAROLUS de Borbonio miseratione divina archiepiscopus & comes Lugdunensis, Galliarum primas, civitatis Avenionensis & comitatus Venaissini, ac terrarum illis adjacentium ad Romanam ecclesiam spectantium pro sanctissimo domino nostro papa & eadem ecclesia cum potestate legati de latere gubernator generalis, universis notum facimus, quod ad instantiam reverendi in Christo patris domini Milonis Dei & apostolicæ sedis gratia episcopi Carnotensis, asserentis se quibusdam literis inter regesta felicis recordationis domini Johannis papæ XXII. pontificatus sub anno 12. hic in palatio apostolico Avenionensi existentia indigere, literas ipsas perquiri fecimus, quæ tandem repertæ fuerunt hujusmodi sub tenore: Johannes episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni A episcopo Carnotensi, salutem. Romana ecclesia, quæ super universas alias orbis ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas materna diligentiæ cura sedulo vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardenter intendit, studens regiminibus ecclesiarum ipsarum, præsertim cathedralium, quæ sunt propriis destitutæ pastoribus, interdum per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommodæ, prout personarum, locorum & temporum qualitas exigit, & ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, viros idoneos deputare. Nuper siquidem vacante Carnotensi ecclesia, pro eo quod nos dilectum filium nostrum Petrum sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyterum cardinalem, tunc episcopum Carnotensem, licet absentem, a vinculo, quo eidem ecclesiæ B Carnotensi, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ac volentes ut ipse nobiscum onera universalis ecclesiæ partiretur, ipsum ad dignitatem cardinalatus ejusdem Romanæ ecclesiæ duximus assumendum: nos attendentes quod nullus de ipsius ecclesiæ Carnotensis ordinatione præter nos se hac vice intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi provisiones omnium ecclesiarum cathedralium tunc vacantium & vacaturarum inantea per promotiones seu assumtiones de prælatis earum ubilibet constitutis per nos factas & in posterum faciendas, ad quascumque alias dignitates dispositioni nostræ reservantes, decrevimus extunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis authoritate scienter C vel ignoranter contingeret attemptari; ac de provisione ipsius ecclesiæ Carnotensis celeri & felici, ne longæ vacationis exponeretur incommodis, sollicite cogitantes, & cupientes talem eidem ecclesiæ Carnotensi præesse personam, quæ sciret & posset ipsam in suis manutenere juribus, & etiam adaugere, post deliberationem, quam ad præficiendum eidem ecclesiæ Carnotensi personam hujusmodi & etiam fructuosam, cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te nunc Atrebatensem episcopum, consideratis attente grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus illustravit, & quod regimini ecclesiæ Atrebatensis laudabiliter præfuisti, direximus oculos mentis nostræ. Intendentes itaque tam dictæ Carnotensi ecclesiæ, quam gregi Dominico ejusdem salubriter & utiliter providere, D te a vinculo, quo tenebaris dictæ Atrebatensi ecclesiæ, cui tunc præeras, de dictorum fratrum consilio & ejusdem potestatis plenitudine absolventes, te ad prædictam ecclesiam Carnotensem transferimus, teque ipsi præficimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius ecclesiæ Carnotensis tibi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Carnotensem ecclesiam transeundi, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod prælibata Carnotensis ecclesia per tuæ diligentiæ fructuosum studium Deo propitio regetur feliciter, & salubriter dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus ad præfatam Carnotensem ecclesiam cum plenitudine nostræ benedictionis acceE dens, curam & administrationem prædictas sic diligenter geras, & sollicite prosequaris, quod ipsa ecclesia Carnotensis gubernatori circumspecto & fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bonæ famæ tuæ odor laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque præter retributionis æternæ præmium, nostræ benedictionis augmentum ac ipsius sedis gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Avenioni x. calendas Januarii anno 12.

Quas quidem literas ex regesto prædicto per notarium publicum & secretarium nostrum infrascriptum in præsentia testium subscriptorum ac nostri authentici sigilli appensione communiri & roborari mandavimus. Datum Avenione prima Martii 1474. pontificatus

sanctissimi in Christo patris & Domini nostri domini A Sixti papæ quarti anno tertio, præsentibus reverendo in Christo patre domino Johanne Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Ebredunensi, Antonio Bertrando utriusque juris doctore canonico sancti Pauli milite in ecclesia, & Bartholomæo Bellievre procuratore Lugdunensi, & familiaribus nostris ac pluribus aliis testibus.

C X I.

Ex chart. cap. Carnot.

Literæ supplices abbatis beatæ Mariæ de Josaphat ad Innocentium VI. papam.

1361. Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac domino domino Innocentio divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo pontifici, sui B humillimi ac devotissimi orator abbas & conventus monasterii beatæ Mariæ de Josaphat juxta Carnotum ord. S. Benedicti, seipsos inclinatissimos reddentes ad devotissima pedum oscula beatorum. Sanctissime ac beatissime pater, cum dictum vestrum monasterium de Josaphat adinstar illius ex quo gloriosa virgo Maria ad æthereum thalamum est assumta, fundatum modicis redditibus a sui fundatione fuerit, & sit dotatum, & capitulo vestræ Carnotensis ecclesiæ, a qua quidem ecclesia originem traxit, in multis redditibus annualibus, tam in pecunia quam vino & blado obligatum, & præcipue in sex modiis bladi ratione quorumdam molendinorum a 30. annis & amplius magnis aquarum inundationibus omnino & penitus destructorum, & propter prædictas causas illustrissimus princeps Philippus quondam Fran- C corum rex & plures episcopi Carnotenses jam defuncti, videlicet Aymericus, Guillelmus & Ludovicus, una cum capitulo dictæ vestræ Carnotensis ecclesiæ tenuitati prædicti monasterii vestri caritatis compatientes affectu, prædecessoribus vestris Romanis pontificibus, videlicet felicium record. Benedicto & Clementi dum viverent in humanis, pluries humiliter & devote dignum duxerint supplicandum, quatenus grossos fructus unius præbendæ vestræ Carnotensis ecclesiæ unire & annectere vestro monasterio de Josaphat intuitu pietatis perpetuo dignarentur, sicut plura alia monasteria, videlicet Cluniacum, Majoris monasterii, ac sancti Petri Carnotensis in dicta vestra ecclesia noscuntur obtinere. Et tandem cum multis laboribus & expensis gravibus a felicis record. papa Clemente prædecessore vestro D prædictæ supplicationes habuissent effectum, prout per bullas super hoc confectas potest liquidius apparere, atque post ipsius obitum negotium remanserit incompletum, tum propter revocationem gratiarum dicti prædecessoris vestri per sanctitatem vestram factam, tum etiam propter exilem & exiguam dicti vestri monasterii facultatem; quod quidem propter guerras taliter exstitit exulatum ac redditibus attenuatum, quod non potest ibidem competens numerus Deo famulantium commode sustentari, nisi per sanctitatem vestram eidem misericorditer subveniatur. Cujus etiam omnia ædificia propter dictas guerras subversa fuerunt penitus & destructa, & nichilominus prædicti canonici vestræ prædictæ Carnotensis ecclesiæ nos ad prædictam summam grani solvendam, quæ modernis temporibus gros- E sorum fructuum unius præbendæ excedit valorem ratione prædictorum molendinorum, de quibus nullum a 30. annis & ultra recepimus emolumentum, nonobstante dicti monasterii vestri desolatione, compellere non desistunt. Eapropter, sanctissime pater, vestræ piissimæ sanctitati, in qua est nostrum singulare refugium, de vestræ sanctitatis clementia, non nostris meritis confisi, duximus humiliter & devote supplicandum, quatenus de gratia vestra speciali prædictam gratiam alias per prædecessorem vestrum concessam intuitu pietatis dignemini misericorditer reformare, grossos fructus unius præbendæ vestræ Carnotensis ecclesiæ, quamprimum vacare contigerit, per sanctitatem vestram perpetuo prædicto monasterio vestro uniendo & annectendo, eo modo quo monasteria prædicta in dicta ecclesia percipere dinoscuntur, vel uniri & connecti reverendis in Christo patribus Rotomagensi archiepiscopo, Carnotensi & Parisiensi episcopis, & eorum cuilibet in solidum committendo, adeo ut dictum vestrum monasterium a desolatione in qua jacet, per sanctitatem vestram possit relevari, & nos vestri humillimi ac devotissimi oratores ibidem Deo famulando, & pro vestra sanctissima persona perpetuo exorando ad divini cultus augmentum possimus commodius sustentari. Sanctissimam personam vestram Altissimus conservare dignetur ad regimen universalis ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Datum & actum in capitulo vestri monasterii de Josaphat sanctissimi vestri pontificatus anno nono, in festo Conceptionis Virginis gloriosæ.

C X I I.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Literæ Guarini episcopi Carnotensis, quibus notum facit non ex debito abbatem sancti Johannis in Valle baculum pastoralem gestasse.

Nos Guarinus miseratione divina Carnotensis episcopus, notum facimus universis, quod quum 1375. nos anno Domini 1374. die Martis post Ramos palmarum, 17. mensis Aprilis, in prioratu sancti Martini in Valle juxta Carnutum & ecclesiam existentes, & ingressum nostrum post consecrationem nostram in civitatem & nostram ecclesiam Carnotensem, ut moris est, solemniter facientes, dilecto filio nostro religioso & honesto viro fratri Johanni abbati monasterii sancti Johannis in Valleia Carnotensi, ibidem præsenti, diceremus quod ipse in dicto ingressu nostro & processione ejusdem baculum nostrum pastoralem ante seu infra nos deferret, prout facere tenebatur, & alias in talibus fuit factum: & præfatus abbas dicebat se nunquam ab aliquo audivisse, vel fuisse quomodolibet informatum quod ipse ad hoc teneretur, vel quod prædecessores sui alias hoc fecerint in hoc casu; seque paratum nobis obsequia exhibere absque tamen sui vel dicti monasterii præjudicio propter hoc generando. Nos cupientes, ut tenemur, jus nostrum & nostræ ecclesiæ Carnotensis servare illæsum, præfato abbati concessimus & concedimus per præsentes, quod propter obsequium nobis ab ipso in dicto ingressu & ejus processione impensum, vel etiam impendendum, baculum nostrum pastoralem portando, nullum novum jus vel possessio servitutis nobis vel ecclesiæ Carnotensi contra dictum abbatem vel ejus monasterium acquiratur, dictoque abbati ejusque monasterio nullum propter hoc novum præjudicium generetur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum anno, die, mense, & loco superius dictis.

C X I I I.

Testamentum Johannis Fabri Carnotensis episcopi.

In nomine Domini, amen. Noverint universi & 1390. singuli præsentes pariter & futuri, quod anno Nativitatis Domini 1390. indictione 13. & die Lunæ 10. mensis Januarii, pontificatus sanctissimi domini nostri patris in Christo & domini domini nostri Clementis divina providentia papæ VII. anno 12. in nostrûm notariorum publicorum & testium subscriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia personaliter constitutus reverendus in Christo pater & dominus dominus Johannes Fabri permissione divina Carnotensis episcopus, sanus per Dei gratiam mente, licet æger corpore, suum ultimum testamentum, seu suam ultimam voluntatem fecit, condidit & ordinavit in hunc modum qui sequitur. In nomine Domini, amen. Quoniam propter delictum primi parentis humani generis successio est mortalis, & transitoria ad

heredes, plurimique non cogitantes diem extremum sibi necessario eventurum, morte temporali, mundanali prosperitate falluntur, qui dum plus credunt vivere in hujusmodi fallacibus deliciis, repentino mortis eventu de medio subtrahuntur. Quod cogitantes, videntesque & sapientes quod dum corpus sanitate viget, mens interior in se ipsa collecta pleniori utitur ratione, quia non debet differre sapiens propriis disponere rebus, & nemo in carne positus valet æterni judicis terribile judicium evitare, coram quo quilibet redditurus est de factis propriis plenariam rationem; & quia nihil certius morte, nichilque incertius ejus hora, idcirco in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen, anno, indictione, die, mense, & pontificatu quibus supra, ego Johannes Fabri quondam monachus professus monasterii S. Vedasti Atrebatensis, ordinis sancti Benedicti, nunc divina permittente gratia Carnotensis episcopus, licet pressus infirmitate gravi, mente tamen sanus, considerans tamen per tempora longa me mundi præsentis incolam extitisse, mortemque fore propinquam, de bonis a Deo michi collatis disponere, dum sanus sum, rationabile judicavi, ne mors me reperiat improvisum, & contingat me discedere non testatum, & ne occasione bonorum meorum, rerum & jurium michi a Deo collatorum aliqua lis sive quæstio super eis post obitum meum in posterum oriatur, meum facio, condo & ordino ultimum testamentum nuncupatum, seu ultimam meam voluntatem declaro & dispono, quod seu quam, prout infra in hoc præsenti publico nostro testamento scriptum videbitur, volo & jubeo penitus & inviolabiliter observari: & quia ea quæ salutem animæ respiciunt, sunt aliis rebus præferenda, igitur inprimis corpus meum dum moriar terræ, spiritum vero creatori meo Jesu Christo, B. Mariæ suæ matri, totique civium supernorum curiæ recommendo. Si tamen esset possibile, vellem corpus meum in monasterio prædicto sancti Vedasti sepeliri, a quo pro majori parte temporis mei alimenta suscepi; si vero a præfato monasterio sancti Vedasti mortis meæ tempore nimis distet, vellem sepeliri in aliquo loco ordinis sancti Benedicti, si sit monasterium vel prioratus, ad arbitrium eorum qui meæ sepulturæ onus assument, vellemque, & ita de bonis meis ordino, tumbam corpori meo superponi simplicem, non curiosam, quæ pretium 50. francorum auri non excedat, si in Avenione, in ecclesia beati Benedicti, ubi nuper bonæ memoriæ cardinalis Arelatensis fecit capellam fieri. De bonis vero meis immobilibus, quæ post promotionem meam ad episcopatum acquisivi, volo & ordino fieri post in hunc modum. Domum meam Parisiensem sitam in vico S. Pauli eo modo sicut se continet, & domum meam Drocensem una cum vineis & pratis in territorio Drocensi per me acquisitis, do & lego episcopatui Carnotensi; ita tamen quod episcopus successor meus non petat, nec habeat pro reparatione ædificiorum episcopatus Carnotensis ultra summam duorum millium Francorum auri super & de bonis meis prædictis, quam summam duntaxat habui pro reparationibus ab heredibus bonæ memoriæ domni Eblonis immediati prædecessoris Carnotensis episcopi: sed illa summa duorum millium francorum pro dictis reparationibus sit contentus, quanquam non me remordeat conscientia, cum de tempore meo in reparationibus & ædificiis exponi fecerim tantumdem & amplius quantum recepi. In casu vero quod dictus episcopus successor meus in episcopatu prædicto non contentaretur de duorum millium francorum summa pro reparationibus supradictis, volo quod eo casu legatum prædictum dictarum domorum, pratorum & vinearum episcopatui factum sit nullum. Item octo arpenta pratorum sita in prateria Calæ, & quæ in censiva a monasterio Calæ tenentur, per me acquisita a Johanna Lapisdove matrina mea & Johanne Druelle ejus genero, do & Guillermo fratri meo & suis filio & filiæ perpetuo una cum obligatione ad quam michi tenetur dicta matrina, quæ non ascendit de quingentis francis auri ad sexcentos francos auri de cunio domini Francorum regis. Et de bonis meis mobilibus sic volo & ordino. Primo quod omnes libri qui pro tempore obitus mei penes me quocumque loco reperientur, monasterio dicto sancti Vedasti tradantur, de quorum proprietate est pars major, & alteram partem eis dono, a qua donatione excipio missale, breviaria & pontificalia, quæ sunt usus Carnotensis, quos libros volo fore successoris mei episcopi Carnotensis: mitram gemmatam per regem Ludovicum tunc ducem Andegavensem michi donatam, mitram brodatam titulo reparationum per Johannem de Podio mihi traditam, baculum pastoralem Gallice dictum *Crosse*, per me emptum, do & lego episcopo Carnotensi, ut successor meus, quicumque fuerit, suo tempore potiatur illis, suis successoribus relicturus. Idem volo fieri de tunicis & dalmaticis, chirotecis & sandaliis. Annulum meum pontificalem cum lapide saphiro, quem fieri feci, do & lego monasterio sancti Vedasti prædicto ad opus abbatis qui pro tempore fuerit, & suorum successorum una cum annulo rubino sive *balay*, qui reperietur inter alios annulos meos. Eidem monasterio sancti Vedasti do & lego triginta marchas argenti ad marcham recipiendas Parisiensem super vassellam meam argenteam, quam tempore obitus mei habebo, si quam habeam; sin autem æstimationem dictarum marcharum super bonis meis, notificans executoribus meis inferius descriptis, & eorum cuilibet, omnibusque aliis & singulis quorum intererit, quod hoc non est simplex donatio, sed pro magna parte restitutio. Item volo, ordino & præcipio quod omnibus familiaribus & servitoribus meis salarium recipientibus de arreragiis servitiorum & salariorum suorum, de quibus per papyrum, & regesta mea, seu penes magistrum Matthæum de Perona existentia constabit, fiat plenaria integra solutio, & satisfactio a toto tempore quo michi servierunt. Item do & lego capellanis & familiaribus meis infrascriptis pro servitiis per eos michi factis, & in recompensationem ac satisfactionem ipsorum servitiorum; primo videlicet domno Johanni Pinardi decano sancti Andreæ de Castriduno 50. francos auri, Petro Solier secretario centum francos auri, Martino Cognati per totum tempus quo michi servivit veniendo ad Provinciam, pro quolibet anno 20. francos auri pro salario suo, magistro Johanni de Camera quinquaginta francos auri, item Johanni Guyoti scutifero pro salario suo duodecim francos auri pro quolibet anno, & ultra hoc 50. francos auri, Barberio, Mareschallo & Georgio coquo eis cuilibet ipsorum 50. francos ultra salarium suum. Si tamen quod hic habeo non posset sufficere pro ordinatione mea, quod familiares meos remittant executores mei infrascripti ad solvendum eos in bonis mei episcopatus, quanquam velim quod omnia mea mobilia citra existentia etiam usque ad unam scutellam vendantur, ac in oneribus meæ præsentis ordinationis exponantur, & subtraho ab hac generalitate equos servitorum meorum nominatos, qui revera mei sunt. In aliis vero meis bonis, rebus, juribus, proventibus, & emolumentis, proprietatibus, pertinentiis, actionibus, & aliis bonis mobilibus & immobilibus quibuscumque, ubilibet constitutis & existentibus, ad me pertinentibus seu pertinere debentibus, & quoquomodo acquisitis, seu quovis modo, jure, titulo, sive causa, conditione, seu forma spectantibus, quæcumque, qualiacumque, quantacumque, & ubicumque sint sive existant, quocumque nomine valeant nuncupari, facio, instituo & ore meo proprio nomino heredem meum universalem episcopatum seu episcopalem dignitatem Carnotensem, seu residuum omnium bonorum meorum prædictorum, hac præsenti ordinatione mea prius adimpleta, do, lego & relinquo ipsi episcopali dignitati, & ad ipsam episcopalem dignitatem meliori modo & forma quibus fieri potest, pervenire

& pertinere volo. Executores autem, garandiatores & A fideicommissarios meos, & hujusmodi mei præsentis testamenti ultimi seu præsentis ultimæ meæ voluntatis eligo, videlicet pro illa modiuscula portione bonorum meorum quæ hic in Avenione & ejus pertinentiis est, reverendum in Christo patrem D. Egidium episcopum Vaurensem, & venerabilem & circumspectum virum magistrum Robertum de Freta domini nostri papæ auditorem, si eis placuerit onus hujus executionis acceptare, & magistrum Petrum Solier secretarium & familiarem meum. Pro bonis vero meis in regno Franciæ existentibus socium meum carissimum magistrum Matthæum de Perona canonicum Carnotensem, & religiosum ac honestum virum dominum Johannem de Moy præpositum monasterii prædicti S. Vedasti, quasi a juventute alumnum meum, & quemlibet eo- B rum in solidum, quibus, & eorum cuilibet in solidum dono & concedo plenariam potestatem, licentiam & authoritatem, ac speciale mandatum, & etiam generale in judicio & extra judicium omnia & singula in præsenti meo testamento seu mea ultima voluntate contenta, & per superius expressata & ordinata exequendi, faciendi & complendi, & ad solvendum, complendum & exequendum ea omnia, & singula compelli faciendum eorum authoritate propria, prætoris vel judicis minime petita licentia vel obtenta; & volo & ordino quod præfati mei executores, & eorum quilibet in solidum possint & valeant omnia & singula prædicta exequi & complere juxta mentem & tenorem per me superius ordinatam, & etiam omnia alia & singula persequi, exequi & exercere, quæ executores testamentarii & C fideicommissarii facere possunt & debent, & eis permissum est de consuetudine vel de jure, & rogo præfatos executores meos affectione qua valeo, videlicet reverendum patrem dominum Egidium Vaurensem episcopum, Robertum de Freta, ac magistrum Petrum Solier præsentes, Matthæum de Perona ac dominum Johannem de Moy præpositum, absentes tanquam præsentes, & eorum quemlibet in solidum, quatenus onus executionis omnium & singulorum prædictorum in se assumere velint, & prædicta ad executionem debite deducere; denique magistrum Petrum Solier & dominum Jacobum Biderelli tabelliones apostolicos faciant scriptores totius meæ executionis, quia propter fidelitatem expertam in eis a me plenissime confido, eosque rogo intime quod papyros, quas *Vitæ* soleo D appellare, eidem domino Petro Solier & non alteri tradant, quod meæ fatuitates vulgarentur amplius, quod non expedit homini qui statum habuit in vita. De quibuscumque aliis scripturis modicam vim facio, quod sancta rusticitas omnia palam habet, & recommendo specialiter & principaliter reverendissimo in Christo patri & domino domino cardinali de Thureyo executionem hujusmodi mei ultimi testamenti, sive ultimæ meæ voluntatis. Et hoc est ultimum meum testamentum, sive ultima mea voluntas, quod & quam, prout supra disposui & ordinavi, volo, præcipio, atque mando incommutabiliter observari, & valere volo, jubeo & mando jure ultimi testamenti, vel jure codicillorum, aut per fideicommissum, seu jure donationis causa mortis aut jure cujuslibet ultimæ volun- E tatis, volens & concedens quod hoc meum præsens testamentum possit & valeat fieri, durari, corrigi & emendari, si necesse fuerit, consilio sapientis, substantia facti tamen in aliquo non mutata; & rogo & requiro vos testes omnes & singulos infra nominatos, & hic in præsentia vestrûm notariorum publicorum infrascriptorum personaliter constitutos, ut de hujusmodi meo præsenti ultimo testamento, ut de omnibus & singulis in præsenti publico instrumento contentis & expressatis, sitis mihi adjutores & testes, & vos notarios publicos infrascriptos, & vestrûm quemlibet in solidum, ut de prædictis omnibus & singulis recipiatis & faciatis, & quilibet vestrûm recipiat & faciat unum seu plura, tot & tanta, quot & quanta fuerint necessaria, & prout fueritis requisiti, seu alter vestrûm fuerit requisitus per illos quorum interest quomodolibet in futurum, publicum & publica instrumentum & instrumenta. Acta fuerunt hæc omnia & singula modo præmisso Avenione in hostelleria Cervelheriæ, in careria dicta de la Boucerie sub anno, indictione, die, mense & pontificatu quibus supra, præsentibus ad hoc venerabilibus & discretis viris magistris Johanne Vederii licentiato in legibus, Johanne Pinardi decano ecclesiæ collegiatæ sancti Andreæ de Castriduno Carnotensis diœcesis, Alano Brientii, Thoma de Valerano, Petro de Espineto clericis baccalaureis in legibus, Briocensis, Carnotensis & Redonensis diœcesium, & pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Datum ut supra.

Codicilli ejusdem.

IN nomine Domini, amen. Noverint universi & singuli præsentes pariter & futuri, quod anno a Nativitate Domini 1390. indictione 13. & die Martis XI. mensis Januarii circa horam primæ, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Clementis divina providentia papæ septimi anno duodecimo in mei notarii publici testiumque subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia personaliter constitutus reverendus in Christo pater dominus dominus Johannes Fabri permissione divina Carnotensis episcopus, sanus mente, licet æger corpore, attendens se heri fecisse suum testamentum ultimum nuncupativum in scriptis redactum, omnia & singula in ipso suo testamento contenta melioribus modo & forma quibus potuit, approbavit, corroboravit, ratificavit & confirmavit, & firmitatem omnimodam cum effectu perpetuo obtinere voluit una cum hiis quæ eidem testamento suo per præsentes codicillos addidit, & suam voluntatem codicillando declaravit, & ordinavit per modum qui sequitur infrascriptum; videlicet quod magister Matthæus de Perona, & frater Johannes de Moy in partibus Franciæ, seu magister Petrus Solier hic in curia Romana executores dicti ultimi sui testamenti, seu ultimæ voluntatis, possint gratificare & donare de bonis suis mobilibus Guillelmo fratri suo usque ad valorem 100. francorum auri inclusive, prout eis videbitur expedire, videlicet ultra ea quæ legavit ei in testamento suo prædicto. Item voluit & ordinavit quod successor episcopus Carnotensis qui pro tempore erit, de bonis suis mobilibus & immobilibus, quæ jure institutionis per eum factæ ad episcopatum seu dignitatem episcopalem Carnotensem, vel jure legati de residuo bonorum suorum episcopali dignitati facti post mortem suam pertinebunt, nichil valeat inbursare, seu in usus suos convertere, aut sibi vel suis retinere, seu appropriare, seu propria authoritate occupare, aut a suis executoribus, vel eorum altero aliquid de ipsis bonis petere, seu exigere quoquo modo, sed quod prædicta per dictos executores suos in utilitatem episcopatus seu dignitatis episcopalis hujusmodi fideliter convertantur. Item voluit quod executores prædicti ad eorum arbitrium possint domino nostro papæ Clementi VII. gratificare seu donare de bonis suis mobilibus quæ sunt in partibus Franciæ usque ad summam 400. vel 500. francorum auri currentium. Item de equitaturis suis ordinavit quod palfredus & mula sua hic vendantur pro utilitate suæ executionis. Item quod de ceteris equitaturis quilibet de familiaribus habeat illam quam equitabat, vel alias ad ordinationem reverendi in Christo patris & domini domini Egidii Vaurensis episcopi, ac venerabilium & circumspectorum virorum domini Roberti de Freta domini nostri papæ auditoris, ac magistri Petri Solier executorum dicti sui testamenti ultimi, sive suæ ultimæ voluntatis hic in curia Romana per eum, ut dicitur, electorum. Item quod de aliis familiaribus suis de quibus perantea non ordinavit,

ordinavit, ordinent prædicti tres executores sui hic in curia Romana super bonis suis hic existentibus, & præsertim dictus magister Petrus Solier, prout illis vel illi videbitur expedire. Hujusmodi vero præsentes codicillos suos idem reverendus pater dominus Johannes Fabri episcopus Carnotensis valere voluit jure codicillorum, seu jure legati, vel jure fideicommissi, vel alio quocumque jure quo melius valere possunt seu debent, ac si essent coram competenti judice rite & legitime publicati, voluitque, præcepit atque mandavit, quod præsentes codicilli post eorum productionem & ostensionem in judicio & ante, post litis contestationem & ante, possint dictari, corrigi, emendari & refici consilio cujuslibet sapientis, facti tamen substantia non mutata. De quibus omnibus & singulis supradictis voluit & petiit idem dominus episcopus omnibus & singulis quorum interest vel intererit quomodolibet in futurum, fieri publicum instrumentum & instrumenta per me notarium publicum infrascriptum. Acta fuerunt hæc in Avenione in hostelleria Cervellariæ sita in careria dicta de la Boucerie, præsentibus discretis viris magistro Thoma de Valleran Carnotensis diœcesis in Romana curia procuratore, Johanne Jousseti clerico Suession. diœcesis, Johanne Goupil, Alano Brientii clericis baccalariis in legibus Cenomanensis & Briocensis diœcesis, scutiferis præfati domini episcopi Vaurensis Egidii, & Johanne Joliveti Redonensis episcopatus testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

CXIV.

Ex chartul. episcopatus.

Abbatia sancti Johannis in Valle reformatur a Johanne episcopo Carnotensi.

1396. UNiversis præsentes literas seu præsens publicum instrumentum inspecturis, Johannes miseratione divina episcopus Carnotensis, salutem in Domino sempiternam, & præsentibus indubiam dare fidem. Dudum siquidem ad nostram deducto notitiam, quod monasterium sancti Johannis in Valleia Carnotensi, ordinis sancti Augustini, propter venerabilis in Christo patris D. Richardi ipsius monasterii abbatis, decretorum doctoris, nunc Parisius actu regentis ac continue residentis & degentis absentiam, in spiritualibus & temporalibus patiebatur, & per longa tempora, proh dolor! passum fuerat detrimentum, & præsertim quia in divinis defectus fiebant quamplurimi, dissolutiones erant in religiosis, domus & ædificia corruerant, & totaliter corruebant terræ, vineæ, & alia, plures lites & processus per ipsum abbatem contra conventum suum, contra priores & religiosos suos coram diversis judicibus pendebant, in quibus bona dicti monasterii consumebantur, pluresque religiosi extra sua beneficia morabantur. Et eapropter præmissa ulterius tolerare non valentes, sed ea reformare cupientes, omnes priores, membra, ac alios religiosos dicti monasterii inferius nominatos fecimus & mandavimus per nostras citatorias literas ad diem Martis post festum nativitatis beati Johannis Baptistæ in eorum generali capitulo, quod ad dictam diem celebrari & assignari jussimus, citari, necnon dicto abbati Parisius residenti etiam per nostras literas significari & intimari, ipsumque hortari sub certis pœnis, ut dicta die personaliter interesset. Adveniente vero dicta die nobis in capitulo dicti monasterii præsidentibus, assistentibus dicto D. abbate, & religiosis viris prioribus dicti monasterii, & aliis religiosis & canonicis regularibus dicti monasterii, nos Johannes episcopus præfatus de spiritualibus tractare incepimus, ostendendo quod defectus de divinis officiis in dicto monasterio celebrandis notorie visi fuissent, quodque etiam religiosi in habitu & gestu minus congrue se gessissent, etiam temporalia dampnabiter gubernassent, & hæc, ut fama publicat, laborant ex absentia & propter non residentiam personalem præfati abbatis. Et cum

A præfati religiosi satis faterentur defectus hujusmodi, ex eorum unanimi voluntate omnes religiosos supradictos ibidem solemniter jurare fecimus, quod duas personas ex ipsis utiliores secundum eorum conscientias omni favore postposito nominarent & eligerent, ad officia prioris & præpositi fideliter exercenda, quod fecerunt in crastino die & per dictum abbatem præsentem, cum religiosi prædicti nos instanter requirerent ut dictum abbatem hortari vellemus, ut in dicto monasterio continue resideret, offerentes sibi de statu decenti providere. Eapropter nos ipsum abbatem caritative hortati fuimus ac monuimus oraculo vivæ vocis, ut circa correctionem religiosorum vigilaret, qui quidem abbas id spopondit se facturum bona fide. Præmissis itaque sic peractis, dictas partes ad concordiam

B deduximus amicabiliter in forma quæ sequitur. 1.° prior, præpositus & conventus acquitabunt dictum abbatem de ducentis libris erga creditores dicti abbatis, tradendo pignora erga ipsos; restituet dictus abbas libros, jocalia, & bona mobilia, & utensilia quæcumque habuit a dicta abbatia; residebit prout de jure tenetur & nobis promisit, & circa regimen & negotia monasterii, & religiosorum correctionem vacabit, & residendo ministrabuntur per manum præpositi necessaria in victu, vestitu & salariis servitorum de bonis dicti monasterii pro se & tribus servitoribus suis, scilicet capellano suo quem habebit de gremio ecclesiæ, uno scutifero seu clerico, & quodam famulo, & duobus equis, quos habebit de dicta abbatia competenter & honeste secundum facultates dictæ abbatiæ, & quandiu

C residebit, & pro visitandis medietatiis & locis dicti monasterii, aut aliis negotiis dictæ abbatiæ voluerit equitare, ministrabuntur ei alii duo equi cum necessario sumptu, octo vero septimanas per annum abbas ipse morari Parisius, vel alibi quo voluerit, honeste spatiari poterit & morari, quo tempore providebit, ut voluerit, sibi ipsi de equis, pro quibus octo septimanis pro quocumque sumptu percipiet a dicto monasterio per manum præpositi 32. libras Turonenses, scilicet qualibet septimana quatuor libras. Si ultra octo septimanas in anno extra monasterium remanserit quacumque de causa, dictus conventus nihil solvere tenebitur. Insuper habebit & recipiet dictus abbas per manum suam præbendam canonicalem Carnotensem pertinentem dicto monasterio, quæ dicitur abbatialis,

D ad disponendum pro libito voluntatis, & quittat monasterium de suis missis, & monasterium pariter eum quitat. Promiserunt partes, &c. Acta fuerunt hæc in dicto capitulo & hora capituli de mane anno Domini 1396. indictione IV. pontificatus SS. domini Benedicti papæ XIII. anno 2. die Mercurii 28. Junii, præsentibus venerabili in Christo patre D. D. abbate de Gaudii-valle ordinis Præmonstratensis nostræ diœcesis, ac venerabilibus & discretis viris magistris Johanne de Moleyo cantore, Hugone Gast capicerio ecclesiæ Carnotensis, Johanne de Camera officiali curiæ nostræ Carnotensis, & aliis testibus.

CXV.

Ex tabulario Carnotens.

E *Epistola decani & capituli Carnotensis ad regem, qua petunt licentiam eligendi sibi pastorem.*

EXcellentissimo domino nostro Carolo Francorum regi, sui humiles & devoti oratores & capellani, decanus & universitas capituli ecclesiæ Carnotensis cum sua & ipsius ecclesiæ recommendatione humillima, perennem in Christo coronam. Cum R. in Christo pater dominus Martinus Gouge nuper episcopus noster de ipsa ecclesia vestra Carnotensi fuerit & sit ad ecclesiam Claromontensem & dignitatem episcopalem ejusdem translatus, ipsaque ecclesia vestra Carnotensis ex dicta translatione sit pastore viduata, ad vos & regiam vestram majestatem dirigimus venerabiles viros & 1415.

discretos dilectos nostros magistros Petrum de Gyves camerarium, Petrum Belonis archidiaconum Vindocinensem in dicta ecclesia Carnotensi, Fulconem de Mepula, Johannem Gruelli nostros fratres & concanonicos, & Nicolaum Chavoine exhibitores procurationum, aut duos ex ipsis, ad eamdem majestati vestræ prædictam translationem prædicti nostri episcopi denunciandum; necnon ad postulandum ab eadem vestra majestate licentiam alium episcopum & pastorem eligendi, celsitudini ejusdem majestatis regiæ supplicantes, quatenus licentiam eligendi alium episcopum in ipsa ecclesia vestra Carnotensi liberaliter concedere dignetur, quam celsitudinem prosperet Dei benedictus filius & conservet per tempora longiora. Datum anno Dom. M. CCCCXV. die Sabbathi XXVII. mensis Julii.

CXVI.

Capituli votis annuit rex.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, dilectis nostris decano & capitulo ecclesiæ Carnotensis, salutem & dilectionem. Ut aliquam idoneam personam in episcopum & pastorem vestræ ecclesiæ memoratæ loco dilecti & fidelis consiliarii nostri Martini Gouge ultimi dictæ ecclesiæ vestræ episcopi nuper ad ecclesiam Claromontensem translati, eligere vel postulare servatis solemnitatibus consuetis vobis liceat & possitis facultatem & licentiam concedimus per præsentes, devotiones vestras sinceriter exhortantes & monentes in visceribus Jesu Christi ut solum Deum præ oculis habentes, omni ambitione, favore seu partialitate semotis, in hac parte talem personam in pastorem & episcopum vestrum eligere studeatis, quæ Deo & hominibus merito sit acceptabilis atque grata, vobis quoque & gregi totius diœcesis in spiritualibus & temporalibus fructuosa. Datum Parisiis die 30. mensis Julii anno Domini M. CCCCXV. regni nostri XXXV. Sic signatum. Per regem, dominis de Basquevilla & de Braquemont præsentibus.

CXVII.

Electio Philippi de Bois-Giloud episcopi.

1415. IN nomine Domini, amen. Reverendissimo in Christo patri ac domino J. Dei gratia archiepiscopo Senonensi, seu ejus vicariis in spiritualibus aut commissariis in hac parte deputatis vel deputandis, sui humiles & devoti Milo decanus, & universitas capituli ecclesiæ Carnotensis reverentiam, tam debitam quam devotam, cum honore. Cum propter vacationem diuturnam ecclesiæ pastorum solatiis destitutæ, gravia in spiritualibus & temporalibus dispendia patiantur, conditores canonum deliberatione provida censuerunt, ut ultra tres menses vacare non debeant ecclesiæ cathedrales. Nuper igitur per translationem reverendi in Christo patris & D. D. Martini Dei gratia episcopi Carnotensis ad ecclesiam Claromontensem, nostra Carnotensi ecclesia pastore viduata, & pastoris solatio destituta, ne ipsa nostra ecclesia viduitatis suæ incommoda diutius deploraret, fuit a canonicis tunc præsentibus & capitulantibus hæc dies Mercurii post festum sanctorum Egidii & Lupi quarta mensis Septembris cum continuatione dierum sequentium concorditer assignata ad electionem futuri pontificis celebrandam. Citatis autem interim absentibus, & convenientibus in termino supradicto omnibus qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, missam primitus sancti Spiritus ut nos regeret in agendis, divina nobis favente clementia, duximus celebrandam, & ea celebrata, & audita, hymnoque *Veni creator Spiritus* devote decantato, capitulum ipsius nostræ ecclesiæ adivimus & fuimus ibidem simul ad sonum campanæ more solito congregati, in quo quidem capitulo exposito verbo Dei, tandem deliberatione præhabita, per quam formam esset in electionis hujus negotio procedendum, placuit nobis omnibus & singulis per formam scrutinii eidem ecclesiæ providere, unde tres de nostro collegio, fide dignos, videlicet magistros Johannem de Fetigniaco archidiaconum Blesensem in legibus, Johannem Barré in decretis, & Johannem Gruelli in legibus licentiatos, nostros concanonicos concorditer duximus assumendos, quibus dedimus potestatem, ut secreto & sigillatim vota cunctorum, primo tamen sua, & postmodum nostra inquirerent diligenter, & eis in scriptis redactis, mox in communi eadem publicarent: scrutatores autem ipsi potestatem sibi traditam acceptarunt, & ad unum angulum nostri capituli se trahentes, secreto & sigillatim inquisiverunt diligenter, prout nobis postmodum retulerunt, primo adinvicem vota sua, & inde nostra, sicut a nobis habuerant in mandatis, ipsisque in scriptis redactis, mox in communi eadem publicarunt. Quibus publicatis, & collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum subsecuta, & per nos ac quemlibet nostrum sigillatim super hoc interrogatum concorditer approbata & laudata, repertum fuit majorem & saniorem partem capituli vota sua direxisse in scrutinio hujusmodi in venerabilem & circumspectum virum magistrum Philippum de Bosco-Giloudi licentiatum in legibus, domini nostri regis consiliarium, nostrum concanonicum Carnotensem, virum utique providum & discretum, literarum scientia, vita & moribus merito commendandum, in sacris ordinibus & ætate legitima constitutum, in & de legitimo matrimonio, ac nobili prosapia procreatum, in spiritualibus & temporalibus plurimum circumspectum, quem magister Milo de Dangello decanus noster præfatus de mandato nostro nobisque præsentibus elegit, & electionem hujusmodi in scriptis pronuntiavit solemniter in hunc modum: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ad laudem, gloriam & honorem Dei, ejusque gloriosæ genitricis semperque virginis Mariæ patronæ nostræ negotium agitur. Ego Milo de Dangello decanus & canonicus Carnotensis, de voluntate, consensu & mandato omnium illorum, qui in venerabilem & circumspectum virum magistrum Philippum de Bosco-Giloudi consentierunt, & ipsum in scrutinio nominaverunt, ipsorumque omnium, & singulorum, & mei, vice ac nomine totius capituli, omniumque jus in hujusmodi electione habentium, vice ac nomine omnium ipsorum, & mea, dictum magistrum Philippum de Bosco-Giloudi virum utique providum & discretum, literarum scientia, moribus, ac virtuosis actibus merito commendandum, in sacris ordinibus & ætate legitima constitutum, de legitimo matrimonio procreatum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, in quem facto scrutinio juxta formam concilii generalis, ac eo publicato & collatione habita diligenti, repertum est majorem & saniorem partem totius capituli vota sua direxisse, invocata sancti Spiritus gratia, in nostrum & hujus ecclesiæ nostræ Carnotensis pronuntio in hiis scriptis, & eligo episcopum & pastorem. Electionem autem hujusmodi sic solemniter celebratam omnes approbavimus, gratamque & acceptam habuimus, & habemus, ac denique *Te Deum laudamus* solemniter decantantes, campanis omnibus dictæ nostræ ecclesiæ pulsatis, capitulum nostrum exivimus, & ad ecclesiam in choro ejusdem accessimus, ubi hymno hujusmodi finito cum versu *A Domino factum est istud*, & oratione *Actiones nostras* devote dicta, electionem ipsam per scrutatores supranominatos organo dicti magistri Johannis Barré in pulpito dictæ ecclesiæ loco eminentiori ejusdem clero & populo fecimus confestim solemniter publicari, prout præmissa omnia & singula in processu super dicta electione confecto & conscripto, ac in publicam & authenticam formam redacto latius & seriosius continentur. Quapropter reverendissimæ paternitati vestræ humiliter & devote voto unanimi

supplicamus, quatenus electionem eandem sic solemniter, sicque canonice & in plena concordia celebratam dignemini confirmare, defectus supplentes, si qui in ea vel ejus processu forsan intervenisse reperirentur, ac eidem electo nostro munus consecrationis favorabiliter impertiri, ut, Deo auctore, nobis & toti diœcesi velut pastor idoneus præesse valeat utiliter & prodesse, nosque ac alii ejusdem diœcesis sub ejus regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ceterum ut vestra reverendissima paternitas cognoscat evidenter vota nostrorum omnium in prædictis omnibus & singulis concordasse, ac in petitione hujusmodi existentes unanimes & concordes, præsens electionis nostræ decretum reverendissimæ paternitati vestræ transmittimus sigillo nostri capituli sigillatum; quod etiam ad majorem cautelam per notarios publicos subscriptum in formam publicam redigi fecimus, signisque suis publicis & propriis subscriptionibus roborari. Datum & actum in nostro capitulo nobis propter hoc ad sonum campanæ more solito congregatis, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, die Mercurii quarta Septembr. supradicta indictione octava, sede apostolica pastore carente, præsentibus ad hæc venerabilibus viris dominis Johanne Jaquoys de Joyaco, & Guillelmo le Rebours de Oratorio Carnotensis diœcesis parrochialium ecclesiarum rectoribus, ac capellæ sancti Piati in ecclesia Carnotensi fundatæ canonicis, apostolica & imperiali authoritatibus notariis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

CXVIII.

Ex chartul. Carnotensi.

Dies assignatur ad informandam electionem Philippi episcopi.

1415. GERARDUS miseratione divina episcopus Parisiensis, & Felix abbas monasterii de Belloloco prope Cenomanos, ordinis sancti Augustini, commissarii a reverendissimo in Christo patre & domino domino Johanne Dei gratia archiepiscopo Senonensi deputati, vicariis generalibus ac officiali sedis episcopalis Carnotensis nunc vacantis, necnon abbati sancti Carauni Carnotensis, ac aliis omnibus, &c. salutem in Domino. Cum nuper electione de persona venerabilis & circumspecti viri magistri Philippi de Bosco-Giloudi in episcopum Carnotensem facta, processus & decretum de & super electione prædicta facti præfato reverendissimo patri fuerint præsentati, petitaque electionis confirmatione, præfatus reverendissimus pater vices suas in hac parte nobis duxerit committendas, vobis universis mandamus quatinus in ecclesia Carnotensi die Dominica aut festiva hora decantationis magnæ missæ in pulpito significetis, & intimetis universis quorum interest, quod causa confirmationis vel infirmationis prædictæ electionis per præfatum reverendissimum patrem nobis fuit & est commissa decidenda, & fine debito terminanda, citantes ipsos una citatione, unoque edicto peremptorio pro omnibus . . . . . . compareant coram nobis die 7. Octobris proxima in aula alta domus episcopalis Parisiensis hora magnæ missæ in ecclesia nostra Parisiensi, quos diem, locum, horam eis assignamus, & vos assignetis eisdem dicturis, proposituris, allegaturis, si quid contra processum in hoc negotio dicere, proponere, objicere, &c. voluerint . . . . vobis mandamus quatinus super forma dictæ electionis informare curetis ac de hiis, &c. nos certificare curetis. Datum Parisiis sub sigillis nostris & omnium præmissorum, anno Domini 1415. die Martis 17. mensis Septembris.

CXIX.

Episcopi Senonensis provinciæ invitantur ad consecrationem Philippi Carnotensis.

REverendo in Christo patri Philippo miseratione 1415.
divina Autissiodorensi episcopo, Gerardus Parisiensis & Johannes Meldensis miseratione eadem episcopi comprovinciales & suffraganei provinciæ Senonensis, dilectionem. Cum reverendissimus in Christo pater Johannes Senonensis archiepiscopus nobis Gerardo & abbati de Belloloco prope Cenomanos, ordinis S. Augustini, suas patentes literas direxisset tenoris qui sequitur: Johannes miseratione divina archiepiscopus Senonensis, venerabili fratri nostro episcopo Parisiensi, & dilecto nobis in Christo abbati de Belloloco prope Cenomanos, ordinis sancti Augustini, salutem. Cum hodie pro parte decani & capituli ecclesiæ Carnotensis ac magistri Philippi de Bosco-Giloudi per eos nuper electi in episcopum, petita electionis confirmatio, nos in negotio hujusmodi vacare nequeuntes, pluribus aliis domini nostri regis, ac nostris & ecclesiæ nostræ Senonensis negotiis occupati, nolentesque contra doctrinam Apostoli dicto electo cito manum imponere, vobis de dictæ electionis & eligentium, & electi meritis inquirendi, & de omnibus vos diligenter informandi, &c. Datum Parisius sub sigillo nostro anno 1415. die Lunæ 16. Septembris. Nos Gerardus episcopus & abbas memoratus electionem ipsius domini Philippi nominati canonice celebratam duximus confirmandam, quatenus ad munus consecrationis eidem impendendum dignaremur. Idcirco nos Gerardus & Johannes coepiscopi vestri de benevolentia vestra & ceterorum nostrorum comprovincialium episcoporum ad actum consecrationis prædictæ paratos nos offerimus & intendimus. Eapropter vos & comprovinciales nostros requirimus quatenus Dominica post festum Epiphaniæ Domini 12. instantis Januarii ad actum consecrationis hujusmodi Parisius, si locus ille vobis videatur accommodus, interesse velitis. Quod si impediti, vestris patentibus epistolis nobis vestrum consensum pariter & assensum significare velitis. Datum Parisius sub sigillis nostris anno Domini 1415. 20. Decembris.

CXX.

Johannes Roberto adhærentes excommunicat.

QUam sit ecclesiis ipsarum dispendiosa vacatio, *Circa*
quamque periculosa esse soleat animabus, non 1419.
solum jura testantur, sed etiam magistra rerum efficax experientia manifestat. Cum igitur ex eo quod a tempore & occasione modernarum guerrarum, lethaliumque & desolatoriarum hujus regni divisionum, nonnulli prælati, & personæ, patronique ecclesiarum nostræ diœcesis, tam regularium quam secularium, a nostra & ecclesiæ nostræ Carnotensis immo & sanctæ sedis apostolicæ, cujus auctoritate & providentia, miseratione divina permittente, licet immeriti, dictæ Carnotensi præsidemus ecclesiæ, necnon a domini nostri Francorum regis obedientia damnabiliter se subtraxerint, cuidam Roberto intruso falsum nomen pontificis Carnotensis, contra Deum & adversus dictam sanctam sedem apostolicam se temere extollendo, usurpanti notorie, & tanquam pastori & episcopo schismatice contra nos faventes & adhærentes, frequenter eveniat, quod beneficiis, quæ ad dictorum patronorum præsentationem, præmissis cessantibus, alias pertinere deberent, vacantibus, vel beneficiatis ipsis sua hujusmodi beneficia causa permutationis, cujus approbatio vel reprobatio, admissio vel repulsio mediante justitia de jure & consuetudine ad nos spectat, in manibus nostris canonice resignantibus beneficia ipsa tam curata quam alia, per factum & culpam damnabiles dictorum

patronorum jure præsentandi, & nostris gratia & communione indignos se reddentium, quamplurima in spiritualibus & temporalibus ob diuturnam vacationem patiantur incommoda, & in posterum patientur, nisi paternæ sollicitudinis studio & provisionis opportunæ remedio mederetur. Nos ex officii nostri debito volentes vacationum diuturnitatibus & animarum periculis obviare, præsenti nostra synodali constitutione declaramus omnes & singulos prælatos, personas ac patronos ecclesiasticos, ad quos alias pertinere debeat, & ab antiquo pertinebat collatio, provisio, seu quævis alia dispositio quorumcumque beneficiorum nobis subditorum, præfato Roberto, ut præmittitur, adhærentes & faventes, & se a nobis, & a corpore nostræ ecclesiæ Carnotensis separantes & dividentes, omni honore, facultate & jure præsentandi nobis ad dicta beneficia, & de beneficiis ipsis quomodolibet disponendi, necnon omni gratia & communione nostris ipsos fore, fuisse, & esse de jure indignos & privatos, & tamdiu sic privatos manere, donec ad humilitatis & obedientiæ gratiam, dictæque ecclesiæ nostræ Carnotensis gremium redeuntes, eidem reincorporari mereantur, & interim nobis de jure licere de beneficiis ipsis vacantibus & vacaturis libere pleno jure disponere, lapsu semestris temporis minime exspectato, cum de jure non sit exspectandus eventus, cujus non sequitur effectus: salvo tamen in omnibus jure ecclesiarum, & dum, & quamprimum earum personæ ad nostram & ecclesiæ nostræ redeant unitatem.

CXXI.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta Henrici VI. Angliæ regis de præputio Domini Columbis asservato.

1427. HENRI, *par la grace de Dieu, roi de France & d'Angleterre: A nos très-chers & bien amez les thresorier & chanoines de la Sainte Chapelle de notre Palais royal à Paris, salut & dilection. Nos bien amez les religieux de l'eglise de Coulons au diocèse de Chartres, ont humblement exposé à notre très-cher & très-amé oncle Jean regent notredit roiaume de France, duc de Bedford, que en l'an de grace 1422. feu notre très-cher seigneur & pere le roi d'Angleterre dernier trespassé, à qui Dieu pardoint, après ce qu'il eut eté informé par notre amé & feal conseiller l'evêque de Chartres, qui apresent est, que en ladite eglise de Coulons y avoit un très-digne reliquaire nommé le Saint Circoncis de notre benoist redempteur Jesus Christ, lequel reliquaire avoient accoutumé de souvent en grant devotion venir visiter grant affluence de femmes notables, quand elles etoient enceintes, pour en etre beneistes & seignées, en esperance que par la grace de Dieu leur fruit en vint plus seurement & saulvement, aux saints fons de baptesme; notredit feu pere considerant que notre très-chiere dame & mere sa compaigne, etoit lors enceinte en Angleterre, desirant que ledit très-digne reliquaire y pût etre porté à ce qu'elle en fut beneitte, obtint par le moien dudit evêque diocesain desdits religieux, que ledit saint reliquaire fût porté audit lieu de Chartres, & baillé audit evêque, qui le bailla à notredit feu pere, lequel le promit rendre & restituer à ladite eglise de Coulons, ou aux religieux d'icelle. Et ce fait, notredit feu pere le fit porter en notredit roiaume d'Angleterre, pardevers notredite dame & mere, qui etoit enceinte de Nous. Et après ce que par la grace de notredit benoist redempteur, eûmes reçu en sainte eglise le saint sacrement de baptesme, fut ledit saint reliquaire rapporté par deçà, & pour la doubte des guerres, mis & baillé seulement en garde en notredite Sainte Chapelle, comme il peut apparoir par vos lettres sur ce faites, & ausdits exposans baillées, dont la teneur s'ensuit:*

Universis præsentes literas inspecturis, thesaurarius A & canonici sacrosanctæ Capellæ regalis Palatii Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem in Domino. Notum facimus nos hodie ab illustrissimo & excellentissimo principe & domino nostro domino Henrico Dei gratia rege Angliæ, herede atque regente Franciæ quoddam jocale argenteum in custodia recepisse, in quo, ut pie creditur, præputium Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi fore reconditum dignoscitur, tali tamen conditione per eumdem excellentissimum principem super hujusmodi custodia apposita, quod jocale prædictum, quod monasterio seu abbatiæ de Columbis Carnotensis diœcesis asseruit pertinere præfatus dominus noster rex regens, eidem abbatiæ, seu certo monasterio per ipsum ad hoc specialiter deputato reddere tenebimur, habitis per prius B consensu & mandato expressis præfatorum serenissimi principis & summi domini nostri Francorum regis, atque ejusdem domini regis Angliæ, heredis & regentis Franciæ. In cujus rei testimonium, sigillum ad causas dictæ Sacræ Capellæ hiis præsentibus duximus apponendum. Datum Parisiis die XIII. mensis Junii anno Domini 1422. *Ainsi signé P. Noisette; en laquelle Sainte Chapelle ledit saint reliquaire est encore de present. Et pour ce que lesdits religieux exposans ont & avoient accoutumé de avoir, à cause dudit saint reliquaire, plusieurs belles oblations, ce qu'ils n'eurent depuis le temps dessusdit jusques à present, & que ils sont tant pauvres à l'occasion des guerres, qu'ils ne ont de quoi vivre; par quoi sont en voie de mandier, se par le moien des aumosnes & oblations que on leur* C *pourroit faire à cause dudit saint reliquaire, ne sont aucunement ressours & reconfortez, requierent instamment & supplient que leur dit reliquaire leur soit delivré, ou mis de par nous en l'eglise de saint Magloire à Paris, en la garde de l'abbé dudit lieu & de iceux exposans, tant seulement pour illec avoir par lesdits exposans, & non autres, toutes les oblations qui y seront faites à Dieu à l'occasion dudit saint reliquaire, en quelque maniere que ce soit. Pourquoi Nous considerans ce que dit est, avons par la deliberation de notredit oncle & des gens de notre Grant conseil, voulu & consenti, & par ces presentes voulons & consentons que ledit saint reliquaire soit par vous baillé & delivré ausdits abbé de saint Magloire à Paris & religieux de Coulons exposans, suffisemment fondez pour & ou* D *nom de leurdite eglise, pour etre par eux ou de par eux, ensemble gardé en ladite eglise de saint Magloire & non ailleurs, & illec exhibé honorablement & devotement au peuple, toutes & quantesfois que lesdits religieux exposans verront que metier sera, au prouffit d'iceux exposans & de leur dite eglise tant seulement, & jusques à ce qu'autrement en soit plus expressement ordonné par notredit Grant conseil, pourvu que ledit abbé de saint Magloire promettra & jurera ès mains de notre amé & feal conseiller l'evêque de Beauvais, que nous y avons à ce commis & commettons par ces presentes, que icelui reliquaire ne delivrera ausdits religieux, ne autres quelconques, pour porter hors de notredite bonne ville de Paris, sans avoir sur ce l'avis & consentement de notredit Grant conseil, qui sera* E *pour lors à Paris, & que sur ce vous baillera ses lettres de promesse pour etre par vous gardées de par Nous, & avec ce, qu'il baillera ausdits religieux exposans ses autres lettres par lesquelles appaire qu'il a eu en garde en son eglise de saint Magloire ledit saint reliquaire avec iceux exposans par la maniere dessusdite. Si vous mandons & à chacun de vous, si comme à lui appartiendra, que ledit saint reliquaire dont vosdites lettres font mention, baillé & delivré ausdits abbé de saint Magloire & religieux exposans par la maniere dessusdite, sans faire en ce aucune difficulté ou refus, en reprenant vos lettres cy-dessus transcrites, & par raportant ces presentes & desdits abbé de saint Magloire & religieux exposans, lettres de*

reconnoiſſance par leſquelles appaire de la reception dudit ſaint reliquaire avec les lettres de promeſſe & ſerment deſſuſdit, leſquelles lettres ledit abbé de ſaint Magloire eſt tenu de vous bailler, pour icelles etre par vous gardées de par Nous, & certification de notredit conſeiller l'evêque de Beauvais, par laquelle appaire qu'il a reçû dudit abbé de ſaint Magloire les ſerment & promeſſe deſſuſdits, vous & chacun de vous demourez quittes & dechargez de la garde d'icelui ſaint reliquaire, par-tout où il appartiendra.

Donné à Paris le XXIIII. *jour de May, l'an de grace* 1427. *& de notre regne le quint, ſous notre ſcel ordinaire en l'abſence du grand.*

Plus bas eſt ecrit : *Par le roi, à la relation du Grant conſeil tenu par monſieur le regent de France, duc de Bedford. Ainſi ſigné,* Callot avec paraphe.

Au dos eſt ecrit : Anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſeptimo quarta die menſis Junii abbas ſancti Maglorii Pariſius promiſit & juravit in manibus domini epiſcopi Belvacenſis, illa quæ tenetur promittere & jurare ſuper facto cuſtodiæ cujuſdam jocalis argentei, in quo, ut pie creditur, præputium Domini noſtri Jeſu Chriſti fore reconditum dignoſcitur, & hoc modo & forma contentis in albo præſentium, me præſente. *Signé* Callot.

CXXII.

Diploma Caroli VII. Francorum regis quo ſancti Petri Carnotenſis abbatia gubernanda conceditur abbati Peliciæ.

1432. CHARLES, par la grace de Dieu, roy de France : A notre amé & feal M.e Regnier de Boulligny general conſeiller par nous ordonné ſur le fait & gouvernement de toutes nos finances, tant en Languedoil qu'en Languedoc, au bailly de Chartres & à tous nos autres juſticiers & officiers, ou à leurs lieutenans, ſalut & dilection. Reçu avons humble ſupplication de nos bien amez les religieux, prieur & convent de l'abbaye de ſaint Pere en Vallée de Chartres, contenant que comme au devant que notredite ville fuſt reduite en notre obeiſſance, l'abbé d'icelle abbaye fuſt allé à Paris pour aucunes affaires touchant ladite abbaye, en laquelle il s'etoit tenu & encore tenoit ſans rétourner audit lieu de Chartres; pour laquelle cauſe un religieux de l'ordre ſaint François nommé frere Regnault du Cheſne ſe fut incontinant après le recouvrement de ladite ville de Chartres trait par devers Nous, & ſous couleur d'aucunes choſes que il nous eût donné à entendre, obtenu de Nous par certaines nos lettres de commiſſion, le gouvernement & adminiſtration de la temporalité d'icelle abbaye, au regard du droit & portion ſeulement audit abbé & à ſa croſſe appartenant, & juſqu'à ce que par Nous en fuſt autrement ordonné, par vertu deſquelles nos lettres, ledit frere Regnault s'etoit efforcié de jouir & uſer des fruits, rentes & revenus appartenants audit abbé, & qui plus eſt, de donner & conferer les priorez & autres benefices d'icelle abbaye, qui eſt contre le vœu de ſa religion, & outre grand prejudice deſdits ſupplians, & pourroit plus etre ou temps avenir, ſe par Nous ne leur etoit ſur ce pourvu. Si comme ils diſent requerans humblement que attendu que leſdits ſupplians & ledit frere Regnault ſont de diverſes profeſſions, & n'eſt pas convenable choſe que l'un ait authorité ſur l'autre, Nous leur veuillons octroyer quelqu'un des religieux d'icelle abbaye, ou autre religieuſe perſonne de leur ordre & profeſſion, honneſte, ſouffiſant & idoine, qui en l'abſence de leurdit abbé ait le gouvernement & adminiſtration de ladite abbaye. Pourquoy, Nous ces choſes conſiderées, & que ledit frere Regnault eſt de de l'ordre ſaint François, lequel, ſelon iceluy ordre, ne ſe doit aucunement entremettre de gouvernement de temporalité; voulans pourvoir à ladite abbaye de perſonne notable, ſouffiſant & idoine, du vœu & profeſſion deſdits ſupplians, en maniere que le ſervice divin puiſſe etre continué, & que les rentes & revenus d'icelle n'en diminuent en aucune maniere, voulons & Nous plait que notre amé & feal conſeiller André abbé de Notre-Dame de la Pelice, qui eſt de leur ordre & profeſſion, ait & tiegne en l'abſence dudit abbé de ſaint Pere, le gouvernement & adminiſtration de ladite abbaye, & en preigne & reçoive les fruits, proufits, rentes, revenus & emolumens d'icelle, & en tant que metier ſeroit, y avons ledit abbé de la Pelice, par l'avis & deliberation de notre Conſeil, commis & ordonné, commettons & ordonnons de grace eſpecial par ces preſentes, parmi ce qu'il ſouſtendra les hoſtelz & maiſons, & fera faire le ſervice divin, & payera les charges pour ce deües & accoutumées, & ledit frere Regnault en voulons etre debouté. Si vous mandons & à chacun de vous, ſi comme à lui appartiendra, que de notre preſente volonté, ordonnance & commiſſion vous faites, ſouffrez & laiſſiez ledit abbé de la Pelice, ou ſon procureur & commis pour luy, jouir & uſer pleinement & paiſiblement, en luy ſouffrant prendre & percevoir doreſnavant les fruits, proufits, revenus & emolumens de la temporalité de ladite abbaye, au regard du droit de l'abbé & de ſa croſſe ſeulement, comme dit eſt, ſans ce ſur ce luy faire ne ſouffrir etre fait aucun empeſchement au contraire, & par raportant ces preſentes ou *vidimus* d'icelles deüement fait, & reconnoiſſance ſur ce dudit abbé de la Pelice ſeulement, Nous voulons & ordonnons tous ceux qu'il appartiendra en etre tenus quites & dechargiez pour tout ou meſtier ſera, ſans aucun contredit, nonobſtant quelconques lettres de commiſſion que ait obtenu de Nous par cy-devant ledit frere Regnault du Cheſne, & poſſeſſion que par vertu d'icelles nos lettres il ait eu & prinſe d'icelle abbaye; leſquelles lettres & commiſſion Nous avons revoquées & annullées, revoquons & annullons par ces preſentes, oppoſitions ou appellations, ordonnance, mandement ou deſenſe, & lettres ſubreptices à ce contraires. Donné à Loches le 9. jour de Juing l'an de grace 1432. & de notre regne le X. &c.

CXXIII.

Electio Johannis Barré abbatis ſancti Johannis. *Archiv. epiſcop. Carnot.*

REverendo patri D. Theobaldo Carnotenſi epiſcopo. Nuper vacante monaſterio beati Johannis 1438.
in Valleia per obitum bonæ memoriæ defuncti D. Johannis ejuſdem monaſterii noviſſimi abbatis, cujus corpus die Martis 12. Auguſti noviſſime præterita in dicto monaſterio traditum fuit ſepulturæ in capitulo, congregatis religioſis & capitulantibus die Mercurii 10. Septembris proxima, poſtula . . . . in abbatem & paſtorem dicti monaſterii, venerabilem & circumſpectum virum magiſtrum Johannem Barré presbyterum, in jure canonico licentiatum, canonicum præbendatum eccleſiæ Carnotenſis, & rectorem parochialis eccleſiæ ſancti Michaelis Carnotenſis, omnes religioſi una voce in præfatum magiſtrum Johannem, virum utique providum, ſolertem & diſcretum, in ſpiritualibus & temporalibus plurimum circumſpectum, ac in regula ſancti Auguſtini, & negotiis dicti monaſterii bene inſtructum, ætatis legitimæ & de legitimo matrimonio procreatum die Jovis 18. Septembr. hora 7. de mane, in bibliotheca ſive libraria eccleſiæ Carnotenſis, religioſi cum notario publico proceſſum dictæ poſtulationis præſentavimus. Die Jovis 25. Septembr. confirmatur. Acta fuerunt hæc anno 1438. indictione prima, menſibus, diebus & locis, ut ſupra.

CXXIV.

Ex chartario episc. Carnot.

Monasterium sanctæ Gemmæ unitur Columbensi.

1440. & 1444. IN nomine Domini, amen. Universis & singulis, quorum interest vel intererit, & quos infra scriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, communiter, vel divisim, quocumque nomine censeantur, Michael humilis abbas monasterii B. Mariæ de Josaphat ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diœcesis, executor unus ad infra scripta a sancta sede apostolica specialiter deputatus, salutem in Domino, & præsentibus indubiam adhibere fidem. Literas sanctissimi in Christo patris & Domini nostri domini Eugenii divina providentia papæ IV. ejus vera bulla plumbea cum chordula canapis more Romanæ curiæ bullatas, sanas & integras, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, ut prima facie apparebat, nobis pro parte venerabilium & religiosorum virorum dominorum abbatis & conventus beatæ Mariæ de Columbis, ordinis & diocesis eorumdem coram notario & testibus infra scriptis præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepisse hujusmodi sub tenore. Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati monasterii beatæ Mariæ de Josaphat Carnotensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Ad ea libenter intendimus, per quæ monasteriorum & aliorum locorum ecclesiasticorum ac personarum eorumdem salubriter, prout instantius requirit temporum qualitas, & locorum persuadet utilitas, valeat provideri. Sane pro parte nuper dilectorum filiorum abbatis & conventus monasterii beatæ Mariæ de Columbis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diœcesis, nobis exhibita petitio continebat, quod licet supradictum, necnon sanctæ Gemmæ ordinis & diœcesis eorumdem monasteria in eorum primævis fundationibus notabiliter etiam pro magno personarum numero ibidem sustinendarum fundata & dotata extitissent, illorum tamen fructus, redditus & proventus occasione guerrarum, quæ in dictis partibus proh dolor! diutius viguerunt, sunt adeo imminuti, quod dicti beatæ Mariæ, in quo 9. vel 10. monachi continue Altissimo famulantur ultra centum, & præfati sanctæ Gemmæ monasteriorum fructus, redditus & proventus ultra 10. librarum Turonensium parvorum secundum communem extimationem non valent annuatim, ac in eodem monasterio sanctæ Gemmæ unica monialis, videlicet illius abbatissa, remanserit, quæ ibidem etiam occasione guerrarum & destructionis ipsius monasterii S. Gemmæ raro solet residere, quodque si dictum monasterium sanctæ Gemmæ, in quo etiam vix duæ vel tres missæ annis singulis celebrantur, eidem monasterio beatæ Mariæ, cujus abbas & conventus abbatissæ & monialibus pro tempore dicti monasterii sanctæ Gemmæ duo modia grani annis singulis persolvere consueverunt, uniretur, illud in augmentationem divini cultus, & sublevamen dicti monasterii beatæ Mariæ non mediocriter redundaret. Quare pro parte dictorum abbatis & conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterium sanctæ Gemmæ monasterio beatæ Mariæ hujusmodi in perpetuum unire, annectere & incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quorum præcipua circa monasteriorum & aliorum locorum ecclesiasticorum omnis status directionem versatur instancia, cupientes in præmissis salubriter providere, & de hiis alias certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus de præmissis omnibus & singulis authoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ea fore vera repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, monasterium sanctæ Gemmæ prædictum cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio B. Mariæ

A eadem authoritate in perpetuum unias, incorpores & annectas, ita quod cedente vel decedente dicta abbatissa pro tempore, aut alias dictum monasterium sanctæ Gemmæ quomodolibet dimittente, liceat eisdem abbati & conventui, per se, vel per procuratorem suum ad hoc legitime constitutum corporalem possessionem monasterii sanctæ Gemmæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum authoritate propria apprehendere, & etiam retinere, necnon fructus, redditus & proventus ipsius monasterii sanctæ Gemmæ in suam & dicti monasterii beatæ Mariæ utilitatem convertere, ordinarii loci & cujuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, & nihilominus si supradicta abbatissa regimen & administrationem supradicti monasterii S. Gemmæ assignata sibi aliqua pensione pro suæ vitæ sustentatione ad effe-
B ctum dictæ unionis sortiendum per se vel procuratorem ad hoc ab ea specialiter constitutum, sponte & libere cedere voluerit, tibi cessionem hujusmodi hac vice duntaxat recipiendi & admittendi, necnon eidem abbatissæ transeundi ad aliquem alium locum monialium prædicti vel alterius ordinis, in quo benevolas receptrices invenerit, & ibidem remanendi licentiam concedendi, sibique super fructibus, redditibus & proventibus dicti monasterii beatæ Mariæ pensionem, de qua tibi videbitur, & de qua eadem abbatissa contentetur, assignandi, & de illa etiam sub pœnis per te statuendis responderi faciendi tenore præsentium concedimus facultatem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, nonobstantibus quibuscumque constitutionibus & ordina-
C tionibus apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus monasteriorum & ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, indulgentiis & literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Volumus autem quod si unionem hujusmodi per te fieri & suum effectum sortiri contingat, abbas & conventus supradicti jura episcopalia ratione dicti monasterii sanctæ Gemmæ pro tempore debita persolvere, & in eo temporibus de quibus tibi videbitur duas vel tres missas, in quibus spe-
D cialiter commemoratio fundatorum & benefactorum ipsius monasterii sanctæ Gemmæ fiat, celebrari facere omnino teneantur. Et insuper ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ 1440. XI. calendas Aprilis, pontificatus nostri anno XI. Post quarum quidem literarum apostolicarum præsentationem & receptionem fuimus ex parte dictorum abbatis & conventus debita cum instantia requisiti, ut ad executionem ipsarum literarum & contentorum in eisdem procedere curaremus juxta traditam seu directam per eas a dicta sede apostolica nobis formam. Nos igitur Michael abbas commissarius & executor præfatus, volens mandatum apostolicum nobis in hac
E parte directum reverenter exequi, ut tenemur, de & super narratis & contentis in literis apostolicis præmissis inquisitionem fecimus diligentem, amboque monasteria sanctæ Gemmæ & de Columbis in eisdem literis principaliter nominata visitavimus in propria, ac nonnullos fide dignos testes omni suspicione carentes super eisdem contentis solerter, sigillatim & secrete examinavimus. Tandem tam per sufficientem locorum personalem visitationem & inspectionem, diligentemque informationem, & fide dignorum testium depositionem, comperimus quod licet supradictum de Columbis, necnon sanctæ Gemmæ ordinis & diœcesis eorumdem monasteria in eorum primævis fundationibus notabiliter etiam pro magno personarum numero ibidem

sustinendarum fundata & dotata extitissent, illorum tamen fructus, redditus, proventus occasione guerrarum, quæ in dictis partibus proh dolor! diutius viguerunt, sunt adeo diminuti, quod dicti beatæ Mariæ, in quo decem monachi continue Altissimo famulantur, ultra 80. & præfati S. Gemmæ monasteriorum fructus, redditus & proventus ultra 8. librarum Turon. parvorum secundum communem æstimationem, comprehensis duobus modiis grani, de quibus in eisdem apostolicis literis fit mentio, secundum cursum pretii non valent annuatim, ac in eodem monasterio S. Gemmæ unica monialis, videlicet illius abbatissa, remanserit, quæ ibidem etiam occasione guerrarum & destructionis ipsius monasterii sanctæ Gemmæ, tanquam mendicans, vel quasi raro solet ibidem residere, quodque si dictum monasterium sanctæ Gemmæ, quod in suis ædificiis maximam patitur ruinam, & in quo tres vel quatuor missæ annis singulis celebrantur, dicto monasterio de Columbis, cujus abbas & conventus eidem abbatissæ & monialibus pro tempore dicti monasterii S. Gemmæ duo modia grani supradicta annis singulis persolvere consueverunt, uniretur, illud in augmentationem divini cultus & sublevamen dicti monasterii de Columbis non mediocriter redundaret, quodque fructus, redditus & proventus dictorum beatæ Mariæ de Columbis & sanctæ Gemmæ monasteriorum, ut præmittitur, fuerunt tenues & exiles, & adhuc sunt adeo diminuti, quod de Columbis ad vitam 9. vel 10. & sanctæ Gemmæ monasteriorum fructus unius personarum supportandam minime sufficerent, nec est verisimile, attenta solitudine locorum, potissime sanctæ Gemmæ, fructus ipsos debere in aliquo meliorari vel augeri, unde divinum servitium in eisdem consuetum celebrari posset & continuari, cetera quæ pro parte dictorum religiosorum de Columbis in eisdem apostolicis literis exposita & narrata per omnia veritate fulciri, & idcirco interveniente etiam expresso consensu abbatissæ dicti monasterii sanctæ Gemmæ, quæ licet unicam habeat monialem a pluribus annis vagabundam, quæ religionis habitum jamdudum paupertate causante dimisit, & alienas secessit in partes seculariter vivens, & pro seculari ac conjugata se gerens, & quæ etiam abbatissa, ut unio, de qua in præmissis literis apostolicis fit mentio, suum sortiatur effectum, prædictamque abbatiam sanctæ Gemmæ cum omnibus & singulis juribus & pertinentiis suis universis prædicto monasterio de Columbis uniendam, annectendam & incorporandam in nostris manibus resignavit, & eidem renuntiavit. Nos habita primitus super hoc matura deliberatione & consilio cum peritis authoritate apostolica qua fungimur in hac parte, Christi nomine invocato, duximus in perpetuum uniendam, annectendam, adjungendam & incorporandam, ac etiam unimus, annectimus, adjungimus & incorporamus per præsentes, decernentes ut secundum formam & tenorem literarum apostolicarum præinsertarum liceat eisdem abbati & conventui per se vel procuratorem idoneum ad hoc legitime constitutum corporalem possessionem monasterii sanctæ Gemmæ, juriumque & pertinentiarum prædictarum authoritate propria apprehendere, ac etiam retinere, necnon fructus, redditus & proventus ipsius monasterii sanctæ Gemmæ in suam & dicti monasterii beatæ Mariæ utilitatem convertere, ordinarii loci & cujuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, ipsarumque serie, eadem authoritate statuimus, quod prædictæ abbatiæ, sicut præfertur, per nos interveniente consensu quo supra unitæ, annexæ, adjunctæ & incorporatæ adinvicem non duæ, sed una abbatia, nec duo beneficia, sed unicum beneficium duntaxat ex nunc inantea perpetuo censeantur, reputentur & nuncupentur, sub salubri regimine unius, videlicet abbatis & conventus prædicti monasterii de Columbis, suorumque successorum dirigendum, regendum & gubernandum, confidentes in Domino, quod abbas & conventus prædicti eorumque successores in tantum uberius ex fructibus sic unitis in suis necessitatibus sustentabuntur, quod per ipsorum ministerium divinum servitium continuabitur, & regularis observantia in eodem monasterio de Columbis nullatenus negligetur. Volumus etiam ac eadem authoritate statuimus & ordinamus, quod præfati abbas & conventus ex nunc inantea & sui successores jura episcopalia ratione dicti monasterii sanctæ Gemmæ pro tempore debita persolvere, & in eo singulis annis in dierum Nativitatis, Resurrectionis Dominicæ, Assumptionis beatæ Mariæ virginis, celebritatis Omnium sanctorum ac sanctæ Gemmæ festivitatibus pro commemoratione fundatorum & benefactorum ipsius monasterii sanctæ Gemmæ, missam celebrari facere omnino teneantur, pensionem quoque annuam quindecim librarum Turonensium per præfatos abbatem & conventum de Columbis & suos successores annis singulis, videlicet pro una in festo Nativitatis Domini septem librarum & decem assium, & alia in festo nativitatis B. Johannis Baptistæ totidem medietatibus in civitate Carnotensi ipsi abbatissæ pro suæ vitæ sustentatione habendam, quoad vixerit, seu ejus legitimo procuratori realiter & cum effectu persolvendam, & assignandam authoritate apostolica supradicta reservavimus & concessimus, reservamus & concedimus, ac super hoc nostros eidem abbatissæ concessimus in forma solita processus executoriales, eidemque abbatissæ transeundi in aliquem alium locum monialium prædicti vel alterius ordinis, in quo benivolas receptrices invenerit, & ibidem remanendi licentiam concessimus & concedimus facultatem. Quæ omnia & singula vobis universis & singulis supradictis intimamus, insinuamus & notificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestrûm notitiam deducimus & deduci volumus per præsentes, & nichilominus vos omnes & singulos supradictos, quibus præsens noster processus dirigitur, dicta authoritate apostolica tenore præsentium requirimus & monemus primo, secundo, tertio & peremptorie, communiter & divisim, vobisque & vestrûm singulis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis infra scriptis districte præcipientes mandamus, quatinus infra 6. dierum spatium post præsentationem seu notificationem præsentium & prædictarum literarum apostolicarum vobis factam immediate sequentium, quorum sex dierum 2. pro 1. 2. pro 2.do & reliquos 2. dies vobis universis & singulis supradictis pro tertio & peremptorio termino, eosdem abbatem & conventum de Columbis, vel eorum procuratorem ipsorum nomine & pro ipsis, postquam corporalem, realem & actualem possessionem abbatiæ & monasterii sanctæ Gemmæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum adepti fuerint, ipsorum abbatiæ & monasterii sanctæ Gemmæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre, prout ad quemlibet vestrûm pertinuerit, respondeatis, seu ab aliis quantum in vobis fuerit, faciatis plenarie responderi. Quod si forte præmissa omnia & singula, prout superius narrantur & vobis mandantur, non adimpleveritis, ac mandatis & monitionibus nostris hujusmodi, imo verius apostolicis non parueritis realiter & cum effectu, nos in vos omnes & singulos supradictos, qui culpabiles fueritis in præmissis, & generaliter in contradictores quoslibet & rebelles, ac impedientes abbatem & conventum præfatos, vel eorum procuratorem super præmissis in aliquo, ac ipsos impediendi dantes consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis & præeminentiæ existant, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc singulariter in singulos, prædicta canonica monitione præmissa, excommunicationis, in capitula vero & conventus suspensionis a divinis, & in ecclesias vel monasteria interdicti ecclesiastici sententias ferimus & etiam promulgamus. Ceterum cum ad executionem præmissorum

ulterius faciendam personaliter nequeamus interesse, A aliis nostris & monasterii nostri negotiis legitime præpediti, universis & singulis dominis abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, cantoribus, succentoribus, thesaurariis, sacristis & canonicis etiam in quibuscumque aliis dignitatibus, personatibus vel officiis constitutis, archipresbyteris, rectoribus, vicariis, capellanis & beneficiatis perpetuis, curatis & non curatis, monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum quarumlibet & aliorum quorumcumque locorum ecclesiasticorum, presbyterisque & notariis publicis per civitatem & diœcesim Carnotensem, & alibi ubilibet constitutis, & eorum cuilibet in solidum super uheriore executione præmissorum facienda committimus plenarie vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, quos & eorum quemlibet eisdem authoritate & tenore B requirimus & monemus primo, secundo, tertio & peremptorie, communiter & divisim, eisque nichilominus & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, quam in eos & eorum quemlibet, nisi infra sex dies postquam per præfatos abbatem & conventum de Columbis, vel eorum procuratorem fuerint super hiis requisiti, quos dies eis & eorum cuilibet pro termino peremptorio ac monitione canonica assignamus, ... que eis in hac parte committimus & mandamus, prædicta canonica monitione præmissa, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ferimus in hiis scriptis, districte præcipientes mandamus, quatinus ipsi & eorum singuli qui super hiis, ut præmittitur, fuerint requisiti, vel fuerit requisitus, ita quod alter alterum non exspectet, nec unus C pro alio se excuset, ad vos omnes & singulos supradictos personasque, loca alia, de quibus expediens fuerit personaliter accedant seu accedat, & præfatas literas apostolicas, & hunc nostrum præsentem processum, ac omnia & singula in eis contenta vobis communiter aut divisim legant, intiment & fideliter publicari procurent, ac eosdem abbatem de Columbis vel eorum procuratorem pro eis & eorum nomine, in corporalem realemque & actualem possessionem dictorum abbatiæ & monasterii sanctæ Gemmæ, sic per nos, ut præmittitur, authoritate apostolica qua supra, eidem monasterio de Columbis unitorum & incorporatorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum manuteneant & defendant inductos, sibique de ipsorum monasterii & abbatiæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus D & obventionibus universis, prout ad eos communiter vel divisim pertinet, respondeant & faciant ab aliis plenarie & integre responderi, & nichilominus omnia alia & singula nobis in hac parte commissa plenarie exequantur juxta prædictarum literarum & præsentis nostri processus continentiam & tenorem; ita tamen quod nichil in præjudicium dictorum abbatis & conventus de Colombis attemptari valeat vel immutari in processibus per nos habitis & sententiis per nos latis. In cæteris autem quæ eisdem abbati & conventui nocere possent, ipsis & quibuslibet aliis potestatem omnimodam denegamus, præfatas literas apostolicas, & hunc nostrum processum, ac omnia & singula hujusmodi negotium tangentia volumus penes dictum abbatem, conventum vel eorum procuratorem remanere, & non E per vos vel aliquem vestrûm, seu quemque alium contra abbatis & conventus vel procuratoris prædictorum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes præfatis nostris sententiis, prout in hiis scriptis latæ sunt, prædicta canonica monitione præmissa, volumus subjacere. Copiam vero dictarum literarum apostolicarum & præsentis processus, si tamen petieritis & habere volueritis, vobis & aliis quorum interest tradi volumus, vestris tamen, & illorum sumptibus & expensis, & si contingat vos in aliquo super præmissis procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reservamus, non intendimus propter hoc commissionem vestram in aliquo revocare, nisi de revocatione ipsa specialis & expressa in nostris literis mentio habeatur, absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias vel eorum aliquam incurrerit, quoquomodo nobis vel superiori nostro tantummodo reservantes. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentem nostrum processum, seu præsens publicum instrumentum per notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli fecimus appensione muniri. Datum & actum Carnoti anno Domini 1444. indictione VII. mensis vero Julii die 22. pontificatus domini nostri papæ Eugenii anno 14. præsentibus ad hæc venerabilibus & discretis viris magistro Reginaldo de Ponte canonico Carnotensi, & Johanne Pinguet latomo Carnotensi, testibus ad præmissa vocatis & rogatis. Sic signatum Menardi & me Guillelmo Menardi presbytero ecclesiæ collegiatæ sancti Andreæ, Carnotensi canonico, ejusdem diœcesis oriundo, publico authoritate apostolica & imperiali, ac venerabilis curiæ episcopalis Carnotensis notario jurato, qui prædictarum literarum apostolicarum præsentationi, receptioni, inhibitioni, testium examinationi & requisitioni, monitionibus, mandatis, sententiarum promulgationibus, & commissioni, ac pensioni, ordinationi, omnibusque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, per præfatum dominum abbatem judicem executorem, ac coram eo agerentur, dicerentur & fierent una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi, & de mandato ipsius domini executoris signavi requisitus & rogatus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

CXXV.

Charta Henrici VI. regis Angliæ de præputio Domini Columbis asservato. *Ex tabulario ejusdem monasterii.*

HENRI, par la grace de Dieu, roi de France & d'Angleterre: A tous ceux qui ces presentes lettres verront, salut. Reçu avons humble supplication des religieux, abbé & convent de l'abbaye de Notre-Dame de Coulons ou diocese de Chartres, contenant comme à cause des dolereuses guerres, qui ja par plusieurs années continuellement ont duré en notre roiaume de France, & mesmement en la marche, où ladite abbaye de Coulons est située & assise, laquelle de grande ancienneté est de bien notable fondation, & grandement douée; & par avant desdites guerres etoit aucune fois garnie de cent religieux, qui jour & nuit moult solennellement & devotement faisoient le divin service à l'honneur & reverence de Dieu notre benoist créateur, & de la glorieuse vierge Marie sa benoiste mere, ou nom desquels ladite abbaye fut premierement instituée & fondée, soit de present tournée & devenue en telle desolation, diminution, poureté & decadence, que piteuse chose est de le voir & considerer, tellement que de present n'y a qu'environ douze religieux, qui en grande poureté & patience y font & continuent ledit divin service, combien que très-petitement ils y aient leur vie & sustentation, & seroit taillée de cheoir en extreme ruine, se prochainement n'y etoit remedié & pourvu. Pour consideration desquelles choses notre S. Pere le pape Eugene de bonne memoire 4.e derniérement trespassé, deüement informé de ce que dit est, & que difficile & comme naturellement impossible chose seroit de reparer, relever, & mettre sus en bon etat ladite abbaye, ou de la preserver de destruction & ruine totale, sans grant aide & secours des devots catholiques, qui par charité & en aumone y voudroient employer & donner de leurs biens; afin de plus emouvoir le peuple chrestien à accomplir par devotion les œuvres de charité, a voulu ouvrir, eslargir & departir les thresors de S.te eglise, en donnant & octroiant certains grants pardons & indulgences à tous ceux & celles 1447.

qui

qui par devotion feront aidans, donneront & aumoneront de leurs biens temporels, pour le relevement, restauration, reparation & amandement de l'abbaye & monastere dessusdits, si comme ces choses & autres sont contenues & declarées plus à plein ès bulles apostoliques sur ce faites, passées & levées. Nous aussi aiant bien singulier amour & parfaite devotion audit lieu & monastere de Coulons, principalement pour l'honneur & reverence de notre benoist Sauveur Jesus Christ, duquel le Circomcis est gardé & reveré en ladite abbaye, & tandis que notre très chere feue dame & mere la royne, que Dieu absoille, etoit de nous enceinte, fut apporté devers elle à notre naissance par deça en notre roiaume d'Angleterre, à la devotion, priere, pourchasse & instante requeste de feu notre très-cher seigneur & pere le roi, à qui Dieu fasse mercy, voulant & desirant, en tant que en nous est, relever les indigences & souffretez desdits supplians & de leur eglise . . . . tablement soulevées, aidées & . . . . . & afin que moiennant la misericorde de notre benoist créateur puissions etre participans ès oraisons, suffrages & prieres qui en ladite eglise & ailleurs par les religieux d'icelle, seront faites; ausdits religieux, abbé & convent, pour & ou nom dudit monastere, avons donné & octroié, donnons & octroions de grace especial, par ces presentes expresses, seureté, congié, autorité & licence que durant les treves & abstinences de guerre, qui de present sont entre nous d'une part, & notre très-chier oncle de France d'autre part, ensemble les prorogations & continuations qui cy en après par nous ou de par nous seront faites de & sur icelles treves, & semblablement en temps de paix, quand Dieu le Toutpuissant la voudra envoier entre nous, & les vassaux & sujets de nos roiaumes de France & d'Angleterre, iceux religieux par eux, leurs procureurs, messaigiers & serviteurs puissent & pourront une fois & sans plus en chacun an, franchement & licitement porter, mener & conduire, ou faire porter, mener & conduire par notredit roiaume de France, ès duchiez, par terres, seigneuries & lieux quelque part qu'ils soient par delà la mer à nous obeissans, en & parmi chacun d'iceux lieux, leurs saintes reliques & par gens à ce souffisans, idoines & admis, faire publier & denoncier à notre peuple la sainte parole de Dieu, & intimer & signifier les indulgences & pardons devant dits, pour induire icelui notre peuple, à leur donner & impartir par devotion, ce qu'il leur plaira de leurs biens au relevement d'icelui monastere, & que en ce faisant iceux religieux, leurs procureurs, messaigiers & serviteurs, avecques leurs reliques, habillemens, or, argent monnoié ou à monnoier, & autres choses qui en notre obeissance leur seront données, monteurées & autres biens quelconques, puissent aller, venir, passer, repasser, sejourner, demeurer & retourner de jours & de nuicts seurement & paisiblement en & parmi nos villes, jurisdictions, ponts, ports, passaiges, & autres lieux dessusdits de notre obeissance quelconque, & de l'une obeissance en l'autre une fois en l'an, comme dit est. Et quant à ce nous avons prins & mis, & de notredite grace prenons & mettons les religieux, ensemble leursdits procureurs, messaigiers & autres serviteurs avecques leurs reliques & biens devant dits, en notre protection & sauvegarde especial, à la conservation de leur droit tant seulement. Si donnons en mandement par ces mesmes presentes à tous nos lieutenants, baillifs, prevots, vicomtes, capitaines de gens d'armes & de trait, maires, echevins & gardes de citez, bonnes villes, chateaux, forteresses, ponts, ports, passaiges, jurisdictions & destroits, & à tous nos autres justitiers, officiers & sujets, ou à leurs lieutenans presens & avenir, & à chacun d'eux, si comme à lui appartendra, que de notre presente grace, octroi, protection & sauvegarde, fassent, souffrent & laissent lesdits supplians & autres devant dits, jouir & user pleinement & paisiblement, sans leur mettre ou donner, ne souffrir etre mis ou donné destourbier, empeschement en corps ne en biens, comment que ce soit au contraire, laquelle chose se faite estoit, reparent & amandent, ou fassent tantot & sans delai, par juge competent, reparer & amander, & ramener & mettre au premier etat deu. Car il nous plait que ainsi soit fait. En temonig de ce avons fait mettre notre seel à ces presentes. Donné en notre palais à Westein le XXVIII. jour de Juillet, l'an de grace mil CCCC. quarante & sept, & le vingt-cinquieme de nos regnes. Par le roi, present le marquis & comte de Suffolk. *Signé* Gervais.

CXXVI.

Magnatum conventus in ecclesia Carnotensi.

ANno Domini M. CCCCL. die vero XVIII. April. 1450.
præsens tabula, quæ fere per decem annos fuerat absconsa propter guerrarum discrimina, per venerabiles viros magistros Johannem Portier succentorem, Thuriavum Vinsardi, & Johannem Bourgeois canonicos hujus ecclesiæ sanctæ Carnotensis ex ordinatione capituli extracta propter ligni vetustatem, reparata fuit per Gerardum Compere aurifabrum arbitrio mei Milonis d'Illiers decani, domini nostri regis in sua Parlamenti curia consiliarii, necnon magistrorum operis, repositaque fuit ad altare majus in vigilia Ascensionis Domini eodem anno quinquagesimo tunc sequente. Quo tempore ex ordinatione christianissimi regis Franciæ ecclesia Gallicana, videlicet archiepiscopi, episcopi, universitates, capitula & abbates totius regni congregata sunt in hac civitate Carnotensi decima quinta mensis Maii, quæ fuit in crastino dictæ Ascensionis, & in dicto concilio auctoritate regis præsedit reverendissimus in Christo pater & dominus D. Jacobus Juvenalis patriarcha Antiochenus, Pictaviensis episcopus. Causa vero dictæ congregationis erat, ut differentia, quæ erat inter apostolicum auditorium & dictam ecclesiam Gallicanam, omnimodo tolleretur, fieretque concordia cum sanctissimo D. N. Nicolao papa V. super facto collationis beneficiorum, & provisionis eorumdem, & aliis articulis plenius in pragmatica sanctione contentis. Tunc temporis R. P. D. Bechebien Carnotensis episcopus, ego Milo d'Illiers decanus, Reginaudus de Parisiis archidiaconus, dictus Bisail subdecanus, Petrus Bechebien archidiaconus Drocensis, Guillelmus Baudri camerarius, Johannes Corbeau, Johannes Quatregrains, Petrus Brisard, Guillelmus de Bellomonte, Guillelmus Bourdou, Thuriavus Vinsard, Nicolaus d'If, Johannes Couldray, Johannes Sainson, Hector Renouard a parte decani: a parte autem cantoris dictus Johannes Portier succentor, Guillelmus Gressier præpositus Normanniæ, Stephanus Nivette, Petrus Fabry, Guillelmus Morin, Stephanus le Begue, Reginaldus de Ponte, Johannes Bourgeois, Stephanus Mailly, Johannes Dorel, Johannes Tenogues, Nicolaus Megret, Thomas de Bosco, Johannes Mille canonici præsentes erant & in ecclesia residentes, dictusque annus quinquagesimus jubilæus erat, & dominus noster rex Normanniam conquisivit, & tunc temporis poni fecerat obsidionem coram civitate Bajocensi, & dicebatur a cunctis, quod miraculum evidens erat, eo quod fere in decem mensibus idem dominus noster rex tantam conquestam mirabilem fecerat. In cujus rei testimonium præsentem schedulam manu mea propria signavi in præsentia D. Petri Ferrant clerici operis, & Johannis Cottereau notarii capituli. Signatum M. d'Illiers cum paragrapho.

CXXVII.

Petrus episcopus unionem sanctæ Gemmæ cum Columbis ratam habet.

1454. UNiversis præsentes literas inspecturis, Johannes miseratione divina humilis abbas monasterii beatæ Mariæ de Columbis, ordinis S. Benedicti, Carnotensis diœcesis, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Christo. Cum pridem monasterium beatæ Gemmæ ordinis & diœcesis eorumdem authoritate apostolica certis legitimis rationibus & causis, & sub certis qualificationibus, mediis & modis fuerit & sit præfato nostro monasterio de Columbis una cum suis juribus & pertinentiis universis perpetuo unitum, annexum & incorporatum, prout in literis apostolicis super hoc confectis, & processibus inde secutis plenius & seriosius continetur, in quibus inter cetera contineatur & expresse caveatur in effectu, quod mediante hujusmodi unione, si eam fieri & suum sortiri effectum contingeret, nos abbatem & conventum de Columbis supradictos ad jura episcopalia ratione monasterii sanctæ Gemmæ pro tempore debita resarcienda, reddenda & solvenda teneri & obnoxios existere, & propterea reverendo in Christo Patri, & D. D. Petro Dei gratia episcopo Carnotensi attentius exposuissemus inopiam, ruinamque & desolationem dicti monasterii S. Gemmæ & suarum pertinentiarum, suæ reverendæ paternitati propter hoc humiliter supplicantes, quatinus attentis dictis inopia, ruina, desolatione & fructuum ac proventuum, sævis causantibus guerris, diminutione, hujusmodi jura episcopalia in toto vel in parte relaxare & moderare in perpetuum, præfatisque unioni & incorporationi suum consensum pariter & assensum præbere, laudareque & approbare dignaretur & vellet, quibus per dictum reverendum patrem, contentis etiam in dictis literis apostolicis, & processibus inde secutis mature consideratis & matura consideratione pensatis, habitoque super hiis per dictum reverendum patrem consilio cum peritis, nobis benigne concesserit præmissam unionem laudare & approbare, eidemque & ceteris omnibus & singulis in dictis processibus, quibus nostræ præsentes literæ sunt annexæ, contentis consensum pariter & assensum suum præbere, ita tamen quod eidem reverendo patri domino episcopo Carnotensi & successoribus ejus episcopis ratione & ad causam dicti loci sanctæ Gemmæ, qui cum personis, quæ deinceps degent in eodem, jurisdictioni & coercitioni episcopali subjecti remanebunt, pro oneribus, procurationibus & ceteris juribus episcopalibus annis singulis, quibus contigerit eundem locum sanctæ Gemmæ per eum aut successores episcopos personaliter, aut ex privilegio apostolicæ sedis per vicarium aut vicarios semel in anno visitari, persolvamus 100. solidos Turonenses præter & ultra procurationem, quam ratione visitationis nostri monasterii de Columbis eidem reverendo patri debemus & solvere consuevimus ab antiquo, casu visitationis emergente. Notum facimus quod nos propter hoc in nostro capitulo, ut moris est, congregati & capitulantes, & super hoc habita inter nos deliberatione matura ac peritorum consilio, considerantes præmissam unionem dicti monasterii sanctæ Gemmæ dicto monasterio nostro de Columbis fore utilem & fructuosam, promittimus bona fide & sub nostrorum & dictorum monasterii & conventus nostrorum de Columbis hypotheca & obligatione bonorum mobilium & immobilium quorumcumque, mediante hujusmodi unione & incorporatione, eidem reverendo patri domino episcopo, & successoribus ejus episcopis ratione & ad causam dicti loci S. Gemmæ, qui cum personis, quæ deinceps degent in eodem, jurisdictioni & coercitioni episcopali subjecti remanebunt, pro oneribus, procurationibus & ceteris juribus episcopalibus annis singulis, quibus contigerit eundem locum S. Gemmæ

A per eum aut successores episcopos personaliter, aut ex privilegio apostolicæ sedis per vicarium aut vicarios semel in anno visitari, persolvere 100. solidos Turonenses, præter & ultra procurationem, quam ratione visitationis nostri monasterii de Columbis eidem reverendo patri debemus & solvere consuevimus ab antiquo, dicto casu visitationis occurrente, & super hoc ob defectum solutionis hujusmodi summæ 100. solidorum Turonensium causa prætacta debitorum seu debendorum, omnes & singulos, custus, misias, & interesse, & expensas dicto domino episcopo & ejus successoribus Carnotensibus episcopis reddere, solvere & resarcire promittimus, renunciantes in hoc facto fide prædicta omnibus & singulis, quæ contra præmissa aut eorum aliqua quoquomodo dici possent, proponi, B objici, cavillari, allegari, vel opponi. In cujus rei testimonium & ad majorem roboris firmitatem, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum & actum in dicto capitulo nostro, nobis inibi propter hoc congregatis & capitulantibus, anno Domini 1453. die Veneris post festum Epiphaniæ Domini.

CXXVIII.

Carolus rex canonicis Carnotensibus permittit ut episcopum eligant. *Ex tabulario Carnotensi.*

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, dilectis nostris decano & capitulo ecclesiæ Carnotensis, salutem & dilectionem. Petita per vos a nobis licentia eligendi in eadem ecclesia episcopum & pastorem, C cujus solatio dicta ecclesia nunc est per obitum defuncti Petri Bechebien ultimi dicti ecclesiæ vestræ episcopi destituta, vobis tenore præsentium concedimus de gratia speciali, & vos in Domino Jesu Christo attentius exhortantes, & nihilominus requirentes, quod quibusvis affectionibus & favoribus postpositis, præ oculis solum Deum habentes, talem in ipsius ecclesiæ episcopum & pastorem eligere curetis personam, quæ Deo debuerit esse grata, & eidem ecclesiæ fructuosa. Datum in rupibus de Tranche Lyon die XIX. mensis Martii, anno Domini M. CCCCLVIII. & nostri regni XXXVII. Per regem in suo consilio, Rolant. 1459.

CXXIX.

D *Literæ comitis Dunensis, quibus Milonem d'Illiers ad electionem mox futuram commendat.*

VEnerables & discretes personnes, chiers sires & speciaulx amis, le roy vous escript presentement en la faveur de maistre Milles d'Illiers doyen de votre eglise, à ce que le veuilliés eslire en votre evesque & pasteur, & à ceste cause envoye devers vous le bailly de Berry & maistre François Halle ses conseillers, auxquels il a donné charge vous dire & remonstrer bien à plain le grant desir qu'il a, à ce que ledit maistre Milles soit esleu audit eveschié, & les causes qui le meuvent à vous en requerir, & quant vous obtempererés à sa requeste, je vous certifie que vous lui ferés chose très-agreable, & lui semble que sa requeste est E juste & raisonnable, veu les grans services que ses parens lui ont faits, le long temps que ledit maistre Milles a demouré en votre eglise, & qu'il est homme de telle maison, comme savés assés, & par ma foy se ne feust l'occupation continuelle que j'ai pour le fait du roy, je feusse allé devers vous pour vous requerir pour ledit maistre Milles. Par quoy vous en escrips, & vous prie le plus affectueusement que je puis, que le veuilliés avoir pour recommandé, & de ma part m'en reputeray à toujours votre tenu, priant notre Seigneur qu'il vous donne bonne vie & longue. Escript à Chinon le VI. de May. 1459.

Le comte de Dunois S.r de Parthenay, votre, Jehan.

CXXX.

Electio Milonis a Pio II. confirmatur.

Ex chartul. Carnotensi.

1459. PIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Miloni electo Carnotensi, salutem & apostolicam benedictionem. Divina disponente clementia, cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in apostolicæ dignitatis specula licet immeriti constituti, ad universas orbis ecclesias aciem nostræ considerationis extendimus, & pro earum statu salubriter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus, & ut eis juxta cor nostrum viri præficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam salubriter dirigant & informent, ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem ecclesia Carnoti, cui bonæ memoriæ Petrus episcopus, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Petri, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum dictæ ecclesiæ in unum convenientes, te decanum dictæ ecclesiæ in sacerdotio constitutum in episcopum Carnotensem concorditer elegerunt; tuque electioni hujusmodi illius tibi præsentato decreto consensisti, & deinde electionis hujusmodi negotium in consistorio coram nobis proponi fecisti. Nos igitur ad provisionem illius ecclesiæ celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem & idoneam, ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te utriusque juris doctorem, de nobili genere ex utroque parente procreatum, nobilitate generis ac literarum scientia præditum, vitæ ac morum honestate decorum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis testimoniis accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus, necnon eorumdem capituli concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ ecclesiæ de eorumdem fratrum consilio apostolica authoritate providemus, teque illi præficimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente domino actus tuos præfata ecclesia per tuæ industriæ & circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicite, fideliter & prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido & fructuoso administratori gaudeat se commissam, atque præter æternæ retributionis præmium, nostram & apostolicæ sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ 1459. pridie calendas Septembris, pontificatus nostri anno primo.

CXXXI.

Inauguratio Milonis episcopi.

1459. GUILLELMUS miseratione divina tituli sancti Martini in montibus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis de Estoutevilla, archiepiscopus Rothomagensis, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus quod nos die data præsentium de mandato sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pii divina providentia papæ secundi vivæ vocis oraculo nobis desuper facto,

A Mantuæ in ecclesia parochiali sancti Jacobi de mane missam in majori altari ipsius ecclesiæ celebrantes, assistentibus nobis reverendis in Christo patribus dominis Tristando Conseranensi, & Ysnardo Crassensi episcopis, reverendum in Christo patrem dominum Milonem electum confirmatum ecclesiæ Carnotensis ibidem præsentem, vestimentis episcopalibus & sacerdotalibus consueto more indutum, munus consecrationis a nobis petentem & humiliter postulantem, adhibitis solemnitatibus & cærimoniis requisitis, ad honorem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, sanctæque sedis apostolicæ, necnon B. & gloriosæ virginis Mariæ, sub cujus nomine insignis ecclesia Carnotensis præfata noscitur esse fundata, consecravimus, munusque consecrationis prædictum eidem B authoritate apostolica nobis, ut præmittitur, commissa, impendimus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes literas per notarium & secretarium nostrum subscribi, nostrique sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Mantuæ in ecclesia sancti Jacobi supradicta, sub anno a Nativitate Domini 1459. indictione 7. die vero Sabbati 8. mensis Septembris, pontificatus præfati sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pii divina providentia papæ secundi anno secundo, præsentibus ibidem spectabilibus & egregiis viris dominis Gaufrido de Seray Bajocensis & Nannetensis ecclesiarum thesaurario, Jacobo Bigneti decretorum doctore prædictæ Carnotensis ecclesiæ cancellario, Nicolao Tectoris Cameracensis, & Petro C Thenni Autissiodorensis ecclesiarum canonicis, cum pluribus aliis testibus in multitudine copiosa ibidem præsentibus, &c.

CXXXII.

Adumbratio fundationis Sanctæ Capellæ Dunensis castri.

COmme haut & puissant seigneur monseigneur Jehan comte de Dunois & de Longueville, seigneur de Parthenay, & de Bougency, & de Chasteau-Regnaud, & grand chambellan de France, & defunte haute & puissante dame madame Marie de Harcourt jadis sa femme, eussent deliberé de fonder dans le D chasteau de Chasteaudun un prieuré conventuel de l'ordre de saint Augustin, sous la regle, forme, & maniere de vivre des religieux & chanoines reguliers de saint Victor-lez-Paris, & deslors par la licence & authorité de R. P. en Dieu Pierre Bechebien evesque de Chartres, eussent fait abatre & demolir une ancienne chapelle ruineuse dans ledit chasteau, pour en faire bastir une autre proche la tour d'iceluy, & dedier en intention d'y etablir lesdits religieux pour y faire le service & prier Dieu pour le salut de leurs ames, & de leurs predecesseurs & successeurs au temps avenir; sur quoy ladite dame etant allée de vie à trepas, auparavant lequel elle auroit voulu & ordonné par son testament que ladite fondation fust accomplie; ledit seigneur comte voulant icelle accomplir & effectuer, eut consideré que pour le peu d'espace qui est audit chasteau, E il ne pouvoit y faire edifier les lieux reguliers & logemens necessaires pour une communauté de religieux, & pour ce eut eté conseillé de bastir une autre chapelle avec le departement pour lesdits prieur & chanoines reguliers, dehors & proche ledit chasteau, en un lieu de present appellé *les Galleries*, en y comprenant quelques maisons & places appartenantes à diverses personnes, tant ecclesiastiques que seculieres. Mais comme les religieux de la Magdelaine de Chasteaudun fussent curés du lieu, & qu'il fallut auparavant les desinteresser pour les droits parochiaux qu'ils pouvoient pretendre, tant sur ledit seigneur, que ses gens & domestiques, ladite ancienne chapelle qui etoit 1467.

aussi fondée de la Magdelaine & de saint Blanchart, A ayant eté donnée par les anciens comtes auxdits abbé & religieux de la Magdelaine, à la charge d'y etre dit par eux deux messes par chacune semaine, moyennant la somme de dix livres à eux assignée par chacun an, sur la recepte dudit comte de Dunois; & encore pour ce qu'ils etoient seigneurs fonciers desdites maisons pour la pluspart, qu'il etoit besoin d'achepter pour faire lesdites galleries, & avoient rentes sur icelles; pourquoy ils se seroient opposés & auroient fait apparoir de leurs droits pardevant M. M. Milles d'Illiers lors evesque dudit Chartres, lequel auroit, pour nourir paix entre les parties, icelles porté à transiger amiablement sur leurs differens. Pour raison de quoy, R. P. F. Saince Godereau abbé, Jehan des Preires prieur, Jehan Prevost curé, Jehan Davy, Guillaume de Launay, Jehan B Guillaume Pin, Michel Guillobe, Noel Robillard, Estienne Jehan Machery Chaillou, Jehan Charpentier, tous prestres religieux de ladite abbaye, Estienne Poupineau & Jehan le Gendre novices, auroient voulu & consenti l'etablissement desdits religieux de saint Victor, & tout ce qui en peut dependre, se seroient desistés & departis de toutes oblations qu'ils eussent pu pretendre, tant auparavant qu'à l'avenir, ensemble desdits droits parochiaux sur les habitans d'icelles maisons & en ladite chapelle du chasteau, à la reserve de l'administration des sacremens de baptesme, mariages, purifications de femmes, sepultures de autres que de leurs serviteurs, & familiers & commensaux vivans de leur pain, & autres qui par devotion pourroient elire leur sepulture en leur chapelle, lesquels seroient tenus payer C audit abbé & religieux de la Magdelaine, les droits parochiaux; comme aussi sur toutes les personnes demeurans audit chasteau, de quelque etat & condition qu'elles peussent etre, lesquels demeureroient paroissiens de ladite cure de la Magdelaine, en laquelle ils seroient tenus prendre leurs sacremens comme les autres paroissiens demeurans en la ville, sur lesquels ils se reservoient tous droits paroissiaux, & celuy de prendre & percevoir par chacun an les dix livres sur le domaine de Chasteaudun, à la charge desdites deux messes fondées d'ancienneté dans l'ancienne chapelle du chasteau, & outre pour & moyennant la somme de cent sols de rente que ledit seigneur comte devoit leur assigner en fonds d'heritages, ou bien leur payer une fois la somme de LXXV. livres, & XXIII. livres XII. sols D VI. deniers d'une part, pour XXXI. sols six deniers de rente qu'avoient lesdits religieux de la Magdelaine sur lesdites maisons, pour icelles XXIII. livres XII. sols VI. deniers etre mises en rente ou fonds d'heritages, qui leur seroient admortis, s'ils etoient situés dans le comté de Dunois, & sans en pouvoir par luy & ses successeurs, y pretendre à l'avenir aucun profit, ainsi qu'il est porté par acte de ce passé audit Chasteaudun, le Dimanche VIII.ᵉ Fevrier 1466. *Signé* M. Juge. Du depuis & le 21. Janvier 1467. pardevant ledit Juge ledit seigneur comte leur fit delivrer & payer par M.ᵉ Fleurant Bourgoing son bailly de Dunois, la somme de cent livres pour demeurer quittes des deux sommes susdites, dont lesdits religieux, abbé & convent de la Magdelaine auroient quitté ledit seigneur E comte, ensemble de toutes leurs pretentions generallement quelsconques.

CXXXIII.

Bulla fundationis canonicorum Sanctæ Capellæ Castridunensis.

1490. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri apostolatus ministerio meritis quanquam insufficientibus superna dispositione præsidentes, inter ceteras curas quæ animum nostrum delectant, illam libenter amplectimur, per quam nostræ provisionis ope, opitulante Altissimo, singulæ ecclesiæ dignioribus titulis attollantur, ac in illis ministri instituantur idonei, qui die noctuque debitas & devotas laudes persolvant, & ut ea efficaciter valeant subsequi, opem & operam efficaces, quantum cum Deo possumus, impendimus, prout ad divini cultus augmentum & catholicorum principum devotionem ac animarum salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci comitis, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Agnetis de Sabaudia ejus conthoralis, comitissæ oppidi Dunensis Carnotensis diœcesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Johannes de Aurelianis Dunensis & Longavillæ dictæ diœcesis comes ipsius Francisci genitor, tunc in humanis agens pia devotione & persuasionibus quondam Mariæ de Harcourt ejus conthoralis ductus, quandam capellam in castro seu arce dicti oppidi Dunensis fundavit, & illam annuis redditibus quadringentarum librarum monetæ vel circa de ejus propriis bonis dotari, & illi per XIII. canonicos ordinis sancti Augustini ex monasterio sancti Victoris extra muros Parisienses dicti ordinis assumendos, quorum octo presbyteri essent, quorumque unus aliis præsideret, deserviri voluit & ordinavit. Et quod dicti XIII. canonici in eadem capella divina officia, tam diurna quam nocturna, videlicet matutinum, Primam, Tertiam, duas missas ordinarias, matutinalem scilicet & majorem, necnon Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium singulis diebus, missam scilicet matutinalem semper de beata Virgine hora 7. submissa voce per presbyterum canonicum dicti ordinis cum uno novicio, demto quod singulis diebus Sabbati dicta missa diceretur alta voce sine diacono aut subdiacono, cum duobus tamen aut tribus presbyteris religiosis & quatuor noviciis ad altare majus, & in fine ipsius missæ per eum qui eam celebraret, psalmum *De profundis* cum orationibus *Inclina Domine aurem tuam*, &c. & *Fidelium Deus omnium*, &c. In vigiliis autem festivitatum sanctæ Trinitatis æstivalis, Corporis Christi, apostolorum Petri & Pauli, sanctæ Mariæ Magd. Assumtionis & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi tres missas, in jejuniis autem Quatuor temporum ecclesiæ annuatim quatuor anniversaria solemnia, videlicet in quolibet eorum Quatuor temporum unum pro animabus claræ memoriæ Caroli V. avi dicti Johannis, Caroli VII. olim regum Francorum, & Ludovici ducis Aurelianensis ejus genitoris, & quondam Caroli ejusdem Ludovici filii, & ipsius Johannis fundatoris, & præfatæ Mariæ ejus uxoris celebrare tenerentur, prout in quibusdam publicis instrumentis supra fundatione, dotatione, voluntate & ordinatione prædictis confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem petitio continebat, etsi abbati & conventui dicti monasterii dotatio hujusmodi & alia præmissa præsentata fuerint, ipsique abbas & conventus illis consensum præstiterint, tamen illius possessionem minime adepti fuerunt, & idem Johannes ordinatione sua hujusmodi alias minime impleta rebus humanis fuit exemptus: & dictus Franciscus comes post obitum dicti sui genitoris a XXII. annis citra vel circa eidem capellæ per presbyteros seculares deservire fecerit, dictaque capella supra fossatis dictæ arcis situata sit, ac Franciscus comes & Agnes conjuges præfati in dicto oppido continue resideant cum magno militum armatorum & domicellorum numero; etsi canonici dicti ordinis in dicta capella introducerentur, cum profecto in eorum ordinis & arcis prædictorum præjudicium & scandalum verisimiliter cadere posset, eidemque capellæ commodius per presbyteros & clericos seculares, prout hactenus fieri solitum est, si illa in collegiatam ecclesiam erigeretur, deserviri valeret, pro parte Francisci comitis & Agnetis comitissæ præfatorum, assererent quod dictus Johannes voluntatem prædictam de canonicis regularibus ad seculares mutare

intendebat, si supervixisset, nobis fuit humiliter supplicatum ut pro divini numinis gloria & exaltatione, ac præfati cultus augmento, ipsorumque conjugum ac totius populi dicti oppidi consolatione spirituali, fidelium quoque devotionis excitatione & animarum salute summaque devotione dictam capellam in collegiatam ecclesiam, cum sigillo, bursa seu arca communi, capitulo, syndico, & aliis collegialibus insignibus, & in illa unam præposituram, quam idem Franciscus, ut asserit, de bonis propriis, quorum annui fructus, redditus & proventus ad XXX. libr. valorem ascendunt, dotare intendit ultra bona quæ genitor dari voluit, & quæ etiam de ejus patrimonio distrahuntur; quæ quidem præposituræ dignitas principalis pro uno præposito, & unam cantoriam, quæ officium inibi existat, pro uno cantore, necnon octo canonicatus & totidem præbendas pro octo canonicis, & tria perpetua beneficia ecclesiastica pro 3. personis choristis nuncupandis erigere & instituere, necnon jus patronatus & præsentandi personas idoneas sedi apostolicæ ad præposituram, & loci ordinario ad cantoriam, canonicatus & præbendas & choristas deputandi, ac prima vice, & quotiens præposituram, cantoriam, canonicatus & præbendas ac loca choristarum vacare contigerit, per sedem & ordinarium respective instituendum eidem Francisco & ejus successoribus comitibus dicti oppidi pro tempore existentibus, perpetuis futuris temporibus reservare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui ecclesiarum quærimus decus & venustatem, ac in illis nati ad omnipotentis Dei laudem & gloriam dictam capellam in qua, ut dicti Franciscus comes & Agnes comitissa etiam asserunt nunquam dicti canonici introducti fuerunt, in collegiatam ecclesiam cum sigillo, bursa seu arca communi, capitulo, syndico, atque aliis collegialibus insignibus, & in illa unam præposituram, quæ principalis dignitas pro uno præposito qui caput aliorum sit, & ea superioritate ac præeminentia in capitulum dictæ erectæ ecclesiæ fungatur, qua funguntur obtinentes dignitates principales in collegiatis ecclesiis circumvicinis, & illis tam in choro, capitulo, quam in processionibus & aliis actibus præsit, ac unam cantoriam, quæ inibi officium existat pro uno cantore, necnon octo canonicatus & totidem præbendas pro octo canonicis, qui quidem præpositus, cantor & octo canonici inibi simul capitulum facient, & tria perpetua simplicia beneficia ecclesiastica pro tribus personis choristis nuncupandis; jure tamen parochialis ecclesiæ in cujus parochia dicta capella consistit, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus, instituimus & creamus, necnon præposituræ prædictæ quam idem Franciscus dare obtulit, ac præfatis capitulo & fabricæ dictæ capellæ bona de quibus dictus Johannes illam dotari voluit juxta dicti Francisci providam distributionem, pro eorumdem cantoriæ, canonicatuum ac præbendarum, ac beneficiorum prædictorum dote ac dictæ fabricæ opportunitatibus applicavimus & appropriavimus; & nihilominus Francisco . . . . bona de quibus dictus Johannes capellam ipsam dotari voluit, & alia quæ ipse Franciscus pro dote dictæ præposituræ dare obtulit ad eamdem legitime spectantia & pertinentia, & in locis commodis dictæ capellæ consistentia eidem capellæ realiter assignavit cum effectu, eisque heredibus & successoribus suis temporalibus dicti oppidi pro tempore existentibus jus patronatus & præsentandi personas idoneas, videlicet ad præposituram, nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus, ad cantoriam vero & singulos canonicatus & alia beneficia hujusmodi hac prima vice & quotiens illa de cetero vacare contigerit, episcopo Carnotensi pro tempore existenti, per nos & pro tempore existentem Romanum pontificem in præpositum, & per episcopum præfatum in cantorem, canonicos & choristas dictæ sic erectæ ecclesiæ instituendum auctoritate & tenore similibus reservamus, dictoque Francisco comiti dotem hujusmodi . . . . præpositum, cantorem, canonicos & choristas, ac fabricam præfatam illis portionibus, de quibus sibi videbitur, dividendi, necnon capitulo præfato statuta & ordinationes circa divinum cultum & alias ipsius ecclesiæ opportunitates utilia, & nostris & sacris canonibus non contraria condendi dicta auctoritate facultatem concedimus, ac statuimus & ordinamus, quod præpositus, cantor, singuli canonici & aliæ personæ hujusmodi in dicto oppido residentes, divinis officiis causa cessante legitima interesse teneantur; alioquin si per trimestre continue ab eadem ecclesia absque Francisci & heredum ac successorum prædictorum expressa licentia se absentaverint, liceat Francisco & heredibus ac successoribus præfatis singulos ex præposito, cantore, canonicis & choristis præfatis, qui se, ut præfertur, absentaverint, a præpositura, cantoria, canonicatibus, præbendis ac aliis beneficiis prædictis respective, habito tamen prius consilio præsidentis consilii Francisci comitis ac heredum & successorum prædictorum pro tempore existentium, amovere; & loco amotorum alias personas idoneas ad præposituram, cantoriam, canonicatus & præbendas & alia hujusmodi beneficia præsentare, prout in eisdem literis plenius continetur. Et nihilominus dilectis filiis Majoris monasterii, & B. Martini Turonensis decanis & archidiacono de Vindocino, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios præmissa ubi, quando & quotiens expedire putaverint, ac fuerint pro parte præpositi ac capituli dictæ ecclesiæ, ac præfati Francisci & pro tempore existentis comitis Dunesii super hiis legitime requisiti, solemniter publicent, ac eisdem præposito, capitulo & comiti præmissis efficacis defensionis præsidio assistente faciant auctoritate nostra, erectione, institutione, creatione, applicatione, approbatione juris patronatus & præsentandi reservatione, ac concessa facultate prædictis perpetuis futuris temporibus gaudere, ac statuta & ordinata per nos, ut præfertur, observari; non permittentes præpositum & capitulum & pro tempore existentem comitem super illis & eorum observantia & usu per abbatem & conventum dicti sancti Victoris, aut alios quoscumque contra prædictarum literarum tenorem quomodolibet impediri; contradictores per censuram apostolicam appellatione postposita compescendo, nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; nullique hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, creationis, applicationis, approbationis, reservationis, concessionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dom. 1490. V. calendas Januarii, pontificatus nostri anno VII. Sic signatum super plicam, M. Robini.

CXXXIV.

Ludovicus episcopus Clementem Marot carceribus mancipandum jubet.

LUDOVICUS Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Carnotensis episcopus, dilectis & fidelibus curiæ 1526.
nostræ apparitoribus, omnibusque aliis curiæ nostræ officiariis, salutem in Domino. Visis per nos informationibus & chargiis authoritate nostra ad instantiam promotoris curiæ nostræ factis de & super nonnullis excessibus, delictis & criminibus, etiam hæresis, per Clementem Marot commissis & perpetratis, audita etiam requesta & conclusionibus dicti promotoris, dicimus & ordinamus prædictum Clementem Marot fore

& esse carceribus nostris mancipandum, ut per nos A contra eum procedatur juxta & secundum casuum exigentiam, prout juris erit & rationis. Quapropter vobis & vestris cuilibet harum serie damus in mandatis, quatinus præsentem nostram ordinationem in quantum in vobis est & potestis, executioni debitæ demandetis, invocato etiam & requisito, si opus sit, potestatis brachii secularis ad præmissorum realem executionem & debitum justitiæ complementum, auxilio. Datum Carnoti sub sigillo nostro anno Domini 1525. die XIII. Martii.

CXXXV.

Idem quod supra.

1526. LUDOVICUS Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia B Carnotensis episcopus, honorabilibus viris dominis baillivis & præpositis Parisiensi, Turonensi & Blesensi, & omnibus aliis judicibus, ad quos nostræ præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino. Cum instante promotore curiæ nostræ informationes & inquisitiones factæ fuerint contra Clementem Marot, visisque informationibus eundem Marot variis delictis & offensis, etiam criminibus hæresis chargiatum & culpabilem invenerimus, quare eum carceribus nostris mancipandum, & literas nostras, ut capiatur, contra prædictum Marot decrevimus; & quia dubitamus ne prædictus Marot se absentet sine correctione & punitione in animæ suæ grande periculum, hinc est quod nos præmissis attentis vos in juris subsidium requirimus, quatinus dictum Marot per aliquem seu aliquos ex servientibus vestris, C si ipsum reperire poteritis, capi & incarcerari faciatis & mandetis, & eum sic captum per aliquem seu aliquos de dictis servientibus vestris remittatis seu remitti faciatis, atque in hiis & dependentiis subsidium & auxilium impendatis pro super dictis criminibus & delictis per vos diligenter dictum Marot puniendo, corrigendo & examinando, justitia mediante. Datum Carnoti sub sigillo nostro, anno Domini 1525. die 13. mensis Martii. Sign. Billon.

CXXXVI.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Breve apostolicum in gratiam abbatiæ Columbensis.

1535. PAULUS PP. III. universis & singulis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem & D apostolicam benedictionem. Cupientes ex pastorali nostro officio & caritate Christi fidelium animarum saluti consulere, & ut ecclesia monasterii beatæ Mariæ de Columbis, sancti Benedicti, vel alterius ordinis, Carnotensis diocesis, ab eisdem Christi fidelibus devotius visitetur; intuitu quoque ac precibus venerabilis fratris Rodulphi episcopi Faventinensis, prælati domestici, & apud regem christianissimum nostri & apostolicæ sedis nuncii, qui dictum monasterium ex concessione & dispensatione apostolica in commendam obtinet: de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, seu statutis a jure temporibus confitendi propositum habentibus, qui dictam eccle- E siam in die Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi proxime futuræ a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei inclusive, devote visitaverint, & inibi pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium & singulorum peccatorum suorum indulgentiam & remissionem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & elargimur; præsentibus . . . . . post dictam diem minime valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 26. Novembris M. DXXXV. pontificatus nostri anno secundo.

CXXXVII.

Bulla Philippi Hurault abbatis sancti Petri.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto 1624. filio Philippo Huraut clerico diœcesis Carnotensis, salutem & apostolicam benedictionem. Romani pontificis providentia circumspecta ecclesiis & monasteriis singulis, quæ vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur præsidio, prospicit diligenter, ac personis ecclesiasticis quibuslibet, præsertim generis nobilitate pollentibus, & ex quorum puerilis ætatis indiciis verisimiliter concipitur, quod succedentibus sibi annis se debeant per viros producere virtuosos, ut in suis opportunitatibus congruum suscipiant relevamen, de subventionis auxilio, prout decens est, providet opportuno. Cum igitur monasterium sancti Petri in Valle nuncupati Carnotensis, ordinis sancti Benedicti, quod dilectus filius Henricus Huraut clericus in commendam ad sui vitam ex concessione apostolica nuper obtinebat, commendæ ejusmodi ex eo quod dictus Henricus tibi hodie ac omni & cuicumque qui sibi in dicto monasterio illiusque regimine & administratione, & ad illa quomodolibet competenti, &c. per dilectum filium Johannem Marchant clericum Pictaviensem procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, in manibus nostris sponte & libere cesserit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, &c. Libeat tibi debitis & consuetis ipsius monasterii ac dilectorum filiorum ejusdem supportatis oneribus, & quarta, si abbatialis separata & seorsim a conventuali, in restaurationem illius fabricæ, seu ornamentorum, vestium & paramentorum emtionem seu sartionem, aut pauperum alimoniam seu sustentationem, prout major exegerit & suaserit necessitas: si vero communis inibi mensa fuerit, tertia parte omnium & singulorum fructuum, reddituum & proventuum ipsius monasterii pro præmissis supportandis & sustentatione monachorum, omnibus aliis deductis oneribus annis singulis impartita de residuis illius fructibus, reditibus & proventibus disponere & ordinare, sicuti monasterium ipsum in titulum pro tempore obtinentes, de illis disponere & ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta apostolica auctoritate commendamus, &c. Volumus autem quod propter commendam nostram hujusmodi in prædicto monasterio divinus cultus ac solitus monachorum ac ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed ejusdem conventus & prædictorum congrue supportentur onera antedicta, & quod antequam regimini & administrationi ejusdem monasterii in aliquo te immisceas, in manibus officialium seu alicujus eorum, nostro & Romanæ ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum præstes juramentum, &c. teque cum primum ad ætatem legitimam quemcumque ex sacris ordinibus suscipiendi perveneris, proximis inde futuris temporibus, ordinem ipsum quem ætas postulaverit, videlicet subdiaconatus, diaconatus & presbyteratus suscipere omnino tenearis, alioquin te deficiente in quibuslibet temporibus prædictis commenda tibi per præsentes facta cessare, eaque cessante monasterium ipsum vacare censeatur eo ipso, & nihilominus tu ad restitutionem omnium fructuum exinde interim prædictorum omnino obligatus existas, & insuper extunc irritum decernimus & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentatum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dom. 1624. nono calendas Martii, pontificatus nostri anno secundo.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BLESENSIS.

I.

Ex chart. S. Launomari. *Diploma Caroli regis pro monasterio Curbionensi.*

842. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si in opportuna & competenti rerum ecclesiasticarum dispensatione aliqua regali sollicitudine prospicimus, proculdubio Deum quem fautorem habemus, credimus nos habere remuneratorem. Notum sit ergo omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris, atque Deo dispensante successoribus nostris, quoniam piæ memoriæ genitor noster serenissimus Augustus Henricum venerabilem abbatem & cœtum fratrum sibi commissorum ob antiquam familiaritatem transtulit in locum, quem nunc inhabitant, Curbionis vocabulo, ubi beatus confessor Launomarus debito frequentatur honore, quos, ut ab omni strepitu mundano tuti inexcusabiliter Deo militare possent, plurimo beneficio juvit, regali munificentia contradens quamdam cellulam in pago Cenomannico, quæ dicitur Buxiacus. Cujus ferventissimum amorem, dum adviveret, erga prædictos Christi milites nos ipsi quoque prospicientes, eo etiam nobis sæpe illos commendante, placuit piam ejus imitari memoriam, atque ad eleemosynam ipsius & devotionis nostræ supplendam efficaciam, regali authoritate fiscum nostrum, qui dicitur Vicus-Levandriacus, alio autem nomine Pomponnus, cum sancta Maxentia, nauda & geli, cumque omni exactione, quæ de ponte ipsius loci partibus fisci seu partibus comitatis * exiguntur a jure nostro in domum eorum transferendum. Sed postea prævidentes importunum id esse servitiis regalibus, jam dictum fiscum cum præfata cellula usibus nostris revocavimus, & in commutatione earum rerum tradimus ad memoratam casam Dei, una cum consensu jamdicti abbatis, totiusque congregationis ejus cellulam, quæ dicitur Yslari, in honore sancti Michaelis constructam, sitam in pago Degasino super fluvium Arna, cum omnibus appendiciis sive reditibus suis, de rebus autem istis sicut de ceteris omnibus, quas sæpe dicta casa Dei tempore prædecessorum nostrorum tenuit & nunc retinet, seu quascunque ævo sequenti acquirere poterit, regali sanctione id sensimus observandum. Quod divæ recordationis genitor noster imperiali majestate decrevit, vel quod nos anteriori nostro privilegio, ubi donationem fecimus suprascriptarum aliarumve rerum sanximus, id est ut sub plenissima nostra defensione & immunitatis tuitione consistant. Quod nullus episcopus contra reverenda statuta apostolicæ sedis canonumque decreta, nullus judex publicus, vel alia qualibet publica potestate persona prædita ex eisdem rebus eos inquietare, aut aliquid minuere vel exigere præsumat, non freda, non tributa, non mansiones, nec paratas, nec theloneum, nec inferendas non plancas ad pontes emendandos, nec fidejussores tollere, aut homines, tam ingenuos quam servos, super terram eorum commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones requirere temptet, sed quidquid exinde fiscus noster sperare poterat, totum in necessitatibus illorum & usibus pauperum, & in restaurationibus ac luminaribus ecclesiarum proficiat. Dona etiam a parvitate earum rerum nulla exigantur; pariterque hostes . . . . . . ad civitates sive ad castella custodienda, seu qæcumque publica obsequia eis concedimus. Placuit etiam de instrumentis cartarum rememorari, quas anteriori præcepto indulsimus, ut si qualibet negligentia perditæ fuerint, & aliqua infestatio contra ipsam casam Dei surrexerit, habeat locum usque ad nos, ut a nostra serenitate dirimatur diversarum partium causa, ut absque impedimento Domino servire, & pro nostro totiusque publicæ rei statu, & pro anima genitoris nostri devotius & inoffensæ supplicare valeant. Nostros quoque successores specialiter rogamus ut hoc nostrum pietatis opus sic conservent, sicuti sua pia facta a suis posteris conservari exoptant; ut de pari voto, eamdem & ipsi nobiscum æternitatis gloriam mereantur. Et ut hæc auctoritas concessionis commutationisve sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione eam signari jussimus. Datum octavo idus Martii, anno tertio, indictione quinta, regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Vernemptæ villa * in Dei nomine feliciter, amen.

f. comitatus · *f. Vernemiaci villa.*

II.

Charta fundationis abbatiæ S. Launomari Blesensis. *Ex eodem.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Radulphus divina clementia Francorum rex. Quia docente scriptura, regnum cœlorum appropinquat, dum scilicet ad patriam nostram peregrinamur, sedula mentis intentione studeamus facere fructus dignos pœnitentiæ, impendentes Christi pauperibus opus pietatis & misericordiæ, non parce, sed in larga benedictione, ut ait Apostolus, *Hilarem enim datorem diligit Deus :* ipsa enim incarnata veritas hortatur nos facere amicos de mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Unde ego Radulphus rex his & talibus dictis admonitus, necnon etiam penuria & longa fatigatione monachorum, qui de loco in locum fugati indecenter morantur in castello Blesensi sursum in ecclesia sancti Carilephi in loco non apto neque congruo ordini monastico, do & concedo precibus amici mei Theobaldi inclyti comitis palatii victus sancto Launomaro & monachis ejus, ecclesiam sancti Leobini constructam sub mœnibus Blesis castri & fiscum contiguum ipsi ecclesiæ, ad construendam abbatiam, cum aliis meis possessionibus quæ mihi competunt ab antecessoribus meis jure hereditario in pago Blesensi, & omnes consuetudines ipsius, terras & aquas, videlicet totam vicariam thelonensem, rotaticum, bannum, feoda, insuper servos & ancillas, & omnes homines in hac terra commanentes, tam servos quam ingenuos; nec aliqua persona potens, vel infimus ab eis redibitionem exigat, vel consuetudinem, nisi abbas solus & monachi S. Launomari & ministri ab eis constituti. Et ut donum hoc firmum & stabile permaneat, & a nullo nostrorum sit mutatum, nostro nomine insigniri, ac annuli nostri impressione jussimus sigillari. Actum Lugduni anno Verbi nongentesimo vigesimo quarto. Sign. Radulphi regis gloriosissimi.

924. *II. Cor. 9. 7.*

III.

Fundatio Pontis-levii. *Ex chartul. ejusdem monasterii.*

DIvinarum nonnullis scripturarum paginis asseritur, non minimum sibi in futuro prævidere, quicumque catholicus superna tactus compunctione quampiam sui juris partem sanctæ matris ecclesiæ usibus contulerit, quibus non dubitandis assertionibus credulus ego Gilduinus videlicet miles, pro meorum peccaminum venia, atque sempiterna requie consequenda, aliquid meæ possessionis, etsi non quantum deberem, tamen pro re communi omnium orthodoxorum matri ecclesiæ devote tribuo. Ecclesias igitur quas apud Pontem-leviatum, unam virgini dicatam Mariæ matri Domini, alteram vero beato Petro apostolorum principi tenebam, cujus etiam altare sub vicarii nomine

1034.

nomine possidebam, qui ibi Deo assidue serviant, monachis perpetualiter concedo, ita libere & absolute, ut illas tenere dignoscor. Huic autem facto Carnotensium præsul Theodoricus annuit, atque Odonis comitis, necnon comitissæ Ermengardis, meis etiam, multorum quoque ceterorum bonorum supplicationibus commonitus, earundem ecclesiarum altaria, ut hujus eleemosynæ non minimum efficiatur particeps, fratribus inibi Deo famulantibus concedit: nec vero largitur illud implicitum, vel alicui excepto Deo obnoxium, sed ab omni episcopali retentione, seu venditione perenniter absolutum; ab omni vero circada atque parata liberum privilegii etiam authoritate subnixum; quod ut firmius atque stabilius permaneat hoc inde privilegium episcopus Theodoricus propria manu firmavit, atque comes Odo, comitissa vero Ermengardis, ego etiam ipse Gelduinus hujus rei inceptor: testes vero hinc inde habentur quamplurimi non ignobiles. Signum Odonis comitis, sig. Ermengardis comitissæ, signum Tetbaldi comitis, signum Stephani comitis, signum Harduini decani, signum Evrardi subdecani & cancellarii, signum Gilduini vicecomitis, signum Harduini filii ejus, signum Hugonis Ruffi, signum Sigonis cantoris, signum Radulphi Pharisei, signum Stephani subcantoris, signum Willelmi præpositi, signum Arnulphi archidiaconi, &c. Actum est publice Carnoti V. idus Julii tertio anno Ainrici. Ego Philippus Dei gratia Francorum rex con . . . & hoc scriptum sigillo meo corroborari præcepi, anno regni mei XVI.

IV.

Confirmatio fundationis Pontis-levii.

Ex eodem chartulario.

1035. QUanta & quam benignissima circa humanum genus Dei existat pietas, nemo mortalium vel corde cogitare, vel verbis aperire potest. Invitat enim nos ut post perpetrata multa scelera ad eum redeamus, pie & misericorditer dicendo: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* (*Matth. XI. 28.*) Et in alio loco Evangelii hortatur nos, ut de terrenis rebus atque caducis acquiramus cœlestia, & in æternum mansura, taliter inquiens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (*Luc. XVI. 9.*) Igitur in Dei nomine, ego Gelduinus vir seculari militiæ subditus, & Adenors uxor mea, Gausredusque filius noster, nostrorum reminiscentes multitudinem peccatorum, & ultimi judicii diem fortiter expavescentes, atque cum illis fidelibus, quibus Deus in illa die dicturus est: *Venite benedicti Patris mei; percipite regnum,* (*Matth. XXV. 34.*) aggregari desiderantes, concedimus sanctæ Dei genitrici Mariæ semperque virgini de rebus nostris nobis dimissis a nostris progenitoribus. Agimus autem hoc in præsentia domni Ansberti abbatis, monachorumque qui ibi jam congregati, vel congregandi sunt, militantes summo regi secundum regulam sancti Benedicti piissimi patroni. Quatenus de animabus parentum nostrorum, & nostris, qui abbatiam, prout possimus, toto corde construimus, memoriam in suis orationibus habeant, & pro nobis peccatoribus Dei clementiam exorent, ut cum nobis dies mortis advenerit, non gaudeat de nobis pestifer inimicus, sed per beatæ Mariæ intercessionem eripiat nos misericordia Christi de manu diaboli, & pœnis inferni, & transferat ad gaudia Paradisi. Denique sciant præsentes & futuri, quod huic facto nostro libenter annuit comes Odo, & Ermengardis comitissa, filii quoque eorum Tetbaldus & Stephanus, ex quorum beneficio tenemus quæ præfatæ ecclesiæ tribuimus, & hic nunc nominatim recitamus. Quippe est in hac donatione ecclesia sancti Petri, quæ hactenus fuit caput Pontis-leviati, sed amplius erit subdita Dei genitrici. Similiter servi & ancillæ omnes ad eam pertinentes, hic & ubique degentes, totaque burgi consuetudo, census & vicaria, teloneum quoque & pedagium, insuper omnes consuetudines ab illo exeuntes. Beneficium item quatuor equitum Aimerici Pirarii, Tetbaldi Regis, Walterii Beifarii, Othelini filii Adelmi de Siuray. Similiter Calmonti dedimus quatuor arpennos vinearum cum omni consuetudine, & de sylva Calmontis tertiam partem pascuatici; & ad domesticos porcos de pastione quantum duraverit; necnon in supradicto castello omnem quæ mihi & aliis persolvitur consuetudinem, sive ex aqua, sive ex aliqua re quæ venundari, vel emi potest. De pratis vero quatuor arpennos super ripam Siciæ. Addimus autem huic nostro beneficio de villa furnum & censum, qui mihi solvebatur de terra sancti Petri ad præsens in dominium; cetera vero spondemus deliberare, quod si nequiverimus, filio nostro id faciendum dimittimus. Ceterum casamenta Walteri Infirni, Hervei Mestiverii, Frederici de Castelloduno, quæ ab utrisque ecclesiis nostro dono possident, adhuc invitus retineo, quia libere ea huic dono inserere non valeo. Verum ante vestram præsentiam polliceor hoc me facturum, quam citius potero. Hæc itaque & cetera, quæ vel nos, vel aliorum fidelium devotio jam sæpedicto loco concessimus, vel concessuri sumus ab hodie & inantea, libere & quiete possideant abbas & monachi beatæ Mariæ, nemine contradicente. Si quis vero ex fratribus, & sororibus vel nepotibus, seu aliis propinquis nostris, aut ullus unquam homo vel fœmina, contra hanc donationem, quam propria voluntate facimus, aliquam calumniam monachis inferre voluerit, nisi cito humiliatus ad eos proferens venerit, imprimis Dei omnipotentis & perpetuæ virginis Mariæ, atque omnium electorum Dei iram incurrat, & cum Juda traditore ac Simone Mago vivus in infernum descendens, semper ibi ardeat, ac deinde irritum faciat quod vindicat. Ut igitur hæc authoritas firmior atque stabilior sit, eam manibus nostris signo sanctæ Crucis firmavimus, & manibus seniorum nostrorum, & multorum virorum nobilium firmandam & corroborandam tradidimus. Signum Odonis comitis, signum Ermengardis comitissæ, signum Tetbaldi comitis, signum Stephani com. signum Theodorici episcopi, signum Gelduini, signum Adenors uxoris ejus, signum Gaufridi filii eorum, signum Gaufridi vicecomitis, signum Gelduini de Bretolio, signum Harduini filii ejus, sig. Vanili thesaurarii, signum Hervei Burgoniti, signum Gaucelini de Blesis, signum Vicherii infantis, signum Gaufridi filii Burchardi, signum Lurois, signum Campelini, signum Vilelmi Drucis, signum Landranni, signum Gisleberti filii Hudonis, signum Hudonis filii Gisleberti, signum Haionis filii Hilgaudi, sig. Vivaldi, signum Alasmadi vicarii, signum Vilelmi filii Hervaldi, signum Tescelini clerici, signum Gelduini filii Huberti, signum Tetbaldi Regis, signum Reinaldi, signum Valterii filii ejus, signum Rainaldi de Regemorantino, signum Dadonis, signum Bernardi de sancto Aniano, signum Rainaldi, signum Roberti præpositi, signum Hervei vicecomitis, signum Gelduini filii ejus, sign. Rainerii, signum Sigefridi, signum Odonis cubicularii, signum Arnulphi archidiaconi, signum Willelmi præpositi, signum Sigonis. signum Hildegarii, signum Walteri Rufi, signum Ascelini, signum Hugonis filii Auczerii. Anno ab Incarnatione Domini M. XXXV. concurrente II. indictione III. epacta II. nov. terminus Paschæ sexto calendas Aprilis, dies Domini Paschæ tertio calendas Aprilis, Luna ipsius diei 17. Dato in mense Julio anno quarto Henrici regis. In nomine Domini. Dei gratia Philippus Francorum rex hoc scriptum & firmamentum supradictæ donationis concessimus, & manu nostra propria signavimus publice Parisius in palatio nostro, anno regni nostri XVI. & sigillo nostro corroborari præcepimus anno Incarnati Verbi 1075. Signum Annæ matris Philippi regis, sig. Friderici regis dapiferi, signum Henrici regis constabularii, signum Hugonis camerarii, signum Hervei magistri Pincernarum, sign. Gaufridi de Calvomonte, cujus

cujus petitione & precatu adstipulatio præsens facta est. Goffridus Parisiensis episcopus & idem regis cancellarius, relegendo laudavit.

V.

Bulla Clementis II. papæ pro Vindocino.

1047. CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, Goffredo Andegavorum comiti & Agneti comitissæ conjugi ejus, salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens filii sanctæ ecclesiæ omnipotenti Deo aliqua offerunt, non debent esse elati quasi de munere, sed gaudere ex fideli redditione. Reddunt quidem creatori suo partem rerum quas ab eo acceperant, ut de suis eum rebus sibi faciant largissimum debitorem. Ab ipso namque omnes habemus esse, vivere, cunctaque habita possidere, & quod magis est, uti ratione. Quod vos, dilectissimi filii, non ignorantes, sed fideliter agnoscentes, studuistis de propriis vestris rebus monasterium pro redemptione animarum vestrarum vestrorumque parentum apud castrum Vindocinum ad honorem Trinitatis Deificæ construere, ipsumque monasterium cum omnibus suis rebus, beato apostolorum principi Petro, sancto Spiritu inspirante, offerre, ea videlicet consideratione, quatinus sanctæ Romanæ ecclesiæ sic specialiter semper adhæreat, ut inter Romanum pontificem & hunc venerabilem locum persona qualibet media existat. Quod nos divina fulti fiducia ita confirmamus, & inter primæ & apostolicæ sedis pontificem & venerabilis loci Vindocinensis abbatem omnem cujuscumque dignitatis vel ordinis personam mediam esse beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate prohibemus. Censum vero ad memoriam recognitionemque sempiternam duodecim solidorum de moneta vestræ patriæ, beato Petro reddi per unumquemque annum volumus. Illud etiam confirmamus & corroboramus ut locus sancti Salvatoris juxta civitatem Andegavorum conservetur omni tempore, sub prædicto monasterio Vindocinensi semper maneat, eique sicut membrum capiti persistat, & hereditas nulla sit propria, nec aliquando ibi constituatur aliquis rector vel præpositus, nisi voluntate abbatis Vindocinensis & ordinatione. Statuimus etiam ut, defuncto abbate ipsius loci, successor ei eligatur de eadem congregatione, si tamen dignus prælatione inveniatur. Quod si apud eos inveniri non poterit, quod absit, a Clugniaco vel Majori monasterio, vel undecumque melius poterunt monachi ibi congregati, sibi eligant abbatem secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam; tamen propter reverentiam loci in eligendo sibi pastore trium abbatum consilio utantur, quos religiosiores de vicinis locis habere potuerint. Consecrationem vero, ne statim Romam venire fatigetur, electus a Carnotensi præsule, sine tamen omni subjectione, suscipiat, si præsul idem sine pretio & secundum canones episcopatum susceperit, & nullum pretium qualicumque ingenio pro tali re quæsierit, & erga locum illum se malivolum non exhibuerit vel suspectum. Quod si episcopus pretio vel contra canones electus, investitus vel consecratus, sive erga prædictum beati Petri locum suspiciosus extiterit, qui electus fuerit ad nos vel ad nostros successores recurrat, & a sede beati Petri apostoli, cujus est juris, baculum & consecrationem suscipiat. Ad concilium autem coactus nullatenus venerit, quod ab ipso Romano pontifice non fuerit celebratum. Præterea statuimus ut comes Andegavorum adversus omnes homines omni tempore sit adjutor & defensor Vindocinensis monasterii, ad honorem videlicet Dei & apostolicæ sedis. Ipse tamen vel quilibet successorum suorum nullam exactionem sive consuetudinem monasterio, vel monasterii rebus inferat, nec in eis aliquid vindicare præsumat, præter patrocinium solum, quod eis ad honorem beati Petri exhibere permissum est. Hoc etiam adjicimus, ut tam Vindocinensi loco, quam in prædicta juxta Andegavis muros sancti Salvatoris ecclesia, nulli personæ, nisi solo Romano pontifici, liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare, seu interdicere, etiamsi Carnotensis aut Andegavensis patria, pro culpis quibuslibet excommunicentur. Excommunicati tamen a monachis non suscipiantur. Nos autem omnia quæ ibi a vobis, vel ab aliis hominum personis usque in præsentem diem oblata sunt, nostra auctoritate firmamus, ut in perpetuum eidem loco sine diminutione vel cujuslibet retractatione persistant. Si quis vero contra locum illum molestiam litis pro aliquibus rebus inferre voluerit, nullatenus abbas vel fratres ei respondeant, antequam apostolicam sedem consulant, quia quidquid sine nostro vel successorum nostrorum judicio definitum, vel distractum fuerit, irritum erit. Nomina quidem hereditatum, quæ ad præfatum pertinent monasterium, & beato Petro in patrimonium super ipsius altare propriis manibus obtulistis, hic adnotari idcirco placuit ad cognitionem futurorum, ut nulla deinceps potestas regis, ducum & comitum, castaldionum, aldionum, scariorum, vel archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & aliorum clericorum vel officiorum, tam ecclesiasticæ militiæ quam secularis, præsumat, audeat, pertemptet aliquid de eisdem rebus & facultatibus eidem monasterio sanctæ Trinitatis apud castrum Vindocinum suo distrahere, sive qualibet occasione auferre. Hæc sunt quæ ad prædictum monasterium pertinere noscuntur. In pago Vindocinensi ecclesia sancti Nicolai de Ferraria, ecclesia de Pruneto cum universis consuetudinibus, medietas ecclesiæ sanctæ Mariæ apud Villam episcopi, ecclesia sancti Stephani apud Stagnum, ecclesiæ quatuor quas Theodericus Carnotensis episcopus dedit monasterio Vindocinensi amore Dei & supplicatione Goffredi comitis, ecclesiam scilicet sancti Beati, ecclesiam sancti Johannis de Castrodunensi, ecclesiam de Baneolis, ecclesiam de Villarebla, ecclesiam Ancherici. In episcopatu Cenomanensi ecclesia sancti Johannis Baptistæ de Villa-Dei, & villa ipsa cum terris, & silvis, & vicaria, & consuetudinibus universis. Terra de Pinis, & quæ ibi est juxta dimidia ecclesia sanctæ Mariæ, ecclesia sancti Michaelis de Hulseio, & terra cum stagno, & molendinis, & boscis, & vicaria, & omnibus consuetudinibus, medietas ecclesiæ de Toreio. In episcopatu Andegavensi ecclesia sancti Saturnini, & curtis tota, & silva quæ dicitur Latez, & terra silvæ, si silva fuerit extirpata. Apud castrum Credonense ecclesia sancti Clementis, & universa ejus parochia, ecclesiæ vici Meduanilis, ecclesia sancti Johannis supra Ligerim, & decem & novem arpenni vinearum, & duo molendini, ecclesia sancti Petri de Maziaco, & curtis tota, ecclesia sancti Medardi de Caviriaco. In episcopatu Pictavensi ecclesiæ de Olonna. In episcopatu Santonico ecclesia sancti Georgii, & tertia pars ejusdem insulæ cum consuetudinibus universis. In castro Oleronis ecclesia beatæ Mariæ, ecclesia Podij rebellis, ecclesia de Blasmeriaco, ecclesia sancti Saturnini, & terra sancti Aniani cum silvis & piscationibus, & omnibus consuetudinibus. In foreste Wastina totum pasnaticum de propriis porcis omnium monachorum sanctæ Trinitatis, & medietas de pasnatico aliorum hominum, & mel & cera ejusdem silvæ in luminaria monasterii. Assumptio etiam omnium arborum ab omnibus monachis Vindocinensibus, & ab universis hominibus ipsorum ad omnes usus suos in terris ad monasterium pertinentibus, sine licentia forestariorum. Si vero abbas prædicti loci, & comes Vindocinensis alter adversus alterum, vel quilibet homo eorum querelam habuerit, non in curia comitis, nec in qualibet alia judicium efficiatur, sed in curia abbatis pro dignitate loci querimonia ipsa finiatur, ita tamen ut pro amore summæ Trinitatis, in cujus nomine & honore monasterium ipsum constructum est, dimidia pars forisfacti nec queratur ab aliquo, nec donetur. Quicumque igitur contra hujus nostræ

auctoritatis præceptionem, & ab omni læsione supradicti monasterii, & rerum ejus tuitionem, scienter venire temptaverit, & tamen crudelem animum non abstinuerit, sed impietatem suam secutus fuerit, tunc ille temerarius & præsumptor, nisi se digna correxerit satisfactione, maledictione Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, dampnetur, confundatur, pereat, ad cujus honorem & nomen locus ipse constructus est. Denique etiam incurrat iram Dei genitricis, & apostoli Petri, omniumque sanctorum. Insuper etiam nostra apostolica auctoritate sit excommunicatus, & anathematis vinculo innodatus, ut nunquam regnum Dei videat, sed cum diabolo & Juda traditore, omnibusque impiis sit dampnatus in æternum, & in tenebris maneat & umbra mortis. Qui autem conservator & inviolator extiterit hujus nostræ apostolicæ confirmationis & tuitionis, iste benedictus omni benedictione, ut partem habeat in regno Dei cum sanctis & electis, & gaudeat lætitia sempiterna in illa luce & claritate cœlorum, ubi est omne bonum in secula seculorum, pro eo quod hoc præceptum confirmationis & tuitionis nostræ intemeratum studuit conservare. Neque illud omittendum est, magis autem hujus nostræ confirmationi adnectendum quod Theodericus Carnotensis ecclesiæ episcopus, in cujus diœcesi supradictus sanctæ Trinitatis locus apud castrum Vindocinum situs dinoscitur, nostræ præsentiæ suam transmiserit epistolam, deprecans, ut de bonitate nostra obtineret, quatinus hic locus ejus consilio & voluntate beato Petro a suis fundatoribus oblatus, per nos tali corroboraretur auctoritate, ut nulli successorum suorum post eum hujus loci rebus vim vel calumpniam inferre, sive de his quidquam subtrahere, seu pro qualicumque causa excommunicare, sive interdicere, vel quamlibet potestatem aut dominationem in ipso loco exercere liceret, seu qualibet occasione rectorem loci, vel fratres molestare præsumeret, quod benigne dignum annuere censuimus. Confirmamus igitur & corroboramus hoc rescriptum per nostram auctoritatem, & perpetuo anathemate dampnamus quemcumque suum successorem his nostris præceptionibus refragantem, & calumniam inferre temptantem, nisi resipiscat, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, rectoribusque ejus satisfaciat. Datum calendis Julii per manus Petri diaconi & bibliothecarii & cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Clementis II. pontificatus primo, indictione XV.

VI.

Bulla Victoris II. pro Vindocino.

Circa 1056. VICTOR episcopus, servus servorum Dei, Gaufredo venerabili comiti Andegavorum, & Agneti comitissæ conjugi ejus, salutem & apostolicam benedictionem. Omnibus votis quæ de puro & justo desiderio procedunt, succurrere nos debere ipsa apostolica censura movemur. Quanto enim quisque altius effert oculos mentis ad divinæ speciem contemplationis, tanto nos ejus intentionem studiosius animare & exaltare debemus, ut ad illum qui est fructus & merces operum bonorum, possit pervenire desiderium bonum. At vos, filii charissimi, quia decrevistis ab auctoritate sedis Romanæ, cui Deo præsidemus authore, supplici devotione petere & postulare, quatinus apostolica virtute confirmaremus, & a cunctis hominum personis, nisi a solo primæ sedis pontifice, liberum faceremus monasterium sanctæ Trinitatis apud castrum Vindocinense situm, quod scilicet de vestris bonis de novo fundastis, & beato Petro ejusque successoribus in alodium & patrimonium obtulistis, dignum judicavimus annuere precibus vestris vestrumque per omnia implere affectum. Confirmamus igitur, atque beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate ipsum monasterium ita specialiter corroboramus, quatenus inter primæ & apostolicæ sedis pontificem, & venerabilis loci Vindo-

A cinensis abbatem nulla, cujuscunque dignitatis vel ordinis persona sit, media habeatur. Quod si forte contigerit legatum Romanæ ecclesiæ, prædictum beati Petri locum visitare, ibi cum omni charitate suscipiatur, & in quantum possibilitas loci permiserit, quæ corpori erunt necessaria ei subministrentur a fratribus. Ipse vero in eodem loco nihil per se disponere vel corrigere audeat, vel occasione legationis rectorem loci sive fratres molestare præsumat; sed si quid viderit corrigendum papæ literis notificare licebit, in cujus solius potestate ipsius monasterii ordinatio sive correctio universa consistit. Abbas autem qui alodiarius Romanæ ecclesiæ noscitur, ad concilium coactus, nec veniat, nec vocetur, quod ab ipso apostolicæ sedis summo pontifice non fuerit celebratum, sed matrem suam Ro-
B manam ecclesiam per se vel per nuntium suum visitare studeat, ibique singulis annis censum, duodecim scilicet solidos suæ monetæ, ad concinnanda luminaria ante venerabile corpus beatissimi Petri persolvat. Præterea statuimus ut defuncto abbate congregationis ipsius successor ei eligatur de eadem congregatione, si dignus prælatione inveniatur. Quod si apud eos non fuerit inventus, quod absit, a Cluniaco vel a Majori monasterio, vel undecunque melius potuerint, monachi sibi eligant abbatem secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam; tamen in eligendo sibi pastore trium abbatum consilio utantur, quos religiosiores in vicinis locis invenire potuerint. Consecrationem vero, ne statim Romam venire fatigetur, electus a Carnotensi præsule sine omni subjectione vel qualibet exactione suscipiat, si præsul
C idem canonice episcopatum susceperit, & si erga illum beati Petri locum se malevolum non exhibuerit vel suspectum; alioquin ad nos vel ad nostros successores recurrat, & a sede beati Petri, cujus est juris, baculum & consecrationem suscipiat. Ordinato vero abbate, quomodo vel qualiter fuerit facta ordinatio studeant tam abbates quam etiam monachi ejusdem loci papæ literis intimare, ut aut emendet, si opus fuerit emendandum, aut si fuerit secundum nostrum decretum facta electio sive ordinatio, bono studio congratuletur. Illud etiam præcipimus ut comes Andegavensis omni tempore sit adjutor & defensor Vindocinensis monasterii ad honorem apostolicæ sedis; ipse tamen vel quilibet successorum suorum nullam exactionem sive consuetudinem monasterio vel monasterii rebus inferat,
D nec in eis aliquid vindicare præsumat, præter patrocinium solum, quod ei ad honorem apostolicæ sedis, & ad animæ suæ salutem exhibere permissum est. Hoc etiam adjicimus ut tam in Vindocinensi loco, quam in sancti Salvatoris juxta Andegavis muros ecclesia, nulli personæ, nisi soli Romano pontifici, liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare, seu interdicere, etiamsi Carnotensis aut Andegavensis patria pro culpis quibuslibet excommunicentur, excommunicati tamen a monachis non suscipiantur. Nos autem omnia quæ ibi a vobis vel ab aliis hominum personis usque in præsentem diem oblata sunt, nostra auctoritate firmamus, ut in perpetuum eidem loco sine diminutione vel cujuslibet retractatione persistant. Si quis vero contra locum illum molestiam
E litis pro aliquibus rebus inferre voluerit, nullatenus abbas vel fratres ei respondeant, antequam Romanum pontificem consulant, quia quicquid sine nostro vel successorum nostrorum judicio definitum vel distractum fuerit, irritum erit. Ea vero quæ ad præfatum pertinent monasterium, & beato Petro in patrimonium super ipsius altare, a Gaufredo comite Andegavorum, & ab Agnete comitissa ejus conjuge oblata sunt, hic scripta noscuntur ad cognitionem futurorum. In pago Vindocinensi ecclesia sancti Nicolai de Ferraria. Ecclesia de Pruneto cum universis consuetudinibus. Medietas ecclesiæ sanctæ Mariæ apud Villam episcopi. Ecclesia sancti Stephani apud Stagnum. Ecclesiæ quatuor quas Theodoricus episcopus Carnotensis dedit monasterio

Vindocinensi amore Dei, & supplicatione Gaufredi comitis, ecclesia scilicet sancti Beati, ecclesia sancti Johannis de Castrodunensi, ecclesia de Balneolis, ecclesia de Villarebla, ecclesia Anscherici. In episcopatu Cenomanensi ecclesia sancti Johannis Baptistæ de Villa-Dei, & villa ipsa cum terris & silvis, & vicaria, & consuetudinibus universis. Terra de Pinis & quæ est ibi juxta dimidia ecclesia sanctæ Mariæ, ecclesia sancti Michaelis de Hulleto, & terra cum stagno, & molendinis, cum boscis, & vicaria, & omnibus consuetudinibus, medietas ecclesiæ de Toreio. In episcopatu Andegavensi ecclesia sancti Saturnini & curtis tota, & silva quæ dicitur Latez, & terra silvæ, si silva fuerit extirpata. Apud castrum Credonense ecclesia sancti Clementis & universa ejus parochia, ecclesiæ vici Meduanilis, ecclesia S. Johannis super Ligerim, & decem & novem arpenni vinearum & duo molendini, ecclesia sancti Petri de Maziaco & curtis tota, ecclesia sancti Medardi de Caviriaco. In episcopatu Pictavensi ecclesiæ de Olonna. In episcopatu Sanctonico ecclesia sancti Georgii, & tertia pars ejusdem insulæ cum consuetudinibus universis. In castro Oleronis ecclesia B. Mariæ, ecclesia Podii rebellis, ecclesia de Blastheriaco, ecclesia sancti Saturnini, & terra S. Aniani cum salinis & piscationibus, & omnibus consuetudinibus. In foreste Wastina totum pasnaticum de propriis porcis omnium monachorum sanctæ Trinitatis, & medietas de pasnatico aliorum hominum, & mel & cera ejusdem silvæ in luminaria monasterii. Assumtio etiam omnium arborum ab omnibus monachis Vindocinensibus, & ab universis hominibus ipsorum ad omnes usus suos in terris ad monasterium pertinentibus, sine licentia forestariorum. Si vero abbas prædicti loci, & comes Vindocinensis alter adversus alterum, vel quilibet homo eorum querelam habuerit, non in curia comitis, nec in qualibet alia judicium efficiatur, sed in curia abbatis pro dignitate loci querimonia ipsa finiatur, ita tamen ut pro amore summæ Trinitatis, in cujus nomine & honore monasterium ipsum constructum est, dimidia pars forisfacti nec quæratur ab aliquo, nec donetur. Si quis autem hujus nostri præcepti sciens violator extiterit, vel de supra scriptis rebus Vindocinensi monasterio quicquam subtraxerit, maledictione Dei, Patris, & Filii, & Spiritus sancti damnetur, confundatur, pereat, ad cujus honorem & nomen locus ipse constructus est, deinde etiam iram Dei genitricis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli omniumque sanctorum incurrat, & nostra apostolica auctoritate sit excommunicatus, & anathematis vinculo innodatus, ut nunquam regnum Dei videat, sed cum diabolo & Juda traditore, omnibusque impiis sit damnatus in æternum, & in tenebris maneat & umbra mortis, & in incendio sulfurato, in frigore illo tartareo, ubi est fletus & stridor dentium, nisi quod eidem loco abstulit digna satisfactione emendet. Qui vero conservator & inviolator extiterit hujus nostræ apostolicæ confirmationis & tuitionis, iste benedicatur omni benedictione, ut partem habeat in regno Dei cum sanctis & electis, & gaudeat lætitia sempiterna in illa luce & claritate cœlorum, ubi est omne bonum in sæcula sæculorum, amen. Victoris primæ sedis episcopi & universalis papæ II. breve signum.

VII.

Ex chartul. B. Mariæ Blesensis.

Fundatio monasterii de Eleemosyna, seu Minoris Cistercii.

1121. PResentibus atque subsequentibus sancte matris ecclesie filiis hac carta notum facimus, quod canonici sancti Karilephi Blesim degentes consensu atque voluntate venerabilis Gaufredi Carnotensis episcopi, rogatuque domni Theobaldi comitis Palatini, & Stephani Cisterciensis cenobii abbatis concesserunt monachis S. Marie de Eleemosyna totam decimam duarum carru-

A carum in foresta que Silvalonia notatur, in qua illud est constructum cenobium, decimamque omnium pecorum suorum, & decimam pastiagii porcorum illorum; insuper etiam vinearum, hortorum, virgultorum decimam, extra decimam terre duarum carrucarum, omne scilicet quod ad decimam pertinet. Hec beneficia voluntarie & leto animo dederunt canonici illi monachis pro redemptione animarum suarum, omnium parentum suorum. Quod si monachi illi in predicta silva plus terre quam ad opus duarum carrucarum pertineat, habuerint, illamque terram colere voluerint, vel rusticos in silva illa ad habitandum susceperint, sive rustici aliqui terram illius silve licentia monachorum, non tamen ad opus illorum, sed ad proprios usus exterminaverint, seu porcos vel alia pecora aliorum hominum ad custodiendum in eadem silva monachi susceperint, predicti canonici libere de omnibus istis decimam possideant. Pecora vero familie monachorum, si in illa foresta fuerint, ab omni decimatione libera erunt. Igitur comes Theobaldus predictorum canonicorum largitate & benivolentia erga sancte Marie monachos delectatus multumque exhilaratus, & petitione domni Stephani Cisterciensis abbatis placatus, illo tempore quo hec facta sunt laudavit predictis canonicis redditus quos predecessor ejus Odo comes & uxor ejus Ermengardis eis donavit, octo scilicet modios vini, pro quibus deinceps XXX. solidi reddentur, & ex alia parte XL. solidos Blesensis monete. Hos redditus simul videlicet LXX. solidos propter guerram, qua comes ille diu laboravit, seu propter incuriam ministrorum ejus, seu propter alias causas aliquanto tempore non redditos, illo tempore predictus comes per singulos annos infra octavas Dominice nativitatis ex theloneo suo ecclesie S. Karilephi sine contradictione reddendos confirmando constituit, cartamque horum redditiuum sigilli sui testimonio auctorizavit. Et hii fuerunt testes Theobaldus comes, Andreas de Baudement, Hugo de castello Theoderici, Gaufredus Borellus & Asco frater ejus, Arnulfus prepositus, Rainaldus de Fonte. Ex parte clericorum Guibertus capellanus, Garinus Dyabolus, Guibertus, Guarinus presbyter, Enoch. Preterea a supradictis comite & canonicis hoc quoque concessum & firmatum est, quod si deinceps vel iste, vel alius Blesensis comes de supradictis redditibus aliquam eis injuriam seu violentiam faceret, nichil inde a monachis in monasterio de Eleemosina consistentibus expostularent. Actum Blesis anno ab Incarnatione Domini M. C. XXI. apostolice sedi presidente papa Calixto II. Francorum rege Ludovico, Blesensi comite Thebaldo Stephani comitis filio.

VIII.

Institutio canonicorum regularium in ecclesia Burgimedii. *Ex autogr.*

EGO Gaufridus divina gratia humilis Carnotensis episcopus, notum facio omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod quibusdam canonicorum S. Mariæ Blesensis Spiritus sancti instinctu placuit ut in eadem ecclesia religiosius secundum regulam sancti Augustini Domino servirent, & ut nullum suæ tam probabilis voluntatis exterminium paterentur, super hoc nostrum & venerabilis comitis Blesensis Theobaudi & canonicorum suorum cum omni humilitate quæsierunt assensum. Nos igitur divinæ dispositioni contraire nolentes consensimus, & ut in proposito voluntatis suæ perseverarent, monuimus. Consensit & venerabilis comes, & obnixe rogavit nos ut hujusmodi divinæ operationis inceptum promoveremus. Consenserunt etiam canonici, & eorum aliqui suas præbendas in usum fratrum dictæ professionis dimiserunt. Aliqui vero in proprios usus retinuerunt, donec quolibet eorum decedente, vel voluntate, vel morte præbenda ejus cederet ad professos. Inter hos ergo ita divisimus, quod earum quas ante

Circa 1122.

religionis hujus institutionem habebat dicta ecclesia A possessionum usufructus in XII. partes dividetur, & duodecimas suas quas sibi retinuerunt, accipient, ceteras vero accipiet numerus professorum. Oblationes vero, quæ in ministerio altaris, sive in festis diebus, sive in aliis, in usus omnium offerentur, & eleemosynæ pro defunctis secundum eundem numerum dividentur, & duodecimas suas similiter qui sibi retinuerunt, sicut solebant, sive præsentes, sive absentes recipient. Si qua vero possessio a die supradictæ professionis, & deinceps supradictæ ecclesiæ data fuerit, erit tantummodo professorum, & quidquid sive in victum eorum, sive in vestitum singulariter, sive in officinas ædificandas dabitur, similiter eorumdem erit. Quod vero propter ædificandum monasterium, vel monasterii ornamenta vel cetera necessaria dabitur, in eisdem juxta abbatis & B ceterorum canonicorum providentiam expendetur. Domus autem, quam supradictæ ecclesiæ dederat Gaufridus de Soliaco, erit propria professorum, & vinea canonicorum, quam Ermenfredus canonicus propriam possidebat. Hæc autem ita instituimus sub testimonio horum qui subnotati sunt, Stephanus abbas sancti Johannis Carnotensis, Samson decanus ecclesiæ Carnotensis, Augerius archidiaconus, Salomon archidiaconus, Andreas de Baudement, Petrus de Robore ligato & alii.

I X.

Bulla Callixti II. pro Burgomedio.

1123. CALLIXTUS episcopus, servus servorum Dei, Stephano abbati & canonicis in Blesensi ecclesia B. Mariæ regularem vitam professis, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum. Bonis religiosorum fratrum & sanctorum virorum desideriis non solum favere, sed ad ea ipsorum etiam debemus animos incitare. Nobilis siquidem vir Theobaldus Blesensium comes, venerabili C fratre nostro Gaufrido Carnotensi episcopo commonente atque hortante, pro amore Dei & religionis canonicæ reverentia vestram beatæ & gloriosæ virginis Mariæ Dei genitricis ecclesiam, quam in seculari potestate sui dominii retinebat, cum omnibus suis rebus & possessionibus Deo & vobis per ejusdem episcopi manum, sicut ipsius attestatione didicimus, reddidit & penitus refutavit hoc nimirum tenore, ut defficientibus de eadem ecclesia clericis secularibus, eorum honores sive possessiones ecclesiasticæ in usum vestrum & fratrum, qui D post vos in regulari vita, Domino authore, successerint, redigantur; quandiu vero illi vixerint, præbendarum redditus, quos hactenus tenuerunt, dimittere non cogantur. Idem insuper comes communi vestræ utilitati devote intentus, capellam sancti Carilephi, quam pater ejus & ipse primum possederant, per supradicti episcopi manum vestris usibus mancipavit, ita videlicet ut quocumque tempore decedentibus de ea personis, præbendarum redditus ad beatæ Mariæ ecclesiam transferantur, & opportuno tempore secundum abbatis arbitrium in capella eadem aliqui regularium substituantur. Nos ergo & præfati strenui atque illustris comitis desiderium laudabile judicantes, & ipsius precibus annuentes, quod ab eo de præfatis ecclesiis per manum fratris nostri & coepiscopi Gaufridi factum est, confirmamus, & ratum E atque inviolabile futuris temporibus permanere præcepimus. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito, temere, quod absit, contraire temptaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Ego Callixtus catholicæ ecclesiæ episcopus XIV. calendas Aprilis. Datum Laterani per manum Hugonis sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi, indictione prima, Incarnationis Domini anno 1123. pontificatus autem domini Callixti secundi papæ quinto.

X.

Bulla Innocentii II. pro Eleemosyna. Ex autogr.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, 1136. dilecto in Christo filio Olrico abbati monasterii de Helemosina ejusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti atque utilitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen sumus assumpti, eas & a pravorum hominum incursibus tueamur, & beati Petri apostolice sedis patrocinio confovere curemus. Quamobrem, dilecte in Domino fili Olrice abbas, tuis postulationibus clementer annuimus, & monasterium de Helemosina, cui auctore Deo preesse dinosceris, presentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona inpresentiarum idem locus juste & legitime possidet, aut in futurum liberalitate principum, concessione pontificum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis largiente Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Et quoniam monachi & alii religiosi viri communi vita viventes, debent de aliorum helemosinis ac beneficentia sustentari, simili modo sancimus, ut de laboribus quos propriis sumptibus colitis, seu etiam de nutrimentis vestris, nullus a vobis decimas exigere, nullusque suscipere audeat, ut quanto estis ab ecclesiasticarum vel secularium personarum infestationibus liberi, & ab eorum exactionibus expediti, tanto propensius divinis famulatibus intendatis, & vota vestra juxta monastice professionis observantiam omnipotenti Domino humiliter exhibere curetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit vestrum monasterium temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus molestationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona scienter contra hanc nostræ concessionis paginam temerario ausu venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem prefato monasterio jura sua servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus. Ego Theodewinus S. Rufine episcopus. Ego Drogo Ostiensis episcopus. Ego Albertus Albanensis episcopus. Ego Anselmus presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina. Ego Lucas presbyter cardinalis tituli sanctorum Johannis & Pauli. Ego Gregorius diaconus cardinalis tituli sanctorum Sergii & Bacchi. Ego Crysogonus diaconus cardinalis sancte Marie in Porticu. Datum Pisis per manum Aimerici sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis & cancellarii XII. calend. Martii indictione XIV. Incarnationis Dominice anno M. CXXXVI. pontificatus vero domni Innocentii pape II. anno VIII.

X I.

Guido Cenomanensis episcopus confirmat omnes ecclesias quas in episcopatu suo habebat Vindocinense cœnobium. Ex autographo.

GUIDO Dei gratia humilis Cenomanorum episcopus, F. venerabili abbati & universæ congregationi Vindocinensis monasterii, salutem & dilectionem. Circa 1137.

Justa petentibus non est negandus assensus, sed facile tribuendus. Vos autem jam semel & secundo petiistis a nobis, ut ea quæ in episcopatu Cenomanensi monasterio vestro a fidelibus data sunt, & ea quæ antecessores vestri vel vos legitima emptione adquisistis, nostra vobis auctoritate confirmaremus, & sub patrocinio Cenomanensis ecclesiæ ea susciperemus. Charitas autem exigit, ut omnium utilitatibus ecclesiarum congaudeamus, & omnibus ecclesiasticis & religiosis personis, maxime tamen domesticis & amicis nostræ possibilitatis auxilium porrigamus. Et quoniam per Dei gratiam religionis fervor & ardor charitatis in monasterio vestro noscitur abundare, vos non exaudire non possumus, non possumus non amare. Præterea sanctus pater & dominus noster Innocentius sedis apostolicæ summus episcopus nobis præcipiendo mandavit, quatenus monasterium vestrum B sicut beati Petri proprium pro ejus amore contra suos adversarios pro nostris viribus defendamus, vobisque tanquam specialibus ejus filiis nostrum non negemus adjutorium. Quapropter ejus obsequentes præcepto, vestræque petitioni assensum præbentes, concedimus vobis auctoritate Dei & nostra, quicquid in Cenomanensi episcopatu vel fidelium donatione, vel vestra legitima adquisitione adquisistis, in quibus quædam propriis nominibus censuimus designanda. Ecclesiam Villæ Dei, capellam Hugonis in foreste Gastinæ, ecclesiam de Hulseio, ecclesiam de Chemilleio, ecclesiam quæ dicitur Heremitarum, ecclesiam de Toreio, ecclesiam de Sarteriis, ecclesiam sancti Laurentii in foreste concisa, quam nos tempore Matthæi monachi vestri dedicavimus, ecclesias de Carcere, capellam scilicet C sanctæ Mariæ, capellam sancti Vincentii, & capellam sancti Nicolai, sub perpetuo anathemate prohibentes ne infra banleugam ejusdem castri ecclesia vel capella construatur sine licentia Vindocinensis capituli. Supradictas ecclesias & capellas cum omnibus earum pertinentiis vobis concedimus, sanctique Spiritus ita auctoritate confirmamus, ut nullus prorsus hominum hæc calumniari vel retractare præsumat. Qui autem præsumserit, damnetur in æternum & pereat, nisi resipuerit, & Vindocinensi monasterio satisfecerit.

X I I.

Ex autographo.

Donum Theobaldi comitis Blesensis factum Eleemosynæ.

1142. EGO Teobaudus Blesensis comes omnibus, tam futuris quam præsentibus, notum fieri volo, quod pro redemptione animæ meæ & antecessorum meorum, fundavi in proprio allodio meo hanc abbatiam, cui Eleemosyna nomen est, rogatu scilicet & petitione domini Stephani, qui fuit secundus Cistercii abbas, & qui conventum cum abbate suo de Cistercio huc adduxit. Quem abbatem gratanter suscepit & ordinavit venerabilis & Domino dignus Carnot. episcopus apostolicæ sedis legatus Gaufridus, cujus assensu & voluntate hoc totum feci. Et quoniam novi quietem religioni utilem ac necessariam esse, ob pacis augmentum ejusdem cœnobii terminos dilatari, & certis metis signari præcepi, ne videlicet monachi in eo degentes quominus pacate in eo Deo serviant secularium tumultibus inquietentur. Discrevi igitur possessionem ipsorum in ea parte quæ contigua est Ottenvillæ, & qua Belsiam respicit quodam fossato satis evidenti, quod ex meo jussi fieri, quod aliis metis usque Columbam & exinde strata publica, quæ dicitur *chiminus comitis*, usque ad quadrivium viæ Ottenvillæ, quod ab ipso quadrivio eadem via per marchesium, quod vocatur Roundet, quod progreditur usque ad domum Ottenvillæ. Dedi etiam eis apud Arembert de proprio meo terram duarum carrucarum, & Montem calvum de emptione mea, & stabula cum feodo meo. Hæc omnia & quæcumque deinceps vel emptione, vel beneficiis seu largitione fidelium poterunt A conquirere, dedi, concessi & concedo libere & quiete deinceps possidendum monachis de Eleemosyna & successoribus eorum, assensu & voluntate Matildis conjugis meæ & filiorum meorum Henrici, Teobaudi & Stephani. Ut autem hæc donatio mea perpetuis futuris temporibus integra illibataque servetur, præsentem cartam inde fieri, & sigilli mei munimine corroborari præcepi. Testes hujus rei fuerunt domnus Gaufridus prædictus Carnotensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, Radulphus capellanus meus qui hanc cartulam sigillavit, Robertus archidiaconus Carnotensis ecclesiæ, Willelmus clericus meus, Bernerius presbyter sancti Leonardi, Raherius de Veteri vico, & duo filii ejus Odo & Hugo, Herveus de Seal. & Herveus filius ejus, Herbertus Curtesius & Silvester filius ejus, Gaufridus de Aqua & Hermanus filius ejus, Guido Arbalistarius & Adam filius, Robertus præpositus Veteris vici, Herbertus de Moisi, Margoth de Salomonaria, Harduinus de Camosina, & Gaufridus Frodonis. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. C X L I I.
✠ Signum Matildis comitissæ. ✠ Signum Henrici. ✠ Signum Teobaudi. ✠ Signum Stephani.

X I I I.

Bulla Lucii II. pro monasterio Pontilevienfi. Ex autogr.

LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Fulcherio abbati monasterii S. Mariæ Pontilevienfis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. 1144.
Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Gaufridi Carnotensis episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. D In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In Carnotensi episcopatu locum ipsum Pontilevii cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Petri Pontilevienfis. Apud Calvum montem ecclesias sancti Nicolai & sancti Martini, ecclesiam de Taniaco, ecclesiam de Cembrineio, ecclesiam de Oscampo, ecclesiam de Castenetio, ecclesiam de sella sancti Mundricii, ecclesiam de Fulgeriis, ecclesiam de Fenis, ecclesiam sancti Gervasii trans Ligerim, ecclesiam de Vinolio, ecclesiam sancti Deodati, ecclesiam de Monte-levaldi, ecclesiam de Muisdia, ecclesiam de Braceolis, ecclesiam de Torno. Blesis ecclesiam sancti Johannis, ecclesiam S. Gervasii, ecclesiam de Vilerbo, ecclesiam de sancto Bethario, ecclesiam sancti Johannis de Floriaco, ecclesiam Octinvillæ, ecclesiam Columbæ, ecclesiam de Ororio, ecclesiam de Meso. Apud castrum Firmitatem Villænolii ecclesiam sancti Petri & ecclesiam sancti Martini, ecclesiam sancti Marcelli de Cereno. Apud Castridunum ecclesiam sancti Valeriani. Apud Basocham ecclesiam sancti Johannis. In Redonensi pago ecclesiam sancti Petri & sancti Johannis de Igneio, ecclesiam sancti Leonardi de Fulgeriis, ecclesiam S. Martini de Cussa, cellam sancti Martini de Lustris, ecclesiam de Peregrina. In Anglia ecclesiam sanctæ Mariæ de Luministro, capellam de Roxitunga, capellam de Palingis, capellam de Warmacan, ecclesiam de Pingis, ecclesiam de Sordis. In Aurelianensi pago ecclesiam de Pruneriis, ecclesiam de Gii, ecclesiam de Soëmo, ecclesiam de Maes, ecclesiam de Chalziaco, ecclesiam de Thaisiis, ecclesiam de

Lorgis, ecclesiam de sancto Romano, ecclesiam sanctæ Mariæ de Fontanis. In Turonensi archiepiscopatu ecclesiam sancti Dionysii in atrio sancti Martini, ecclesiam sancti Cyrici trans Ligerim, ecclesiam sancti Thomæ, ecclesiam de Poilly, ecclesiam de Nantolio, ecclesiam sancti Georgii, ecclesiam sancti Martini de Pressiniaco, ecclesiam de Vernolio. In Biturico episcopatu ecclesiam sanctæ Mariæ de Valentiaco, ecclesiam sancti Hilarii de Castello veteri, ecclesiam sancti Martini de Sigiaco. In Sagiensi pago ecclesiam sancti Hilarii, ecclesiam sancti Petri de Balochis. Liceat etiam vobis in ecclesiis vestris presbyteros eligere, qui si idonei fuerint, ab episcopis gratis & absque ulla pravitate curam animarum suscipiant, eisque de plebis cura rationem reddant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva diœcesani episcopi canonica justitia & apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Lucius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego GG. presbyter cardinalis tituli Calixti. Ego Birido presbyter cardinalis de titulo sancti Crysogoni. Ego Rainerius presbyter cardinalis tituli S. Priscæ. Ego Petrus presbyter cardinalis de tit. Pastoris. Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis. Ego Manfridus presbyter cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Ego Guiddo cardinalis presbyter sancti Laurentii in Damaso. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Albericus Ostiensis episcopus. Ego Gregorius cardinalis diaconus sanctorum Sergii & Bacchi. Ego Imarus Tusculanus episcopus. Ego Petrus cardinalis diaconus sanctæ Mariæ in Porticu. Ego Petrus Albanensis episcopus. Ego Johannes diaconus cardinalis S. Adriani. Ego GG. diaconus cardinalis sancti Angeli. Ego Artaldus diaconus cardinalis sancti Eustachii juxta templum Agrippæ. Datum Laterani per manum Baronis capellani & scriptoris XVII. calendas Maii, indictione VII. Incarnationis Dominicæ anno M. CXLIV. pontificatus vero domni Lucii II. anno primo.

X I V.

Cessio Simonis abbatis Burgimedii.

1176. ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Simoni quondam abbati sanctæ Mariæ Blesis, salutem & apostolicam benedictionem. Relatum est nobis ex parte tua, quod labores & angustias prælatorum attendens, elegisti abjectus esse in domo Dei, & Domino sine sollicitudine ecclesiastici regiminis deservire, quam prælationis vocabulo gloriari, ideoque administrationem præscriptæ ecclesiæ resignasti, cujus humilitatem venerabilis frater noster J. Carnotensis episcopus, & dilectus filius Petrus sancti Crysogoni presbyter cardinalis titulo apostolicæ sedis legatus intuentes, domum de Monticellis & de Beurôn cum suis pertinentiis sustentationi tuæ cum assensu fratrum ipsius ecclesiæ contulerunt, quoad vixeris, libere possidendam. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani quinto idus Aprilis.

X V.

Theobaldus comes Blesensis fundat præpositum sancti Salvatoris. *Ex authentico.*

EGO Theobaldus comes Blesensis, Francie senescallus, omnibus, tam presentibus quam futuris notum facio, quod amore Dei & pro remedio anime mee & parentum meorum, laudantibus & concedentibus Adelicia uxore mea & filiis Ludovico, Philippo, & filiabus meis Margarita, Ysabella, Adelicia, pro novem modiis sigali, quos ecclesie sancti Salvatoris Blesensis ad preposituram dederam in terragio Monticiorum, & pro tribus modiis in eodem terragio datis ecclesie pro prebenda, do in excambium molendinum qui dicitur de Jay, in tertio arcu pontis ex parte Blesensi perpetuo possidendum, & ad omne opus molendini usum nemorum meorum, hoc modo scilicet quod quicumque fuerit prepositus ecclesie, reddet eidem ecclesie tres modios frumenti, nec pejoris, nec melioris. Preterea dedi eidem ecclesie in perpetuum in sexteragio meo Blesensi singulis annis novem modios frumenti, nec pejoris, nec melioris, & tres modios avene plenos & perfectos, sicut ad vendendum & emendum, & decimam carnificie Blesensis, ubicumque ipsa sit, vel quocumque transferatur. Predictum autem molendinum & viginti solidos in decima carnificie habebit in feodo prepositus ecclesie sancti Salvatoris, quicumque sit, & inde faciet ligium hominium michi & heredi meo, quicumque Blesensis dominus erit. Dedi quoque ecclesie terram quam habuit ecclesia sancti Mauricii Carnotensis apud Calceiam, liberam & quietam ab omni consuetudine & exactione, pro qua eidem ecclesie S. Mauricii excambium feci. Bremagium etiam quod in eadem terra habebam prefate ecclesie sancti Salvatoris in perpetuum dedi, & decimam molendinorum meorum de Beevilla, & servientibus meis precipio, quicumque molendinos illos, sive ad censum, sive in commendatio habebunt, quatenus decimam illam integre per duos terminos reddant, dimidium infra octabas S. Johannis Baptiste, reliquum vero dimidium infra octabas Candelarie, & feriam triduo duraturam & sessuram hoc modo scilicet, crastina die Ascensionis, & Sabbatho & die Dominica, & infra hoc spatium trium dierum integrorum omnes consuetudines mee & omnes redditus mei infra banlivam Blesensem erunt ecclesie, & omnis justicia ferie & ubique infra banlivam & sanguis & latro erunt similiter ecclesie, & si vadium duelli infra hunc terminum datum fuerit, juris ecclesie erit duellum tenere vel pacificare, & emenda inde proveniens quamdocumque reddetur, erit ejusdem ecclesie. Preterea in quacumque domo habitabit ecclesie canonicus, seu propria seu aliena, quamdiu in ea manebit, libera & quieta & secura erit, sicut & ipsa ecclesia. Capellano autem ecclesie, quicumque fuerit, do & confirmo in perpetuum singulis diebus quibus ego Jacobo Blesis, vel quicumque fuerit dominus Blesensis, duos denarios pro pane, duos pro coquina, dimidiam lagenam vini, duas tedas candele ad servitium ecclesie. Quod ut ratum semper maneat & illesum, ne quid contra moliatur posteritas, vel aliquatenus infirmetur, literis commendo, & sigilli mei impressione confirmo. Hujus rei testes sunt Gaufridus de Brullone, Lambertus Sacus, Hugo de Rulliaco, Galerannus de Brevilla, Asco Borelli, Paganus de Frovilla, Oberius de Lenda, Raginaudus Lancelini, Nicolaus Marescallus, Fulco camerarius, Raginaudus Crispini, Herveus camerarius, Hugo camerarius, Raginaldus Torteus, Bartholomeus de sancto Deodato. Datum Blesis anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octuagesimo octavo. Datum vacante cancellaria. 1188.

X V I.

Ex autogr. *Amelinus Cenomanensis episcopus Stellæ monasterium sub sua suscipit protectione, ejusque possessiones confirmat.*

1210. AMELINUS Dei patientia Cenomanensis ecclesiæ minister humilis, omnibus præsentem paginam inspecturis, salutem in Domino. Cum ecclesia sanctæ Trinitatis de Stella cum omnibus officinis suis miserabili peccatis exigentibus vastaretur incendio, inter quamplurima rerum damna, suorum etiam privilegiorum, quæ ipsius incendii conflagratione deteriorata sunt penitus & deleta, gravem pertulere jacturam. Eapropter dilectorum in Christo filiorum Galterii venerabilis ejusdem ecclesiæ abbatis, & aliorum fratrum justis precibus B annuentes, quascunque possessiones, quæcunque bona in diocesi nostra inpræsentiarum possident, ne pravorum hominum molestiis valeant infestari, sub beati & gloriosissimi confessoris Juliani & nostra protectione tuenda suscipimus, & præsenti scripto communimus, in quibus hæc propriis duximus annotare vocabulis: ex dono Gaufridi comitis Vindocinensis, & Johannis filii ejus, & Bochardi filii Johannis usuagium in foresta, quæ dicitur Gastina, ad ædificia facienda & reparanda, & ad focos faciendos, & ad omnem usum dictæ ecclesiæ, & omnium hominum suorum ligna sufficientia omni tempore in perpetuum cum necesse fuerit accipiendi: ex dono eorumdem comitum domum, quæ dicitur Monshalem, cum terris, pratis & omnibus ejus appendiciis, sicut ex privilegio dulcis memoriæ Ale- C xandri papæ constitutum reperimus; domum quoque quæ dicitur Rupis Perdriel, cum terris, pratis, aquis & aliis suis pertinentiis: ex dono Joannis secundi comitis Vindocinensis terram, quæ dicitur Monsris: ex dono Bochardi comitis terram, quæ est inter terram de Rupe Perdriel & terram canonicorum beati Georgii juxta Gastinam: ex dono Ceciliæ de Trou quatuor solidos publicæ monetæ ex censu de Artuis in translatione sancti Joannis accipiendos: ex dono Harduini militis totam terram quam habebat juxta Rupem Perdriel, concedentibus filiis & filiabus suis, & Pagano de Alba-Morla, de cujus erat feodo. Apud Lavardin ex dono Bomeri rupem & plateam ante rupem & duas vineas; item duos hortos vineæ consitos, terram quoque quæ dicitur la Hoilardere: ex dono Eremburgis D viduæ partem ejusdem vineæ, concedentibus filiis ejusdem & Aimerico. Apud Carceriam ex dono Matthæi militis de Trou totum censum quem habebat apud Carceriam: ex dono Roberti de Cimili censum quem accepit cum uxore sua in matrimonio: ex dono Stephani Burguod domum, quæ dicitur *la Rozelere*, cum terris & vineis, & aliis rebus ad eam pertinentibus: ex dono Gaufredi Brou. quidquid in censu ejus proprie sive communiter possident: ex dono Simonis Aurre quidquid habebat in terris & vineis, & aliis rebus, terram quoque quam emit Albericus de Sessuns a Guillelmo Binz de Ave, & prata quæ emit a quodam burgense de Bellomonte: ex dono Gaufredi de Lore sextarium fabarum vel frumenti, si fabæ defuerint. Apud Mansclesiam ex dono Fulchemmii de Binun, & Radulphi & Fulconis filiorum ejus, domum de Manselvaria cum omnibus ad eundem locum pertinentibus, E & la *Quallonere* cum terris, pratis, nemoribus ad eam pertinentibus, concedentibus hæc omnibus hominibus Fulchemmii, qui in prædictis partem habebant. Item dictus Fulchemmius & filii ejus concesserunt abbati & fratribus de Stella, ut quidquid in feodo suo præter burgenses suos possent juste acquirere, libera & quieta ab omni consuetudine & exactione seculari cum omnibus supradictis in perpetuum possiderent: item ex dono Radulphi de Torigny decimam panis totius expensæ domus suæ, vel etiam cujuscunque propriis expensis comederit, quam dedit in perpetuam eleemo- A synam domui *de la Manselere*, pro anima fratris Petronillæ uxoris suæ: ex dono Bernardi Lupi omnem decimam quam accipiebat in territorio *de la Manselere & de la Quallonere*: item apud Carreram ex dono Amelini de Hoortes tres minas frumenti & tres seliginis. Omnia ergo prædicta, sicut juste & pacifice possidet præfata ecclesia de Stella confirmamus, districtius sub interminatione anathematis prohibentes, ne aliqua ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam audeat infringere, vel prædictas possessiones, sive bona auferre vel minuere. Quod si quis facere præsumserit, Dei omnipotentis & beati Juliani confessoris, & nostram maledictionem incurrat, & æternæ damnationi subjaceat. Actum anno 1210. ab Incarnatione Domini.

X V I I.

Electio abbatis Stellæ.

Sacræ antiquitatis monumenta tom. 1. pag. 69. *Circa 1214.*

GERVASIUS Dei patientia Præmonstratensis dictus abbas, venerabili in Christo fratri D. abbati de Perreio, salutem & sinceram in Domino charitatem. Venerabilis frater abbas de Stella laborem & dolorem in administratione considerans, quos jam experimento cognoscit, cum multa nos rogavit instantia, ut relaxaremus eum ab onere quod fastidit, & ut efficacius quod postulat assequatur, quasdam causas allegat, quarum intuitu dignum & justum est eum exaudiri. Cum autem hæc abbatis voluntas non lateat fratres loci, illi de successore solliciti, in quandam personam, ut didicimus, unanimiter consenserunt, quem postulant in pastorem. Verum attendentes quod si mulier viro suo vivente postulaverit aliquem in maritum, cum ille decesserit, non potest legitime contrahere cum petito, prout in ecclesiastico jure plenius est expressum, petitioni dictorum fratrum nequaquam censuimus annuendum, ut abbate suo adhuc agente, concedamus eis quem postulant in rectorem. Quia tamen preces eorum nolumus nec omnino repellere, nec penitus exaudire, mittimus vobis tribus clausa sigillis trium nomina personarum, quarum una est persona quæ est a fratribus postulata. Fraternitati igitur vestræ præcipiendo mandamus, quatenus ad locum illum personaliter accedentes, abbatis dimissione suscepta, faciatis in conventu missam de sancto Spiritu solemniter celebrari, & in capitulo postmodum, eodem Spiritu invocato, habeatis in manu tria sigilla prædicta, ut accedens unus e fratribus coram cunctis unum accipiat quodcumque voluerit ex sigillis, & cujus nomen inventum fuerit illo fracto, ille indubitanter & sine refragatione aliqua suscipiatur ab omnibus in abbatem. Facta ergo obedientia ei quem Dominus taliter suscitaverit in rectorem, frangantur & alia sigilla, ut cognitis nominibus aliorum quos Dominus in hac parte videbitur reprobasse, comperiatur a cunctis cum quanta sinceritate processerimus in hoc facto.

X V I I I.

Ordinatio de procurationibus episcopi Carnotensis in ecclesia sancti Salvatoris Blesensis. Ex autogr.

OMnibus præsentes literas inspecturis, Petrus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, in Domino salutem. Noveritis universi nos quasdam literas venerabilis fratris Carnotensis episcopi sigillatas inspexisse sub hac forma. Reginaldus Dei gratia Carnotensis episcopus, omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in omnium Salvatore. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod cum ex officio nostro ad ecclesiam sancti Salvatoris Blesensis causa visitationis accessissemus, attendentes quod instituti ibidem collegii novella plantatio redditibus tenuis & facultatibus non habundans, ut incrementum acciperet, tam 1215.

nostro quam fidelium esset riganda subsidio, eo quòd canonici jam ibidem per triginta annos & amplius divinis insistentes officiis, & ad dotem ecclesiæ propria patrimonia transferentes, quasi propriis stipendiis militarent, misericorditer indulsimus, & præsenti pagina statuimus, ne quis de cetero Carnotensis episcopus, nisi semel in vita sua, procurationem ab ecclesia supradicta recipiat, & etiam ne in illa unica procuratione solvenda enormiter, quod absit, ecclesia læsionem incurrat, procurationem ipsam usque ad summam septem librarum Carnotensis monetæ laxare decrevimus. Ut autem hæc nostra concessio perpetuo robore convalescat, eam ad preces decani & capituli ecclesiæ memoratæ scripto fecimus commendari, & sigilli nostri impressione muniri. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo quinto decimo mense Aprili. Quod autem in prædictis literis verbo ad verbum vidimus contineri, approbamus, & ad petitionem prædicti episcopi, & Ernaudi prædictæ ecclesiæ decani, sigilli nostri munimine confirmamus. Actum Senonis anno gratiæ millesimo ducentesimo sexto decimo mense Junio.

X I X.

Ex autogr. *Literæ Honorii III. contra interfectores H. abbatis Burgimedii.*

1226. HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui ecclesie beate Marie Blesensis ordinis sancti Augustini, salutem & apostolicam benedictionem. Cum ex injuncto nobis apostolatus officio teneamur a Dei ecclesia, prout nobis datum fuerit, omnia scandala removere, ne contagione unius ovis morbide grex Dominicus contaminari valeat, sollicite precavere debemus; hinc est quod ecclesie vestre quieti, quantum cum Deo & honestate possumus, providere volentes, ne aliquis canonicorum illorum, qui pro morte bone memorie H. predecessoris tui, fili abbas, per venerabiles fratres nostros Carnotensem, Cenomanensem & Aurelianensem episcopos auctoritate apostolica ab ipsa ecclesia deliberatione provida sunt amoti, in eandem ulterius admittatis, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XVIII. kalendas Januarii, pontificatus nostri undecimo.

X X.

Ex autogr. *Societas S. Maximini Aurelianensis & Pontis-levii.*

1230. NE labantur cum lapsu temporis gesta mortalium, perennari solent memoria literarum. Hujus siquidem rationis intuitu annotandum scripto decernimus societatem S. Maximini Aurelianensis & Ponti-leviensis ecclesiarum, ordinatam in hunc modum. Quod si abbas alterius ecclesie ad alteram venerit, plenam habeat potestatem culpas corrigendi, & ob culpam suam regulari discipline subditos absolvendi: in obitu vero eorumdem abbatum, tantum faciet Ponti-leviensis ecclesia pro abbate sancti Maximini, quantum pro proprio, & similiter ecclesia sancti Maximini faciet e converso. De monachis autem ita statutum est, ut commune sit eis utriusque ecclesie capitulum, & hinc inde suscipiantur, non tamquam hospites, sed tamquam proprii monachi & professi. Si vero quandoque contigerit occasione alicujus scandali monachos alterius ecclesie transire ad alteram, non pro fugitivis, sed tamquam professis & propriis habeantur ibidem viventes regulariter, donec ecclesie & abbatis sui gratia reparentur, nisi tam enormis eorum excessus & crimen tam notorium & manifestum fuerit propter quod a proprio monasterio debeant expelli. In obitu autem monachorum cum eorum obitus ab altera ecclesia alteri fuerit nuntiatus, commune fiat servitium in conventu, & unusquisque sacerdotum unam missam celebrabit, & clerici, qui sacerdotes non fuerint quinquaginta psalmos, laïci quinquagies *Pater noster*. Preterea Ponti-leviensis ecclesia singulis annis mittat breve apud sanctum Maximinum in crastino festivitatis beati Maximini, ubi prius fiat in conventu solemne servitium & missarum subsequetur triennale, similiter & ecclesia sancti Maximini mittet breve suum apud Ponti-leviensem ecclesiam in crastino Assumptionis beate Marie virginis. De instantibus autem decretum est, ut cum abbas alterius ecclesie ad alteram accesserit, licebit ei quemlibet in stallum ponere, si viderit expedire. Actum anno Domini 1230. mense Junio, ecclesie sancti Maximini tunc temporis abbate Francone, & Ponti-leviensis ecclesie Mattheo.

X X I.

Albericus episcopus Carnotensis ordinat de cura animarum Blesensium. Ex tabulario Burgimedii.

OMnibus præsentes literas inspecturis, M. miseratione divina Carnotensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis nos literas quasdam sigillo bonæ memoriæ Alberici quondam episcopi Carnotensis sigillatas vidisse in hæc verba: Universis præsentes literas inspecturis, Albericus divina miseratione Carnotensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod cum nos ex debito officii pastoralis in partibus Blesensibus visitationis officio fungeremur, intelleximus a fide dignis curam animarum canonicorum, capellanorum & clericorum sancti Salvatoris Blesensis, & familiarum suarum, nulli personæ a prædecessoribus nostris, nec a nobis fuisse commissam, propter quod non modica pericula in hoc dubio sæpius imminebant. Quare dictum capitulum coram nobis evocantes, & alios etiam quos vidimus super his evocandos, inquisivimus & inquiri fecimus diligenter veritatem: cumque inventum fuisset processum a nobis quod non remanebat, nisi quod sententiam super præmissis diffinitivam proferremus, supplicaverunt nobis tam dictum capitulum, quam etiam quidam priores & presbyteri parochiales Blesis commorantes, quod nos de dicta cura ordinaremus secundum quod saluti animarum & ecclesiæ sancti Salvatoris, quæ quia novella est plantatio, expediens videremus & honestum. Nos autem cum bonis viris & cum majoribus ecclesiæ nostræ Carnotensis super hiis habita diligenti deliberatione & tractatu, de assensu venerabilis viri & fidelis H. archidiaconi Blesensis, usum super hujusmodi jure parochiali habitum invenientes unum certum, taliter super præmissis ordinamus. Cura siquidem animarum omnium canonicorum sancti Salvatoris, capellanorum & omnium ibidem beneficia obtinentium, & eorum qui postmodum in eadem ecclesia de novo creata beneficia obtinebunt, infra banleugam Blesensem commorantium, ad decanum dictæ ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, pertinebit. Cura autem animarum clericorum vel aliorum in toto castro Blesensi superiori circa ecclesiam sancti Salvatoris Blesensis & inferius in decem domibus, si ibi manserint canonici vel alii beneficiati, a posterna de sub sancto Carilepho, sicut protenditur juxta muros dicti castri, usque ad ecclesiam sancti Martini, & in magno vico ex parte dicti castri, sicut itur ad vicum, qui Britonaria nuncupatur, ad capellanum S. Salvatoris Blesensis de cetero pertinebit, & de ipsa cura, sicut alii curati, investietur. Ceterum cura animarum simplicium clericorum sancti Salvatoris Blesensis, & familiarum, tam suarum quam omnium prædictorum extra castrum superius & decem domos inferiores antedictas existentium, ad priores & presbyteros Blesenses pertinebit, prout in parochiis eorum morabuntur. In cujus rei testimonium 1241.

testimonium & munimen præsentes conscribi fecimus, & sigilli nostri impressione muniri. Datum anno Domini 1241. mense Julio. Quod autem vidimus hoc testificamur. Datum anno Domini 1252. mense Julio.

XXII.

Ex autogr. *Innocentius papa IV. ecclesiam Romanam S. Priscæ monachis Vindocinensibus vindicat.*

1244. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monasterii Vindocinensis, Carnotensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut indemnitati vestri monasterii misericorditer præcaventes, ne propter hoc quod monachos vestros ab ecclesia S. Priscæ de Urbe, eo quod Romani aëris intemperies non poterant sustinere, felicis recordationis Honorius papa prædecessor noster ad dictum monasterium ad tempus duxerit remittendos, possit vobis in posterum aliquod præjudicium generari, indulgere vobis misericorditer dignaremur. Nos igitur vestræ devotionis precibus inclinati adinstar ejusdem, necnon Gregorii, Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, præsentium auctoritate vobis concedimus postulata. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Sane si quis hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni v. idus Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

XXIII.

Ex chartul. *Bulla Innocentii IV. pro monachis S. Launomari.*

1245. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii sancti Launomari Blesensis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Launomari Blesensis, Carnotensis diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Carnotensi ecclesiam sancti Petri cum appenditiis suis, ecclesiam villæ Franconis cum decimis & pertinentiis suis, villam de Broilo cum silva, capella & ceteris appenditiis, villam Lamei cum appenditiis suis, ecclesiam S. Nicolai, capellam sancti Georgii de Brochis, villam Leosanii cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Medardi, ecclesiam de Musteriolo, ecclesiam sancti Saturnini cum appenditiis suis, ecclesiam Madonis, ecclesiam de Caudiaco cum parte ipsius villæ, cum piscariis in Beuvrone & Cursione fluviolis, ceterisque pertinentiis, ecclesiam Monstelli cum appenditiis suis, villam Fagiani cum servis & an-

A cillis, cum nemoribus & ceteris ei pertinentibus. In pago Vindocinensi Campaniacum villam cum ecclesia & appenditiis suis, Petriniacum villam cum ecclesia & ceteris ei pertinentibus, villam Genardi cum appenditiis suis, ecclesiam sancti Johannis de villa Ulca, ecclesiam sanctæ Mariæ de Silva longa, cum capella Montis-Fauni & parte nemoris, quam vobis dedit Adela comitissa pro anima Stephani comitis, & sua & filiorum, Semei villam cum ecclesia & ceteris appenditiis, Macerias villam cum appenditiis suis, Valerias villam & alodum cum appenditiis suis, ecclesiam villæ in Podio cum appenditiis suis, ecclesiam S. Opportunæ cum capella Fulmantelli, cum appenditiis suis, ecclesiam sancti Medardi cum burgo & ceteris appenditiis, cellam sancti Juliani de Duiaco cum omnibus appen-
B ditiis suis, ecclesiam villæ Langæ, ecclesiam Altolii. In episcopatu Aurelianensi ecclesiam Bruelli. In civitate Carnotensi ecclesiam sancti Michaelis cum burgis, villis & omnibus appenditiis suis, Auriacum villam cum capella & ceteris appenditiis suis. In pago Dorcassino cellam Curbionis cum ecclesia, burgo & ceteris appenditiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Monte-Araudi, ecclesiam sancti Germani de Regimalastro cum appenditiis suis, ecclesiam de Dorcello cum pertinentiis suis, ecclesiam de Caudato cum capella Riveriaci oppidi, & pertinentiis suis, ecclesiam de Bertuncellis cum appenditiis suis, ecclesiam sancti Clarii cum capella vallis Pilonis & ceteris appenditiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Fonte, villam Passus cum ecclesia & ceteris appenditiis suis, ecclesiam de Condancello cum capella Vil-
C leriaci oppidi & appenditiis suis, ecclesiam de Mano, ecclesiam de Biso, villam sancti Angeli cum ecclesia & appenditiis suis, Blesivicum cum ecclesia & appenditiis suis, Lupivillare cum ecclesia & appenditiis suis, Villam novam cum appenditiis suis, ecclesiam sancti Martini de Loviis cum appenditiis suis, villam Illau cum ecclesia & appenditiis suis. In episcopatu Ebroicensi Drosincum villam cum appenditiis suis, cellam sancti Sulpicii juxta Aquilam oppidum positam, cum tota ejus decima in mercatis, censibus & furnis, molendinis, nemoribus, pecoribus & ceteris appenditiis, ecclesiam sancti Martini, sancti Michaelis, S. Martini de Rayo, ecclesiam sancti Martini de Oculata, sancti Leodegarii cum pertinentiis suis. In episcopatu Cenomanensi villam Seliacum cum ecclesia sancti Petri de
D Ferciaco, cellam sanctæ Mariæ de Mamerto cum pertinentiis suis. In episcopatu Sagiensi sancti Martini cum villa & pertinentiis suis, sancti Petri de Corsvaldo cum pertinentiis suis, & sancti Petri de Bruerolis ecclesias cum pertinentiis suis. In episcopatu Parisiensi Unciacum villam cum appenditiis suis. In episcopatu Senonico villam Masiam cum appenditiis suis, Nisivillam cum appenditiis suis, cellam sancti Martini de Monsterolo cum pertinentiis suis. In episcopatu Claromontensi cellam sancti Launomari de Magenciaco cum ecclesiis, villis & omnibus pertinentiis suis. Sane novalium, quæ propriis manibus aut sumtibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis
E clericos vel laïcos liberos & absolutos a seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit,

& gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ A sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi & vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconibus seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis, a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus ecclesiarum B vestrarum spectantes, quæ a laïcis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. C Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ authoritate, & diœcesanorum episcoporum canonica justitia, ac in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur D in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus.

Ego Petrus titulo S. Marcelli presbyter cardinalis. E

Ego Guillelmus basilicæ duodecim apostolorum presbyter cardinalis.

Ego frater Johannes titulo S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis.

Ego frater Hugo titulo S. Sabinæ presb. cardinalis.

Ego Oto Portuensis & sanctæ Rufinæ episcopus.

Ego Petrus Albanensis episcopus.

Ego Guillelmus Sabinensis episcopus.

Ego Odo Tusculanus episcopus.

Ego Egidius sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis.

Ego Goffridus sancti Adriani diaconus cardinalis.

Ego Petrus sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis.

Ego Johannes sancti Nicolai in Carcere Tullianensi diaconus cardinalis.

Ego Guillelmus sancti Eustachii diaconus cardinalis.

Datum Lugduni per manum magistri Marini sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii XII. calendas Aprilis, indictione II. anno Dominicæ Incarnationis M. CCXLV. pontificatus vero domni Innocentii papæ quarti anno secundo.

XXIV.

Fundatio Custodiæ beatæ Mariæ apud Guichiam.

GIE Jehan de Chasteillon cuens de Blois & sires d'Avesnes, faz ascavoir à tos ceux qui verront 1277. cestes presentes lettres, que gie de l'assentement & de la bonne voulenté ma chiere compaigne Aalixe contesse de Blois, & dame d'Avesnes, por Dieu & por Nostre-Dame, & à la loange de leur nom, por le remede de noz ames & de nos anceisseurs, ay donné & octroyé, & doing & octroy en pure & perdurable aumosne au leu & as dames qui seront ou lieu, ou quel nous avons commencié à fonder en l'enneur de Dieu & de Nostre-Dame, & à la loange de leur nom, une abbaye de religieuses dames de saint Damien, la quelle abbaye est & sera appellée la Garde Nostre-Dame, assise & fondée ou lieu, qui est appellé la Guische, entre Chousy & Colenges, en l'eveschié de Chartres, lequel lieu gie leur ay amorty & le leur amortiz, une grange que ge ay en Blemarz, qui est appellée la Tumbe, o totes les appartenances & le terroir d'icelle grange, quelles quelles soient, soit en terres gueegnables, en fresches, en noes, en prez, en nues & en otres choses quels quels soient. Et doing & octroy ovecques à laditte abbaye, une grange assise ou dit terreau de la Tumbe, ovec tot le terroir de celle grange, ovec tos les quars & tote la droiture appartenant aux quars qui sont accoustumé à venir en ladite grange, à avoir & à poursoir à tosiours, mais perdurablement, nuement, absolument & franchement desdites dames, & de leur certain commandement, o totes les choses dessus dittes. Et est à savoir que les granges devant dittes, & totes les appartenances, si comme elles sont conteniies par dessus, gie assise as dittes dames par principau fondement de laditte abbaye, & totes les autres choses qui sont conteniies en ceste presente lettre, & assie as dittes dames los dittes granges o les appartenances du pris de quatre cens livres de rente à Tournois. Et s'il avenoit ou temps qui est à venir, que les dittes granges ou leurs appartenances vaussissent moins ou plus, gie voil que gie ne my hoir y puisson riens demander dou plus, ne ne soions tenus à parfaire le mains. Et doing & octroy as dittes dames en nom de la ditte abbaye à tozjouzmes perdurablement, dous cens livres de rente de la monnoye courant à Blois, à prendre & avoir chacun an à tozjouzmais des dittes dames ou de leur certain commandement, sur mes rentes de mon port de Blois, & sur le tonli de ma ville de Blois à dous termes. C'est à savoir cent livres à la nativité de nostre Seigneur, & cent livres à la nativité saint Jean-Baptiste par la main de celuy ou de ceux qui por le temps recevront les dittes rentes dou port & dou tonli, & sue mes autres plus cleres rentes de ma contée de Blois, se les rentes dou port & dou tonli ne suffisoient à ce payer. Et doing & octroy as dittes dames ou nom de ladite abbaye, ma grange d'Origni, & en totes les appartenances dessus nomées, & ès terres qui de moi sont tenues en quart ou dit terroer. Et doing & octroy as dittes dames ou nom de ladite abbaye, deux arpens de prez ou environ que gie ay en la riviere de Chozy, qui furent feu Thomas du Bois. Et doing & octroy as dittes dames ou nom de ladite abbaye, les vignes dou terroër d'Ásnieres, qui furent feu Guillaume Hoatras qui m'escheirent des enfans au dit Guillaume morts aubaines & sans hoir, à tenir, à avoir, à porsoir & à exploictier o totes les autres choses dessus dittes à leur domaine à tozjouzmais

paisiblement, comme leur propre chose. Et doing & octroy as dittes dames ou nom de ladite abbaye, ma maison qui est assise lez saint Lubin, qui fut Michel du Pois, que l'en appelle Lauberoye, o toi le terroer, & o totes les appartenances d'icelle quelles quelles soient, & comment quelles soient appellées. Et trois estangs qui furent feu Raoul du Pont chevallier, assis entre Pomeroy & saint Lubin, o totes les appartenances desdits estancs quelques quelques soient & comment quelles soient appellées, à avoir, à tenir & à porsouir des dittes dames ou nom de la dite abbaye à toziozmais quittement & paisiblement. Et doing & octroy as dittes dames ou nom de ladite abbaye en tous les dits lieux, la joustice dou fons de la terre, & des muebles & des chastex, & de mellée sans sang & sanz mehain: retenu à moy & à mes hoirs le gaige de bataille, s'il avenoit es devans diz cas: & retenu à moy & à mes hoirs tote otre maniere de justice en haute & basse quelle quelle soit, & le ressort & la garde de totes les choses sus dittes, & chacune par soy que gie leur ay données, sauf à moy & à mes hoirs totes les retenues dessus dittes gie amortiz as dittes dames ou nom de la ditte abbaye, & voil & octroy que s'il apparoissoit ou temps qui est à venir, que gie n'eusse pas à droit à donner les choses dessus dittes, ou aucunes d'icelles, & que il convienist que les dittes religieuses dames les perdissent, ou en tot ou en partie, que gie & mes hoirs soyons tenus à leur rendre & à leur restorer terre & rente à la vallue de ce quelles perdroient, & qu'il apparoistroit que gie ne leur pourrois avoir donné. Et ovecques les choses dessus dittes, gie doing as dittes dames religieuses ou nom de ladite abbaye, mille livres de Parisis por acheter rentes ou terres en mes fiefs ou en mes rerefiefs ou ailleurs, la où elles cuideront bien faire; & voil & octroy à celles religieuses que la rente ou la terre quelles en acheteront ou acquereront de totes les mile livres ou de partie d'icelles, qu'il leur loise à tenir, & quelles tiengent icelle rente ou terre à toziorzmais paisiblement ovecques les autres rentes & choses dessus dittes que gie leur ay données. Et de ce gie charge mes hoirs & voil quils en demeurgent chargiez à toziorzmais & mes successeurs, que s'ils soustiengent & souffrent, & soient tenuz à souffrir & à soustenir quelles tiengent icelles rentes & terres à toziorzmais paisiblement en leur main & en leur domaine, quand elles les auront acquises de la ditte somme d'argent ou de partie dicelle, & que il ne puissent requerre les dittes dames ne elles forcier & ne faire quelles mettent hors de leur main l'acquest dessus dit, quand il sera fait, soit en mes fiefs ou en mes rerefiefs, ou en mes censives. En sur que tot gie doing & octroy à toziorzmais perdurablement as dittes dames ou nom de ladite abbaye, usage por elles chauffer & por leur forz de l'abbaye en ma forest de Blois és plus aisées mestres par elles, qui feront en ladite forest. Et leur octroy & doing en la ditte forest le pasturage de six vingts bestes, exceptées chevres & brebis. Et leur doing & octroy le pasnage à leurs porcs, quand il sera en ladite forest. Et doing & octroy as dittes dames à toziorzmais perdurablement, l'usage por edifier & por les edifices respareillier & soutenir, en quelque lieu qu'ils soient en ma forest de Bouloigne. Et voil & octroy, & commant que lesdites dames ou leur certain commandement ayent les devant diz usages, si cum il est cy dessus divisé à toziorzmais perdurablement, absolument & paisiblement. Et voil & commant en fondant ladite abbaye quil ny puisse avoir ne estre reçües que quatre vingts dames tant seulement. Et voil qu'il y en ait tant, sauf ce quelles pourront avoir proueres, & cleres & gens necessaires à elles servir & à leurs besongnes faire & procurer. Et retiens à moy & à mes hoirs qui seront contes de Blois, en fondant la ditte abbaye que gie & qui comte de Blois sera, puisson mettre dames en l'abbaye dessus dite, toutes fois qu'il nous plaira, en telle maniere que elles ne

A surmonte pas le nombre dessus dit. Et retiens à moy, à ladite contesse & à mes hoirs qui seront comtes de Blois, & à leurs femmes, que nous puissions aller & entrer en la ditte abbaye, totes fois qu'il nous plaira, chacun de nous soy diziesme tant seulement. Et pour que oy lieux dessus dit soit plus amez de mes hoirs, gie ay esleu & esliz en present ma sepulture ou dit lieu de la ditte abbaye. Et voil que s'il arrivoit que ma volenté fut de ma sepulture eslire ailleurs, & que gie jeusse ailleurs; que pour ce les dons & les largesses dessus dittes que je faz as dittes religieuses, n'ayent pas moins de vertu, ne que elles en soient de rien rappellées ne appetissées, aincois durgent & ayent fermeté à toziors. Et à faire & accomplir totes les choses dessus dittes, tenir & garder ensemble & chascune par soy, si
B cum elles sont dessus devisées fermement & loyaument sans venir encontre par moy ne par autre, gie lie & oblige à toziorzmais perdurablement moy & mes hoirs & mes successeurs, & toz mes biens en quelque lieu quils soient. Et que ce soit ferme & stable, gie & la ditte contesse avons donné au dit lieu & as devant dittes dames ou nom de ladite abbaye, cetes presentes lettres scellées de nos seaux. Ce fut fait en l'an de l'Incarnation notre Seigneur mil dous cens sexante & dix & sept ou mois de Mars le Mercredi après les octobes des Brandons.

XXV.

Sententia synodi Senonensis adversus Johannem de Ambasia. *Ex chartul. Pontilev.*

C GILO miseratione divina archiepiscopus Senonensis, Renodus Parisiensis, Guillelmus Autissiodorensis, Johannes Meldensis, Johannes Trecensis, & Gilo Nivernensis ejusdem gratia episcopi, totumque provinciale concilium Senonense, sede Aurelianensi vacante, venerabili in Christo fratri Simoni Dei gratia episcopo Carnotensi, salutem & sinceram in Domino caritatem. Gravem religiosorum virorum abbatis & conventus beatæ Mariæ de Pontilevio ordinis beati Benedicti, Carnotensis diœcesis, nunc & alias recepimus querimoniam, quod Johannes dominus de Ambazia & de Calvo monte, Carnotensis diœcesis, quam plurimas violentias, injurias manifestas, ac damna gravia intulit, Dei timore postposito, ac etiam irrogavit, & 1280.
D adhuc non cessat dampnabilius irrogare abbati & conventui prædictis, ac rebus monasterii prænotati, propter quas violentias, injurias sacrilegas, in personas & res præfati monasterii commissas, a venerabili viro archidiacono Blesensi in ecclesia Carnotensi judice ordinario ejusdem loci fuit in judicium evocatus ad instantiam eorumdem religiosorum, & cum mandato dicti archidiaconi & monitioni ejusdem canonice factæ nollet obedire, fuit sua contumacia exigente, & adhuc est excommunicationis vinculo canonice innodatus, prout in actis coram eodem archidiacono confectis plenius continetur. Verum cum ipsius domini perversa rabies non cessaret, peccatum peccato, malitiam malitiæ cumulando, super violentiis & injuriis postmodum personis & monasterio prædictis ab eodem irrogatis & illatis fuit
E ad judicium evocatus ad instantiam eorumdem religiosorum coram venerabilibus viris decano & capitulo Carnotensis ecclesiæ, sede vacante, qui quidem decanus & capitulum excommunicationis sententiam, certis ex causis, & sua inobedientia exigente, in eundem dominum promulgaverunt, prout in actis coram eisdem decano & capitulo confectis plenius continetur, quas quidem sententias idem dominus, Deum non habens præ oculis, vilipendens, ad emendam venire recusavir, & adhuc pertinaciter recusat, animo indurato claves sanctæ matris ecclesiæ contempnendo, propter quæ dicti archidiaconus, decanus, & capitulum judices ordinarii dicti loci aggravando sententias prædictas, familiam suam & terram suam Carnotensis diœcesis supposuerunt

ecclesiastico interdicto, quas more solito vilipendens, A eas sustinuit diutius, & adhuc sustinet animo indurato, & quia crescente contumacia, crescere debebat & pœna, corpus Christi de terra sua Carnotensis diœcesis fuit amotum de mandato decani & capituli prædictorum, justitia exigente. Porro cum dictus dominus Deum non habendo præ oculis, sententias hujusmodi jam sustinuerit per quadriennium & amplius animo indurato, & adhuc sustinet, quod quidem non caret scrupulo hæreticæ pravitatis, vobis auctoritate prædicti concilii mandamus, quatinus moneatis canonice dictum dominum, ut infra mensem a tempore vestræ monitionis absolutionis beneficium postulet, & commissa emendet, & de eis satisfaciat, ac obtineat se absolvi redeundo ad gremium sanctæ matris ecclesiæ, prout forma ecclesiæ hæc requirit. Quod si hæc facere con- B tempserit, ex tunc citetis eum personaliter coram vobis super fide & articulis fidei vobis loco nostri sufficienter responsurum, & contra eum processurum, prout postulaverit ordo juris: vobis enim quantum ad omnia præmissa & singula dictum negotium contingentia committimus vices nostras, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam auctoritate dicti concilii firmiter observari. In quorum testimonium ad requisitionem præfati concilii sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum & actum Senonis in nostro provinciali concilio anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo die Mercurii post festum sancti Michaelis Archangeli.

XXVI.

Fundatio Guichiæ.

1280. A tous ceux qui verront ces presentes lettres, le baillyf de Blois, salut. Sçachent tous que nous avons veu & diligemment regardé une lettre saine & entiere & sans corruption nulle, scellée du scel homme de bonne memoire, Jehan de Chastillon cuens de Blois & sires d'Avesnes, contenant mot à mot la fourme qui s'ensuit: Gie Jehan de Chastillon cuens de Blois & sires d'Avesnes fait assavoir à tous ceux qui verront ces presentes lettres, que comme gie ol assentement de ma chere compagne Aalis comtesse de Blois & dames d'Avesnes, aie commancé à funder en l'honneur de Dieu & de Notre Dame, une abbaye de religieuses dames de saint Damien, laquelle est & sera appellée D Notre Dame de la Garde, & aye en la dicte abbaye & à religieuses dames qui seront en la dicte abbaye, donné & octroyé plusieurs biens & plusieurs choses, si cum il est contenu ès lettres que gie ja donné aux dictes dames religieuses & à l'abbaye, gie voil & octroye & dons à dictes dames ou nom de l'abbaye, en tous les dicts lieux, la jouissance du fons de la terre, & des meubles, & des chateaux, & de meslée sans sans & sans mehaing; & vuil que les dictes dames en nom de ladite abbaye, tiengent & ayent pardurablement & pesiblement tous les lieux & toutes les choses dessus dictes, & la justice desdits lieux en cas que sont nommée, & vuil que nul austre lettre leur puisse nuire, quelles n'ayent & tiengent ès dict leus la justice, comme dessus dict. En tesmoings de la quelle chose que E ce soit ferme & stable, gie ja donné de ce à dictes religieuses dames cette presente lettre scellé de mon seau, & fut fait en l'an de l'Incarnation de notre Seigneur Jesus Christ mil deux cens quatre vingt, à Chambourg le Jeudy après la feste saint Philippe & saint Jacques. Et nous baillif dessus dit avons fait sceller ces presentes videsse, du scel de ladite chastellenie de Blois, l'an de grace mil trois cens cinquante & un, le Dimanche au jour de saint Jacques & saint Philippe.

1282. Gie Aëlis contesse de Blois fais assavoir à tous ceux qui verront ces presentes lettres, que j'ay pour l'amour mon cher fils, fils Pierre, fils du roy de France, conte d'Alençon & de Blois, & ma chere fille Jehanne contesse de ces mesmes lieux, & pour le bien de l'abbaye que mon cher seigneur Jehan de Chastillon conte jadis de Blois, & que avons fondée en Blesois ou lieu qui est appellé la Guiche. Voil & outroy que gie & avec ensemble aigens la garde & la seigneurie des biens & des personnes qui seront en la dicte abbaye, & que nous y mettons dames de commun assentement, tant comme je vivere tant seulement, & ny aura nulles dames mises ne receus de par nous, selles ne sont gentils femmes, née des terres du domaine ou des fiefs au devant del mon seigneur le comte, se ce n'est de notre commun assentement. En tesmoins de la quelle chose, je ay donné as devant dis mon fils & ma fille ces presentes lettres scellé de mon seau, ce fut donné le Dimanche empres la saint Pierre, entrant en Aost, en l'an de notre Seigneur mil deux cens quatre vingt & deux. *Non signé. Scellé de cire jaulne sub double queue.*

Nous Jehenne contesse d'Alençon, de Blois & de Chartres, & dame de Avesnes & de Guise, faisons assavoir à tous ceux qui verront ces presentes lettres, 1285. que comme notre chier sires & pere Jehen de Chasteyllon jadis conte de Blois, eut commencié à fonder & fondée une abbaie de l'ordre des sereurs monseigneur saint Francois, en sa terre de Blesois, en la parroisse de Chozi, en l'eveschié de Chartres, en un leu qui est appellée la Guiche, la quelle abbaie est & sera apelée la Garde Notre Dame, & ledit notre chier pere C au tens que il vivoit, & notre dame Aaliz notre chiere dame & mere, & nous eussions requis au non de la dite abbaye à très saintisme pere & seigneur Martin, par la grace de Dieu jadis souverein evesque, que il pleust à sa saintetée de establir ou faire establir le maustier des devant dames, & leur ostraier profession de au telle reugle comme les dames de le humilité N. D. de les saint Cloouft en l'eveschié de Paris font, & de faire le dit moustier & les personnes qui y appartendront, exemptes de toute juridicion de tout ordinaire, en retenant à lui & à la sainte eglise de Rome, certaine censse en signe de especial subjection, & le dit saint pere eust mandé à retondable pere en notre Seigneur, Jehan, par la grace de Dieu du titre de sainte Cecile prestre, cardinal & legat en France, que il accomplit les devant dites trois choses de sa authorité faire; premierement satisfaction à l'eglise de Chartres du proufit temporel, nous faisons assavoir à tous que oie & entendue la volonté & la grace le devant dit notre seigneur le pape, & son commandement fait & recue du devant dit notre pere le cardinal legat, avons fait satisfaction à notre pere en Dieu l'evesque de Chartres ou non de l'eglise de Chartres, du proufit temporel selon le mandement du devant dit notre seigneur le pape, & donnons, & ostroions & assenons audit evesque, ou non de la dite eglise, pour le dit proufit temporel, diz livres de anuel rente de la monnoie courant à Chartres, à prendre & à avoir à toujours mes perdurablement du dit evesque & de ses successeurs, ou non de de la dite eglise, les diz livres de rente, cens amortiz de nous, de nos hors & de nos successeurs, & promettons que nous, ne nos hors, ne nos successeurs ne empecherons, ne ne ferons empeschier que les devant diz diz livres de rente ne soient paié au devant dit evesque & ses successeurs, chacun an, si comme il est desus dit; & se il avenoit que les dits dix livres soient paié à celui qui sera fait evesque de Chartres, de tout le tens que ils auroient demouré à etre paié ou siege vacant; & se il avenoit en aucun tens que notre partie du devant dit tonlui ne souffisist au devant dit diz livres payer, nous obligions nous, & nos hers, & nos successeurs, & tous nos biens de notre contée de Chartres, à parfaire les devant dis diz livres de rente, & voulons que se celui qui recevra la rente dudit tonlui,

etoit en defaute de payer au dit evesque les devant dis diz livres de rente chacun an, nous voulons que pour toutes les journées qui sera en defaute de paier, que li diz evesques en puisse lever diz s. de peine chacun jour, & tout ce nous avons donné & oĉtreié au dit evesque pour son assentement que il a donné à l'exemption & aux graces desus dites, & à toutes les choses devant dites, si comme il est dessus devisé faire & acomplir, nous lions & obligions nous, & nos hers, & nos successeurs, & tous nos biens, & especialement les biens de notre contée de Chartres, & les prometons à garantir & à deffendre encontre tous. En tesmoing de la quel chose nous avons donné au devant dit evesque & à ses successeurs, ces presentes lettres scellées de notre seel. Ce fut donné à Quarcassonne en l'an de l'Incarnation notre Seigneur mil deux cens quatrevins & cinc, le Lundi après les octieves de Penthecouste.

XXVII.

Ex autogr.

Bulla Honorii IV. pro Stella.

1287. HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monasterii de Stella Premonstratensis ordinis, salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta R. E. devotos & humiles filios ex assuete pietatis affectu diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis graventur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & monasterium vestrum cum omnibus bonis que inpresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, prestante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Auton & sancti Medardi de Lokenes ecclesias cum capella de Maisoncelles a bone memorie R. Carnotensi & W. Cenomanensi episcopis, de capitulorum suorum assensu pia vobis liberalitate concessas, sicut in literis eorumdem didicimus contineri. Ex dono Balduini de Rupibus, tertiam partem bladi & vini de Maisoncelles & Chavegnes. Ex dono Alberici de Bessons, terram que vocatur Losmenil, sicut Willelmus de Brie possidebat. Ex dono Johannis domini de Montorio, quatuor libras & dimidiam annui redditus in domo fori de Montorio. Ex dono Johannis comitis Vindocinensis & Johannis de Ambasia, terram que est inter viam que de capella de Haiis ducit in Gastinam & vallem Belucem, & inter viam que de B. Georgio ducit ad rupem Perdriel, & terram Petri de Turrae cum nemore quod infra metas continetur. Ex dono Galterii de Plessëio, terram de Copepie liberam, sicut ipsam possidebat. Ex dono Bomerii de Lavardin, vineas, & roccam, & plateam ante roccam. Ex dono Supplicii domini Ambasie, duos modios vini legitimi in decima sancti Cyriaci. Ex dono Ludovici comitis Blesensis, unum burgensem in civitate Carnotensi. Ex dono Bartholomei de Tori, unum sextarium frumenti in tractu decime de Tori. De dono Oddonis de sancto Amando, quatuor sextarios siliginis in decima sua de la Jarrie Terrici, & in decima de Oroer quinque sextarios ex dono uxoris sue, & matris ejus, & filiorum suorum. Ex dono Willelmi de Lomes, unum sextarium frumenti, & alterum siliginis in decima de Lomes. Ex dono Johannis de Brueria, unam domum ad Troo, liberam ab omni exactione seculari. Ex dono Gaufridi Castridunensis vicecomitis, unum burgensem apud Castridunum, liberum ab omni exactione seculari. Ex dono Hamelini de Roorta, tres minas frumenti & tres siliginis in gaegneria de Roorta. Ex dono Johannis comitis Vindocinensis, unum modium frumenti in redditu de Fontana, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, & nostram se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum XVII. kal. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

XXVIII.

Bulla Nicolai IV. pro Guichia. Ex autogr.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Juliane abbatisse monasterii, quod Custodia beate Marie virginis nuncupatur, siti in territorio Blesensi, ejusdemque sororibus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in . . . . Olim dilectus filius noster titulo S. Cecilie presbyter cardinalis, in regno Francie apostolice sedis legatus, apostolici auctoritate mandati super hoc specialiter sibi directi monasterium vestrum, quod quondam Johannes de Castellione, dum viveret comes, & dilecta in Christo filia nobilis mulier Ælidis vidua relicta ipsius comitissa Blesensis in fundo proprio de diocesani consensu propriis construxerat sumptibus, cumque de bonis suis certos annuos redditus deputaverant, satisfacto primitus Carnotensi ecclesie de temporali commodo, quod si dictum monasterium remansisset ecclesie ipsi subjectum, eidem ecclesie proveniret, ac per venerabilem fratrem nostrum Carnotensem episcopum satisfactione hujusmodi acceptata, cum personis, juribus & pertinentiis suis in jus & proprietatem beati Petri recipiens illud, a subjectione quorumlibet ordinariorum, ut nulli nisi apostolice sedi subjaceret, exemit, statuens annuum censum unius uncie eidem sedi a dicto monasterio persolvendum, & in eo pensatis ipsius facultatibus centum sororum collegium ordinavit, ac eis & eidem monasterio te, filia Juliana, tunc sororem monasterii Humilitatis B. M. V. siti juxta Parisius, in abbatissam preficiens, regulam quam sorores ejusdem monasterii Humilitatis beate Marie virginis servasse noscuntur, olim per felicis recordationis Martinum P. P. predecessorem nostrum, dum adhuc esset in minori officio constitutus, de apostolico mandato correctam, vobis tradidit, tam a vobis quam ab omnibus aliis que in eodem monasterio vobis successerint in perpetuum observandam. Licet autem nos quod in premissis ab eodem legato factum extitit ratum & gratum habentes, illud per alias nostras sub certa forma literas duxerimus confirmandum; volentes tamen circa hoc vobis & dicto vestro monasterio & specialius & plenius providere, de apostolice plenitudine potestatis ipsum monasterium vestrum cum conventu & omnibus personis que ibidem divino sunt obsequio mancipate, ac infra ipsius monasterii septa constructis, & universis pertinentiis eorumdem in jus & proprietatem ejusdem beati Petri & predicte sedis suscepimus illud, ab omni jurisdictione, potestate & dominio, tam episcopi Carnotensis, in cujus dioceси monasterium ipsum situm est, & archiepiscopi Senonensis metropolitani ejusdem, & capitulorum suorum, quam cujuslibet alterius prelati, seu ecclesiastice secularisve persone totaliter perpetuo ex certa scientia eximentes, ita quod nec iidem archiepiscopus & episcopus, nec quevis alia persona ipsum utpote prorsus exemptum & ecclesie Romane immediate subjectum, nec personas inibi Domino famulantes, interdicere, suspendere vel excommunicare valeant, seu quocumque modo alio in prefatum monasterium vestrum, vel personas ipsius potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere; ac decernentes ut hujusmodi exemptio taliter per nos facta, & alia omnia in privilegio presenti contenta plenius robur obtineant firmitatis, etiamsi de predictis que ab eodem legato, ut premittitur, acta sunt, neque predicte confirmationis litere, neque alia quevis scriptura seu probatio apparerent. Statuimus insuper ut ordo monasticus, qui 1288.

secundum Deum & predictam regulam Humilitatis B. Marie virginis in eodem monasterio vestro institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium vestrum inpresentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poteritis adipisci, firma vobis & eis que in eodem monasterio vobis successerint, & illibata permaneant; in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, ex dono prefati comitis. Annuum redditum ducentarum librarum Turonensium, quem percipitis in portu Blesensi, & aliis redditibus comitatus Blesensis. Grangiam in Blemars, que Tumba vulgariter appellatur, & aliam grangiam sitam in territorio dicte Tumbe, cum pertinentiis suis. Grangiam de Origny cum pertinentiis & appenditiis suis. Duo arpenta prati sita juxta vicum de Chousi, que fuerunt quondam Thome de Bosco, in territorio de Asnieres. Vineas que fuerunt quondam Guillelmi Goatras. Domum, terras, possessiones, & quicquid juris habetis in territorio, quod dicitur Laubarois. Tria stagna aquarum, que fuerunt quondam Radulphi de Ponte militis, sita inter Pomeroy & sanctum Leobinum, cum omnibus pertinentiis & appenditiis eorumdem. In foresta de Blesis, sita juxta prefatum monasterium, usum incidendi & faciendi incidi ligna vestris usibus opportuna, & in eadem foresta usum pascuorum pro bestiis & animalibus vestris. In foresta, que Boloigne vulgariter appellatur, usum incidendi ligna ad edificandum & reficiendum domos & officinas vobis & eidem monasterio opportunas, & alias possessiones, redditus & quicquid juris in predicta diecesi Carnotensi dictum monasterium vestrum noscitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas a seculo fugientes, ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in eodem monasterio professionem, fas sit de eodem loco discedere, discedentem vero nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes ne terras, seu quodlibet beneficium vobis seu vestro monasterio collatum, liceat alicui personaliter dari seu alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis aliquo modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus exhibeat. Alioquin liceat vobis nostra auctoritate recipere a quocumque malueritis catholico antistite gratiam & communionem sedis apostolice obtinente. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dummodo causam interdicto non dederitis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum aliqua que tibi successerit, nulla ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quam sorores ejusdem monasterii communi consensu vel earum major pars consilii sanioris secundum Deum & predictam regulam providerint eligendam. Porro si archiepiscopi, episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in dictum monasterium vestrum, vel personas inibi Domino famulantes, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam tanquam contra apostolica indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque & tranquillitati vestre paterna inposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum vel grangiarum vestrarum, nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus, necnon libertates & exemptiones secularium exemptionum a prefato comite Blesensi, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter predicto monasterio vestro indultas, apostolica auctoritate confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integra conserventur, earum pro quarum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Ad indicium autem hujusmodi percepte a sede apostolica libertatis unam unciam auri nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, & primo, secundo, tertiove monita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Nicolaus catholice ecclesie episcopus.

✠ Ego Fr. Beiterenga Albanensis episcopus ſ.

✠ Ego Fr. Latinus Ostiensis & Veletren. episc. ſ.

✠ Ego Bernardus Portuensis & S. Rufine episc. ſ.

✠ Ego Johannes Tusculanus episcopus ſ.

✠ Ego Conradus Prenestinus episcopus ſ.

✠ Ego Fr. Matth. titulo sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis ſ.

✠ Ego Fr. Hugo tit. B. Sabine presb. cardinalis ſ.

✠ Ego Mattheus tit. S. Marie in Porticu diaconus cardinalis ſ.

✠ Ego Jacobus S. Marie in Via lata diac. card. ſ.

✠ Ego Benedictus S. Nicolai in Carcere Tullian. diaconus cardinalis ſ.

✠ Ego Neapoleo S. Adriani diaconus cardinalis ſ.

✠ Ego Petrus S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis ſ

✠ Ego Petrus S. Eustachii diaconus cardinalis ſ.

Datum Reate per manum magistri Johannis decani Bajocensis, sancte Romane ecclesie vicecancellarii III. nonas Septembris, indictione prima, Incarnationis Dominice anno M.° CC.° LXXXVIII. pontificatus vero domni Nicolai P. P. IIII. anno primo.

XXIX.

Fundatio hospitalis sancti Jacobi Blesensis. *Ex autogr.*

NOus Loys de Chasteillon comte de Blois & de Soissons, & sires d'Avesnes, faisons savoir à tous que comme plusieurs de nos bourgois marchans & autres habitans en notre ville de Bloys, nous ayent fet exposer en la presence de plusieurs de notre lignage & conseil, c'est assavoir Jehan de Bloys notre cher & amé frere, monsieur Valeran de Luxembourg sire de Ligny, le seigneur de Barbenchon & plusieurs autres, que notre ditte ville n'avoit lieu ne meson ordenee où les poures trespassans puissent etre heberges, eincoys moult souvent ont geu & demore de nuis par les rues, & à la terre, & à la place, & à la froidure moult pourement & perilleusement, & dont pour occasion de ce 1362.

plusieurs sont & ont moult de fois estes trouves malades & morts, qui etoit moult piteuse chose à veoar & contre toute humanité ; pour la quelle chose les dis supplians qui sont pelerins du très glorieux apostre mons. S. Jaque, à lonneur de Dieu & dudit apostre, eussent eu très grant desir que il feust pourvu à ce, un hospital feust fonde, fait & ordene en notre dite ville pour les dis poures heberger, & une chapelle de mons. S. Jaque pour chanter & celebrer des messes, & faire prieres & oraisons pour les dits pelerins, & pour tous les autres bienfaitteurs dudit hospital. Et pour essaier ledit faict & esmouvoir les cuers d'eulx & de toutes bonnes personnes à faire bien ou dit hospital, lesdis pelerins eussent encommencie une confrairie de mons. S. Jaque, & acquis & achete maisons en place convenable pour ce faire ; cest assavoir les maisons assises en la grant rue entre les mesons feu Jehan Coillette, & les maisons feu Jehan Gaudin, lesquelles maisons sont couvertes dessornes ruineuses & de petite valeur, mais les places où il sont assises sont convenables pour faire & edifier la dicte chapelle. Et en icelles maisons, en lestat où il estoient, aient baille & envoye de leurs lis & mesnage par les dis poures heberger ; lesquelles choses leur ont este si agreables pour la necessite des poures, & y ont eu si grant plaisance à lonneur de notre Seigneur & de mons. saint Jaque, que les pelerins & freres y ont donne & aumosne dou leur grandement pour edifier, fonder, douer la dicte chapelle & le dict hospital. Et entre les autres Pierre de Villebresme & Gilon sa femme pour leur remede de leurs ames ont donne au dict hospital à tousjours mes, le lieu de Mongauguier o toutes les appartenances & depandances ; cest assavoir le lieu si comme il se poursiet & comporte, de mesons, de four, de vergers, & dis arpens de bois ou environ en une piece joignans au dict lieu, assis en la parroisse saint Lubin en Vergoignas. Item quinze moees que terres, que frisches, que gain tenans ensemble à lenviron de lostel deca & dela, & a dedans un colombier joux aux terres de leglise saint Lubin, & joignant par dever lestang de Harbaut jouste les terres au sire de Harbaut, & par un des autres bous joignant au chemin qui va d'Orchiese à saint Lubin. Item quatre arpens de pres en une piece jouste la chaucee qui va de Montgauguier au molin de Vasseau, & jouste le pre de Carrelles & le pre au prestre de saint Lubin. Item trois quarts au dessous de la dicte chaucee, assis iceux trois quarts de pre, jouste le pre Pierre Bourdoiseau, & joust le pre de Vasseau. Item au dessous la meson feu Henaut, un arpent de pre jouste le pre au Prestre de saint Lubin, & jouste le pre Jehan Legrant. Item sous la Perriere un arpent de pre Jehan Perrier, & jouste les haies Jehan Moreau. Item une noe contenant environ un arpent jouste les terres de lostel dessus dictes, & jouste les terres de Quarelles. Item un quartier de pre jouste la noe des Quarelles, & jouste la riviere. Item un estang & deux places pour deux autres estangs tenant ensemble, joignans dun coste & dautre as terres devant dictes, & as terres de plusieurs bonnes gens. Item environ vingt arpens de menus bois & boissons, assis à lenviron des dicts estangs, & joignans as terres devant dictes, & garanne au conin en iceulx bois & boissons. Item quarante sols que cens que tailles rendus au dict lieu le Dymenche devant la decollation saint Jehan Baptiste, de plusieurs personnes qui les doivent. Item le quart de la place où souloit avoir un molin appelle Constant, partissant ou le sire de Harbaut en la riviere de la Cise. Item la place pour fere un & avoir four abannie as estages du lieu, assavoir deles le moulin de Foletin, joignant Hainoul de Foletin. Item luitieme partie de la disme de saint Lubin. Item leune moee de terre assise en deux pieces, assavoir sous le bois Dionet le Mercier, lune piece appellee la Longue raye jouste les terres Henoul Perrier, & jouste les terres aus Bourdoiseaus, & lautre piece joignant par un des bous as terres Quarelles, & par lautre bout as vignes de Quarelles. Item le sie de trente arpens de bois, jouste la terre de Harbaut & jouste les terres appartenant à Montgauguier dessus dictes, & en est domenier le fils Dionet le Mercier. Item le sie de luitieme partie de saint Lubin, & environ oict sols de menus cens appartenant audit fils. Item dix sols de menus cens partissans ovecques Guillaume de Chambort dans chacun an, de plusieurs maisons & heritaiges, assavoir en la ville de Bloys, & les dis pelerins & freres & espets le dit Pierre de Villebresme nous eussent requis notre grace sur les choses dessus dictes, sans laquelle le bienfait dessus dit ne puet estre fet ne accompli, cest assavoir de leur admortir à toujours mes les maisons dessus dictes où sont commences à edifier ledit hospital & la dicte chapelle, & les autres heritaiges dessus dis donnes des dis Pierre & sa femme. Nous sceu & enquis diligemment par nos gens des choses dessus dictes, & considere que leuvre & le faict dessus dicts encommencies par les dis freres, sont euvres de pitie, de très grant bien & de grant charite, & que le dit hospital est moult necessaire en notre dicte ville. Voulans participer ès bienfais du dit hospital, & donner bon exemple à tous autres de y faire bien, par devocion que nous avons au dit mons. saint Jaque, pour Dieu, & en aumone, & à lonneur du dict glorieux saint apostre somes desvenus freres de la dicte confrairie & du dit hospital, & ovecques & par la deliberacion de nostre dict conseil, avons admorti & admortissons à toujours mes, entant comme à nous touche & appartient, les maisons & tous les autres heritaiges dessus dis & declares. Voulons & accordons que les dictes choses soient & demeurent à tousjours mes au dict hospital, & que les freres du dict hospital & ceuls que le dit hospital tendront & gouverneront, soit chappellain ou autres, les puissent tenir tous admortis, sans que nous, ne nos hoirs, ou ceuls qui de nous auront cause, les puissent contraindre à les mettre hors de leurs mains, ne avons en faire finance, foy ne homaige, sauve à nous & à nos hoirs, notre justice telle comme li avons par avant, & nos rentes & debvons & aucuns en y avons, excepte nostre festage dont nous voulons ledict hospital estre franc, quant aux dictes maisons à tousjours mes ; & sauve que nous avons retenu & retenons, de lassentement de tous les dis freres, à nous & à nos hoirs à tousjours mes, la collation de la premiere chappelle douee suffisamment & sans fraude, ou autre benefice qui futurement sera fonde au dict hospital. Et se il advenoit que il soit ordene pour le temps present ou advenir que ou dict hospital soit establi mestre, gouverneur ou proviseur perpetuel, comme dit est, pour gouverner & administrer ledict hospital, il sera elleu & nomme à nous & à nos successeurs, par les freres de la dite confrarie, & nous en arons & en retenons à tousjours mes pour nous & nos successeurs, par cest present admortissement, linstitution à la dite nomination, se à ce se consent reverent pere en Dieu levesque de Chartres, & de pourchacer son consentement, seront tenus tous les dis freres de fere toutes bonnes diligences. Et se il ne le vieust consentir ou non à ladite nomination, en avons nous & en retenons la presentation estre faite par nous & nos successeurs au dict evesque de Chartres & ses successeurs, se il retient la dicte institution. Et promettons que encontre les choses dessus dites ou aucunes d'icelles nous ne vendrons ne ne ferons venir doresnavant, par quelque maniere que ce soit ; eincoys les promettons à tenir, fere enteriner & accomplir à tousjours mes, ainsi comme elles sont dessus dites & divisees sur lobligation de nous, de nos hoirs & successeurs, & de nos biens, meubles & non meubles presens & avenir. En tesmoing de ce nous avons fet seeller ces presentes lettres de notre grant seel, faites & donnees lan de grace nostre Seigneur mil trois cens soixante & deux, le XXV. jour du mois dAout.

XXX.

Guillelmi abbatis de Pontelevio literæ, quibus se opponit unioni prioratus de Lermenando factæ cum mensa episcopali Malleacensi.

Circa 1391.

NON ad perverforum gloriam, sed potius ad oppressorum levamen sancti patres, summi pontifices Romanique imperii præsidentes, & alii jurium conditores canonici pariter & civilis, provocationis & appellationis remedium salubriter invenerunt, ut per illud oppressi & gravati ab oppressionibus & gravaminibus illatis releventur, & ab inferendis verisimiliter protegantur & defendantur. Igitur ego Guillelmus humilis abbas monasterii de Pontelevio, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis, cum personas venerabilis in Christo patris, & domini domini Dei gratia Malleacensis episcopi & aliorum meorum in hac parte adversariorum, contra quos propter infra scripta gravamina & occasione ipsorum habeo provocare & appellare, pro præsenti personas apprehendere commode non valeam, neque possim, coram te tabellione publico, tamquam eorum publica & authentica persona, ut testibus hîc astantibus dico & propono ea videlicet quæ sequuntur: Et primo quod olim sunt decem anni elapsi sanctissimus in Christo pater & dominus noster dominus C. divina providentia papa septimus modernus prioratum de Lermenando dicti ordinis, Malleacensis diocesis, mihi faciens & facere volens gratiam specialem, contulit & assignavit, & mihi providit de eodem. Ipsumque prioratum obtinui, rexi & gubernavi bene, sancte & legitime per decennium, vel eo circa, fructusque, redditus & proventus ac emolumenta ejusdem in utilitates, reparationes ejusdem prioratus convertendo & exponendo. Item & quod nuper præfatus sanctissimus pater mihi licet indigno cupiens gratiam facere ampliorem, præfato monasterio de Pontelevio, tunc pastore orbato, me præfecit in abbatem. Et quia tunc dictum monasterium erat ruinosum, & ut valerem onera dicto monasterio incumbentia facilius supportare, idem sanctissimus pater, quandiu duntaxat præfuero monasterio prælibato, mihi suas gratiosas apostolicas concessit literas super hac forma: Clemens, &c. Item dico quod ab anno citra disposui in reparationibus dictorum monasterii & prioratus usque ad summam mille & quingentorum flor. auri ad Francum, de meis propriis & parentum meorum bonis, & una cum his persolvendis debitis & oneribus dictorum monasterii & prioratus oportuit me obligare penes cameram domini nostri papæ, & alibi erga plures & diversas personas, in pluribus & magnis & diversis summis pecuniarum, in quibus etiam temporalitas dictorum locorum remanet obligata. Item dico & propono quod fructus, redditus & proventus dicti monasterii propter guerras & mortalitates sunt adeo diminuti, quod religiosi ejusdem monasterii vix ex ipsis possunt sustentari, nec etiam valeo congruum habere statum, nec pecuniarum summas solvere supradictas. Item dico quod anno præsenti nondum elapso, exposui pro debitis dicti prioratus, tam pro vacante domini nostri papæ, quam pro pensione domini R. titulo S. Potentianæ S. R. E. presbyteri cardinalis, quingentos florenos auri, & ultra. Item dico & propono quod cujuslibet reverentia salva, reverendus pater dominus Malleacensis episcopus tacita veritate & expressa falsitate dictum prioratum, sicut præmittitur, auctoritate apostolica mihi collatum, de novo, ut asseritur, mensæ episcopali Malleacensi per sedem apostolicam procuravit uniri, ac in corporalem possessionem ejusdem prioratus se intrusit seu intrudi fecit de facto, cum de jure non posset, contra dictum jus & justitiam me spoliando indebite & injuste mea justa, canonica & legitima possessione dicti mei prioratus, me etiam in præmissis non vocato, nec audito, quod facere non potuit de consuetudine nec de jure, A bonaque mea mobilia in dicto prioratu consistentia de facto accepit, devastavit & ad suos usus applicavit, seu ad hæc fieri fecit & procuravit, me de misiis, custibus & expensis in dicto prioratu expositis nullatenus compensato, nec etiam satisfacto. Item dico & propono, salva reverentia sanctæ sedis apostolicæ, quod fructus, reditus & proventus episcopatus Malleacensis singulis annis ascendunt & ascendere possunt ad summam sex millium Francorum vel eo circa, quodque fructus monasterii prælibati propter guerras & mortalitates sunt rari, & adeo diminuti, quod non sufficiunt, nec sufficere possunt ad vitam & statum meum & religiosorum monasterii ministrandum & habendum, attentis & consideratis reparationibus, debitis & aliis oneribus ejusdem monasterii; & sic dictus meus prioratus de B jure non potuit, nec debuit uniri mensæ episcopali Malleacensi, & si quid super unione hujuscemodi sedes apostolica ad falsam suggestionem dicti episcopi de facto duxerit adordinandum, de præmissis tamen nunc informata, illud idem debet secundum Deum & jura penitus revocare & adnullare, pro ut, favente Altissimo, revocabit & adnullabit; nec acceptassem dictum monasterium nisi sedes apostolica dictum prioratum contulisset pro supportandis oneribus & debitis dicti monasterii, pro ut in literis apostolicis præinsertis continetur. Item dico & propono quod præfatus reverendus pater nitens totis viribus me molestare & vexare laboribus & expensis fecit citare clericum & familiarem meum, qui est subjectus & justitiabilis ipsius episcopi apud Rupellam, in causa assecuramenti, pro assecurando C dictum dominum episcopum coram judice laïco dicti loci. Item dico & propono quod gentes & familiares ipsius domini episcopi sunt & manent de facto in dicto meo prioratu, ac mea bona mobilia devastant & dissipant de die in diem, familiares & servitores meos a dicto meo prioratu & meorum administratione bonorum nequiter & contra Deum & justitiam expellendo, licet dicti mei familiares meo nomine contra possessionem hujusmodi se legitime opposuerint, & de appellando protestati fuerint nomine meo, prout alias videbitur ex fide dignorum testimonio, relatu, loco & tempore oportunis. Licet etiam procurator meus & alii mei familiares petierint cum instantia meo nomine sibi fieri & tradi copiam literarum juris & munimentorum ipsius episcopi, meis tamen sumtibus & expensis per D procuratores, familiares & tabelliones ipsius episcopi, prout de jure & ratione tradere & facere debebant, tam de consuetudine quam de jure, nihilominus hoc facere recusaverunt. Ex quibus præmissis & propter quæ ego Guillelmus humilis abbas præfatus sentiens me exinde indebite & injuste fore & esse per dictum episcopum, ejus familiares, procuratores, tabelliones & nuncios, & ad ipsorum falsam suggestionem, instantiam & requestam gravatum multipliciter & oppressum, timens verisimiliter & formidans ab eis & per eos amplius opprimi & gravari, a prædictis gravaminibus omnibus & singulis & quolibet ipsorum, quam cito præmissa ad mei Parisius existentis & degentis propter mea & dictorum monasterii & prioratus ardua negotia devenerunt notitiam, a dicto domino episcopo, & fratre E Juliano Buchet priore prioratus de Volverio per procuratorem, & magistro Johanne Tonpot pro secretario ipsius episcopi se gerentibus, necnon domino Aimerico curato de Pototiis & suis adhærentibus, ac contra ipsos & eorum quemlibet, in quantum ipsos & ipsorum quemlibet tangit & tangere potest, tam conjunctim quam divisim, suosque adhærentes & adhæsuros in hac parte, necnon ab executoribus apostolicarum & aliarum quarumvis literarum forsan eidem episcopo super hoc concessarum, omnibus & singulis cujuscumque conditionis existant & quacumque potestate & auctoritate fulgeant, & quocumque nomine seu titulo censeantur, eis melioribus juribus, viis, causis, modis & formis quibus possum & debeo, & mihi licuit & licet

liceT provocare & appellare, ad sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum C. divina providentia papam septimum prælibatum, sanctam sedem apostolicam, ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ venerabile collegium in his scriptis provoco & appello, & a te publico notario peto & repeto instanter, & instantius & instantissime *Apostolos* mihi dari saltem testimoniales. Et ne forsan dictus dominus episcopus & alii supranominati per se vel alium, seu alios contra me procedant directe vel indirecte, publice vel occulte, me, familiares meos, procuratores & nuncios citando, vexando, molestando, movendo, in causam trahendo, suspendendo, interdicendo, excommunicando, aggravando, reaggravando, vel quasvis alias sententias & censuras ferendo & promulgando, seu alias dictum meum prioratum detinendo, occupando, & me in possessione ejusdem impediendo & perturbando, bona mea mobilia & immobilia capiendo, dissipando, vel alias quovismodo me gravando, protectioni, tuitioni & salvæ gardiæ speciali sanctæ sedis apostolicæ ac præfati domini nostri summi pontificis, me, prioratum meum & bona ejusdem, causam meam, familiares, procuratores & nuncios, & omnes & singulos mihi adhærentes & adhæsuros in hac parte, pono ex nunc specialiter & submitto, petens & supplicans humiliter & devote eidem sanctæ sedi apostolicæ de & super præmissis mihi provideri & de remedio opportuno, maxime cum non solum mea, sed etiam parentum & amicorum meorum carnalium bona in reparationibus dicti mei prioratus, & pro solvendis debitis & oneribus ejusdem exposuerim, & propter hoc fuerim, prout adhuc sum, ut præfertur, erga quamplures personas, tam penes apostolicam cameram, quam alibi in multis magnis pecuniarum summis tentus & efficaciter obligatus. Protestans insuper de præsenti mea provocatione & appellatione prosequenda, intimanda, insinuenda, & de *Apostolis* petendis & habendis, de addendo eidem, & detrahendo & diminuendo de eadem, & corrigendo & in melius reformando eandem, & de probando de præmissis quod sufficere poterit & debebit, dum si, quando, quotiens, quibus & ubi fuerit opportunum. De & super quibus omnibus & singulis peto & requiro cum instantia mihi fieri & tradi per te notarium publicum, publicum instrumentum unum vel plura; vos hic astantes in testes de præmissis, &c.

XXXI.

Abbatia Vindocinensis datur in commendam episcopo Cenomanensi.

1470. Dilecti filii, salutem & apostolicam benedictionem. Contingente nuper expiratione commendæ istius monasterii Vindocinensis, Carnotensis diœcesis, per obitum bonæ memoriæ Richardi cardinalis Constantiensis, qui illud in commendam ex dispositione apostolica obtinebat, nos prout nostro incumbit officio, cogitavimus statim de tali viro dicto monasterio providere, sub quo ipsum monasterium cum Dei honore & vestra consolatione spiritualia & temporalia susciperet incrementa; cumque cognitas haberemus probitatem, prudentiam, multiplicesque virtutes venerabilis fratris episcopi Cenomanensis, quem charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus alias ad nos oratorem misit, quemque pluribus literis ut virum benemeritum & suæ majestati dedititissimum atque charissimum efficaciter nobis commendavit, contemplatione dicti regis, & virtutum suarum intuitu, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio, monasterium hujusmodi sibi dedimus in commendam. Non dubitamus quin utilissimam de ejus persona provisionem & vobis & monasterio antedicto fecerimus. Quocirca cupientes, ut par est, nostram provisionem hujusmodi debito effectui demandari, devotionem vestram in Domino exhortamur, vobis & vestrûm cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ & excommunicationis pœna nihilominus mandantes, quatenus omni mora & exceptione cessante, liberam & pacificam dicti monasterii, juriumque & pertinentiarum ejus possessionem ipsi episcopo commendatario, vel ejus procuratoribus pro eo tradere assignareque debeatis, debitamque reverentiam eidem exhibeatis: ita ut potius nobis veniatis uberius in Domino commendandi, quam materiam præbeatis alia opportuna juris remedia pro dicti episcopi commendatarii indemnitate, ac nostro dictæque sedis honore tuendo adhibendi. Confidimus tamen vos, ut filios obedientiæ, debita cum reverentia & promptitudine provisioni acquieturos, & mandatis nostris hujusmodi parituros. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die IX. Septembris M. CCCCLXX. pontificatus nostri anno sexto.

XXXII.

Philippus episcopus Portuensis Emerico abbati Vindocinensi permittit confessorem sibi idoneum eligere.

Philippus miseratione divina episcopus Portuensis, dilecto in Christo fratri Emerico abbati monasterii sanctæ Trinitatis Vindocinensis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diœcesis, salutem in Domino. 1474.
Solet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus, maxime ubi salus requiritur animarum, favorem benivolum impartiri. Cum igitur ex parte tua nobis fuerit humiliter supplicatum, ut in animæ tuæ solatium eligendi confessorem idoneum tibi licentiam concedere dignaremur; nos tuis supplicationibus favorabiliter annuentes, auctoritate domini papæ, cujus pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, devotioni tuæ concedimus, quatenus liceat tibi idoneum & discretum presbyterum in confessorem eligere, qui super peccatis, quæ sibi confiteberis, nisi talia fuerint propter quæ .... provideat de absolutionis debitæ beneficio & pœnitentia salutari, quandiu vixeris, quoties fuerit opportunum. Vota vero peregrinationis & abstinentiæ, si qua emisisti, quæ commode servare non potes, Ultramarino, beatorum Petri & Pauli, atque Jacobi apostolorum votis duntaxat exceptis, commutet tibi idem confessor in alia opera pietatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub sigillo officii pœnitentiariæ, decimo calend. Aprilis, pontificatus domini Sixti papæ IV. anno tertio.

XXXIII.

Prioratus de Igneio unitur mensæ conventuali Pontilevienſi.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. 1475.
Apostolicæ nobis desuper injunctæ servitutis officium, quo ecclesiis & monasteriis universis astringimur, nostram continue mentem propulsat & inducit, ut ad ea propensius dirigamus intuitum, per quæ ecclesiasticis præsertim regularibus personis quibuslibet in monasteriis eisdem sub regulari habitu virtutum devotum exhibentibus Altissimo famulatum, ut divinis insistendo beneplacitis congrue in suis necessitatibus releventur, utiliter & prospere valeat provideri. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenio papæ IIII. prædecessori nostro pro parte bonæ memoriæ Guillermi abbatis, ac dilectorum filiorum conventus monasterii beatæ Mariæ de Pontelevio, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diœcesis exposito, quod fructus, redditus & proventus dicti monasterii, qui temporibus prioribus quingentos florenos auri & ultra annuatim valere consueverant, & pro decente sustentatione abbatis, & conventus, ac servorum & familiarium

ipsorum sufficiebant, propter guerras, quæ partes illas notorie diutius tunc affligebant, & alios fortuitos casus adeo decreverant & diminuti erant, quod ex illis qui tunc ultra ducentas & quinquaginta libras Turonensium parvorum communi extimatione non valebant annuatim, abbas prædictus necnon sedecim monachi divino cultui in eodem monasterio sub regulari habitu tunc vacantes, aliique familiares & ministri prædicti commode sustentari non poterant, & eidem prædecessori subjuncto, quod quondam Bisuntinus Herveti olim prior prioratus de Igneo, dicti ordinis, Redonensis diœcesis, eundem prioratum quem tunc obtinebat, ad hoc ut ex ejusdem prioratus fructibus, redditibus & proventibus monasterium ipsum in suis necessitatibus relevaretur, ac præfatis personis in victu & vestitu necessariis subveniretur, sponte & libere resignare proponebat, idem prædecessor archidiacono de Balgentiaco in ecclesia Aurelianensi ejus nomine proprio non expresso, dedit in mandatis ut super præmissis omnibus & singulis se diligenter informaret, & si ita fore reperiret, resignationem dicti prioratus admitteret, & illa admissa, eundem prioratum monasterio præfato perpetuo uniret, annecteret & incorporaret, & alia faceret prout in ejusdem prædecessoris literis plenius continetur, & quorum vigore tunc existens archidiaconus de Balgentiaco in ecclesia hujusmodi ad earum literarum, sicut exhibita nuper nobis pro parte venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Aurelianensis, qui monasterium prædictum ex concessione & dispensatione sedis apostolicæ in commendam obtinet, & dilectorum filiorum conventus prædictorum petitio continebat, executionem procederet, resignatione hujusmodi in suis manibus facta, & per eum apostolica authoritate admissa, prioratum prædictum eidem monasterio etiam perpetuo univit, annexuit & incorporavit. Quique Guillermus & successores sui dicti monasterii abbates, qui pro tempore extiterint, conventus præfati prioratum ipsum sic unitum ex tunc tenuerunt & possederunt, prout Franciscus & conventus præfati tenent & possident de præsenti, illius fructus, redditus & proventus inter se mediatim partiendo ac dividendo, ac Guillermus abbas & Franciscus episcopus ac commendatarius præfati unam missam pro defunctis qualibet die anni per tres dicti monasterii monachos, quemlibet videlicet in sua tertia parte anni hujusmodi, quibus summam triginta librarum Turonensium annuatim persolverunt, facere consueverunt celebrari, prout idem episcopus celebrari facit de præsenti. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, fructus, redditus & proventus mensæ abbatialis dicti monasterii, Altissimo favente, in tantum excreverunt & uberes effecti fuerunt, quod idem Franciscus episcopus & commendatarius, ac pro tempore existens dicti monasterii abbas se ex illis commode sustentare potest, pro parte conventus prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut medietatem fructuum, redditùum & proventuum prioratus hujusmodi mensam abbatialem prædictam concernentem eisdem conventui & mensæ conventuali dicti monasterii perpetuo applicare, aliasque eis & suis necessitatibus providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur in quorum manibus præfatus Franciscus episcopus & commendatarius, per dilectum filium magistrum Stephanum Compillon canonicum Carnotensem, scriptorem & familiarem nostrum, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, quod medietas hujusmodi ad mensam abbatialem pertinens antedictam, mensæ conventuali præfatæ perpetuo applicetur & appropríetur expresse consensit, quique singularum ecclesiasticarum personarum, præsertim regularium, necessitatibus libenter subvenimus, singulos de conventu hujusmodi ab omnibus & singulis excommunicationis, suspensionis & interdicti & aliis ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet irretiti

A existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi quoque supplicationibus inclinati, medietatem antedictam mensæ conventuali præfatæ, ita quod liceat prædictis conventui de illa disponere & ordinare, ac eam in suos usus utilitatemque convertere & perpetuo pertinere, cujusvis licentia super hoc minime requisita, veluti abbas præfatus de ea & ipsi de sua medietatibus hujusmodi disponere & ordinare potuerunt, sive etiam debuerunt, harum serie authoritate apostolica perpetuo applicamus & etiam deputamus, & nihilominus quod conventus præfati quorum ad id per dictum procuratorem ab eis ad hoc similiter constitutum expressus similiter accedat assensus, missam prædictam singulis diebus perpetuis futuris temporibus
B per tres dicti monasterii monachos per præfatum episcopum Franciscum & commendatarium, quoad vixerit, & dictum monasterium obtinebit, & deinde per abbatem pro tempore existentem monasterii hujusmodi deputandos & ad nutum removendos, quemlibet eorum videlicet in sua parte cujuslibet anni in dicto monasterio celebrari, necnon monachis ipsis eamdem missam pro tempore . . . . celebrantibus de summa triginta librarum hujusmodi de fructibus, redditibus & proventibus prioratus antedicti de semestri in aliud semestre tribus æquis pensionibus . . . . respondere teneantur, & ad hæc perpetuo existant obligati, dictusque commendatarius & pro tempore existens abbas monasterii hujusmodi ad celebrationem missæ præfatæ per eos faciendam ulterius minime teneantur, sed ab
C ea penitus absoluti existant & liberati, harum serie dicta auctoritate perpetuo statuimus & ordinamus, decernentes super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari nonobstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac statutis & consuetudinibus monasterii & ordinis prædictorum, etiam juramento confirmatis & apostolica vel quavis firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli etiam prorsus hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, applicationis, deputationis, statutis, ordinationibus & constitutionibus contradicere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, maledictionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud
D sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, quinto kalendas Octobris, pontificatus nostri anno quinto.

XXXIV.

Innocentius VIII. dat licentiam episcopo Aurelianensi abbati commendatario Pontilevii benedicendi ecclesiam, & altaria quæ ibidem restauravit.

INNOCENTIUS servus servorum Dei. Venerabilis 1491.
frater, salutem & apostolicam benedictionem. Supplicari nobis fecisti, ut cum tu monasterium de Pontelevio, quod ex dispensatione apostolica obtines in commendam, vetustate collapsum majore ex parte restaurari, & ibidem de novo nonnulla altaria ædificari &
E erigi feceris, dignaremur tibi licentiam illa benedicendi atque consecrandi absque ordinarii loci licentia impartiri. Nos tuis in hac parte supplicationibus annuentes, tibi ut ecclesiam & monasterium, sicut præfertur, restauratum, & alia de novo erecta altaria benedicere & consecrare absque venerabilis fratris episcopi Carnotensis, loci ordinarii, qui, ut asseris, senio confectus est, ipsum monasterium tuæ diœcesi magis propinquum licentia possis & valeas, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus, nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 17. Dec. 1491. pontificatus nostri anno 8.

XXXV.

Bulla erectionis episcopatus Blesensis.

1697. INNOCENTIUS XII. episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In sacra beati Petri sede meritis licet imparibus, ita Patre luminum disponente, collocati, ad agrum gregemque Dominicum nostræ commissum curæ sollicita mentis acie circumspicientes, in iis quæ ad ejusdem agri, multiplicatis illius cultoribus, exactiorem culturam gregisque hujusmodi majorem fœcunditatem profutura esse dignoscimus, opem ac operam nostras libentissime impartimur; præsertim dum sublimium & excelsorum regum vota id exposcunt, consideratisque locorum, personarum, & temporum qualitatibus id expedire animadvertimus. Hinc est quod nos pro pastorali nostro officio & omnium ecclesiarum sollicitudine provide considerantes, diœcesim Carnotensem, tam in longitudine quam in latitudine amplissimam, regionemque Blesensem populorum & incolarum copia valde refertam, a civitate Carnotensi esse adeo remotam, ut unicus pastor tantam animarum multitudinem ea qua par est diligentia regere minime possit; præcipue cum earum major pars confoveri, firmari & consolidari necesse habeat in vera & orthodoxa fide catholica, ad quam, divina favente gratia, & pia applicatione & cura charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis, qui suorum subditorum saluti semper intentus, & solum Dei cultum ejusque orthodoxam legis observantiam, sanctæ matris ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, hæreticorumque conversionem præ oculis habet, non ita pridem feliciter conversa est; aptissimum esse remedium duximus regiones Blesensem & Vindocinensem, ac partem seu certam portionem regionis Dunensis duabus regionibus præfatis contiguam, a diœcesi Carnotensi separare & dismembrare; oppidumque Blesense situm in provincia Aurelianensi ad ripam fluvii Ligeris, muris undique cinctum, quod olim fuit comitum Blesensium sedes, & deinde regum Franciæ, ac modo satis conspicuum, bis mille circiter domos, & supra decem millia incolarum continens, urbis præfecto & regio castro, multiplicique curia seu jurisdictione prætoris, quam balliviatum vocant, decoratum; constans quoque quinque virorum & totidem sanctimonialium conventibus, duabus collegiatis ecclesiis, in quarum altera sancto Salvatori dicata quinque dignitates, duodecim canonicatus cum præbendis, ac triginta duæ capellaniæ cum competentibus redditibus; & in eodem oppido ejusque suburbiis adsunt sex parochiales ecclesiæ, inter quas insignior est illa sancto Solemni sacra, sumptibus & expensis dicti Ludovici regis noviter reædificata, pulchræ & satis elegantis structuræ; tredecim capellis cum aliis tribus nondum terminatis, campanili cum tribus campanis, cœmeterio cum fonte baptismali, ac choro cum quadraginta duobus sedilibus, & navi populorum capaci ornata & decorata; sacraque ac profana suppellectili ad divina peragenda, non tamen pontificalia exercenda, utcumque instructa, in cathedralem, ibique sedem episcopalem erigere & collocare, præficiendo ei novum episcopum, qui tum verbo tum exemplo boni operis incolas illorum finium magis magisque in vera fide confirmaret. His igitur aliisque de causis animum nostrum moventibus, re prius in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præpositorum, sub die decima nona Julii, & septima Septembris anni Domini millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti, vigesima quarta Januarii & vigesima quarta Maii currentis anni, mature discussa; piis ejusdem Ludovici regis desideriis annuere volentes, ex certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine & de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, dictum oppidum Blesense, necnon A districtus & territoria integra archidiaconatuum Blesensis & Vindocinensis, ac certam partem seu portionem archidiaconatus Dunensis, per venerabilem fratrem nostrum episcopum, & dilectos filios capitulum & canonicos Carnotenses assignatam & delineatam, cum omnibus suis confinibus & terminis, qui in latitudinem & longitudinem per sexaginta milliaria Italica se extendunt, & intra quæ centum & nonaginta duæ parochiæ, octoginta millia fidelium complectentes, numerantur, ab ordinaria jurisdictione dicti episcopi Carnotensis, de ejus ac illius capituli cathedralis expresso consensu, apostolica authoritate separamus, dismembramus, segregamus & dividimus; illudque ac ejus clerum a moderni & pro tempore existentis episcopi Carnotensis superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, B correctione, ac quibusvis aliis juribus episcopalibus prorsus & omnino eximimus & liberamus; ac oppidum præfatum civitatis, illiusque incolas civium nomine & titulo ac honore decoramus, illudque in civitatem Blesensem nuncupandam erigimus; & parochialem ecclesiam sancti Solemnis in dicto oppido, civitate nuncupato, existentem, in cathedralem ecclesiam sub invocatione sancti Ludovici, pro uno episcopo Blesensi nuncupando qui illi præsit, ac ipsam parochialem ecclesiam ad formam cathedralis ecclesiæ redigi faciat, necnon episcopalem jurisdictionem, authoritatem & potestatem, omniaque alia & singula, quæ ordinis, jurisdictionis, & cujusvis alterius muneris episcopalis & pastoralis sunt, & ad illa ac synodi diœcesanæ convocationem & celebrationem spectant & pertinent, exercere; C necnon quæ alii episcopi in suis ecclesiis, civitatibus & diœcesibus de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet facere, & quibus uti solent & possunt, pariformiter æque principaliter, & absque ulla prorsus differentia in suis ecclesia, civitate & diœcesi Blesensi, etiam facere, gerere & exercere, ac uti, frui, potiri & gaudere libere & licite possit & debeat; ac pro tempore archiepiscopi Parisiensis juri metropolitico, prout ante separationem & dismembrationem suberat, subjaceat, cum mensa, sede, aliisque insignibus episcopalibus, necnon præeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus & temporalibus, personalibus, realibus & mixtis, quibus ceteræ cathedrales similiter & pariformiter de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, po- D tiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio & potestatis plenitudine erigimus & instituimus, ac eidem sic erectæ & institutæ ecclesiæ Blesensi ipsum oppidum, sic in civitatem erectum pro civitate, necnon districtus & territoria duorum priorum archidiaconatuum, ac partem seu portionem ultimo dicti archidiaconatus hujusmodi, ut supra, a diœcesi Carnotensi separata, pro diœcesi, necnon ecclesias, pro clero, & personas seculares, pro populo, de consilio, potestate & authoritate paribus etiam perpetuo concedimus, attribuimus & assignamus; civitatemque, clerum & populum hujusmodi, episcopo Blesensi quoad episcopalem, & archiepiscopo Parisiensi pro tempore existentibus, quoad metropoliticam ordinariam jurisdictionem & su- E perioritatem, de similibus consilio & plenitudine subjicimus. Et insuper cum venerabilis frater noster Jacobus Antonius Phelypeaux episcopus Lodovensis, Burgimedii, vulgo *Bourg-moien*, sancti Augustini canonicorum regularium, & dilectus filius Jacobus Franciscus Minot de Merille clericus seu presbyter, S. Launomari respective monasteriorum sancti Benedicti respective ordinum oppidi Blesensis & Carnotensis diœcesis hujusmodi abbates seu perpetui commendatarii, ad quæ monasteria, dum pro tempore vacant, jus nominandi vigore concordatorum dudum inter sedem apostolicam, & claræ memoriæ Franciscum primum olim eorumdem Francorum regem initorum, ad dictum Ludovicum regem spectat & pertinet; & dilectus etiam filius David

Nicolaus de Bertier presbyter Vabrensis diœcesis, in theologia facultatis Parisiensis licentiatus, primus episcopus Blesensis designatus, perpetuus commendatarius unius sancti Johannis Blesensis a Pontillevii dicti ordinis S. Benedicti, & alterius prioratuum simplicium cura & conventu carentium sancti Felicis de Campiniaco, a dicti sancti Launomari monasteriis respective dependentium, commendæ hujusmodi in quam Jacobus Antonius episcopus & Jacobus Franciscus, necnon David Nicolaus præfati monasteria & prioratus hujusmodi, ad eorum vitam ex concessione apostolica respective obtinent & obtineri consueverunt, in manibus nostris ad præmissorum & infrascriptorum effectum cesserint, nosque cessiones hujusmodi duxerimus admittendas; propterea titulos collativos monasteriorum Burgimedii & sancti Launomari, ac præfatorum & infrascriptorum prioratuum, ac in eisdem monasteriis nomina & denominationes abbatum, jusque ad illa nominandi de ejusdem Ludovici regis consensu, apostolica auctoritate præfata etiam perpetuo supprimimus & extinguimus; ac mensas abbatiales monasteriorum Burgimedii ac sancti Launomari præfatorum quorum fructus, primo dicti videlicet ad trecentos quinquaginta, secundo dicti vero monasteriorum hujusmodi ad mille quingentos viginti florenos auri in libris cameræ apostolicæ taxati reperiuntur, & ex quibus primo dicti videlicet quatuor millia, ac secundo dicti monasteriorum præfatorum decem millia, ac ex duorum præfatorum & trium infra scriptorum prioratuum sex millia librarum Turonensium annuatim percipi poterunt, firmis intactis & illæsis remanentibus monasteriorum præfatorum mensis conventualibus a dictis mensis abbatialibus separatis & distinctis, pariter supprimimus & extinguimus; ac dictarum mensarum abbatialium necnon dictorum duorum prioratuum, ut præfertur, vacantium, & cum primum illos per cessum etiam in manibus nostris aut alterius Romani pontificis successoris nostri, seu decessum vel quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem, seu alias quovismodo, commendis in quas illi ex pari concessione ad vitam obtineri consueverunt cessantibus; unius videlicet de *Moutiers saint Laumer* & alius de *Illou*, necnon reliqui prioratuum etiam cura & conventu carentium sancti Martini de *Montereau* dicti ordinis sancti Benedicti, Carnotensis & Senonensis seu alius respective diœcesis, ab eodem monasterio sancti Launomari respective dependentium, fructus, redditus & proventus, cujusvis qualitatis, quantitatis, naturæ & speciei existant, prævia duorum priorum monasteriorum & prioratuum hujusmodi titulorum collativorum perpetua suppressione & extinctione pro dote & mensa episcopali ecclesiæ Blesensi simili authoritate perpetuo unimus, annectimus, applicamus & appropriamus: ac ad dictam ecclesiam sancti Solemnis, futuram, ut præfertur, cathedralem, secularem & collegiatam ecclesiam sancti Salvatoris hujusmodi, cum omnibus & singulis dignitatibus, canonicatibus cum præbendis, capellaniis, anniversariorum fundationibus, aliisque honoribus & oneribus, ac quibusvis aliis juribus & prærogativis ad eam spectantibus & pertinentibus transferimus; ac unum presbyterum ad præsens dictæ collegiatæ ecclesiæ inservientem & alium pro tempore deputandum, qui eamdem ecclesiam sancti Salvatoris regat & gubernet, ac onera, si quæ illi in posterum incumbent, supportet & adimpleat, inter capellanos dictæ ecclesiæ Blesensis locum habere ac omnibus redditibus & emolumentis quibus alii capellani ejusdem ecclesiæ gaudent & gaudebunt, etiam gaudere volumus & mandamus; capitularem vero mensam ac capitulum, necnon quinque dignitates seu personatus, in dicta collegiata ecclesia sancti Salvatoris existentes, nempe decanatum, dignitatem principalem, qui animarum canonicorum, dignitatum, capellanorum & ministrorum dictæ ecclesiæ Blesensis, juxta laudabiles consuetudines aliarum ecclesiarum cathedralium dicti regni, curam exercebit; præ-

A centoriam, subdecanatum, præposituram & thesaurariam, necnon duodecim canonicatus cum totidem præbendis, ac triginta duas capellanias, necnon anniversaria, aliaque jura & onera, reservato tamen decano & capitulo dictæ ecclesiæ jure quod eis competit, ut prius, conferendi beneficia in dicta collegiata ecclesia, & extra eam fundata, etiam erga capellanos amovibiles, & eidem capitulo tamquam rectori primario deputandi canonicum, qui certis anni diebus in dicta sancti Salvatoris ecclesia missas & horarum solemnia peragat & exequatur; necnon administrandi sacramenta pro tempore existentibus regi Franciæ & sanguinis principibus, primariisque regni administris, in eventum in quem illos seu eorum aliquem in dicta civitate Blesensi commorari contingat, ad sic erectam cathedralem ecclesiam Blesensem de simi-

B libus consilio & authoritate etiam perpetuo transferimus, & sic ipsa ecclesia Blesensis, prioratum sancti Solemnis in ejusdem ecclesiæ dignitatem sextam & ultimam futuram, quem modernus & pro tempore obtinens dictum prioratum in reliquum clerum & populum dictæ parochiæ curam animarum, ut prius exercebit; cum hoc discrimine quod licet dictus prioratus sit & esse debeat sexta & ultima dignitas in dicta ecclesia, tamen modernus prior sancti Solemnis præfati, dignitatis titulo, ut præfertur, decoratus quoad vixerit & dictum prioratum obtinuerit, secundum locum inter dignitates, id est immediate post decanum locum sibi vindicabit: & tam dignitates quam canonicatus & præbendas hujusmodi, tam in collegiata ex nunc erectos, quam in cathedrali ecclesiis præfatis erigendos obtinentes, capi-

C tulum cum mensa capitulari, sigillo & arca communibus, aliisque insigniis capitularibus constituant, apud dictam ecclesiam Blesensem residere, stallumque in choro ac vocem in capitulo ipsius, necnon in actibus & functionibus ecclesiasticis intra & extra illam ubilibet, juxta eorum respective antiquitatem receptionis dumtaxat, absque ulla alia cujusvis gradus seu qualitatis distinctione, & in ipsa ecclesia singulis diebus horas canonicas, tam diurnas quam nocturnas, & missas, servata ecclesiastica disciplina, uniformiter celebrare & decantare, illisque interesse, ac alias dictæ ecclesiæ Blesensi in divinis deservire, ceteraque onera injuncta & pro tempore injungenda subire & exercere ac adimplere respective debeant & teneantur; ac tam in choro quam in capitulo, processionibus & aliis actibus & functioni-

D bus, habitus de jure gestari solitos etiam deferre & gestare libere & licite possint & valeant. Præterea nos omnimodam jurisdictionem, superioritatem & authoritatem in capitulum, dignitates, canonicos, ministros & officiales dictæ ecclesiæ, a jurisdictione & superioritate episcopi Carnotensis exemptos & liberatos, pro tempore existenti episcopo ejusdem ecclesiæ Blesensis concedimus & attribuimus, eidemque jus, authoritatem & potestatem quæcumque & aliacumque, cum cura & sine cura, beneficia ecclesiastica quomodolibet nuncupata & qualificata, in cathedrali & aliis ecclesiis civitatis Blesensis, necnon in tota sua diœcesi Blesensi consistentia, & extra illam ea quæ a dictis monasteriis sancti Launomari & Burgimedii, ac prioratibus hujusmodi unitis dependere dignoscuntur, occurrentibus

E quovismodo illorum vacationibus, personis idoneis, dummodo tamen beneficia hujusmodi sub concordatis præfatis non comprehendantur, pleno jure conferendi & de illis etiam providendi concedimus & impartimur. Et quia ex distractione & dismembratione dictæ ecclesiæ Blesensis a diœcesi Carnotensi, aliqua damna episcopo & capitulo ac archidiaconis ecclesiæ Carnot. inferuntur, nos ad enixas dicti Ludovici regis preces mensam abbatialem monasterii Gaudivallensis, vulgo *de Joyenval*, Præmonstratensis ordinis, Carnotensis diœcesis, illius commenda in quam ex concessione apostolica ad vitam obtineri consuevit per obitum Georgii d'Aubusson de la Feüillade illius ultimi abbatis commendatarii extra Romanam curiam defuncti, cessante vacantis, ad quod

dum pro tempore vacat idem Ludovicus rex vigore concordatorum præfatorum personam idoneam nominare potest & debet, salva & illæsa illius mensa conventuali remanente, expresso dicti Ludovici regis ad id accedente consensu, etiam supprimimus & extinguimus, omnes & singulos dictæ mensæ abbatialis Gaudivallensis fructus, redditus & proventus, eidem ecclesiæ Carnotensi seu illius mensæ episcopali unimus, applicamus & appropriamus: ita tamen ut ex fructibus hujusmodi trecentæ libræ Turonenses unicuique ex tribus dictis archidiaconis ecclesiæ Carnotensis præfatæ, præsentibus & futuris pro indemnitate suorum jurium annuatim persolvantur; & casu quo modernus archidiaconus Dunensis ex nunc distractioni & dismembrationi partis seu portionis sui archidiaconatus consentire, & tali compensationi acquiescere renuerit seu noluerit, nos jura & jurisdictionem ipsius in illa parte seu portione sui archidiaconatus, ut præfertur, distracta & dismembrata, quamdiu vixerit & dictum archidiaconatum obtinuerit, reservamus; quodque deinceps perpetuis futuris temporibus, quandocumque & quotiescumque eamdem ecclesiam Carnotensem per obitum illius episcopi, aut cessionem in manibus Romani pontificis pro tempore existentis, etiam ex causa permutationis, vel coadjutoriæ aut alias quovismodo, pastoris solatio destitui contigerit, omnes & singuli dictæ mensæ abbatialis Gaudivallensis fructus, redditus & proventus præfati, cujuslibet primi anni post singulam vacationem, ad capitulum, dignitates & canonicos dictæ ecclesiæ Carnotensis, detracta tamen prius ex eis summa præfatis tribus archidiaconis assignata, & supportatis quibusvis aliis debitis oneribus, spectent & pertineant. Et quia in dicta civitate Blesensi domus pro episcopi habitatione constructa non extat, nos supradicto episcopo futuro facultatem & licentiam domos in dicta civitate Blesensi aut alibi existentes, & ad mensas abbatiales dictorum monasteriorum sancti Launomari & de Burgomedio spectantes, vendendi, alienandi aut hypotecandi, & ex illis retractum pretium in emptionem situs, & constructionem & ædificationem domus episcopalis hujusmodi convertendi & erogandi, etiam concedimus & impartimur. Statuimus quoque ut donec seminarium ad præscriptum concilii Tridentini institutum fuerit, clerici sacris initiandi seu & initiati in seminario Carnot. educari & instrui poterunt. Insuper etiam episcopo, dignitatibus, capitulo & canonicis præfatis, ut pro dictæ ecclesiæ Blesensis, ac illius mensæ capitularis, sacristiæ & fabricæ, eorumque rerum & bonorum, tam spiritualium quam temporalium, prospero & felici statu, regimine, gubernio, directione ac onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum, tam diurnorum quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum & aliorum præfatorum celebratione; ac de dignitatibus, canonicatibus & præbendis, aliisque beneficiis & ministeriis ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione & admissione, residentia personali; distributionum etiam quotidianarum & emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione & administratione; pœnarum per absentes & divinis suis loco & tempore non assistentes, seu onera & ministeria eis incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione, singulorum præsentias & absentias notandi, cæremoniis & ritibus in cathedrali ecclesia, choro, capitulo, processionibus & aliis actibus servatis servandis, & ministris dictæ ecclesiæ Blesensis necessariis deputandis & amovendis, salariis & stipendiis eorum cuilibet assignandis & quibusvis aliis rebus in præmissis & circa ea quomodolibet necessariis & opportunis; quæcumque statuta, ordinationes, capitula & decreta, licita tamen & honesta, & sacris canonibus, præsertim vero concilii Tridentini decretis & constitutionibus apostolicis non contraria, condendi & edendi, ac condita & edita, pro temporum & rerum varietate & qualitate mutandi, limi-
A tandi, corrigendi, declarandi, interpretandi & in meliorem partem redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi & edendi, & per eos ad quos pro tempore spectabit sub pœnis in contravenientes statuendis observari faciendi, plenam, liberam & omnimodam facultatem etiam concedimus & impartimur; necnon episcopo, ut præfertur, ac dignitates in præfata ecclesia Blesensi obtinentibus, ac capitulo & canonicis ejusdem ecclesiæ, aliisque capituli & ecclesiæ hujusmodi personis & ministris pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus & gratiis, quibus alii præfati & aliarum ecclesiarum dignitates obtinentes, capitula & canonici, aliæque civitates
B & diœceses, ac eorum cleri, incolæ & habitatores, eorumque res & bona fruuntur, potiuntur ac gaudent, seu uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad habitus delationem, ut præfertur, uti, frui, potiri & gaudere libere & licite possint ac valeant, concedimus & indulgemus: ac eidem Ludovico ejusque successoribus Franciæ regibus, attenta suppressione & extinctione præfatarum mensarum abbatialium & earum fructuum pro dote seu dotis parte dicti episcopatus Blesensis unione mensis episcopalibus Blesensi & Carnotensi præfatis de consensu dicti Ludovici regis ut supra factis, jus nominandi ad dictam ecclesiam Blesensem, quandocumque & quotiescumque illa pastoris solatio destituta fuerit, juxta formam & dispositionem concordatorum præfatorum
C etiam perpetuo reservamus, concedimus & assignamus. Præsentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu; etiam ex eo quod causæ propter quas præmissæ emanarunt, coram nobis, vel alibi verificatæ & approbatæ, ac quicumque in præmissis interesse habentes seu habere prætendentes ad id vocati, citati & auditi non fuerint, & præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, remedium impetrari, vel sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas aut cancellariæ apostolicæ regu-
D las, quandocumque etiam in crastinum Assumptionis successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem vel alias quandocumque editas, vel sub quibusvis tenoribus & formis emanatas & in posterum edendas & emanandas, nullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas, & quoties emanabunt toties in pristinum & validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes episcopum & dignitates, capitulum & canonicos hujusmodi eligenda restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac denuo concessas, semperque validas esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; necnon episcopo, dignitatibus, capitulo & canonicis hujusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari, sicque & non alias per quoscumque judices ordinarios vel
E delegatos, quavis authoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere: & si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, nonobstantibus nostris & cancellariæ apostolicæ regulis de gratiis & indulgentiis adinstar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon de jure quæsito non tollendo ac de unionibus committendis, ad partes vocatis quorum interest: ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus & generalibus conciliis editis vel edendis

constitutionibus: quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio & expressio ad hoc servanda foret, illis in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse juxta decretum congregationis rebus consistorialibus præpositæ harum serie derogamus, contrariis quibuscumque..... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ separationis, dismembrationis, segregationis, divisionis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, attributionis, assignationis, subjectionis, suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, applicationis, appropriationis, translationis, voluntatis, mandati, impartitionis, suppressionis, extinctionis, reservationis, indulti, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, kalendis Julii, pontificatus nostri anno sexto. *Sic Signatum,* pro eminentissimo domino cardinale Otthobono Summatore J. Ciampinus, B. cardinalis prodatarius, J. F. cardinalis Albanus. *Visa* J. Ciampinus, P. Brunettus.

XXXVI.

Instrumenta ad unionem capituli sancti Jacobi cum capitulo S. Ludovici & creationem duorum archidiaconorum spectantia.

1699. LE Jeudi 2. Juillet 1699. capitulans messieurs Yvonnet doien, Loüis Frotté prieur, Jean Simart chantre, Sebastien Coytin sous-doien, Gilles de Remeon prevost, Estienne de Vernefon tresorier, François Mahy, Jacques Charanton, Antoine Gay, Loüis Bruel, François Pyvart, dignités & chanoines, pour tenir le chapitre general, ordonné Vendredy dernier pour cejourd'huy; mondit sieur Yvonnet a dit qu'il s'agissoit enfin de deliberer à fond, tant sur la requête du vice-promoteur, tendante à l'union du chapitre collegial de saint Jacques avec le chapitre cathedral de saint Loüis, & à la création de deux archidiacres, que sur l'ordonnance de monseigneur l'evêque du 12. Juin dernier, portant que ladite ordonnance seroit communiquée aux deux chapitres, pour être oüis sur les fins d'icelle le 19. dudit mois; qu'il ne doutoit point qu'aiant eu tout le temps necessaire pour penser meurement à cette affaire, ils n'en fussent suffisamment instruits pour en dire leur sentiment, & qu'ainsi il n'y avoit qu'à faire lecture de ladite requête, ordonnance & autres pieces y enoncées, ensemble des consentemens donnés par ledit chapitre de saint Jacques, les 17. & 19. desdits mois de Juin, pour deliberer ensuite & prendre la resolution qu'ils estimeroient être la plus avantageuse pour l'eglise cathedrale.

Excerpta è regestis capituli sancti Jacobi.

CEjourd'hui 15. Juin 1699. nous Mathurin Veilpeau, René Bulté, Claude de Beaufort, Gilles de Remeon, Vital Dangle & Jean Trotereau, prêtres chanoines de l'eglise collegiale de saint Jacques, étant assemblés dans notre chapitre en la maniere accoutumée pour y traiter de nos affaires, il nous a été dit par ledit sieur Bulté que Samedi dernier 13. de ce mois il luy avoit été signifié de la part de messire Claude Hardouyn vice-promoteur, une requête avec une ordonnance de monseigneur l'evêque de Blois, & autres pieces y attachées, le tout tendant à l'union de notre chapitre avec le chapitre de l'eglise cathedrale de saint Loüis, dont il avoit à nous faire la lecture, afin de deliberer sur ce qu'il conviendra faire pour satisfaire à ladite ordonnance. Surquoi lecture aiant été faite, tant de ladite requête & ordonnance, que des autres pieces y jointes, il a été resolu tout d'une voix, que pour y penser plus meurement & en deliberer plus à fond, nous nous assemblerions capitulairement Mercredi prochain. Fait en notre chapitre, &c.

Cejourd'hui 17. Juin 1699. nous Mathurin Veilpeau, René Bulté, Claude de Beaufort, Gilles de Remeon, Vital Dangle & Jean Trotereau, tous prêtres chanoines de l'eglise collegiale de saint Jacques, étant assemblés dans notre chapitre en la maniere accoutumée, conformement à la resolution qui en avoit été prise Lundi dernier 15. de ce mois, pour deliberer sur la requête presentée à monseigneur l'illustrissime & reverendissime evêque de Blois, par messire Claude Hardouyn vice-promoteur de son officialité, & tendante à ce qu'il plût à sa grandeur faire l'union de notre chapitre avec le chapitre cathedral de saint Loüis, pour les raisons y contenues; ensemble l'ordonnance de mondit seigneur du 13. de ce mois, portant que ladite requête nous seroit communiquée avec l'ordonnance & les pieces y enoncées, pour être oüis & entendus Vendredi prochain 19. de ce mois, sur les fins d'icelle; après avoir fait de nouveau la lecture de ladite requête & ordonnance, ensemble le brevet de consentement donné par Sa Majesté le 24. Avril dernier, & avoir murement examiné la necessité qu'il y a de faire ladite union, tant à cause de la modicité de nos revenus, que de l'impuissance où nous sommes, n'étant que six chanoines en tout, de faire le service divin avec la decence convenable, avons consenti & consentons tout d'une voix à ladite union de notre chapitre avec le chapitre cathedral de saint Loüis, aux conditions que monseigneur l'evêque trouvera à propos: pour satisfaire entierement à son ordonnance, avons député & députons les sieurs Bulté & de Beaufort pour comparoître en notre nom Vendredi prochain devant sa grandeur, lui remettre une copie en bonne forme de la presente deliberation, renouveller en sa presence notredit consentement, & en demander acte. Fait en notre chapitre ledit jour 17. Juin 1699.

Et le 16. Juillet 1699. lesdits sieurs denommés ci-avant, chanoines de saint Jacques, monsieur Veilpeau a dit que messieurs du chapitre cathedral de saint Loüis aiant donné leur consentement à l'union des deux chapitres sous certaines conditions contenues dans la deliberation capitulaire du 2. du present mois, monseigneur l'evêque avoit ordonné que tant ladite deliberation que son procès-verbal du 4. contenant aussi ledit consentement sous les mêmes conditions, nous seroient communiqués pour y donner notre approbation ou empêchement. En consequence de laquelle ordonnance les pieces nous aiant été communiquées de la part du vice-promoteur de l'officialité, il s'agissoit à present de les examiner, & deliberer sur chacune desdites conditions y exprimées. Surquoi lecture a été faite, tant de ladite deliberation du chapitre cathedral du 2. Juillet, que du procès-verbal du 4. de ce mois, dont suit la teneur.

Tous lesquels actes de consentement dudit chapitre cathedral, ensemble tous les articles & conditions y contenus, après les avoir murement examinez, nous dits chanoines du chapitre collegial de S.t Jacques avons loüé & approuvé, loüons & approuvons, & promettons de les executer de notre part selon leur forme & teneur. Et pour presenter notre deliberation à monseigneur notre evêque, avons deputé & deputons lesdits sieurs Bulté & de Beaufort auxquels nous donnons pouvoir de consentir de nouveau en notre nom, aux conditions d'union exprimées dans ladite deliberation & procès-verbal. Fait en notre chapitre les jour & an que dessus.

Conditiones unionis utriusque capituli.

1.° QU'en conséquence de cette union les deux chapitres de saint Loüis & saint Jacques feront conjointement le service divin dans la cathedrale, & ne composeront à l'avenir qu'un seul & même chapitre cathedral sous l'invocation de saint Loüis roi de France.

2.° Et neanmoins pour conserver audit chapitre de saint Loüis un rang qui marque, tant l'ancienneté & la préseance de la premiere eglise de saint Sauveur, que l'avantage qu'il a d'avoir été seul erigé en cathedral, les chanoines de saint Loüis precederont toujours & à perpetuité ceux de saint Jacques dans le chœur, marches, processions, chapitres, assemblées & autres lieux generalement quelconques, sans qu'aucuns desdits chanoines de saint Jacques en cette qualité puissent pretendre, ni pour le présent ni à l'avenir d'interrompre le rang desdits chanoines de saint Loüis, mais seulement de se ranger immediatement après eux, sauf pour le stal du chœur où les chanoines de saint Loüis simples clercs, seront comme à l'ordinaire dans les chaises basses.

3.° Les menses des deux chapitres demeureront séparées à perpetuité, en sorte que celle du chapitre de saint Loüis demeurera propre & particuliere aux chanoines qui le composent, & nommée la mense saint Loüis ci-devant saint Sauveur; de même que celle du chapitre à present collegial, demeurera propre & particuliere aux chanoines dont il est composé, & sera appellée la mense saint Jacques.

4.° Chaque mense aura ses archives, s'assemblera pour ses affaires en differens lieux & differens tems, & acquitera ses charges, comme elle faisoit avant l'union des deux chapitres.

5.° Les chanoines de la mense saint Jacques auront leur semaine pour officier & dire la grand-messe, & feront à leur tour les autres fonctions que les chanoines de saint Loüis ont accoutumé de faire dans l'eglise, hormis les jours qu'on appelle decanaux, & auxquels le doien, en l'absence de monseigneur l'evêque, a droit d'officier ou de faire quelque ceremonie extraordinaire; lequel droit ne pourra être devolu qu'aux seuls chanoines prebendés de la mense saint Loüis.

6.° Lesdits chanoines de la mense saint Loüis acquiteront les hebdomades des chanoines de la mense saint Loüis; & les chanoines de saint Jacques celles des chanoines de la mense saint Jacques.

7.° Les chanoines de chaque mense joüiront separement sans aucune confusion, du revenu de leurs obits & autres fondations, dont le service sera reglé par monseigneur l'evêque.

8.° Lesdits chanoines de la mense saint Jacques seront sujets aux statuts du chapitre de saint Loüis, & au droit curial que le doien exerce, tant sur les dignités que sur les autres beneficiers & officiers de l'eglise cathedrale; lequel droit en l'absence du doien, appartiendra aux seuls chanoines prebendés de la mense saint Loüis, suivant l'usage & le reglement qui en a été fait.

9.° Ils seront reçûs à l'avenir par le chapitre cathedral composé des chanoines des deux menses, feront le serment entre les mains du doien ou de tel autre chanoine de la mense saint Loüis qui y presidera, paieront cent livres pour le droit d'entrée, lequel sera emploié de même que celui qu'ont accoutumé de paier les dignités & chanoines du chapitre de saint Loüis, à acheter des ornemens pour leur usage commun; & seront enfin obligés de faire le stage ou stat de trois mois, conformement aux statuts dudit chapitre, excepté lorsqu'ils passeront d'un canonicat de la mense saint Jacques à un de la mense saint Loüis; auquel cas ils seront dispensés du stat, mais non pas du droit d'entrée.

10.° Quant à present ils seront tenus seulement de faire ledit serment sans aucune obligation, ni de paier

A le droit d'entrée, ni de faire ledit stat.

11.° Lesdits chanoines de la mense saint Jacques assisteront à tous les chapitres de discipline, & à tous ceux où on recevra une dignité & un chanoine de l'une ou l'autre mense; comme aussi à tous ceux où il s'agira de faire quelque reglement pour l'office ou autres ceremonies ecclesiastiques, ou de prendre quelque resolution pour les affaires communes aux deux menses; lesquels chapitres se tiendront dans le lieu où les chanoines de saint Loüis ont accoutumé de s'assembler; & ce sera toujours un des chanoines de la mense saint Loüis qui y presidera.

12.° Ils n'auront neanmoins aucune part, ni dans la collation des dignités, chanoinies & chapelles dependantes de la mense saint Loüis, ni dans les fonctions B de curé primitif, soit dans l'eglise de saint Sauveur, soit dans le château de Blois lorsque le roi, ou les princes, ou les grands officiers de la couronne s'y trouveront, ni dans la deposition des chapelains aux cas portés par les statuts; tous lesquels droits appartiendront aux seuls chanoines de la mense saint Loüis, exclusivement à ceux de la mense saint Jacques.

13.° S'obligent lesdits chanoines de la mense saint Loüis, de faire toutes les depenses, tant ordinaires qu'extraordinaires, à la decharge des chanoines de la mense saint Jacques.

14.° Seront tenus neanmoins lesdits chanoines de la mense saint Jacques, de faire remettre entre les mains des sacristains de l'eglise cathedrale, tous les ornemens d'autel, chandeliers, croix, ciboire, calices & autre ar- C genterie, chasubles, aubes, pluviaux, chapes, & generalement tout ce dont ils ont accoutumé de se servir pour l'office divin; même de faire porter dans ladite eglise cathedrale leurs cloches, confessionaux, bancs, chaire, & autres meubles pour être confondus avec ceux de la mense saint Loüis; & le tout être à la disposition & usage commun des chanoines & autres beneficiers des deux menses.

15.° Joüiront enfin les chanoines de la mense saint Jacques, comme ceux de la mense saint Loüis, de tous les honneurs, prééminences, prerogatives & autres droits appartenans de droit commun aux autres chapitres cathedraux du roiaume.

16.° Et d'autant que les canonicats de saint Loüis, ci-devant saint Sauveur, ont pû jusqu'à présent être D possedés par de simples clercs, & qu'au contraire pour posseder ceux du chapitre de saint Jacques, il faut être prêtre dans l'an, lesdits canonicats de saint Loüis & saint Jacques demeureront dans le même état & de même nature qu'ils sont par leurs fondations, sans que l'union desdits deux chapitres y puisse apporter aucun changement.

17.° Les deux archidiacres auront rang & séance dans le chœur, processions, chapitres & tous autres endroits; sçavoir, le grand archidiacre immediatement après le chantre, & le second archidiacre après le grand archidiacre & avant le sous-doien.

18.° Ils seront reçûs au chapitre, prêteront le serment entre les mains du doien, & payeront le droit d'entrée.

E 19.° Ils seront sujets aux statuts du chapitre de saint Loüis, & au droit curial que le doien, ou le chapitre en son absence, exerce sur tous les beneficiers de l'eglise cathedrale.

20.° Ils ne pourront officier au chœur, non plus que les autres dignités, s'ils ne sont chanoines prebendés de l'une ou de l'autre mense, ni avoir entrée & voix au chapitre de la mense saint Loüis, s'ils ne sont chanoines prebendés de cette même mense.

21.° Ils assisteront toutefois aux chapitres où les autres dignités ont coutume d'assister, & joüiront de tous les droits, prééminences & prerogatives dont elles joüissent.

22.° Ils n'auront aucune jurisdiction ni droit de

visite sur le chapitre ni dans la cathedrale.

23.° Lesdits archidiaconés dependront de la collation pure & simple de monseigneur l'evêque, & de ses successeurs evêques de Blois.

Et pour satisfaire entierement à l'ordonnance de monseigneur l'evêque, lesdits sieurs doien, dignités, chanoines & chapitre ont nommé messieurs François Mahy & François Pyvart chanoines prebendés, auxquels ils ont donné pouvoir de se transporter chez mondit seigneur l'evêque, & en lui remettant la presente deliberation avec les precedentes, de consentir de nouveau en leur nom, tant à l'union du chapitre collegial de saint Jacques avec ledit chapitre cathedral de saint Loüis, qu'à la creation de deux archidiacres, aux conditions ci-dessus marquées. Fait & arrêté en chapitre ledit jour 2. Juillet 1699. & ont signé sur le registre.

Et le 8.° Juillet 1699. lesdits sieurs doien & chanoines de saint Loüis, ci-devant saint Sauveur, assemblés en leur chapitre ont ordonné que le consentement des sieurs chanoines de saint Jacques pour leur union à la cathedrale, seroit écrit dans leur registre, dont s'ensuit la teneur.

L'an 1699. le 7. Juillet pardevant nous David Nicolas de Berthier premier evêque de Blois, ont comparu messires René Bulté & Claude de Beaufort chanoines de l'eglise collegiale de saint Jacques; lesquels en consequence du pouvoir à eux donné par la deliberation prise le jour d'hier dans leur chapitre, nous ont remis ladite deliberation portant approbation des conditions contenuës dans les consentemens des 2. & 4. de ce mois, par le chapitre cathedral à l'union des deux chapitres; & de plus ont de nouveau consenti & consentent par ces presentes au nom desdits chanoines de saint Jacques, auxdites conditions d'union, promettant de les executer de leur part, de quoi ils ont demandé acte que nous leur avons accordé, & ont signé avec nous. Fait dans notre hotel episcopal les jour & an que dessus.

Le Lundi 24. Aoust 1699. capitulans lesdits sieurs ci-avant denommés, monsieur Gay chanoine & sindic du chapitre a presenté à la compagnie le decret rendu par monseigneur l'evêque de Blois le 17. Juillet dernier, concernant l'union du chapitre collegial de saint Jacques, & la creation de deux archidiaconés; lequel après avoir été lû, a été unanimement loüé & approuvé desdits sieurs, lesquels ont ordonné qu'il sera enregistré dans les registres du chapitre, pour être observé selon sa forme & teneur: & au cas qu'il arrive dans la suite quelque contestation entre les chanoines de saint Loüis, ci-devant de saint Sauveur, & ceux de saint Jacques, touchant l'explication dudit decret, on aura recours aux conditions contenuës dans le consentement dudit chapitre cathedral, & acceptées par le chapitre de S.t Jacques.

Decretum episcopi Blesensis.

DAvid Nicolas de Berthier, par la permission divine & la grace du S.t siege apostolique, premier evêque de Blois, à tous ceux qui ces presentes lettres verront, salut & benediction en notre Seigneur Jesus-Christ. Parmi tous les differens soins dont nous nous trouvons chargés dans la formation de cette nouvelle eglise, depuis qu'il a plû à la divine providence de nous y appeller, nous avons toujours estimé comme un des principaux & des plus importans, celuy d'y établir partout la decence & l'éclat convenable au service divin, & plus particulierement encore dans notre cathedrale par laquelle il est juste de commencer, devant servir de modele à toutes les autres eglises du diocese, tant pour ce qui regarde l'essentiel du culte qui consiste dans la pieté & dans les mœurs, que pour ce qui en fait la forme exterieure dans la celebration de nos saints

A mysteres, & de tout le reste de l'office public.

Ce qu'il y a sans doute de plus necessaire pour s'en bien acquiter, est que ceux qui en sont les ministres soient dans un nombre suffisant pour en remplir toutes les fonctions: c'est à quoy le saint Concile de Trente nous recommande si expressement dans la session 21. chap. IV. de tenir la main, ne faisant point de difference entre la celebration du service divin & l'administration des sacremens même. Mais nous representant ces deux choses comme d'une egale importance, & voulant que pour l'une aussi-bien que pour l'autre nous contraignions ceux que cela regarde, au cas qu'ils ne soient pas en assés grand nombre, de prendre autant d'adjoints pour cet employ, qu'il leur en faudra pour y satisfaire; c'est aussi dans ce même esprit qu'il

B ordonne dans le chap. 5.e de la même session, que pour conserver les eglises & y maintenir la celebration des saints mysteres dans un état convenable à leur dignité, les evêques pourront faire des unions à perpetuité de toutes sortes d'eglises ou benefices, cures & non cures, & sans que ces unions puissent être revoquées ou detruites par aucune provision, ni même pour cause de resignation.

Quoique nous eussions bien jugé par toutes ces raisons dez le commencement de l'érection de cette eglise, que la faisant passer de l'état de collegiale où elle étoit, à la dignité de cathedrale, il faudroit augmenter le nombre des chanoines & même des dignités pour y faire un service proportionné à son nouvel état; nous avons voulu neanmoins differer quelque tems

C pour examiner encore les choses de plus prez, & penser plus meurement aux expediens les plus convenables qui seroient à prendre; ce qu'ayant fait devant Dieu avec toutes les reflexions & les prieres que l'importance de l'affaire pouvoit demander, sur-tout depuis la requête à nous presentée sur ce sujet par notre vice-promoteur du 12. Juin, nous n'avons rien trouvé de mieux à faire pour le present, que ce qui est contenu dans ladite requête, qui est d'unir le chapitre collegial de saint Jacques à notre chapitre cathedral, & d'y créer de nouveau deux dignités d'archidiacres.

Cette création nouvelle nous a paru une suite necessaire de l'érection de notre evêché, conformement à l'usage où sont les cathedrales d'avoir des archidiacres dont les fonctions tiennent de plus prez à l'evêque

D que celles d'aucune autre dignité, & lui servent dans tous les offices pontificaux.

Et à l'egard de l'union des deux chapitres, outre l'avantage de l'augmentation du service divin dans notre eglise où elle est si necessaire, nous comptons pour beaucoup de le faire cesser par même moien dans l'eglise collegiale où les chanoines, à cause du mauvais état du lieu, aussi-bien que de leur petit nombre & de la modicité de leur revenu, sont si peu en pouvoir de s'en acquiter avec la decence qu'ils souhaiteroient.

Ainsi tout semble nous inviter à une œuvre si conforme à celle de l'érection de notre nouvelle eglise, & en même tems si avantageuse aux parties qui y peuvent avoir interest: nous nous trouvons d'ailleurs d'autant plus portés à la consommer, que le roi par

E sa bonté ordinaire, accoutumé à prevenir nos besoins, a bien voulu nous la faciliter, & même la commencer en quelque maniere, en consentant par un brevet exprès que nous procedions à ladite union du chapitre saint Jacques, dont cinq canonicats dependent de la collation de Sa Majesté, & de l'autre nous autorisant par ses lettres patentes à créer un ou deux archidiaconés, même par union de benefices pour leur dotation.

C'est pourquoi vû la requête du vice-promoteur de notre officialité, contenant les demandes & raisons ci-dessus exprimées, & concluant à ce qu'il nous plaise proceder à l'union dudit chapitre collegial de saint Jacques de Blois avec le chapitre cathedral, pour faire

faire conjointement dans notre eglise cathedrale le A service divin avec la decence & la solemnité convenables, comme aussi créer en même tems deux archidiaconés sous la denomination de grand & second archidiacres; & pour la fondation & dotation d'iceux, y unir partie des prieurés ci-devant dependans de l'abbaïe de saint Laumer unie à notre mense episcopale, & à present de notre collation, tels que nous jugerons à propos; notre ordonnance du 12. Juin au bas de ladite requête, portant qu'elle seroit communiquée avec les pieces y énoncées, au sieur doien, chanoines & chapitre de notre eglise cathedrale, & aux sieurs chanoines & chapitre de l'eglise collegiale de S.t Jacques, pour être par nous oüis sur les fins d'icelle le 19. dudit mois, & qu'à la diligence du suppliant il seroit aussi informé d'office par le sieur du Tail vice gerent B de notredite officialité, de la necessité ou de l'inutilité, tant de ladite union desdits chapitres, que de l'érection desdits archidiaconés, pour le tout vû & examiné, être ordonné ce qu'il appartiendra; exploit de signification du 13. du même mois, tant de ladite requête & pieces y énoncées, que de ladite ordonnance, aux chapitres cathedral & collegial, par Chevau huissier en notre cour episcopale; brevet du roi du 4.e Avril dernier, par lequel Sa Majesté consent que ledit chapitre de l'eglise collegiale de saint Jacques soit uni à notre chapitre cathedral, se reservant neanmoins la collation desdits canonicats de ladite eglise collegiale; lettres patentes en confirmation de l'érection de l'evêché de Blois, données à Versailles au mois de Mars 1698. par lesquelles Sa Majesté, entr'autres choses, agrée qu'en cas C que nous le jugions necessaire, nous créeons de notre autorité un ou deux archidiaconés dans notredite eglise cathedrale, soit en donnant la qualité d'archidiacre à une ou deux dignités de notre chapitre, & leur attribuant le pouvoir d'en faire les fonctions, ou en les fondant par union de benefices, ou de telle autre maniere que nous aviserions bon être; autre brevet du roi du 3. septembre 1695. par lequel Sa Majesté veut, consent & accorde que vacation arrivant par mort, demission, resignation ou permutation des prieurés conventuels sociaux ou simples, & même des chapelles dependantes de l'abbaïe de saint Laumer, le titre en soit éteint & supprimé, & les revenus en dependans unis à perpetuité, partie à l'evêché pour en faire la dotation, & partie au chapitre de l'eglise cathedrale pour y aug- D menter le nombre des dignités, chanoines ou autres officiers & autres beneficiers, sans que les possesseurs desdits prieurés ou autres benefices à unir, puissent en disposer par resignation, permutation ni autrement; deliberation des chanoines du chapitre collegial de saint Jacques du 15. Juin 1699. par laquelle, après la lecture de la requête du vice-promoteur & de notredite ordonnance du 12. il est resolu que pour y penser plus meurement & en deliberer plus à fond, ils se rassembleroient capitulairement le Mercredy suivant; autre deliberation capitulaire desdits chanoines de S.t Jacques du Mercredy 17. Juin, par laquelle, après avoir fait de nouveau la lecture de ladite requête & ordonnance, ensemble du brevet de consentement de Sa Majesté du 24. Avril, & avoir meurement examiné la necessité qu'il y a de faire ladite union pour les raisons y exprimées, ils ont consenti tout d'une voix à ladite union, aux conditions que nous trouverons à propos, & ont deputé les sieurs Bulté & Beaufort chanoines, pour comparoître en leur nom devant nous le Vendredi suivant, & nous remettre une copie en bonne forme de leur deliberation, renouveller en notre presence leur consentement, & en demander acte; procès-verbal de la comparution desdits sieurs Bulté & Beaufort du 19. dudit mois de Juin, par lequel, en consequence de la deliberation du 17. après nous avoir mis en main ledit acte de consentement, ils ont consenti de nouveau au nom du chapitre collegial de saint Jacques, à ladite union des deux chapitres, à telles clauses & conditions que nous trouverions justes & raisonnables; notre ordonnance du 22. dudit mois au bas dudit procès-verbal, portant qu'il seroit communiqué avec l'acte de consentement du 17. y énoncé, audit vice-promoteur du 22. à ce que le tout fût communiqué aux sieurs doien, chanoines & chapitre cathedral de saint Loüis, & notre ordonnance du même jour conforme auxdites requisitions; deliberation des sieurs doien, chanoines & chapitre de notre eglise cathedrale assemblés en leur chapitre general ledit jour 15. Juin, par laquelle, lecture aiant été faite de ladite requête du vice-promoteur, tendante à l'union des deux chapitres, & à la creation de deux archidiacres, & de notre ordonnance au bas d'icelle, il est arrêté qu'il en sera par eux deliberé au chapitre du Vendredi suivant 19. dudit mois, auquel les dignités seroient appellées comme y étant interessées; autre deliberation desdits sieurs doien, chanoines & chapitre cathedral dudit jour 19. Juin, portant qu'attendu l'absence de partie des dignités, les sieurs Yvonnet doien, & de Vernesson chanoine tresorier se transporteroient vers nous, conformement à notre ordonnance du 12. & nous prieroient de vouloir agréer que le chapitre prît le tems necessaire pour convoquer les dignités & chanoines, afin de deliberer à fond sur le fait dont il s'agit; autre deliberation dudit chapitre cathedral du 26. Juin, par laquelle, après que lesdits sieurs Yvonnet & de Vernesson auroient rapporté que nous avions agréé que le chapitre prit tout le tems necessaire pour deliberer sur ladite requête du vice-promoteur, il est resolu de convoquer pour le Jeudy suivant 2. de ce mois, un chapitre general où les dignités seroient appellées, & qu'à cet effet le secretaire du chapitre iroit chez eux & chez les chanoines capitulans, pour les avertir, tant de la tenue dudit chapitre ledit jour à 9. heures, que du sujet qu'on y devoit traiter; autre deliberation desdits sieurs doien, dignités, chanoines & chapitre cathedral de saint Loüis, dudit jour 2. Juillet, par laquelle étant tous extraordinairement assemblés pour tenir le chapitre general qui avoit été ordonné & convoqué le 26. Juin, après avoir fait la lecture de ladite requête du vice-promoteur, de notre ordonnance & autres pieces, ensemble des consentemens des 17. & 19. Juin, donnés par le chapitre collegial de saint Jacques, ils ont tous consenti à l'union dudit chapitre collegial avec notre chapitre cathedral de saint Loüis, & à la creation de deux archidiaconés sous la denomination de grand & second archidiacres, le tout aux conditions y exprimées, avec deputation des sieurs Mahy & Pyvart chanoines, & pouvoir de se transporter vers nous, & en nous remettant ladite deliberation avec les precedentes, de consentir d'abondant au nom dudit chapitre cathedral, tant à ladite union des deux chapitres, qu'à la creation de deux archidiacres; procès-verbal du 4. du mois, contenant la comparution devant nous desdits sieurs Mahy & Pyvart, la remise desdites deliberations & le nouveau consentement par eux donné au nom dudit chapitre cathedral; notre ordonnance du même jour portant que ledit procès-verbal, ensemble l'acte capitulaire y énoncé, seroient E communiqués au vice-promoteur de notre officialité; les requisitions dudit vice-promoteur, à ce que le tout fût communiqué aux sieurs chanoines du chapitre collegial de saint Jacques, pour leur consentement ou empêchement vû, être requis ce que de raison; notre ordonnance dudit jour portant ladite communication; deliberation capitulaire desdits sieurs chanoines de saint Jacques du 6. de ce mois de Juillet, par laquelle, après avoir lû & examiné lesdits actes de consentement donné par le chapitre cathedral, ensemble les articles & conditions y contenus, ils les auroient loüés & approuvés, & promis de les executer de leur part, selon leur forme & teneur; & pour nous presenter ladite deliberation, ils auroient deputé les sieurs Bulté & Beaufort chanoines,

& leur auroient donné pouvoir de consentir de nouveau en leur nom, auxdites conditions d'union; notre procès-verbal du 7. dudit mois, contenant la comparution desdits sieurs Bulté & Beaufort; la remise de la deliberation capitulaire du 6. & le nouveau consentement par eux donné au nom desdits chanoines de saint Jacques; requête du vice-promoteur au vice-gerent de notre officialité, par laquelle il auroit requis qu'en execution de notre ordonnance du 12. Juin, portant qu'à sa diligence il seroit informé d'office par ledit vice-gerent, de la necessité ou inutilité, tant de l'union desdits chapitres, que de la creation de deux archidiaconés; il lui fût permis de faire ladite enquête, & à cette fin de faire entendre des temoins sur les faits articulés en ladite requête; l'ordonnance du vice-gerent dudit jour 7. du present mois, qui permet audit promoteur de faire l'enquête, & ordonne qu'il lui administrera des temoins graves & dignes de foi le Jeudi suivant 9. dudit mois 8. heures du matin dans son hôtel, pour être oüis sur lesdits faits; enquête dudit jour 9. Juillet, contenant les depositions de dix temoins, par lesquelles il appert que n'y aiant dans le chapitre cathedral, outre les chapelains, que six dignités, la plûpart exemptes du point, & douze chanoines, dont il y en a même qui sont absens pour des affaires & pour leurs études, ce nombre n'est pas suffisant pour les offices d'une cathedrale, & qu'ainsi il est necessaire d'y unir le chapitre collegial de saint Jacques, qui de son côté ne sçauroit s'acquiter du service divin avec la decence requise, soit à cause du mauvais état de son eglise depourvûe presque de tout, & de la modicité du revenu qui ne lui permet pas d'y pourvoir, soit à cause du petit nombre des chanoines qui ne sont en tout que six sans aucuns autres beneficiers; & en outre être justifié par lesdites depositions de la necessité qu'il y a de créer deux archidiaconés sous la denomination de grand & de second archidiacres, tant pour la decoration de ladite eglise cathedrale, que pour les offices pontificaux, ordinations & autres fonctions qui leur sont propres; & de leur attribuer pour dotation les prieurés de Candé, Mouthou, Faye & Frementel, qui sont des benefices simples de notre collation, situés dans notre diocese, & d'un revenu suffisant pour l'entretien desdits archidiacres; l'ordonnance dudit vice-gerent du 10. dudit mois, portant que la requête à lui presentée par le vice-promoteur avec son ordonnance, & ladite enquête & toutes les procedures faites pour parvenir à ladite union des deux chapitres, & à la creation de deux archidiaconés, seroient communiquées audit vice-promoteur, pour, ses conclusions definitives vûes, être ordonné ce qu'il appartiendra; conclusions definitives dudit vice-promoteur du 12. dudit mois, à ce qu'il nous plaise faire ladite union du chapitre collegial de saint Jacques au chapitre cathedral de saint Loüis, & créer deux archidiaconés sous la denomination de grand & second archidiacres, le tout aux conditions contenues dans le consentement dudit chapitre cathedral du 2. de ce mois, & acceptées par ledit chapitre de saint Jacques par acte capitulaire du 6. & pour la dotation desdits archidiaconés, ordonner que vacation arrivant par mort, resignation, demission, permutation ou autrement, des prieurés de Candé, Faye, Mouthou & Frementel, les titres en seront deslors éteints & supprimés, & les revenus d'iceux unis à perpetuité; sçavoir, ceux des prieurés de Candé & Faye au grand archidiaconé, & ceux des prieurés de Mouthou & Frementel au second archidiaconé, sans que les possesseurs desdits prieurés les puissent resigner, permuter, ni en disposer en aucune autre maniere qu'en faveur de ladite union.

Le tout consideré, après avoir pris conseil de personnes doctes & pieuses, invoqué le très-saint Nom de Dieu & la grace du saint Esprit, pour qu'il lui plaise que cette œuvre que nous jugeons non seulement utile, mais très-necessaire au bien de notre eglise, soit l'œuvre A de sa main, une veritable œuvre d'union, de paix & de charité, qui bien loin d'être jamais une cause de division & de discorde entre nos freres, les unisse tous ensemble pour procurer de concert la beauté & la gloire de la maison de Dieu dans la celebration de son saint service, & en pouvoir être eux-mêmes le plus grand ornement, l'exemple & l'édification des fideles. Animé de tous ces motifs, & nous confiant en la puissance que nous avons reçûe de Dieu pour gouverner son eglise en la partie qui nous a été commise, & lui fournir les secours spirituels & sur-tout les ministres dont elle a besoin pour remplir ses fonctions avec fruit & avec toute la decence requise. Nous de notre autorité ordinaire & episcopale, & encore en tant que besoin est, de l'autorité deleguée du saint siege apostolique, B & du consentement unanime & réiteré desdits chapitres, avons uni & unissons, incorporé & incorporons ledit chapitre collegial de saint Jacques à notre chapitre cathedral, pour ne faire desormais qu'un seul & même chapitre cathedral sous l'invocation de saint Loüis; comme aussi de notre même autorité ordinaire & episcopale, ou même en tant que de besoin, deleguée du saint siege apostolique, nous avons créé & créons deux archidiaconés dans notredite eglise cathedrale, pour y être desormais la troisieme & quatrieme dignité sous les denominations de grand archidiaconé & de second archidiaconé; le tout en la maniere & suivant les articles ci-dessous exprimés.

1.° Lesdits chapitres ainsi unis & incorporés pour ne composer ensemble qu'un même chapitre cathedral, C feront conjointement le service divin dans notre eglise cathedrale, & y joüiront, comme par-tout ailleurs indivisiblement, de tous les honneurs, prééminences, prerogatives & autres droits appartenans aux autres chapitres cathedraux du roiaume.

2.° Demeureront neanmoins les deux menses, avec leurs obits & autres fondations, separées à perpetuité sous les noms de la mense de S.t Loüis & de la mense de saint Jacques, en sorte que chacune joüira separement de l'autre, des fruits & revenus qui lui appartiennent, & en paiera les charges, aura ses archives, s'assemblera en son particulier pour tout ce qui la regardera, sans que dans tout cela ladite union puisse rendre rien de commun, & nommement dans la collation des dignités, chanoinies & chapelles dependantes D de la mense saint Loüis, où les chanoines de la mense saint Jacques n'auront aucune part, non plus que dans les fonctions de curé primitif de l'eglise de saint Sauveur, ni dans la destitution des chapelains, aux cas portés par les statuts.

3.° Il est juste que lesdits chanoines de la mense saint Loüis, pour marque de l'ancienneté & préseance de leur premiere eglise de saint Sauveur, & de ce qu'ils ont été seuls erigés en cathedrale, conservent quelque prerogative; & pour cet effet, ils precederont toujours & par-tout, pendant même qu'ils ne seront que simples clercs, les chanoines de la mense saint Jacques, sauf dans la seance du chœur, où ils n'occuperont comme à l'ordinaire que les chaises basses, jusqu'à ce qu'ils soient dans les ordres sacrés.

E 4.° Les chanoines de la mense saint Jacques officieront, diront la grand-messe, & feront à leur tour toutes les fonctions de chanoines, ainsi que ceux de la mense saint Loüis; ils assisteront de même à tous les chapitres de discipline, & où il s'agira de recevoir quelque dignité ou chanoine, ou de deliberer sur les affaires communes aux deux menses; mais ils y seront toujours presidés par les chanoines de la mense saint Loüis, auxquels aussi seront devolus par preference à eux, les offices des jours solemnels affectés au doien en notre absence.

5.° Leur reception dans leurs canonicats se fera comme celle des canonicats de la mense saint Loüis, dans un chapitre composé des chanoines des deux

menses, ils prêteront le serment entre les mains du doien ou de telle autre dignité & chanoine de la mense de saint Loüis qui y presidera, ils paieront le droit d'entrée pour être emploié comme celui que paient les autres, à acheter des ornemens pour l'usage commun; ils feront le stat ou stage de trois mois, & en cela comme en tout le reste, ils seront soumis aux mêmes reglemens ou statuts qu'a observés jusques ici le chapitre de saint Loüis, nous reservant dans notre prochaine visite de les examiner plus à fond pour y ajouter ou diminuer selon que nous le jugerons necessaire. Quant à present ils seront tenus seulement de prêter le serment sans faire le stat & paier le droit d'entrée. Ils seront sujets comme tout le reste du chapitre au droit curial que le doien a coutume d'y exercer sous notre autorité, & aucun d'eux ne le pourra exercer en l'absence du doien, qu'au defaut des chanoines de la mense de saint Loüis qui en auront la preference.

6.° Lesdits chanoines de la mense saint Jacques n'aiant plus de service à acquiter dans leur eglise, laquelle nous declarons interdite dez le jour qu'ils en seront sortis, & n'en devant plus faire, comme nous avons dit ci-dessus, que dans notre cathedrale, où nous ordonnons qu'ils acquiteront desormais toutes leurs fondations en la maniere qui leur sera par nous prescrite, ils y feront transporter incessament & remettre entre les mains des sacristains, tous les ornemens d'autel, chandeliers, croix, ciboire, calices & autre argenterie, chasubles, aubes, pluviaux, cloches, & generalement tous meubles d'eglise qui étoient à leur usage & leur servoient à l'office divin; pour le tout être confondu avec ce qui sert dans notre cathedrale, & être mis à la disposition & usage commun des chanoines & autres beneficiers des deux menses; & demeureront obligés lesdits chanoines de la mense de saint Loüis, suivant l'engagement qu'ils ont pris eux-mêmes dans leur consentement, de fournir eux seuls à toutes les autres depenses, tant ordinaires qu'extraordinaires, qu'il conviendra faire, sans en pouvoir jamais rien exiger sous quelque pretexte que ce puisse être, desdits chanoines de la mense saint Jacques.

7.° N'entendons au surplus, quoique par notredite union nous fassions desdits chapitres un seul & même chapitre cathedral, que notre decret apporte aucun changement à la nature & qualité des prebendes de l'une & l'autre mense, suivant leur usage & fondation, laquelle nous laissons dans tout son entier, ainsi que la disposition desdites chanoinies & prebendes que nous reservons à qui il appartient, & specialement à Sa Majesté celle de cinq canonicats de la mense saint Jacques, le sixieme faisant partie des fruits du prieuré de saint Honoré, dont la collation nous appartient à cause de l'abbaïe de Bourgmoien unie à notre mense episcopale.

8.° Et à l'egard de deux nouvelles dignités de grand archidiacre & de second archidiacre, qui dependront de notre collation pure & simple, ainsi qu'en dependent les prieurés que nous voulons affecter & unir pour leur dotation, nous ne pretendons point qu'outre les fonctions qui leur sont propres selon l'usage le plus ordinaire des autres eglises, auprès de nos personnes & de celles de nos successeurs dans nos offices pontificaux, ils aient d'autres droits, prééminences & prérogatives que celles dont joüissent les autres dignités, parmi lesquelles elles tiendront le rang & seance dont on est convenu & que nous leur assignons par notre present decret; sçavoir, le grand archidiacre après le chantre, & le second archidiacre après le grand archidiacre & devant le sous-doien; ce qui aura lieu dans le chœur, processions, chapitres & generalement dans tous les autres lieux & occasions, même celles d'officier ou presider: seront reçûs au chapitre, prêteront le serment, paieront le droit d'entrée, seront sujets aux statuts & reglemens communs audit chapitre, & au droit curial du doien, ainsi que toutes les autres dignités, & ne pourront, non plus qu'elles, officier au chœur, s'ils ne sont chanoines prebendés de l'une ou l'autre mense, ni avoir entrée ni voix au chapitre de la mense de saint Loüis, s'ils ne sont chanoines prebendés de cette même mense.

Et pour la fondation & dotation desdits archidiaconés, nous ordonnons que vacation arrivant par mort, resignation, demission, permutation ou autrement des prieurés de saint Bienheuré de Candé, Notre-Dame de Faye, Mouthou & sainte Opportune de Frementel, les titres en demeureront deslors, en consequence du present decret, sans qu'il soit besoin d'aucun autre, éteints & supprimés, & les revenus unis à perpetuité; sçavoir, ceux des prieurés de Candé & de Faye au grand archidiaconé, & ceux des prieurés de Mouthou & de Frementel au second archidiaconé, sans que les possesseurs desdits prieurés les puissent resigner, permuter, ni en disposer en aucune autre maniere qu'en faveur de ladite union; & seront obligés lesdits archidiacres, lorsqu'ils seront entrés dans la possession desdits fruits, d'acquiter toutes les charges auxquelles lesdits prieurés sont sujets. Donné à Blois dans notre palais episcopal sous notre seing, le sceau de nos armes & le contre-seing de notre secretaire, l'an de notre Seigneur 1699. le 17. Juillet. *Signé* David-Nicolas evêque de Blois. *Et plus bas*, Par monseigneur, Trotereau. Et scellé.

Insinué au greffe des insinuations ecclesiastiques du diocese de Blois par le commis greffier soussigné ledit jour 17. Juillet 1699. registre premier, folio 28. Malescot.

En consequence de ce decret & des provisions de grand archidiacre données le 22.° Aoust audit an par mondit seigneur evêque à messire Loüis Bruel, ledit sieur prêta serment entre les mains du doien, & paia les droits d'entrée qui furent reglés à la somme de 300. livres pour la bienvenue de chacun des archidiacres, lorsque les prieurés seroient réunis à leur benefice, en tout ou en partie; & de 150. livres seulement, tant qu'ils ne seroient point réunis: au moien de quoi il fut mis en possession & installé en la place à lui marquée par le susdit decret, dont est acte sur le registre du chapitre du 24. Aoust 1699.

Et le même jour 24. Aoust 1699. lesdits six chanoines de saint Jacques ci-devant denommés, après avoir prêté le serment entre les mains du doien, furent installés au chapitre & au chœur, suivant l'acte dudit jour.

Suppressio præbendæ unius capituli sancti Jacobi.

LE Vendredi 4. Decembre 1705. le chapitre general assemblé, où étoient messires François Gaultier doien, Loüis Bruel grand archidiacre, Sebastien Coyrin sous-doien, Gilles de Remeon prevost, Estienne de Verneson, François Mahy, Jacques Charanton, Antoine Gay, Claude Hardoüin, Pierre Gaultier, Jean-François Rogier, François Pyvart, Mathurin Veilpeau, René Bulté, Vital Dangles & Jean Trotereau chanoines de l'une & l'autre mense. Ledit sieur Hardoüin sindic a dit que le sieur Coste curé de Villebarou & vice-promoteur de l'officialité avoit fait assigner le chapitre en parlant à sa personne le jour d'hier, à comparoître demain 5. du mois pardevant monseigneur l'evêque, pour donner son consentement à la suppression de la chanoinie & prebende de saint Jacques, ci-devant affectée au prieuré de saint Honoré, & à l'union des fruits en dependans aux cinq autres chanoinies de la même mense, ou deduire leurs moiens d'empêchemens s'ils en ont aucuns, & ce en vertu d'une ordonnance de monseigneur l'evêque du 3. Novembre dernier, portant entr'autres choses qu'à la diligence dudit vice-promoteur, tous les interessés en ladite suppression & union, ou pretendus tels, seront assignés devant lui

pour y donner leur consentement, ou deduire les moiens d'opposition; de laquelle ordonnance, ensemble de la requête dudit vice-promoteur, & d'autre requête de messieurs les chanoines de la mense de saint Jacques, tendante à mêmes fins, & de l'ordonnance du 19. Octobre dernier rendue sur icelle, ainsi que dudit exploit d'assignation, ledit sieur Hardoüin a presenté la copie qui lui avoit été laissée, dont lecture aiant été faite, & messieurs les chanoines de la mense de S.t Jacques s'étant retirés à cause qu'ils sont parties & demandeurs en cette affaire, messieurs les doien, chanoines & chapitre de la mense de saint Loüis ci-dessus nommés, après une longue & meure deliberation ont tous convenu que la suppression de ladite chanoinie ou prebende affectée au prieur de saint Honoré, & l'union des fruits d'icelle aux cinq autres chanoinies ou prebendes de la même mense, ne peut porter aucun prejudice au service de la cathedrale, pour lequel il restera encore un nombre suffisant de chanoines & de chapelains; mais qu'au contraire elle est absolument necessaire pour augmenter le revenu des cinq autres chanoines, qui ne suffit pas pour leur subsistance, & principalement parce qu'il est impossible que le prieur de saint Honoré puisse remplir ses devoirs de chanoine, sans manquer aux obligations les plus importantes de sa cure; c'est pourquoi ils ont tous d'une voix consenti & consentent à la suppression de ladite chanoinie ou prebende, ci-devant affectée au prieuré dudit saint Honoré, & à l'union des fruits en provenans aux cinq autres chanoinies ou prebendes de la même mense de saint Jacques: & pour cet effet ils ont nommé mesdits sieurs Mahy & Gaultier chanoines, pour comparoître aux jour & heure portés par ledit exploit d'assignation pardevant monseigneur l'evêque, & en lui remettant la presente deliberation, consentir encore de nouveau au nom desdits sieurs doien & chapitre, à ladite suppression & union, de quoi ils leurs donnent pouvoir & charge expresse. Fait en chapitre les jour & an que dessus.

Cette affaire aiant traîné jusqu'en 1707. à cause des differentes formalités, enfin monseigneur l'evêque de Blois rendit son decret de suppression & d'union le 15. Juillet 1707. transcrit sur le registre du chapitre le 20. Juillet 1707. page 490.

Decretum episcopi Blesensis.

DAvid-Nicolas de Berthier premier evêque de Blois, à tous ceux, &c. Vû la requête à nous presentée par Mathurin Veilpeau, René Bulté, Gilles de Remeon, Vital Dangles & Jean Troiereau prêtres chanoines de l'eglise cathedrale mense saint Jacques, contenant que le revenu de leurs prebendes n'étant que de 260. livres ou environ, une année portant l'autre, & par consequent ne suffisant point pour leur entretien & subsistance, nous leur aurions fait esperer en les unissant au chapitre cathedral où ils sont sujets à un plus grand service, de chercher les moiens d'augmenter le revenu de leurs prebendes; ce qui les oblige maintenant de nous representer que nous ne sçaurions trouver une occasion plus favorable ni plus naturelle d'effectuer nos bonnes intentions, qu'en supprimant & réunissant à leurs prebendes, celle qui étoit affectée au prieuré-cure de saint Honoré, à present vacant par la mort du dernier titulaire; en quoi nous ne faisons que leur rendre ce qui n'avoit été donné au prieur de saint Honoré, que pour un dedommagement qui ne lui est plus dû depuis l'union du chapitre saint Jacques au chapitre cathedral, puisque depuis cette union il n'y a plus d'hôpital dans la paroisse de saint Honoré, que l'eglise où les chanoines pouvoient recevoir l'oblation des fideles au prejudice du prieur, est détruite, & qu'on y a bâti des maisons qui sont actuellement habitées par des paroissiens connus avant la fondation desdits hôpital, eglise & chapitre de saint Jacques; ce qui fait que le prieur de saint Honoré ne souffrant plus aucune perte ni dommage, il n'est plus juste de l'indemniser par une portion des fruits de la mense saint Jacques, qui est insuffisante pour l'entretien de cinq autres chanoinies, au lieu que le prieuré de saint Honoré, sans y comprendre cette prebende, vaut environ 2000. liv. outre que le prieur de saint Honoré étant obligé de resider dans sa paroisse, & d'y faire à tous momens les fonctions curiales, il ne peut aller en même temps à la cathedrale, sans manquer à ses devoirs les plus essentiels; c'est pourquoi ils nous supplioient de vouloir bien éteindre & supprimer ladite prebende affectée au prieur de saint Honoré, & en réunir, &c. Vû aussi la copie d'un decret de Jean evêque de Chartres du 13. Avril 1366. confirmatif d'une transaction de 1362. entre l'abbé & les religieux de Bourgmoien, & le prieur de saint Honoré & les confreres de saint Jacques, par laquelle est justifié qu'une des six prebendes de ladite eglise ne fût affectée au prieur-curé de saint Honoré, que pour le dedommager des oblations & liberalités, soit en argent, luminaire ou autrement, qui pourroient être faites à l'avenir dans ladite eglise située dans sa paroisse; notre ordonnance du 19. Octobre 1705. au bas de ladite requête, par laquelle nous ordonnons, attendu l'interest que le promoteur & vice-promoteur de notre officialité ont dans cette affaire, que le tout seroit communiqué au vice-promoteur qui seroit par nous incessamment commis en cette partie, pour, sur ses conclusions, être ordonné ce qu'il appartiendroit; acte du 22. Octobre 1705. par lequel, attendu que le promoteur & vice-promoteur de notre officialité sont chanoines de notre cathedrale, & peuvent par consequent être regardés comme parties interessées, nous aurions commis le sieur Alexis Coste curé de Villebarou de notre diocese, pour faire en cette partie toutes les fonctions accoutumées de vice-promoteur, requerir & conclure à ce qu'il aviseroit bon être; la requête à nous presentée par ledit sieur Coste vice-promoteur, par laquelle, après avoir pris communication de ladite requête desdits sieurs chanoines de la mense saint Jacques, & des pieces y attachées, se croiant obligé non seulement de consentir à ladite suppression de ladite prebende affectée audit prieur de saint Honoré, & à la réunion des fruits aux cinq autres, pour les raisons qui y sont amplement deduites, il requiert qu'il nous plaise éteindre & supprimer à perpetuité ladite chanoinie & prebende, & en réunir les fruits aux cinq autres restantes; pour y parvenir qu'il seroit informé d'office à sa requête, de la commodité ou incommodité de ladite suppression & union, & que les parties qui pourroient y avoir interêt, seroient assignées devant nous pour y donner leur consentement ou deduire leurs raisons au contraire; pour, ce fait & à lui communiqué, requerir ce que de raison; notre ordonnance du 3. Novembre en ladite année 1705. par laquelle, vû ladite requête, nous ordonnons qu'à la diligence dudit vice-promoteur en cette partie, il seroit informé d'office par le vice-gerent de notre officialité, que nous commettons à cet effet, de la verité des faits contenus en icelle, & de la commodité ou incommodité de ladite suppression & union, comme aussi que tous les interessés ou pretendus tels, seroient assignés devant nous pour donner leur consentement ou donner leurs moiens d'opposition, pour le tout communiqué au vice promoteur, être par nous ordonné ce qu'il appartiendroit; autre requête presentée audit vice-gerent par le vice-promoteur, aux fins de faire assigner devant lui des temoins pour deposer sur les faits y contenus, au bas de laquelle est son ordonnance du 23. Novembre 1705. portant permission audit vice-promoteur de faire assigner devant lui au Jeudi 26. dudit mois, à une heure de relevée, dans la chambre du Conseil de l'officialité, des temoins graves & dignes de foi; information de ladite suppression & union faite par ledit vice-gerent

en execution de notre ordonnance, les 26. & 27. Novembre 1705. notre ordonnance du 28. portant que ladite information seroit communiquée au vice-promoteur; l'assignation donnée le 3. Decembre de ladite année 1705. aux sieurs doien, chanoines & chapitre de notre eglise cathedrale, à comparoir devant nous pour donner leur consentement ou deduire leurs moiens d'opposition; un acte capitulaire desdits sieurs du 4. Decembre, qui contient leur consentement à ladite suppression & union, & un pouvoir & charge expresse aux sieurs Mahy & Gaultier chanoines, de comparoître devant nous, & en nous remettant la deliberation capitulaire, consentir de nouveau au nom du chapitre, à ladite suppression & union; procès-verbal du 5. Decembre, contenant la comparution desdits sieurs Mahy & Gaultier, la remise dudit acte capitulaire, & le nouveau consentement donné au nom dudit chapitre cathedral; exploits d'assignation donnés les 5. & 17. Decembre aux prieur & chanoines reguliers de Bourgmoien de Blois, & à messire Jacques Guerin prieur-curé de saint Honoré, à comparoir devant nous pour donner leur consentement à ladite suppression & union, ou deduire leurs moiens d'opposition; procès-verbaux dressés devant nous les 10. & 11. Decembre, contenans les comparutions du vice-promoteur, & du prieur & chanoines reguliers de Bourgmoien, leur dire, & l'opposition formée par lesdits prieur & chanoines reguliers à la suppression & union requises, au bas desquels procès-verbaux est notre ordonnance dudit jour XI. Decembre, par laquelle nous aurions donné acte desdites comparutions, dires & remontrances; & aiant égard à l'opposition formée par les chanoines reguliers, aurions renvoié les parties devant le vice-gerent de notre officialité, pour être statué sur icelle, & ordonné que ledit procès-verbal & notre ordonnance seroient communiqués auxdits sieurs chanoines de saint Loüis mense saint Jacques; copie d'un acte capitulaire desdits prieur & chanoines reguliers du 10. Decembre, portant pouvoir audit prieur & au pere Noel de Beauvais, de comparoître devant nous & d'y former ladite opposition; autres procez-verbaux dressés devant nous les 22. Decembre 1705. & 12. Janvier 1706. contenans les comparutions, dires & remontrances dudit vice-promoteur & du sieur Guerin prieur de saint Honoré, qui declare vouloir adherer à l'opposition desdits prieur & chanoines reguliers de Bourgmoien, ensuite desquels procez-verbaux est notre ordonnance dudit jour 12. Janvier, portant acte desdites comparutions & renvoi des parties devant le vice-gerent, pour être statué sur ladite opposition, conjointement avec lesdits prieur & chanoines reguliers de Bourgmoien, & que tant lesdits procez que notre ordonnance seroient communiqués auxdits chanoines mense saint Jacques; la signification desdits procez-verbaux; exploit d'assignation donnée à la requête desdits sieurs Veilpeau, Bulté, de Remeon, Dangles & Trotereau chanoines mense saint Jacques, auxdits prieur & chanoines reguliers de Bourgmoien, & audit sieur Guerin prieur de saint Honoré, le 29. Mars 1706. à comparoir devant le vice-gerent au siege de l'officialité, pour être deboutés des oppositions par eux formées; jugement du 19. Avril suivant, portant defaut desdits prieur & chanoines reguliers, & du sieur Jacques Guerin prieur de saint Honoré, faute de s'être presentés & cotté procureur, la cause à huitaine, & signification dudit jugement aux dessusdits par Amiot sergent, le 20. Avril 1706. avec declaration que faute de se presenter à l'audiance suivante, lesdits chanoines prendroient leurs avantages par defaut; sentence du 26. Avril rendue par ledit vice-gerent, & portant defaut contre les dessusdits, pour le profit duquel ils sont deboutés de l'opposition par eux formée, & condamnés aux depens liquidés à six livres, non compris la grosse; signification de ladite sentence à la requête desdits chanoines auxdits prieur & religieux de Bourgmoien, & audit sieur Guerin prieur de saint Honoré, par Malherbe, le 28. Avril audit an; notre ordonnance du 2. Aoust 1706. à ce que toute la procedure soit communiquée au vice-promoteur, pour ce fait, statuer ce que de raison; conclusions d'icelui du 9. Aoust suivant, à ce qu'il nous plaise éteindre & supprimer ladite chanoinie & prebende, ci-devant affectée au prieuré-cure de saint Honoré, & en unir les fruits aux autres chanoinies, aux conditions d'acquiter les charges dont elle est tenue.

Le tout meurement consideré, & le saint Nom de Dieu invoqué, ordonnons que ladite chanoinie & prebende, ci-devant affectée au prieur-curé de saint Honoré, demeurera éteinte & supprimée, comme en effet nous l'éteignons & supprimons, & en consequence avons uni & unissons les fruits & revenus en dependans, aux cinq autres chanoinies mense saint Jacques, pour lesdits fruits unis, être affectés & distribués par égale portion; tant à eux qu'à leurs successeurs, sans que ledit prieur de saint Honoré ni ses successeurs y puissent à l'avenir rien pretendre, à la charge d'acquiter les charges. Donné à Blois en notre palais episcopal sous notre seing, le sceau de nos armes & le contre-seing de notre secretaire en cette partie, le 22. Fevrier 1707. *Signé* David Nicolas E. de Blois. *Et plus bas*, Par monseigneur, Fariau.

L'an 1707. le 23. Fevrier, à la requête de messires René Bulté, Gilles de Remeon, Vital Dangles, Jean Trotereau & Pierre de Troyes chanoines de l'eglise cathedrale de saint Loüis de Blois, mense saint Jacques, qui ont elû domicile en la maison de Loüis Touzay leur procureur, je me suis Antoine Chevau huissier . . . . transporté pardevant messire Jacques Guerin prêtre curé de saint Honoré, & lui ai bien & duement signifié & laissé les presentes pour copie, contenant le decret decerné par monseigneur l'evêque de Blois du 22. du present mois, contenant l'extinction & suppression de la chanoinie & prebende ci-devant affectée au prieur-curé de saint Honoré, & union des fruits & revenus d'icelle aux cinq autres chanoinies & prebendes possedés par lesdits chanoines denommés ci-dessus, aux charges portées par ledit decret ci-dessus datté, à ce qu'il n'en ignore.

Sedes assignatur priori S. Honorati in cathedrali.

David Nicolas de Berthier, evêque de Blois, à tous, &c. Vû la requête à nous presentée en datte du 6. du mois courant par les prieur & chanoines reguliers de l'abbaie de Bourgmoien, & frere Jacques Guerin aussi chanoine regulier, prieur-curé de saint Honoré de Blois, contenant que bien qu'ils puissent se pourvoir par les voies de droit contre notre decret du 22. Fevrier dernier, portant suppression du titre de la chanoinie & prebende ci-devant affectée audit prieuré, & l'union des fruits & revenus en dependans, aux cinq autres prebendes; ils aiment mieux par deference à nos sentimens & pour le bien de la paix, terminer pour toujours cette affaire, & que pour cet effet ils acquiescent audit decret, en nous suppliant seulement de considerer qu'aiant ôté audit prieur-curé de saint Honoré les droits utiles dudit canonicat, par la suppression du titre, il semble qu'il seroit de notre justice de lui en conserver quelque honneur, en lui accordant une place honoraire de chanoine, ce qu'ils croient que nous n'aurions pu leur refuser par notre decret même, s'ils nous l'avoient demandé, attendu que ni la raison d'incompatibilité, ni celle du dedommagement arrivé à ladite cure par la translation du chapitre de saint Jacques hors de la paroisse de saint Honoré, qui ont causé la suppression de ladite chanoinie & l'union de son revenu aux autres, ne pouvoient regarder un droit purement honoraire,

qui ne feroit qu'une simple faculté d'assister aux offi- A ces divins, sans obligation de residence & sans aucune sorte de revenu; qu'ainsi ils esperent que n'étant pas moins fondés à present de faire cette demande, qu'ils l'eussent été pour lors, nous ne serons pas moins disposés à y avoir égard : c'est pourquoi ils nous supplioient de vouloir bien ordonner que ledit prieur-curé de saint Honoré & ses successeurs auront ladite place & seance de chanoine honoraire dans les hauts stals du chœur de l'eglise de saint Loüis, pour y assister au service & à toutes les autres ceremonies qui ont coutume de se faire dans l'eglise, sans en pretendre, sous quelque pretexte que ce soit, aucune sorte de revenu & droits utiles. Vû aussi notre ordonnance du 9. Juillet au bas de ladite requête, qui porte qu'elle sera communiquée à notre vice-promo- B teur, & sur sa requisition du 10. Juillet, qu'elle soit communiquée à notre chapitre cathedral; autre ordonnance du même jour, portant que la communication en sera donnée à notredit chapitre; acte de consentement du jourd'hui, par lequel notredit chapitre, après avoir pris communication de ladite requête & ordonnance, consent unanimement à ce que nous jugerons à propos de statuer; ordonnance de cedit jour, portant que le tout seroit communiqué au vice-promoteur, pour, ses conclusions vûes, être ordonné ce qu'il appartiendroit. Le tout vû & consideré, ensemble les conclusions de notre vice-promoteur, & avant toutes choses, notre decret du 22. Fevrier dernier que nous nous sommes fait rapporter : après avoir donné acte auxdits sieurs prieur & chanoines reguliers de C Bourgmoien, & audit frere Jacques Guerin prieur-curé de saint Honoré, de leur acquiescement à notredit decret, nous avons ordonné & ordonnons que notredit decret du 22. Fevrier dernier . . . . . sera executé selon sa forme & teneur; & neanmoins aiant egard à ladite requête desdits prieur . . . . . nous ordonnons pareillement que ledit prieur de saint Honoré & ses successeurs dans sa cure, auront une place de chanoine honoraire dans le chœur de notre eglise cathedrale, que nous leur indiquons aux hauts stals, immediatement après tous les chanoines titulaires, pour assister, quand bon leur semblera, à l'office divin, sermon & autres ceremonies qui se feront dans notre eglise, pourvû toutefois, & non autrement, que cette place d'honneur que nous voulons bien leur accorder D dans notre eglise, ne les detourne point du service & de l'assistance qu'ils doivent dans la leur aux heures ordonnées, & qu'ils satisfassent, avant toutes choses, aux fonctions que leur impose la qualité de curé; & sans que ladite place & seance honoraire que nous leur designons, puisse leur attribuer aucuns droits utiles . . . . non plus que le droit de faire l'office divin, ni d'avoir entrée ni voix active & passive au chapitre. Donné à Blois en notre palais episcopal, le 15. Juillet 1707. *Signé* David Nicolas E. de Blois. *Et plus bas*, Par monseigneur, Fariau.

En consequence dudit decret, le Mercredi 20. Juillet 1707. ledit Jacques Guerin prêtre chanoine regulier de saint Augustin & prieur de saint Honoré, se presenta au chapitre, où aiant été investi du surplis E & de l'aumusse par monsieur le doien, il a été installé au chœur après le dernier chanoine de la mense saint Jacques par monsieur de Remeon, suivant l'acte dudit jour sur le registre.

Et depuis, ceux qui lui ont succedé dans ledit prieuré-cure, ont été installés de même, & à chacun d'eux a été donné un extrait de l'acte capitulaire qui s'est fait à cette occasion, sans autre formalité, & sans leur donner seance au chapitre.

XXXVII.

Bulla unionis mensæ abbatialis monasterii B. Mariæ Pontislevii factæ mensæ episcopali Blesensi.

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, 1729. dilecto filio officiali venerabilis fratris nostri episcopi Carnotensis, salutem & apostolicam benedictionem. In apostolicæ dignitatis solio divina disponente clementia meritis licet imparibus constituti, ad cujuslibet ecclesiæ statum nostræ considerationis aciem extendimus, atque ut ecclesiis ipsis, præsertim cathedralibus, quarum reditus personarum eis præsidentium congruæ sustentationi non sufficiunt, personisque hujusmodi ad ipsarum statum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenendum aliorum accessione redituum opportune provideatur, pastoralis officii partes vigilanter adhibemus, piorumque regum vota ad id tendentia benigni favoris auxilio prosequimur, prout locorum ac temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium sanctæ Mariæ Pontislevii, ordinis sancti Benedicti, congregationis sancti Mauri, Blesensis diœcesis, quod bonæ memoriæ David Nicolaus Bertier, dum viveret episcopus Blesensis, in commendam ad sui vitam ex concessione & dispensatione apostolicis, & dum viveret obtinebat, dicti monasterii commenda hujusmodi, in quam illud ex simili concessione apostolica ad vitam obtineri consuevit, per obitum dicti Davidis Nicolai episcopi illius, & dum viveret ultimi possessoris commendatarii, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat modo vacaverit, & vacet ad præsens, & sicut venerabilis frater noster Johannes Franciscus le Fevre de Caumartin modernus episcopus Blesensis nobis nuper exponi fecit, parochialis ecclesia Blesensis, quæ per felicis recordationis Innocentium papam XII. prædecessorem nostrum ad preces claræ memoriæ Ludovici XIV. dum viveret Galliarum & Navarræ regis christianissimi in cathedralem ecclesiam erecta fuit, adeo exiguis reditibus dotata reperiatur, ut illius pro tempore existens episcopus statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam eo quo deceret decore sustinere nequeat, & charissimus in Christo filius noster Ludovicus modernus Francorum & Navarræ rex christianissimus, ad quem nominatio personæ idoneæ ad dictum monasterium, dum illud pro tempore vacat, vigore concordatorum dudum inter sedem apostolicam & claræ memoriæ Franciscum primum olim eorumdem Francorum regem super nominatione personarum certis inibi expressis modis qualificatorum ad ecclesias & monasteria regni Franciæ privilegio eligendi non suffulta pro tempore vacantia promovendarum, per regem Franciæ pro tempore existentem facienda initorum spectat & pertinet, considerans quod si titulus collativus dicti monasterii, ac in eo nomen & denominatio abbatis, necnon jus nominandi ad dictum monasterium dicto Ludovico regi, ut præfertur, competens, perpetuo supprimerentur & extinguerentur, ac mensa abbatialis ejusdem monasterii a mensa conventuali separaretur, dictæque mensæ abbatialis fructus, reditus, proventus, jura, res, bona & proprietates mensæ episcopali dictæ ecclesiæ Blesensi perpetuo unirentur, annecterentur & incorporarentur, ex hoc profecto ejusdem ecclesiæ Blesensis utilitati ac illius episcopi pro tempore existentis subventioni opportune consuleretur, suppressioni, separationi, unioni, annexioni & incorporationi prædictis consenserit. Quare pro parte dicti Johannis Francisci episcopi nobis fuit humiliter supplicatum quatenus mensæ episcopali Blesensi prædictæ in præmissis opportune, sibique ut statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam eo quo par est decore sustinere valeat, de alicujus

subventionis auxilio respective providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem mensæ episcopalis Blesensis necessitatibus occurrere, ac decentiori Johannis Francisci & pro tempore existentium Blesensium episcoporum sustentationi consulere, necnon ejusdem Ludovici regis laudabilibus votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, dictoque Johanni Francisco episcopo specialem gratiam facere volentes, ipsumque Johannem Franciscum episcopum a quibusvis suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exstiterit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, verumque & ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservaretur in corpore juris clausa resultet, & alias unionis prædictæ mensæ episcopali Blesensi hactenus factas, si quæ sint, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint ad id evocandi dictum monasterium, cujus fructus, reditus & proventus ad trecentos triginta tres florenos auri cum uno tertio alterius floreni similis in libris cameræ apostolicæ, ut etiam accepimus, taxati reperiuntur, quovis modo, seu per liberam dicti Davidis Nicolai episcopi, vel cujusvis alterius cessionem de dicto monasterio illiusque regimine & administratione in dicta curia vel extra eam etiam coram notario publico & testibus sponte factam, & assequtionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, commenda prædicta cessante vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones ad sedem prædictam legitime devoluta existat, & ad illud consueverit quis per electionem assumi, eique cura jurisdicialis tantum immineat, & super regimine & administratione prædictis inter aliquos lis in petitorio vel possessorio, seu quasi molestia, cujus litis statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, illiusque provisio ad sedem prædictam specialiter vel generaliter pertineat, ac titulum collativum & denominationem abbatis in illo ac jus nominandi ad illud dicto Ludovico regi, ut præfertur, competens, auctoritate nostra sine alicujus præjudicio & de consensu ejusdem Ludovici regis perpetuo supprimas & extinguas, mensamque abbatialem ejusdem monasterii a mensa conventuali ipsius monasterii dicta auctoritate nostra segreges & separes, ac omnia & singula dictæ mensæ abbatialis tantum a mensa conventuali prædicta sic segregatæ ac separatæ bona, res, proprietates, terras, possessiones, dominia, feuda, pertinentias, reditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcumque eidem mensæ episcopali Blesensi, ita quod ex nunc deinceps dilecti filii conventus & monachi dicti monasterii, & singulares ejus personæ nunc & pro tempore existenti episcopo Blesensi in omnibus & per omnia subsint, eique promittant & præstent obedientiam, prout olim ipsius monasterii abbati seu perpetuo commendatario tenebantur, liceatque nunc & pro tempore existenti episcopo Blesensi suo & dictæ mensæ episcopalis Blesensis nomine mensæ abbatialis hujusmodi dicti monasterii fructuum, redituum, proventuum, prærogativarum, præeminentiarum jurisdictionum, jurium, obventionum, pertinentiarum, & emolumentorum universorum corporalem, realem & actualem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare & arrendare, exigere, percipere, levare & recuperare, ac in suos usus & utilitatem convertere, necnon omnia & singula, prioratus, personatus, dignitates, præpositatus, administrationes & officia, ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura & sine cura, secularia & dicti ordinis regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem,

A institutionem, confirmationem & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentis abbatis dicti monasterii communiter aut divisim quomodolibet, cessantibus tamen reservationibus & affectionibus apostolicis spectantia, dum illa pro tempore extra Romanam curiam tantum vacare contigerit, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, ac personas idoneas hujusmodi ad illa præsentare & eligere, præsentatasque & electas in illis instituere & confirmare, ac alias de illis eisdem modo & forma, quibus antea pro tempore existens abbas seu perpetuus commendatarius dicti monasterii disponere poterat & debebat, salvis tamen semper reservationibus, juribus, affectionibus & præventionibus apostolicis disponere, supportatis tamen per nunc & pro tempore existentem episcopum Blesensem omnibus & singulis B oneribus antea per dicti monasterii abbatem seu perpetuum commendatarium supportari solitis, ac salvis, firmis & illæsis remanentibus mensa conventuali prædicta ejusdem monasterii, illiusque officiis claustralibus & beneficiis ad eam pertinentibus, & præsertim parvo conventu & prioratu sancti Petri de Ignee dicti ordinis sancti Benedicti, Rhedonensis diœcesis, dictæ mensæ conventuali unito & applicato, cum omnibus eorumdem fructibus, reditibus, proventibus, juribus & pertinentiis, necnon ejusdem monasterii illiusque prioralis claustralis & monachorum juribus, etiam quoad illorum numerum, ac fructibus, reditibus & proventibus ad mensam conventualem prædictam spectantibus dicta auctoritate nostra de ejusdem Ludovici regis consensu ac etiam sine alicujus præjudicio etiam perpetuo unias, C annectas & incorpores. Nos enim si suppressionem, extinctionem, segregationem, separationem, unionem, annexionem & incorporationem prædictas per te vigore earumdem præsentium fieri contigerit, ut præfertur, easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per constitutiones apostolicas seu cancellariæ apostolicæ regulas etiam unionum effectum non sortitarum revocatorias a nobis & quibusvis Romanis pontificibus prædecessoribus & successoribus nostris, & in crastinum assumptionis cujuslibet illorum ad summi apostolatus apicem emanatis vel emanandis, minime comprehendi vel confundi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristi- D num & validissimum, ac eum in quo ante præmissa quomodolibet erant statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per nunc & pro tempore existentem episcopum Blesensem quandocumque eligenda concessas esse & fore, semperque & perpetuo validas & efficaces existere, ac nunc & pro tempore existenti episcopo Blesensi suffragari debere, nec illum desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, inquietari, perturbari aut quoquomodo impediri ullatenus unquam posse, sicque per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales & de latere legatos, vicelegatos, dictæque sedis apostolicæ nuntios in quavis instantia E judicari & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, nonobstantibus nostra & cancellariæ apostolicæ prædictæ regula de exprimendo vero annuo valore in unionibus, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon monasterii, ac ordinis & congregationis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis apostolicis pro tempore existentibus priori & monachis dicti monasterii, ac ordini & congregationi prædictis

aliisque superioribus & personis sub quibusvis tenoribus A & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis in contrarium . . . . quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus & formis specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime & plenissime hac vice duntaxat specialiter & expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; volumus autem quod taxa prædictæ ecclesiæ Blesensis in trecentis triginta tribus florenis auri similibus cum uno tertio alterius floreni similis augeatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo nono, quarto idus Septembris, pontificatus nostri anno sexto.

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA ECCLESIÆ AURELIANENSIS.

I.

Charta fundationis abbatiæ Miciacensis.

Ex chartul. Miciacensi.

Post ann. 498.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Clodoveus. Quicumque regiæ dignitatis culmine efferri desiderat, merito eum præ oculis semper habere debet, cujus gratia præfertur. Noverit igitur omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium & nostrorum, tam præsentium quam futurorum solertia, quia nos res ecclesiasticas plus quam omnes vitæ nostræ tutari atque augmentari gaudemus. Unde cunctis nostris fidelibus, omnibus videlicet episcopis, abbatibus, comitibus, missis, vicedominis, vicecomitibus, vicariis, teloneariis, centenariis, villicis, seu cunctis, ut diximus, vero corde fidelibus, notum fieri volumus, quia nos Dei providente benignissima seu B annuente clementia, beatissimos viros Euspicium, ac ejus nepotem Maximinum religione monastica . . . . Deique gratia conspicuos a civitate Viridunis adduximus Aurelianis, nostrumque eis fundum viris concessimus nomine Miciacum, ut ibidem universorum Domino, tam ipsi quam eis pie adhærentes, seu per annorum curricula succedentes, deserviant Deo sub ordine monastico, nostrique perpetuo habeant memoriale coram Deo. Adjecimus etiam Combiacum atque Lumniacum, ut suarum habeant necessitatum aliquod supplementum. Ligeris etiam cursum, quantum prædicti terra fundi ex utraque tenet rippa, cum omni libera piscatione, & de singulis salis navibus per aquam eorum transeuntibus singulas minas jure damus perpetuo. Superaddimus quoque nostrorum postulatione fidelium, ut quicumque eis aliquod de sui juris beneficio tribuere voluerit C in aliqua qualicumque re beneficium, liberam habeat facultatem. Nos deinceps nostræ largitatis munere propter divinum amorem per nostram auctoritatem præfatis Dei servis cum sibi vinculo Christi junctis, sive succedentibus eis jam dictum eo tenore concedimus locum, ut abhinc eumdem cum omnibus supradictis terris, aquis & eis pertinentibus silvis, servis atque ancillis, vel quæque ad eos pertineant vel pertinere videbuntur, absque alicujus impedimento, præsenti & futuro tempore habeant, Deo annuente. Præcipientes ergo jubemus ut nullus fidelium nostrorum de memorato loco prædictis viris Dei, neque sibi adhærentibus, tam monachis quam laicis, præsentibus & futuris, sive per terram, sive per aquam, ullam consuetudinem, vel inquietudinem aut contrarietatem facere D deinceps præsumat, aut calumniam generare, aut quidquam subtrahere, aut aliquam infestationem illis inferre, sed liceat eis eumdem locum cum omnibus quæ ad ipsum pertinent vel pertinere videbuntur, ad proprias necessitates consulendas quiete & libere habere & tenere nostris & futuris, Deo disponente, temporibus, & nullus episcopus, aut comes, aut vicecomes, aut vicarius, aut telonarius, aut missus, aut villicus, aut quilibet exactor publica auctoritate præditus aliquam redibitionem seu exactionem neque ab ipsis, neque ab eorum hominibus amodo, neque per terram, neque per aquam accipere præsumat, sed liceat eis & eorum hominibus & missis, sive de sale, sive de piscatione, seu de qualicumque causa aut re eorum necessitatibus E absque aliqua consuetudine fiscali procurare, atque sub nostra tuitione ac defensione plenissima sive in redeundo, sive in veniendo per terram vel per aquam, sive ibidem consistendo absque ullo teloneo, aut vicaria, aut aliqua publica functione, aut alicujus impedimento ire & redire, atque consistere in omnibus per hanc nostram auctoritatem valeant. Et ut hæc nostra auctoritas certius credatur, & a fidelibus, Deo annuente, nostris & futuris

A temporibus melius conservetur, sigillo nostro subter eam jussimus assignari.

II.

Diploma Caroli Magni pro sancto Evurtio.

KAROLUS gratia Dei Francorum rex & Romanorum patricius, omnibus orthodoxis in Christo Jesu Domino nostro baptisatis. Florente per Dei misericordiam statu regni nostri, pacato hinc inde imperio, cum gloriaremur in palatio nostro Aurelianis, & essent una nobiscum plures de optimatibus, placuit majestati nostræ ex dispensatione divinæ sublimitatis, ut loca sancta ipsius urbis visitaremus, & regi regum Christo pro concessis nobis beneficiorum suorum muneribus gratias ageremus. Accito itaque viro venerabili Aglo ipsius urbis episcopo, pluribusque aliis ex ordine ecclesiastico, canonicales ecclesias singulatim visitavimus, urbem peragrantes, & de sanctuario uniuscujusque per singulas requirentes. Tandem cum pervenissemus ad quamdam ecclesiam extra urbem in honore & nomine sanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ consecratam, in qua gloriosus confessor Domini Euvertius in corpore quiescit, supradictus episcopus verbum nobis omnibus ob ædificationem animarum faciens intimabat, qualiter ipse sanctus Euvertius Spiritu sancto demonstrante in specie columbæ, episcopus designatus fuerit, & quod in dedicatione basilicæ sanctæ Crucis manus Domini super caput ipsius sancti apparuerit; adjecit denique miraculum non silendum, non multum temporis ante factum, cui etiam plures religiosi qui ibi aderant, perhibebant testimonium; quod tempore Wandalicæ persecutionis cum latuisset venerabile corpus beati Euvertii intra civitatem in ecclesia sancti Stephani prothomartyris, cessante postmodum persecutione, referretur a fidelibus personis ad præfatam ecclesiam sanctæ Dei genitricis cum multo triumpho, comitante copiosa multitudine innumeræ plebis, repente pluviali tempestate exorta, cum prius dies esset serena, pro innundantia pluviali nullus iter agere valebat, exceptis illis qui sancti corporis pretiosas comitabantur reliquias. Sed ut meritum gloriosi confessoris claresceret, & quem in cœlesti palatio rex regum immenso cumulat, dignus in terris honore incomparabili existeret, bajulos sacri corporis lux incomparabilis circumfulsit, & nec illos, neque pallium quo tegebantur sanctæ reliquiæ aliqua aquæ pluvia madefecit. Cognoscentes igitur sanctissimi confessoris & Deo digni gloriosum meritum, precantes denique ut pro nobis intercessor existeret apud Deum, Deo prius gratias retulimus, & postmodum ad tumulum sanctissimi pontificis & Deo digni Euvertii cum populorum multa frequentia accessimus, donaria quoque regiæ munificentiæ super altare ipsius imposuimus, & ad usus canonicorum inibi Deo servientium, quasdam terras de fisco nostro ad honorem Salvatoris nostri Jesu Christi & sanctissimi confessoris Euvertii contulimus, videlicet in pago, qui vocatur Sicalonia, quamdam villam nomine Seneliacum *, cum ecclesia & terris arabilibus, silvasque, quæ in circuitu ejus sunt, & prata, servos & ancillas, vivarium piscium, & omnia ad ipsam villam & ad ipsam ecclesiam pertinentia. In Belsia quoque concessimus villam unam, quæ Balebrici villa * dicitur, cum terris arabilibus & omnibus ad eamdem villam pertinentibus, justitiam quoque ipsius potestatis, id est vicariam, sicut antecessores nostri tenuerunt & nos tenebamus, totam concessimus, ut Deo militantes canonici quiete teneant, pagenses villani sub quiete clericorum pacifice vivant, & nullius incursoris inquietudinem timeant, & si quid aliud est quod officiales

783.

* Senell.

* Baudreville.

regiæ dignitatis capere soliti sunt in prætaxatis terris & in aliis terris gloriosi confessoris Euvertii infra ditionem regni nostri, ubicumque sitæ sint, donavimus & donamus, dimisimus, condonamus & concedimus. Si vero, quod minime credimus, contra hanc donationem nostram, & contra regiæ majestatis auctoritatem moliri & facere tempraverit aliquis, & aut ad dominium suum supradictas terras revocare præsumpserit, aut aliquas consuetudines ad opus suum inferre aut capere voluerit in illis, sciat se contra regiam majestatem fecisse, & iram Domini Jesu & beati Euvertii incurrisse, insuper & capitalis censuræ reus tanquam reus majestatis aut capite plectatur, aut fisco persolvat centum libras auri, atque demum præsumptuosa ipsius petita irrita sint & inania. Et ut ad hæc donatio nostra firmior esset, & contra omnium calumpniatorum impetus inviolabilis & stabilis permaneret, eam subter firmavimus, & annulo nostri regni subterinsigniri fecimus. Præcipimus etiam ut & ipse venerandus Agius, & ceteri qui ad curiam nostram venerunt episcopi, excommunicarent & anathematizarent omnes qui contra hanc donationem nostram facerent & essent infesti, qui quietem & sanctæ Dei ecclesiæ & fratrum Deo inibi militantium vexarent & turbarent, qui aliquam quoque super his quæ superius inserta sunt ministris supradictæ ecclesiæ molestiam inferre temptarent, quod & fecerunt, & anathema suum inferius subscripserunt, manibusque suis nomine suo subterius conscripserunt. Excommunicamus & anathematizamus, a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ sequestramus quicumque contra hanc donationem facere temptaverint; & quicumque aliquid de his omnibus quæ superius adnotata sunt, cassaverint, sint cum Juda proditore damnati, sint cum Dathan & Abiron anathema maranatha; & responderunt omnes, fiat, fiat. Agius episcopus Aurelianorum & abbas ecclesiæ sancti Euvertii, Rogelo archiepiscopus Remensis, Deodatus episcopus Suessionensis, Johannes episcopus Trecensis. S. comes Aigulfus. S. comes Aimerantus, princeps Dagillus. Actum Aurelianis publice pridie calend. Julii, regnante Karolo Magno rege Francorum anno decimo quinto, ipso eodem patricio Romanorum.

III.

Privilegium Pii Ludovici Augusti pro abbatia Miciacensi.

836. IN nomine Domini Dei omnipotentis & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus & Lotharius filius ejus, divina ordinante providentia, imperatores augusti. Notum fieri volumus imprimis successoribus nostris, necnon & omnibus fidelibus, quod postulavit magnitudinem nostram Jonas fidelis noster Aurelianensis præsul ecclesiæ, ut divinæ servitutis ob honorem & propter monasticum veraciter religioseque servandum ordinem nostræ auctoritatis privilegio committeremus illi quoddam cœnobium regiæ potestatis, nominatum Miciacum in Aurelianensi diocesi fundatum olim in honore Dei & gloriosi protomartyris Stephani a Clodoveo I. christianissimo Francorum rege, & posterorum munificentia regum amplifice sublimatum. Idem autem venerabilis præsul Jonas præfatum Miciacensem locum speciali amore diligens ob meritum & reverentiam sanctissimorum patrum Euspicii, Maximini, Aviti & aliorum quamplurium, qui in eodem cœnobio cum plurimo fratrum numero sub monastico ordine probabiliter Deo vixisse & placuisse declarantur, testimonio evidentium miraculorum, non ambitiosa cupiditate aut fastu superbiæ expetiit, sed ut regularis ordo monasticus religiosissime custodiendo teneatur. Nostra ergo pietas tali ratione committit sibi præfatum locum & successoribus ejus, ut magis per eos spiritali & temporali augeatur incremento, quam minuatur, & neque ullam tyrannidis dominationem super monachos, familiam, mancipia, servos exerceant, & neque ipse aut aliquis

A successorum ejus a jure & potestate præfati Miciacensis monasterii aliquid rerum suarum mobilium vel immobilium, quas nunc Christo propitio gubernatore possidet, vel in futuro acquiret, aut in dominio proprio invadat, aut quoquomodo surripiat, vel subtrahat, vel alicui tribuat. Ad notitiam autem futurorum placuit nobis in hoc pragmatico, quod in præsentia nostra ipse Jonas episcopus una cum convenientia metropolitani sui Jeremiæ dictando composuit, & scriptum nostræ excellentiæ corroborandum obtulit, annotari possessiones terrarum, quæ in præceptis regum continebantur, quorum munificentia prædicto loco largitæ sunt, quas præsentialiter gratia Dei secure & quiete possidet. Prior est fundus Miciacensis cum appendiciis suis, & fluvius Ligeris & Ligerii; continuatim pertinet B aqua ejusdem fluvii Ligeris ad prædictum cœnobium ex utraque rippa ab illo loco, ex quo incipit terra ejusdem super capellam sancti Maximini ab oriente, donec finiatur, tota versus occidentem cum fluvio Rolleno. Tantum vero fluvii Ligeris pertinet ad prædictum monasterium, quantum hic annotatur. Incipit enim possessio Ligerii a farinario cujusdam Dromedanni, & decurrit per rippam sancti Hilarii usque dum cujusdam Marcassii nomine vicum de rodendo fines Ligeris alveo non modico invehitur, terminante quadam conclavi terræ alterius rippæ prædicti monasterii contra, ubi etiam publica via est, inter quam & alteram terram prædicti cœnobii paululum extendit se quædam terrula sanctæ Crucis, necnon & fluviolus Rollenus, qui in eodem loco ad præsens invehitur Ligeri; altera vero C rippa prædicti fluvii Ligerii semper prædicti cœnobii est potestatis, quamtumvis cujuscumque terra alterius juris desuper habeatur. Et in civitate Aurelianensi possidet præfatum cœnobium Miciacense claustrum, quod dicitur capella S. Maximini, & terra ipsius allodi exit ultra murum, & in alio loco in civitate habet allodum Montberrit inter sanctum Stephanum & S. Mariam Boni-nuncii; & ultra fluvium Ligeris habet villam Berarii, quæ dicitur capella S. Maximini, & Cerisiacum cum villa, & Montem-Pastoris, & Montem-Tedaldi, & villam Marmanias, & in alio loco habet Cambiacum villam cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus, & in alio loco villam quæ dicitur Fontanas, ubi est rivulus aquæ, & prope eam habet villam quæ dicitur Caseilas. In Secalonia vero possidet curtem Vennensem cum D ecclesia, mancipiis, terris cultis & incultis, & silvam quæ dicitur Tassimata *, curtem etiam Litinacensem *, quæ vulgo dicitur Monsteuranni, cum servis, silvis & aliis rebus sibi adjacentibus, & villam Dardi cum omnibus sibi pertinentibus, & villam quæ dicitur Fonte-nellas, cum silva, servis, & omnibus sibi pertinentibus, & habet ecclesiam sancti Petri in Gaudiaco, & ecclesiam sancti Hilarii ultra Ligerium, & in Marogilo in uno loco possidet in alodo arpennos de pratis 24. & in alio loco qui dicitur ad Arenas in alodo aripennos IV. & in prospectu Aurelianis, in loco qui dicitur ad Portum, aripennos de vinea octo. Hæc Clodoveus I. rex Francorum Miciacensi loco jure hereditario condonavit. Et habet præfatus locus ante S. Anianum ecclesiam sancti Maximini cum burgo & sibi pertinentibus villulis in Belsica, Senellaco, Gurgio, Montelimulio, quam ecE clesiam Sigobertus episcopus in agro sui juris construens prædicto Miciacensi loco dedit, & in pago Bituricensi infra castrum sancti Gundulfi habet curtem Pauliacum cum ecclesia & aqua Nostrusa, & omnibus sibi pertinentibus, & habet alteram curtem ibi juxta prædictam Pauliacum, quæ dicitur ad sanctum Martinum, cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus. Hæc Clodomirus filius senioris Clodovei præfato loco concessit. Habet quoque potestatem, quæ dicitur Vienna, cum ecclesia, & silva, & omnibus sibi pertinentibus, in qua est Colla rivulus, & potestatem quæ dicitur Villa Mariæ, cum omnibus sibi pertinentibus. & silvam quæ dicitur Torfollis, tenentem duas leugas. Hæc

* *al.* Taffiniaca.
* *al.* Litiniacensem, *Ligny.*

Clotarius rex prædicto loco concessit. In Belsica vero habet potestatem Audoëni putei cum sibi pertinentibus, Bilriaco, Montem Cuicheth, Pirario, Sanomo, Nocumenio, & sibi pertinentibus servis. Et in pago Stampensi villas duas, Casellas & Castaneum villare. Illa rex Chilpericus dedit. Et in Belvacensi pago habet villam quæ dicitur ad S. Maximinum, cum ecclesia in honore ipsius dicata, quæ vicina est Silvanectensi parochiæ. Et in prospectu Aurelianis potestatem Bruerias, quæ dicitur ad sanctum Dionysium, cum ecclesia in ipsius martyris honore dicata, cum sibi pertinentibus, albarias, caventone, asinarias, cum servis, terris, pratis, & in alio loco villam Nemesum cum aqua, terris, pratis & omnibus sibi pertinentibus. Hæc Dagobertus rex largitus est. Et juxta silvam longam habet villam quæ dicitur Villare magnum, cum ecclesia sacrata in honore sancti Maximini, & in pago Dunensi cellam habet in loco qui dicitur Monsleardi, cum aqua conida, molendinis, silva, pratis, terris cultis & incultis, & pascuis, & vineis, & mancipiis, & servis. Hæc Theodericus rex ex hereditate Lupi pessimi ducis prædicto loco contulit. Et in pago Lemovicensi habet villam quæ dicitur Magniacus, cum ecclesia, & aqua, molendinis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, pascuis, parvis exitibus & regressibus, servis, mancipiis. Hanc curtem genitor noster gloriosus Augustus Carolus Magnus imperator contulit Miciacensi loco. Et in Pictaviensi territorio in portu Vitrariæ in pago Habadilico (*al.* Herbadilico) super fluvium Cannacum habet areas salinarum ad onerandas naves, sive ad suas necessitates excludendas. Et in manso illo prædictas possidet areas cum vineis, terris, pratis, silvis & omnibus sibi pertinentibus, quæ Garatholenus ex fisco regio habuit, sed a nostro avo Pipino, & filio ejus genitore nostro Carolo regali munificentia collata sunt cœnobio Miciacensi. Nos vero ne inferiores videremur prædictis regibus beneficio, concessimus prædicto loco per deprecationem Drucesindi abbatis ipsius loci & privilegio auctoritatis nostræ corroboravimus discursionem trium navium per diversa imperii nostri flumina, scilicet per Ligerim, Sequanam, Maternam, Carum, Vigenam, Sartam, Medianam, Lidum, pro quibuslibet monasterii necessitatibus, ut secure & libere ire & redire valeant, & non reddant ullum telonium, vel ullam consuetudinem, vel aliquam redhibitionem. Et ne quislibet exactor fisci de carris, vel carretis, vel saginariis, vel quocumque vehiculo, sive per terram, sive per aquam facto, vel de quocumque commercio pertinente ad prædictum locum exigat vel accipiat ullam consuetudinem, nec de quibuslibet negotiis factis, vel in villis, terris, aquis, silvis prædicti monasterii undecumque judiciaria potestas aliquid exigere præsumat, aliquam legem vel consuetudinem accipere vel exigere, vel quamlibet molestiam inferre. Et obeunte abbate ipsius monasterii volumus ut nulla se occasione, neque episcopus, neque quilibet regiæ potestatis minister in describendis providendisque acquisitis acquirendisve rebus ejusdem monasterii permisceat; abbatem vero eidem monasterio non alienum, sed quem dignum moribus communi consensu congregatio tota absque omni munere elegerit secundum Deum ordinari volumus, & orandi tantummodo causa accedendi ad præfatum locum episcopo licentiam damus, aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerit invitatus ministeria. Et si voluerit prædicto cœnobio aliquid de suo episcopio dare, nostra regali & sua pontificali auctoritate peragat; & si voluntas & facultas denegaverit, de iis quæ collatæ sunt rebus nihil invadere præsumat. Porro si contigerit aliquod infortunium cujuscumque perturbationis quod ab ipso possit minime definiri, vel ipse erga ipsum locum male agat, jubemus ut nostrorum successorum regum auribus declaretur, ut regali judicio quidquid depravatum fuerit, corrigatur. Ne ergo putent præsules sedis Aurelianis propter hanc commendationem ad adjutorium & defensionem Miciacensis cœnobii a nobis pie & misericorditer factam, quam fideli nostro Jonæ episcopo committimus, eo quod præsentia nostra longe sit remota ab illis partibus, res præfati monasterii qualibet machinatione alienare, vel ipsum locum inquietare, præsertim cum & præfatus locus regio beneficio sit fundatus, & res ipsius cœnobii larga regum munificentia sint largitæ. Itaque summopere jubendo volumus, ut monachi prædicti loci ad divinum servitium honorificentius peragendum rebus superius memoratis ditati regulariter otium sanctæ quietis per adjutorium episcopi & per hanc nostram auctoritatem adepti, in iis in quibus se Deo devinxerunt, divina juvante gratia, inviolabiliter permaneant; & pro hoc beneficio a nobis impartito flagitamus omnimodis servis Dei præfati loci monachis, ut pro nobis & conjuge nostra Judith & prole, & stabilitate imperii a Deo nobis collati & per cuncta secula per successores nostros sua gratissima pietate conservandi semper omnipotenti Deo preces fundant. Hoc autem præceptum factum ut pleniorem in omnipotentis Christi nomine obtineat vigorem, & a successoribus nostris credendo conservetur, nomine nostro & eorum optimatum qui præsentes aderant, titulari voluimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Datum XIV. calendas Martii anno Christo propitio 24. imperii domni Ludovici piissimi Augusti indictione XIV. anno ab Incarnat. Domini DCCCXXXVI. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. Durandus diaconus ad vicem Fridugisi cancellarii recognovit.

IV.

Hugo comes donat abbatiam sancti Symphoriani canonicis sancti Samsonis. *Hist. sancti Martini a Campis pag. 38.* 930.

QUoniam inter nos, sicut ait Apostolus, *fines seculorum devenerunt*, profecto unicuique convenit christiano ita præsentis seculi cursum perficere, ut dum temporalibus fruitur bonis, summo ac vigilanti studio caveat, ne æternis subdatur pœnis, sed in studio hujus vitæ positus, sic utatur transitoriis, ut in futuro gaudeat præmio felicitatis mansuræ. Quapropter ego in Dei nomine Hugo comes & marchio considerans peccatorum meorum pondus & miseriarum præsentis seculi onus, quoddam proprium hereditatis meæ, abbatiam sancti Symphoriani positam intra muros Aurelianis, quæ mihi paterna hereditate legaliter pertinere videtur, pro redemptione animæ patris matrisque meæ, atque pro redemptione meorum peccaminum, cæterorumque parentum meorum, cum duabus ecclesiis in honorem sanctæ Lætæ sanctique Sulpitii in suburbio præfatæ urbis positis, necnon cum cæteris ecclesiis ad illam abbatiam pertinentibus, villis, vineis, pratis, sylvis, terris arabilibus, cultis & incultis, aquis & aquarum decursibus, quidquid ad ipsum aspicit vel aspicere videtur, totum & ad integrum beatissimo confessori Christi Samsoni & suo episcopo Agano suisque successoribus, necnon & canonicis ibidem Deo & sancti Samsoni servientibus & inantea servituris perpetualiter dono, ac in æternum habendum esse concedo. Si quis vero heredum meorum huic donationi contradicere aliquando voluerit, iram incurrat omnipotentis Dei sanctique Samsonis, suaque repetitio nullum effectum obtineat, expulsusque a regione viventium æterna maledictione damnetur, dictoque anathemate percussus perpetuis incendiis maneat sine fine cruciandus. Ut vero hoc scriptum meæ donationis meæque humilitatis per succedentia temporum spatia firmius permaneat, meo nomine illud prætitulavi & consignavi, & nominibus nobilium clericorum & laïcorum roborare præcepi. Actum Aurelianis publice. Hugo comes. Signum Hugonis comitis. Signum Anselmus humilis episcopus. Signum Theodericus, signum Hermonleus levites, &c. Datum in mense Maio anno VII. regnante Rodulpho rege.

I. Cor. x. 11.

V.

Adalelmus miles crucem argenteam sancto Benedicto Floriacensi tradit cum Villari.

975. OMnipotentis Dei misericordia per plurimum voluit humani generis decus extollere, dum cuique mortali largiri dignatur, ut ex terrenis cœlestia, & ex transitoriis sempiterna valeat lucrari præmia, dicente ipso Domino per angelicam vocem, fiducia magna est coram Deo summo elemosina omnibus qui faciunt eam. Igitur ego in nomine summi Salvatoris Dei, Adalelmus miles, tam magnam misericordissimi Redemtoris mei clementiam mente devota considerans, modumque meæ vel humanæ fragilitatis attendens, ac pavescens diem tremendi judicii, in quo manifesta erunt omnia cordis B nostri occulta, promtissima devotione offero Domino Salvatori nostro ejusque eximio confessori patrique monachorum beato scilicet Benedicto abbati, insignem crucem argenteam vultu nostri Salvatoris, quali pro nostris reatibus in ea impietate Judæorum appositus fuit, insculptam, ea scilicet devotionis meæ voluntate ac desiderio, ut qui pro redemtione humani generis & salutem crucis ligno pendens morte sua mortem destruxit, & diabolum superavit, meorum criminum pondus obliterare dignetur: & ut eamdem quam pro hujus meæ contulitionis munere ab ipso mundi Salvatore retributionem me percepturum spero & ardenter exopto, omni affectu volo & desidero Adalelmus ac Burcardus omnesque christiani pro suis absolutionem recipiant culpis; quatinus ipsa crux salutifera & venerabilis sit C liberatio ac levamen totius mundi: ut cum ipse Dei filius in majestate sua mundum judicare venerit, suæque passionis quam pro mundi piaculis pertulit stigmata cum eadem crucis ostensione præsentibus angelis cunctisque adstantibus sanctis hominibus exhibuerit, sit mihi hæc crux sancta omnibusque in crucifixum credentibus solamen & remedium, & illud pondus inestabile quod in ea pependit pro mundi quiete meorum omnium pondus cunctorumque fidelium christianorum dignetur exonerare & alleviare, omnique sæculorum tempore sit mihi & omnibus commune propitiabile. Quocirca dono donatumque in perpetuum esse volo ad honorem seu illuminationem ejusdem vivificæ venerandæque crucis nostri Salvatoris, & eidem prælibato eximio Christi confessori Benedicto, quoddam juris mei D prædium in pago Senonico situm vocabulo Villaris dictum, cum ecclesia honori beatæ Mariæ dicata, cum terris quæsitis vel acquirendis, & mancipiis utriusque sexus, silva quoque & pratis, aquis aquarumque meatibus, tam pro remedio animæ meæ ac senioris mei incliti Francorum ducis Hugonis, quam & pro genitore meo Rotberto, & genitrice mea nomine Berta, atque Burcardo, seu & cunctis parentibus meis & amicis necnon & pro omni christiano populo, quod de meo jure & potestate in jus & dominationem sæpefati domni confessoris Benedicti ejusque monachorum cedo atque transfundo, ad illuminandam scilicet sempiterni regis Iyconiam, ita ut quidquid ab hodierna die & deinceps ex ipsis rebus lucratum fuerit, omni humano postposito usu, solius imaginis Domini, ut præfatum est, servitio E deputetur. Si quis vero hanc meam devotam oblationem ex parentibus meis, seu aliqua aliunde intromissa persona calumniæ suæ sufflaminis obice impedire temtaverit, aut ei refragari, aut aliquam refutationem inferre conatus fuerit, inprimis offensam cunctipotentis Dei se incurrere sentiat, sanctumque ac pretiosum Domini confessorem Benedictum sibi in omnibus inpugnatorem habeat, nisi ocissime a sua malignitate convertendo resipuerit, insuperque partibus sancti Benedicti auri libras decem regum Francorum & principum multorum judicio coactus exsolvat, ejusque conatus ad nihilum sit semper redactus. Præterea si quando forte in ulterioribus ævi temporibus evenerit (quod absit) ut ab A eodem sancti Benedicti cœnobio aliquis potens tyrannidem exercens, seu aliquis apostata cucullatus, qui eas meæ promtæ devotionis res abstrahere quoquomodo nisus fuerit, aut suis vel alterius usibus, nisi sæpefatæ Christi imagini deputaverit, primo corporaliter judicio Dei se valide multandum sentiat, atque in die districti examinis maledictionis Ananiæ, damnationisque Saphiræ, Dathan quoque & Abiron particeps efficiatur. Cumque in illa die ardenda mundo signum crucis in cœlo apparuerit, neque cum Deo, neque cum angelis ejus partem aut societatem habeat, sed cum diabolo semper in inferno gehennali incendio æternaliter crucietur. Et ut hæc carta certior habeatur, & inposterum inconvulsa teneatur, propriis manibus eam subterfirmavi, ac seniorem meum inclitum ducem Francorum Hugonem ac Burcardum B consobrinum meum, pluresque ceteros nobiles precatus sum corroborare. Actum Parisii in nobilium conventu publico. Signum Adelelmi & Burcardi qui hanc donationem fecerunt. S. Hugonis ducis Francorum, Odonis comitis, Alberici, Emmonis, Droconis, Anselini, Gualterii, Ervei, Gualterii & alterius Walterii, Hugonis, Corbonis, Gausberti, Rotroci, Adelæ comitissæ, Milonis comitis filii ejus. Actum VI. idus Septemb. anno XXI. gloriosi regis Lotharii, indictione tertia.

VI.

Hugo dux abbatiam S. Johannis prope Aurelianos restituit ecclesiæ Aurelianensi. Ex chartario eccl. Aurel.

C SI loca sanctorum in quibus memorias eorum agimus ac cineres custodimus, cultu piæ devotionis atque religionis officio ad melioris apicem status provehere curemus, omni dubietate seclusa credimus eosdem patrocinatores nobis haberi in cœlis, ob quorum honorem hæc agere studemus in terris. Et quamquam vel illis . . . . . conferatur a nobis, nobis tamen merces religionis augmentatæ adquiritur, & non solum futuræ repensionis denario nos ditari confidimus, sed & præsentis vitæ curriculo ab imminentibus anxietatum periculis eisdem intervenientibus multoties liberari. Nec ideo diffidimus si non semper ab instanti angustia subtrahimur, cum constet eosdem sanctos, ut postmodum plenæ felicitatis gloria potirentur, præsentis regni tribulationibus tribulatos, ac variis tribulationum calamitatibus vexatos esse, quos tamen in talibus a Domino D dilectos fuisse nemo sapiens sanum ignorat. Sed & eadem loca sanctorum nequaquam arbitramur honeste posse tractari, si illic Domino nostro Jesu Christo famulantibus, & divinum officium persolventibus stipem debitam denegemus, & ea quæ alii ob redemtionem animarum suarum contulerunt, nostra avaritia detorquemus. Quapropter minime dubitandum est æternis nos suppliciis affligendos, si aliorum vota tam temerarie applicamus usibus nostris. Unde etiam cujusdam viri sapientis admonemur documentis, quibus ait: *Ante mortem præpara tibi justitiam, quoniam non est invenire epulas apud inferos.* (Eccli. XIV. 17.) Horum igitur & aliorum incitationibus oraculorum instructus, ego Hugo Francorum dux & marchio notum fieri volumus omnibus fidelibus E nostris, tam præsentibus quam etiam futuris, quod anno Domini DCCCC. LXXV. indictione III. adiit præsentiam nostram quidam episcopus Aurelianensis sanctæ matris ecclesiæ, nomine Arnulphus, anno sui præsulatus XII.* reclamans quamdam terram, quæ olim luculenta cupiditate a loco sibi nutu Dei commisso fuerat abstracta; & nunc eam quidam miles noster Hugo e nostra manu videbatur tenere in beneficium. Cujus petitionem ratam dijudicantes, consentiente eodem milite nostro Hugone & comitibus nostris, reddimus eidem ecclesiæ in honorem Dei & sanctæ Crucis constructæ, quamdam abbatiam in honore sancti Johannis prope muros civitatis, cum omnibus ad se pertinentibus plene & ad integrum sine ulla alterius inquietudine, totam eidem

* f. IV. aut V.

loco concessimus perpetualiter possidendam. Si præfatam igitur abbatiam S. Johannis a nobis redditam ac restitutam a nobis, contra jus amplius aliquis ecclesiam & contra voluntatem episcopi ejusdem loci S. Crucis, aut vi aut aliquo ingenio abstrahere, præsumere tentaverit, ex auctoritate Dei & nostra . . . . anathemati subjaceat. Signum Hugonis ducis, qui hoc scriptum fieri vel adfirmari curavit. Signum Rotberti filii ejus. Signum Gauffredi comitis. Signum Fulconis filii ejus. Signum Henrici comitis. Signum Wauterii comitis. Signum Walterii & Radulfi filiorum ejus. Signum Burchardi comitis. Sign. Burchardi hujus rei amanuensis.

VII.

Præceptum Hugonis regis pro ecclesia Aurelianensi.

990. IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hugo misericordia Dei rex. Noverit sagacitas seu omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque, tam præsentium quam futurorum solertia, quia adiens serenitatem nostram vir venerabilis Arnulfus Aurelianensis ecclesiæ episcopus, quæ in honore sanctæ & vivificæ Crucis dinoscitur esse constructa, in qua etiam manus Domini apparuit, obtulit obtutibus nostris auctoritates prædecessorum nostrorum, regum scilicet & imperatorum, serenissimi videlicet Karoli quondam imperatoris, necnon & filii ejus Ludovici, itemque Ludovici & Carlomanni gloriosissimorum regum, quæ pancartæ vocantur, in quibus continebatur qualiter ei suisque successoribus inibi Domino militantibus omnes res sanctæ præfatæ ecclesiæ, quas ab antiquo tempore juste & legaliter possidebat, & postea, tam a regibus quam ab aliis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, adquisivit, perpetualiter ad deserviendum confirmaverunt. Obsecrando itaque humiliter postulavit ut nos antecessorum nostrorum morem sequentes, easdem res præfatæ ecclesiæ simili nostræ auctoritatis confirmaremus exemplo atque præcepto. Hujus igitur venerabilis episcopi benignam petitionem cum consultu fidelium nostrorum ratam considerantes, id agere decrevimus. Res autem quas ab antiquis temporibus seu modernis ipsa tenebat ac modo retinet ecclesia, hæ sunt: monasterium sancti Evurtii, monasterium sancti Lifardi cum rebus quæ sunt in Pontivo, hoc est villa Rais super fluvium Alevegia, Frovenas super fluvium Quancia, Aigranone vicum, similiter Ceretium quæ est in pago Caltivo, una cum omni merito vel appenditiis eorum, & res quæ sunt in Nocduno & circa Nocdunum. In pago Turonico villa Dedera super fluvium qui dicitur Karus, cum omnibus ad se pertinentibus; item in pago Matisconensi Visaliacum & Cirriti; in pago Vapincensi quæ sunt in Burgundia vel in Provincia, cum mansis & omnibus ad se pertinentibus; item in pago Biturico in vicaria Carbriacensi in villa Bruetogilo, mansum unum cum terris, pratis, silvis & adjacentiis omnibus; in pago Pinciacense Nielfa, Crispiacas, Olsarciacas, Pompennacas, Amavia & Villare, cum omnibus rebus & appenditiis ad idem monasterium pertinentibus; item monasterium sancti Maximini monachorum; item capella sancti Maximini juxta murum, monasterium sancti Petri virorum, item sancti Petri puellarum, sanctæ Crucis Gargogilensis, sancti Aviti, cella sancti Privati cum capella sancti Martini quæ est super Ligeritum, sancti Petri Tauriacensis, sancti Saturnini, sanctæ Mariæ Draviacensis; item sanctæ Mariæ Fabricatæ, sancti Johannis, sancti Marcelli, S. Martini prope murum; item sancti Martini Crevennensis, sancti Laurentii, sancti Gervasii, puteus sancti Sigismundi, sancti Vincentii, sancti Sergii, Buccum monasterium, Bellum campum, Altumvillare, curtem Flavacum, Sereonas, Marogilum; item Marogilum, sancti Petri Magdunensis, Prisciniacum, cum rebus omnibus ad prædicta monasteria vel cellas pertinentibus. Sunt etiam hæ villæ Seliniacus, curtis Peduerius, Bullus, Maciacus, Rosiacus, Ponciacus. In pago Namnetico Centonnus, Castellanus, Veteres mansiones, Nova villa, Luniniacus, Buxiacus, Nemaus, Cacionus ad idem monasterium pertinens, Cambonus, Gaverdomnus, Ingrana cum omnibus appenditiis suis; item Capciacus, Ceresiacus; in pago Blesensi curtim cum ecclesia in honore sancti Vincentii & mansibus XXX. itemque villas in pago Aurelianensi, Blesensi & Bituricensi, curtem Maximanam, Novum vicum, Montem Burgodonum, Anogilum, Calciacum, Vultomnum, Ganiras, Nocitum, Auliacum, Laniaum, Mogarias, Bunnione, Vagessum, Montem Frosbaldi, Fluciacum ad Sanciacum mansum, ad Balniolas, mansum unum de illo lumine, Varennas ex abbatia sancti Johannis & alodus, quam Carolus Imperator serenissimus Tedrado dedit, & idem Tedradus memoratæ ecclesiæ delegavit. Sunt autem ipsæ res infra muros civitatis Aurelianæ, & extra areas X. & in ipso pago ad capsam arpennos C. LX. VI. & in Embleni villa & in Macerias quantumcumque sui juris erat, in curte Leonis mansos II. vineas, terras ex utraque parte & silva, in Adriliaco mansos XII. Curciacum cum ecclesia, silva & appenditiis; in pago etiam Stampensi vel Aurelianensi, inter Undoni villam & Basoni villam, atque Erbodi villam, mansos VIII. & in circuitu terras arabiles, & in pago Dunensi Intcot Marivilla mansum unum; in pago Senonico in villa Fraxino mansos XV. in vicaria Ornatrensi, in loco qui dicitur Puteolus, ecclesiam unam cum omni dote ad eam pertinente, & tres arpennos de prato, & medietatem territorii quod dedit Archemarus ecclesiæ sanctæ Crucis, & res cum mancipiis quas Deotimius & Agius venerabiles episcopi, & alii Dei fideles eidem contulerunt ecclesiæ. Res etiam quas Karolus quondam Augustus præscriptæ reddidit ecclesiæ, quarum hæc sunt nomina: basilica Ulmetus, Perpetracus, Gavenoilus, Lalliacus, Cadonus cum villis ad se pertinentibus, cum aliis Vienna, Limogilo, Buxerola, Silviniaco cum rebus & mancipiis ad easdem pertinentibus, necnon & villa Dendela, quæ Ludovicus Junior quondam per præceptum reddidit. Res præterea quas Karlomannus huic reddidit ecclesiæ, hæ sunt: in pago Biturico Caltesium sive Pauliacus, Rosiacus & Germiniacus, Burbra & Puteolus; in pago Nerersi, Marsiacus. Sunt præterea quædam res in pago Aurelianensi diversis in locis positæ, quas Robertus rex præfatæ reddidit ecclesiæ, hoc est in villa quæ vocatur Clepiacus, mansos V. & in villa Triganou pertinentem ad eamdem villam Clepiacum, capellam unam, mansum unum, unc. V. & in prædicto Clepiaco unc. IIII. in Mardiaco ecclesia I. in Arunto unc. una, in Buciaco quartas II. in Barberoni villa quarta una, in Brolio Monbleni quarta una, in Canolico unc. una, in Domiciaco quart. V. in Abel mansos V. absos. In Sigilariis mansum unum absum, in Gaugiaco dimidiam ecclesiam super fluvium Bonojæ, in Bocas mansiones mansum unum, in Lauriaco ecclesia I. mansos VI. in Sutiniaco mans. V. cum ecclesia, & inter Ligerim & Ligeritum per deprecationem Lamberti mansum unum. Dedit præterea quidam vir nobilis nomine Vivianus prætaxatæ ecclesiæ moderno tempore in ipso pago alodum per diversa loca positum, hoc est in Burduno cum Brolio & terra arabili, & in alio loco qui dicitur mansus Meraldi cum terra arabili & casualibus. Item quædam venerabilis matrona nomine Githerga alodum in eodem pago, villam quæ vocatur Gavasia, cum terra arabili & Brolio, & in alio loco, in villa quæ vocatur Siriacus, terram arabilem cum pratis & silva glandifera; item in pago Carnotensi quartam partem de villa quæ vocatur Judeis. Dedit itaque quidam nomine Walterius, quondam Hæbræus, postea vero christianus, claustrum prope murum Aurelianis civitatis fratribus sanctæ Crucis habendum, magno pretio emtum a monachis S. Benedicti. Item quædam matrona in eodem pago alodum quæ dicitur in villa Saviniacus, cum vineis & terris arabilibus,

Res præterea quas Pippinus rex matri ecclesiæ sanctæ A Crucis per præceptum reddidit, vel cellulis ad eamdem ecclesiam pertinentibus, hoc est, villa Nausionis, & quidquid ad illam aspicit, & villa Vetus curtis, & villam Aplarias. Res etiam quæ vocantur Crucialis in integrum, & res sancti Maximini, quæ vocantur Vannas cum integritate, villam Gaudiacum cum ecclesia & appenditiis, villam Drauciacum cum integritate, mansum in loco qui dicitur Curtisgenialis, Vicum crutum cum omni integritate, villam Pabuli cum omnibus ad se pertinentibus, hospitale pauperum sancti Germani cum omni integritate, Liriflolas & Marcomaniam, & quidquid ad illas pertinet, villam Agane & Petramfixam, villam Emeri cum rebus ad easdem villas pertinentibus; beneficium etiam quoddam Gaufredi comitis, quod jamdudum ecclesiæ sanctæ Crucis & Arnulfo B præsuli, eodem Gaufredo consentiente per scriptum, ubicumque locorum situm sit, quod per manus nostras hactenus videbatur habere in beneficium, nunc autem regali præcepto habendum auctoriso in perpetuum; Leodie quoque silvæ venationem, sicut antecessores ejus visi sunt habuisse, eidem sanctæ matri ecclesiæ habere concedo, ejusque venabula per eam sine dilatione currere cunctis diebus auctoriso. Monasteria igitur memorata, & cellas villasque cum alodis memoratis, & cum omnibus rebus & mancipiis ad se pertinentibus, quæ jure & legaliter modo præscriptus rector ecclesiæ absque aliqua inquietudine possidet & disponit, nostra regali potestate per hoc nostræ altitudinis præceptum, eidem denuo confirmamus ecclesiæ. Si quid statuendum de nonis & decimis, ut res de comitatu exsolvantur, sicut in C capitularibus & præceptis regum insertum est. Obtulit interea jamdictus præsul venerabilis obtutibus nostris auctoritates immunitatis, in quibus insertum erat quod antecessores nostri, imperatores videlicet & reges Francorum ecclesiam sanctæ Crucis cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, sub suo munimine & defensione stare fecissent, unde & nos eorum morem sequentes & venerandi præsulis petitionibus acquiescentes, hoc nostræ immunitatis præceptum pro divino amore & nostræ remedio animæ ad ipsam sanctam sedem fieri decrevimus, per quod regali auctoritate præcipimus ut nullus vicecomes, neque alius publicus judex aut aliquis ex judiciaria potestate, in ecclesias, loca vel agros, seu reliquas possessiones, quas ab antiquis temporibus vel modernis infra ditionem nostri regni, in quibuslibet D pagis vel territoriis juste & legaliter memorata tenet ecclesia, nec in eas res, quæ deinceps a catholicis eidem conlatæ fuerint, ad causas audiendas vel freda requirenda, aut tributum vel bannum exigendum, aut mansiones in prædictis monasteriis seu villis accipiendas, aut in mansionibus infra civitatem super terram ipsius positis, aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam colonos super ipsius terram commanentes distringendos, seu alias redibitiones aut inlicitas occasiones quærendas, nostris & futuris temporibus contra voluntatem pontificis ipsius ecclesiæ ingredi audeat, sed liceat præfato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ cum rebus ad eam pertinentibus una cum telonei medietate, & porta Parisiaca, necnon & posterula juxta domum E ipsius posita, sicut in præceptis antecessorum nostrorum, tam imperatorum quam regum Francorum continetur, sub tuitionis nostræ atque immunitatis defensione consistere. Illud quoque juxta morem prædecessorum nostrorum nostro præcepto inserti placuit, ut si aliquis per tot annorum curricula, videlicet a tempore Magni Karoli usque ad hoc tempus, ex rebus & mancipiis jamdictæ ecclesiæ quolibet malo ingenio vel persecutione aliqua imminente, seu tarditate aut negligentia interveniente, invadendo aut subtrahendo aliquid abstulit; vel si quilibet ex prædictæ ecclesiæ mancipiis qualibet voluntate perversa, a servitio ipsius se occultavit vel subtraxit, & hoc præfatus ecclesiæ adprobare advocatis accersitis vel testibus idoneis potuerit, ita per hoc nostræ altitudinis præceptum absque aliqua dilatione adprobet, ut integrum quæ sua fuerint ipsa recipiat ecclesia sine alicujus contradictione aut intermissione potestatis. Attulit etiam nobis præfatus pontifex privilegium sanctæ Romanæ ecclesiæ a domno Marino papa orthodoxo factum & confirmatum, & præceptum gloriosissimi regis Karlomanni, in quibus continebantur ecclesiæ Aurelianensis privilegia sive præcepta in eligendis sibi pontificibus auctoritate apostolica & antecessorum nostrorum confirmationibus habuisse firmata. His itaque fultus auctoritatibus nostram magnitudinem exoravit, ut nostræ auctoritatis præceptum super hoc denuo conscriptæ reconfirmassemus ecclesiæ, cujus humillimas petitiones rectas per omnia perspicientes, primo omnium pro Dei amore & sanctæ Romanæ ecclesiæ veneratione & ipsius sacratissimi loci reverentia, qui speciali benedictione per manus scilicet Domini apparitionem consecratus esse dinoscitur, fieri decrevimus libenter. Concedimus præterea hujus sanctæ matris ecclesiæ omniumque monasteriorum sibi pertinentium canonicis, & præcepto nostræ auctoritatis roboramus, ut quidquid clerici præfatorum locorum tempore vitæ suæ, domos aut ædificia ædificata vel ædificanda promeruerint, cuicumque delegerint ex clero habeant donandi libertatem, sive venumdandi potestatem sine aliqua prohibitione, & infra claustra præfatorum locorum nullus de exercitu aut potestas aliqua episcoporum, abbatum, comitum, seu reliquorum procerum mansionaticum agere præsumat; sed servi Domini inibi commanentes antiqua libertate potiti, militiam Domini absque ulla inquietudine valeant explere securi. Et ut hoc per omnia tempora inviolabiliter conservetur, veriusque credatur, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus. Datum Silvanectis palatio mense Nobrembri indictione quarta, anno quarto regnante Hugone rege. Rainaldus episcopus & protocancellarius scripsit.

VIII.

Johannes XVIII. privilegia monasterii Floriacensis propugnat. *Ex biblioth. Vaticani.*

JOHANNES servus servorum Dei, præcellentissimo *Circa* Francorum regi Roberto ecclesiastici honoris vigo- *1008.* rem . . . . . . Olim fama vulgante vestram, præcellentissime regum, ecclesiasticum honorem comperimus diligere atque tenere excellentiam, ex qua re necesse est, ut si aliarum ecclesiarum honor a vobis excolitur, eam quæ omnium caput est, tanto amplius honoretis, quanto constat reliquas ab ipsa exordium sumpsisse. Comperimus autem quosdam episcopos vestri regni authoritatem sedis apostolicæ, quam in Romana urbe beatus Petrus suis tribuit successoribus, adeo contemptui habere, ut nullatenus se observaturos dicant. Quam contumaciam in Transalpinis nos audientes fore episcopis, & minime credentes, misimus fratrem & coepiscopum nostrum Bip. antistitem, ut rei veritatem agnosceret, qui se quidem a vobis honorifice susceptum, & diu humanissime tractatum asseruit, a Gallicanis vero episcopis se injuriatum asseruit, dum in sui præsentia authoritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ despici audivit. Nos ergo pro susceptione fratris vestræ excellentiæ gratias agimus. Miramur autem vestram magnificentiam hoc potuisse perpeti, ut in vestra præsentia, nam ibi, sicuti comperimus, præsens eratis, sancta Romana despiceretur ecclesia. Sed quia hoc vobis displicuisse nunc usque dissimulastis, hortamur vestram excellentiam, ut de cætero non taceatis, quinimo regia potestate decreta apostolicæ sedis inconvulsa manere faciatis. Nam ut nobis relatum est, memorati episcopi privilegia, quæ sancti prædecessores nostri regno concesserunt, destruere conantur, quæ res nos graviter

contristat, quia si nos statuta antecessorum nostrorum non servamus, nec nostra servari confidimus. Proinde per omnipotentiam Domini, authoritate quoque beati Petri principis apostolorum & nostra hortamur atque præcipimus, ut authores hujus præsumtionis in proximo Pascha ad nos venire faciatis. Sunt autem Leterius pseudoarchiepiscopus Senonum, & ejus Aurelianensis suffraganeus Fulcho, qui in tantam prorupit protervam, ut Gauzlino abbati monasterii S. Benedicti præciperet privilegia a sede apostolica suo monasterio collata igne cremare. Volumus autem ipsum abbatem pariter advenire, ut apud sanctam, cui Deo licet concedente indignus præsum, sedem coram finiatur controversia, & contemptor sancti Petri digna plectatur pœna. Qui vero tua amantissima admonitione spreta, vel imperio spreto, ad sanctum Petrum & ad nos venire despexerit, B nisi corporis infirmitas eum gravaverit, a divinis se alienum misteriis ex Dei & nostra sciat existere sententia. Cujus ægritudinis modum tuæ excellentiæ literæ regali sigillo signatæ nostræ indicare curabunt sollicitudini. Vestri itaque honoris magnitudo nostra studeat adimplere monita, & eos qui sedem appellaverunt apostolicam, nulla sinat ab adversariis rerum suarum pati dispendia, ne si, quod absit, aliter quam mandamus actum fuerit, non solum contumacibus, verum omni vestro regno anathematis invehatur censura. Sempiternus Deus sua vos protectione custodiat, & post longa temporalis regni curricula ad regna perducat æterna, amen.

I X.

Diploma Roberti regis pro Miciacensibus.

1022. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Robertus Dei gratia Francorum rex, &c. Noverint universi, quod in præsentia nostra constitutus venerabilis Oldoricus episcopus & Albertus abbas monasterii sancti Maximini Miciacensis loci cum quibusdam fratribus humiliter petierunt serenitatem nostram innovari sibi privilegia quædam a prædecessoribus nostris regibus, Clodoveo scilicet primo Francorum rege christianissimo, & Carolo Augusto regiis munificentiis monasterio Miciacensi indulta, quorum videlicet privilegiorum sigilla vetustate nobis videntibus fracta penitus fuerant & consumpta. Quorum petitioni digne faventes, pro animæ propriæ salute, mei scilicet Roberti regis, & D uxoris meæ Constantiæ, & nostrorum filiorum Hugonis regis, & Henrici, Roberti quoque, & Odonis, ad tutelam prædicti monasterii Miciacensis hoc nostræ regiæ dignitatis præceptum edidimus, &c. Et quia ministeriales nostri Aurelianenses, & milites, & servientes Landrici militis Balgentiacensis, & quidam alii terras prædicti monasterii quotidianis vastant rapinis, prohibemus, Landrico milite Balgentiacensi, & filiis ejus Landrico, Joanne & Herveo ad ipsum consentientibus, &c. sigilli nostri charactere subter eam jussimus roborari. Actum Aurelianis publice anno I. D. M. XXII. regni Roberti regis XXVII. indictione V. quando Stephanus hæresiarches & complices ejus damnati sunt & arsi Aurelianis.

X.

Ecclesia Ursivillaris monachis sancti Petri Carnotensis restituitur. Ex cartular. S. Petri.

Circa 1024. SUB æterno regimine summoque sacerdotio Christi meo tempore constitutus ego Odolricus Aurelianorum episcopus, notum fieri volo contemporalibus atque successoribus meis modum & finem causæ quæ in hac cartula scripta est. Monachi sancti Petri Carnotensis cœnobii possidebant ex longo tempore quandam ecclesiam in pago Dunensi, in loco qui dicitur Ursivillaris, quidam vero casatus noster nomine Hilduinus cum suis propinquis intendebat eis calumniam A de ipsa ecclesia, dicens eam ad casamentum nostrum, & ad beneficium suum pertinere: addebat etiam temporibus antecessorum meorum se satis agitasse calumniam istam, sed justitiam minime consequi potuisse; convenimus ergo dominum Fulbertum episcopum Carnotensem & Arnulfum sancti Petri abbatem, ut nobis de ista causa darent audientiæ locum, quod & fecerunt semel in eadem villa quæ dicitur Ursivillaris, & iterum in villa quæ dicitur Castanetus. Discussa itaque controversia ex utraque parte, invenimus partem monachorum ita scriptura, & testibus, & longa vestitura suffultam, ut nulla lege posset supradicta ecclesia ab eorum possessione auferri; unde contra jus & fas contendere non volens, ego videlicet Odolricus episcopus, & frater meus Isembardus, & prædictus Hilduinus cum B filiis & ceteris propinquis suis ex toto guirpivimus inceptam calumniam monachis sancti Petri, annuentes ut solide & quiete possideant ecclesiam suam Ursivillaris in perpetuum, sicut justum esse comperimus. Interdixi etiam episcopali authoritate mihi a Deo tradita, ne quis successorum meorum prædictos monachos sancti Petri per hujusmodi sacrilegam calumniam ulterius inquietet. Quod scilicet interdictum si quis temerarius violare præsumpserit, suæ sacrilegium præsumptionis legaliter emendet, & punitus ab eodem incœpto desistat. Quod si pertinaciter odiosæ calumniæ inhærere maluerit, illo quo Deus iratus incorrigibiles damnat anathemate feriatur, fiat, fiat. Nos vero qui calumniam supradictam guerpimus, nomina nostra nostrorumque fidelium, qui præsentes aderant, in præsenti cartula me- C moriæ causa fecimus annotari. Signum Odolrici Aurelianensis episcopi, sign. Fulberti Carnotensis episcopi, signum Alberti abbatis, signum Isembardi laïci, signum Erfredi laïci, signum Salonis clerici, signum Bononis decani sancti Martini Turonensis, signum Tescelini clerici, &c.

X I.

Odolricus cedit sancto Evurtio consuetudines villæ de Betheliaca. Ex chartul. S. Evurtii.

IN nomine Dei omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti. Viri sapientis documentis instruimur, quibus ait: *Ante mortem præpara justitiam tibi, quia non est apud inferos invenire epulas.* Insuper & egregii doctoris hortantur eloquiis dicentis: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Anno igitur M. XXVII. indictione X. anno quoque sedis nostræ VII. ego Odolricus Dei gratia humilis Aurelianensis episcopus præmissorum oraculorum incitamentis instructus, dum pastorali cura mecum tacitus volverem quid commodi commissis mihi cœlitus gregibus exhiberem, non mea scilicet quærens, sed quæ sunt Jesu Christi, placuit nostræ exilitati, ut canonicis sancti confessoris & episcopi Evurtii antecessoris nostri omnes consuetudines, quas Isembardus clericus habebat in villa quæ dicitur Betheliaca, deprecante & assensum præbente prædicto clerico, qui eas tenuerat, ita in perpetuum habendas & possidendas concederemus, ut eorum usui quidquid inde exactum fuerit E legitime relinquatur, & absque aliqua repetitione suis rebus & suo juri perpetualiter adscribatur. Hæc autem adstipulatio tam in conspectu Dei & sanctæ matris ecclesiæ, quam fidelium nostrorum, clericorum scilicet & laïcorum, corroborata est mea subscriptione & præsentium manumissione & diversa assignatione. Hoc etiam subscribi volumus, ut quicumque huic decreto contradixerit, perpetuo feriatur anathemate, & tunc temporis nostræ ecclesiæ damnetur excommunicatione episcopi. Actum in mense Januario anno regni Roberti regis XL. & filii ejus Henrici primo. Actum Aurelianis publice. Signum Odolrici episcopi, signum Erfredi decani, signum Warini archidiaconi, signum Ebonis abbatis, signum Isembardi abbatis, sign. Welini clerici, signum

1027.

Ecclesi. XIV. 17.

Galat. VI. 10.

Joſchelini S. Evurtii decani, ſign. Richardi ſacerdotis, ſig. Theſcelini archidiaconi, ſig. Fulcherii militis, ſign. Teſcelini militis, ſig. Gerardi militis, ſig Odonis militis, ſig. Odolrici militis, ſig. Widonis militis, ſig. Rainerii militis, &c. S. Hugonis militis heredis Odolrici epiſcopi.

Succedente vero temporum ſerie, cum Odolrico mortuo, ſupradictus Iſembardus eidem in ſede epiſcopatus ſucceſſiſſet, ſoror ipſius quæ prius Guidoni de Clamiciaco nupſerat, nomine Belina, ſuperius memoratas conſuetudines calumniare feciſſet, canonici ſanctæ Mariæ & ſancti Evurtii Joſſelinum decanum, Guimaudum capicerium, Auradum ſacerdotem ad Iſembardum epiſcopum proprium hoc idem Pitveris uſque direxerunt. Qui venientes ad epiſcopum, ei de calumpnia & jamdicta repetitione manifeſtaverunt. Quod epiſcopus audiens, & factam calumpniam, & anteceſſoris ſui & ſuam juſtitiam violatam non parum ægre ferens, advocato jam nominato Guidone, qui tunc temporis Pitveris caſtro & curiæ ſuæ intererat, necnon & ſorore ſua Belina cum omnibus filiis ſuis in conſpectu virorum nobilium, tam clericorum quam laïcorum, monſtrante quod Odolricus anteceſſor ejus fecerat eo laudante & dimittente pro remiſſione peccatorum ſuorum, & ut Deus omnimode generi ejus, tam viventibus quam mortuis, miſericordiam faceret; ſic quoque facta ibi certa & voluntaria ab omnibus dimiſſione, & repetita & ab aliis qui venturi erant epiſcopis indicta ut ſuperius, perpetua excommunicatione commendavit hoc ſcriptum iterum quaſi panchartum memorabile fieri & ſubſcriptione proprii nominis & ſuæ ſororis Belinæ, necnon Guidonis mariti ejus, filiorumque ejus, quorum ſubſcripta ſunt nomina manumiſſione, ſubſcriptione & diverſa aſſignatione corroborari. Si quis amplius hujus rei calumpniam fecerit, ſit anathema maranatha. Signum Iſembardi epiſcopi, ſignum Guidonis militis de Clamiciaco, ſignum Beline, ſignum Iſembardi, ſignum Malgerii, ſignum Welmi clerici, ſignum Joſchelini decani ſancti Evurtii, ſignum Roberti militis, ſig. Gaudefridi militis, ſignum Ingranni militis, ſignum Hermengardi, ſig. Guidonis militis Largi, ſig. Odolrici militis, ſig. Lamberti capellani, ſig. Frodmundi canonici, ſignum Araldi levitæ, ſig. Renthonis clerici, ſignum Inguiſii clerici, ſignum Letaldi militis, ſignum Geſcalini militis divitis, ſignum Hadérici clerici, ſig. Guimaudi capicerii, ſig. Fulcherii cambellani, ſign. Auradi ſacerdotis, ſignum Thudonis ſervientis. Actum Piteveris caſtro publice. Herveus cancellarius legi & ſubſcripſi, amen.

X I I.

Charta Odolrici epiſcopi pro Miciacenſibus.

Circa 1030.

POntificalem ſollicitudinem dedîtam decet eſſe continue ad regenda opera quæ Chriſti expetit voluntas, & quæ minime ſunt peritura, ſcilicet gregem Chriſti augmentando nutrire atque ſanum reddere, & conventicula imo monaſteria fidelium protegere atque exaltare ſpirituali videlicet bono & temporali. Ego igitur Odolricus ſanctæ Dei eccleſiæ Aurelianenſis antiſtes hoc Chriſti adminiculo deſiderans implere, ſi ſecundum velle mihi foret poſſe, ſed Chriſti miſericordia, cum ex toto nec vacuus ab hoc exiſtam. Quapropter ſit notum cunctis fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, quia domnus Arnulphus archiepiſcopus Turonenſis humiliter poſtulavit noſtram bonitatem ut benigne concederem quod flagitabat, videlicet hoc eſt quædam eccleſia B. Pauli apoſtoli in burgo Dunenſi juxta civitatem Aurelianis, cujus mediam partem eccleſiæ idem archipræſul in beneficio ex meo epiſcopio & ex me poſſidebat, quam partem mediam aiebat ſe velle perpetualiter largiri Deo & ſanctis Stephano protomartyri & Maximino egregio confeſſori pro remedio utriuſque animæ, meæ ſcilicet atque ſuæ, necnon pro remedio animæ patris ſui domni Alberti jam dictorum cœnobii ſanctorum abbatis. Ego favens illius petitionibus dignum duxi peragere ea ratione, ut ipſe illud quod ante fuerat beneficium ſuum mihi redderet, & ego perpetualiter loco Miciacenſi concederem pro remedio animarum, meæ videlicet atque illius, ac ſui patris & ſucceſſorum meorum, quod & factum eſt ita. Decrevi ergo . . . . . hoc ſcriptum quod inviolabile & firmum maneat. Si quis vero parentum illius hoc ſibi vendicare, vel aliquis ſucceſſorum meorum infringere voluerit, fruſtretur omnimodis, atque ſi præterierit, damnetur authoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & noſtra, quæ conceſſa eſt nobis duobus antiſtitibus a Chriſto ſub pontificali cura ligandi. Addimus etiam huic ſcripto ne quis abbas vel aliqua perſona loci prædicti monachorum ratione aliqua vel benefaciendo, vel quoquo modo præſtando ſeu quocumque ingenio audeat eccleſiæ medietatem hujuſmodi alienare de dominio fratrum Miciacenſium poſt mortem illorum, qui ad præſens videntur tenere, tali ratione ut nemo parentum illorum poſt exceſſum eorum valeat particeps eſſe hujus beneficii. Hanc autem cartam ſubterfirmavimus, & nominibus fidelium teſtium roborare decrevimus. Sig. Odolrici epiſcopi, ſign. Arnulphi epiſcopi Turonis, ſig. Archevaldi archidiaconi, ſig. Ervæus de ſancto Marcello, ſignum Albericus frater Theodorici epiſcopi, ſign. Erfridi abbatis & præcentoris, ſignum Tedelmi archidiaconi, ſignum Theduini archidiaconi, ſignum Helduinus & frater ejus Odolricus. Datum III. calendas Novembris regnante Roiberto rege anno XL. Fr. Walterius levita ad vicem Ervæi cancellarii rogatus ab ipſo ſcripſit.

X I I I.

Iſembardus epiſcopus Aurelianenſis dat canonicis Carnotenſibus eccleſiam Unigradi.

Ex chartul. cap. Carnot.

QUicquid inter venerabiles agitur perſonas, quod multis temporibus velint eſſe manſurum, ſcripto, quo ſolo memoriæ paratur æternitas, mandandum eſſe judicamus, non appetendæ gloriæ gratia, quæ parvi a ſapientibus habetur, ſed ut poſteri relinquant intemeratum quod audierint a patribus caritative factum. Nondum enim adeo inhumanos & nichil de cœleſtibus cogitantes hujus ultimæ ætatis homines putamus, ut aut ipſi fratrum cuicumque eccleſiæ deſervientium penuriam copiis ſuis non ſublevent, aut ſi a patribus ſublevatam audierint, potius non lætentur & gaudeant, quam dona priorum infirmare, & ad nichilum redigere contendant; ſcientes quia præmium promittitur eleemoſinæ, deberi etiam pœnam rapinæ. Ego igitur Iſembardus quamvis tanto impar oneri, paſtor tamen datus eccleſiæ Aurelianenſi, a veritate audiens ſe etiam aquæ frigidæ calicem remuneraturum, atque ex hoc colligens dono majori majora deberi, ſtatui precibus Agoberti Carnotenſis epiſcopi non deeſſe, quippe quas noverim in caritate fundatas, & ideo impetratu dignas. Petiit enim ut altare Unigradi quod habebam cum perſona & canonicis ſanctæ Mariæ Carnotenſis eccleſiæ eis perpetuo habendum, nec ultra redimendum darem, nichilque redditus vel juris michi reſervarem, ſed quæcumque mea vel archidiaconi eorum ſua plane fierent. Quia igitur a novitate facti abhorrere, & rem eccleſiæ abalienare nolle me ſenſit, obtulit canonicis S. Liſardi Magdunenſis eodem ſe daturum modo altare Odenevillæ, & quicquid ibi ſuum vel ſuorum erat, noſtræ traditurum poteſtati. Quod ergo petiit dedimus, & oblatum recepimus. Ut autem hæc traditio firma perduret, manu propria eam firmavi atque archidiaconi manibus roborandam obtuli. Signum Iſembardi epiſc. ſignum Roibertus decanus, ſignum Aymo præcentor, ſignum Remſtho ſubdecanus, ſignum Hugo archiclavus, ſignum Hubertus archidiaconus, ſignum Gauſcelinus archidiaconus, ſignum Rohardus præpoſitus, ſignum Remſtho præpoſitus, ſignum Giraudus præpoſitus, ſignum Odolricus archipreſbyter, ſignum

Gauterius sacerdos, sign. Kestaudus sacerdos, signum Otbertus sacerdos, signum Ewardus sacerdos, signum Fulcherius sacerdos, signum Erveus sacerdos, signum Lambertus sacerdos, signum Rotbertus cancellarius.

XIV.

Ex autogr. *Forma juramenti quod fecit Hadericus electus Aurelianensis decano & canonicis sanctæ Crucis.*

1063. HÆC est forma juramenti quod juravit H. designatus episcopus canonicis sanctæ Crucis. Juravit itaque idem Hadericus eisdem canonicis super textum argenteum sancti Evangelii, in quo insertus est vultus eburneus Salvatoris, quod omnes donationes & authorationes præbendarum, & ministeriorum, & beneficiorum, quas suus avunculus Isimbardus episcopus antea canonicis fecerat, fideliter attenderet ac inviolabiliter custodiret, & firmationes præceptorum, quæ ipse Isimbardus & alii episcopi firmaverunt, & maxime illius præcepti quod Odolricus episcopus fecerat & firmaverat, de consuetudinibus claustri canonicorum, & de placitamentis præbendarum, & de libertate domorum, sicut in illo præcepto est statutum & confirmatum. Hæc omnia promisit idem Hadericus jurejurando attendere & servare, nec quidquam eorum destruere: & si aliquis canonicorum aliquando eis forisfaceret, nullam vindictam de eo, nec de suis rebus, nec per se, nec per suos antea caperet, donec ad decanum & capitulum clamorem faceret. Et si ille canonicus per decanum & capitulum rectum facere vellet, judicio & consilio capituli ipse reciperet: & si judicium canonicorum gravaret, ipse judicium consilio capituli temperaret, & misericordiam competentem impenderet, & hoc usque ad 40. dies exspectaret. Hoc juramentum factum fuit in capitulo sanctæ Crucis, audientibus & videntibus IX. canonicis, ipso Haderico X. quodam mysterio & præsagio sancti Decalogi mandatorum Dei. Haymone cantore, Remthone subdecano, Hugone archiclavi, Giraldo præposito & archidiacono, Rahardo item præposito, Arnulfo & Giraldo succentore, Sanctone & Otberto sacerdote, ipso, ut diximus, H. designato episcopo.

Hæc eadem suprascripta sacramenti forma fuit postea recitata in capitulo sanctæ Crucis coram pluribus senioribus & junioribus canonicis ecclesiæ numero 22. duplicato denario & binario addito, pro reconfirmatione & recommendatione Decalogi deuteronomica, præsente ipso Haderico, & recognita, & iterum confirmata ab ipso audiente & vidente supradicto numero canonicorum, quorum nomina hæc sunt: Haymo decanus, Giraldus cantor, Remtho subdecanus, Hubertus archidiaconus, Arnulphus archidiaconus, Johannes archidiaconus, Giraldus succentor, Godfridus subdecanus sancti Aniani, Hugo decanus sancti Petri virorum, Richardus levita, Droco sacerdos, Witmundus de S. Evurtio, Goffridus levita, Henricus capellanus, Hildegarius sacerdos, Adam sacerdos, Stephanus Bulgorellus, Johannes nepos subdecani, Fulcherius sacerdos, Daimbertus, Hugo Silvanectensis qui eam recitavit, Goffridulus puer filius Tetbaldi, qui ostium capituli servavit. Actum anno Incarnat. Dominicæ M. LXIII. regni vero Philippi regis IV. indictione prima.

XV.

Ex chartul. Cluniacensi. *Wido cognomento Largus ecclesiam sanctæ Mariæ de Pitveris dat Cluniaco.*

1080. QUoniam quidem generatio advenit & generatio præterit, ac nihil est sub sole conditioni hominum ita dispositum, quod quandoque sui mutabilitatem possit evadere, oportet nos meliorem nostri partem, quod est intellectus, utcumque viribus valemus, vel modicum exercere, ut quod in nostri præsentia geritur, qualiter inviolabile & ratum permaneat, posteris literatim mandetur. Igitur Dominicis verbis non absurda aure auditis, quidam peccatores, scilicet de Pitveris castro inter primates secundum hoc seculum nobiliores, perterriti immanitate & enormitate peccaminum suorum, domnus videlicet Wido cognomento Largus, de cujus capite totius alodi constat medietas, filii sui uxorisque consensu, domnus Hadericus qui fuit episcopus Aurelianensis, atque Hysimbardus frater ejus, domnus Wido abbas, per cujus consilium hæc acta sunt, & Gaufredus atque Ulricus nepotes eorum, & Albertus nobilis miles, uxoris filiorumque suorum consensu donant atque concedunt Deo omnipotenti, necnon & beatæ Dei genitrici Mariæ sanctisque apostolis Petro & Paulo ad locum Cluniacum, pro redemtione animarum suarum omniumque parentum suorum præcedentium atque subsequentium, quoddam prædium, quod conjacet Sinaquis inter Pitveris castrum & Dadonis villam; sed & in burgo præfati castri, vel ubicumque domnus Hadericus habere alodi aliquid videtur. Totum autem quod domnus Wido Largus habere videtur in alodo apud Guognoni villam, vel in hospitiis, vel in culturis, sive de patrimonio illi acciderit, vel quoquo modo postea adquisierit, eodem modo concedit; eo tenore ut monachi Cluniacenses habeant & possideant jure perpetuo & pro animabus illorum quorum eleemosynas vel hic jam receperunt vel recepturi sunt, preces quotidianas persolvant, ut dantes & accipientes simul in vita æterna feliciter vivant. Hæc autem carta facta est jussu voluntario domni Philippi regis totius Galliæ præclarissimi viri, & domni Richerii Senonensis archiepiscopi, atque domni Rainerii Aurelianensis episcopi, qui cum magno gaudio & devotione ibi cimiterium consecravit propriis manibus, in ædificanda ecclesia primum lapidem posuit, laudantibus atque cohortantibus cunctis Pitveris castri primatibus atque nobilibus. Si quis autem armis diaboli agitatus contra regiam potestatem atque confirmationem, & episcopalem corroborationem, atque sanctæ ecclesiæ robustissimam auctoritatem se erigere præsumserit, calumniam ingerendo huic tam undique confirmatæ donationi, nullo modo prævaleat, sed pro tali præsumtione auri libras mille componat, & fiant filii ejus orfani & uxor ejus vidua, atque cum Juda Christi traditore in abyssum inferni detrusus irrevocabiliter æternas pœnas luat. Signum Rainerii Aurelianensis episcopi, signum Widonis Largi, signum Tetbaldi filii ejus, signum Ulrici nepotis eorum cum Walterio fratre suo, signum Haderici clerici qui fuit Aurelianensis episcopus, signum Hisimbardi fratris ejus, sign. domni Guidonis abbatis & Gaufredi militis nepotum Haderici & Hisimbardi, signum Gibaldi pueri nepotis eorum, signum Alberti militis, signum Gaufredi militis, sign. Isimbardi fratris ejus, signum Hugonis de Tussuilla, signum Petri de Stampis, qui fuit cum Tetbaldo filio Arardi, signum Letaldi filiorumque suorum Fulconis & Godefridi, signum Simonis & Theoderici, signum Rainaldi capicerii.

XVI.

Præceptum Philippi regis Francorum de eadem ecclesia Pitveris. Ex chartul. Cluniacensi.

DOminus Deus cœli & terræ, maris & omnium quæ in eis sunt creator & rector, sub cujus potestate universa consistunt, super homines quos ad imaginem suam formavit, reges & duces, ceteraque potestates constituit, ut ipsi factorem suum super se recognoscant, & prout possunt, specialiter ei deserviant, ab ipso quoque pro perituris æterna recipiant. Quapropter ego Philippus gratia Dei Francorum rex, cum ex nostra liberalitate omnibus rationabiliter petentibus impertiri debeam, illis tamen vehementius concedere debeo, quos constat religiose vivere, & divinis cultibus 1080.

devotius deservire. Si enim piæ voluntati hominum præbuerimus assensum, nos cum eis remunerandos in superna retributione proculdubio credimus. Idcirco noverit universitas sanctæ matris ecclesiæ, tam præsentis quam futuræ ætatis fidelium, quod quidam nobiles viri, videlicet Adericus clericus, sanctæ Aurelianensis ecclesiæ filius, & frater ejus Isimbardus miles, & nepotes eorum, quidam videlicet Cluniacensis monachus nomine Wido abbas S. Benedicti super Padum, & fratres ejus Gaufridus & Gibaldulus, & Udalricus miles cum fratre suo Walterio, & Wido Largus atque filius ejus Teibaldus, necnon etiam Albertus filius Tescelini Felicis, cum uxore sua Belina & filiis suis nostræ serenitatis adierunt præsentiam, rogantes & obnixe postulantes ut de quibusdam suis terris Domino Deo & sanctis apostolis ejus Petro & Paulo loco Cluniaco religioso monasterio, cui domnus Hugo venerandus abba præest, aliquid darent, & in ipsa possessione super vadum Pitveris ecclesiam ad prædictum monasterium pertinentem in honore Dei omnipotentis & B. Mariæ semper virginis, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli constructam per nostrum regale præceptum firmaremus, ut diutius atque perfectius suæ voluntatis persisteret effectus; quorum petitioni libenter annuimus. Obtinuerunt etiam nobiles viri quos supra memoravimus apud Rainerium Flandrensem, qui tunc temporis Aurelianensis ecclesiæ episcopus habebatur, ut eis liceret eamdem ecclesiam suo consensu fundatam de alodiis suis & beneficiis, quæ in prædicto episcopatu sunt, dotare. Quæ autem sunt illa quæ huic devotioni annuerint, ita distincte & quasi propriis nominibus annotare placuit, alodium videlicet de Sinaquis cum vineis & vireto, terris cultis & incultis; alodium de Gaunonis villa cum culturis, & quicquid ibi acquisivit Wido Largus servitio vel pecunia sua, & grangiam unam Pitveris. Cum his etiam dedit ibi Adericus domum suam quæ est Aurelianis in alodo suo, cum alodo suo & cum vasis omnibusque rebus quæ ibi erant, necnon etiam partem suam alodi de Monte Barresio. Insuper etiam omnia sua aloda ubicumque sunt, cum consensu parentum suorum supradictorum. Concedo etiam prædictæ ecclesiæ hospites omnes quicumque inibi hospitari voluerint, necnon omnia quæcumque nunc habet & acquirere poterit juste. Et ut hæc carta stabilis & firma permaneat, eam caractere nostri nominis & sigillo nostro firmari & corroborari præcipio. Quod a nobis sancitum si quis in posterum violare vel permutare præsumserit, centum libras auri persolvat. Signum Adæ dapiferi, signum Simonis, signum Valeranni camerarii, signum Alberti filii Tezelini, signum Walterii de sancto Salomone, signum Mainardi nepotis Walterii, sig. Belinæ uxoris Walterii, signum Hugonis de Tulviaco, signum Johannis militis, signum Widonis Largi, sig. Letaldi, signum Erberti de Gironis villa, sig. Aderici, signum Fulconis filii Letaldi. Data per manum Rotgerii cancellarii septimo idus Aprilis, anno Incarnati Verbi millesimo octogesimo, indictione tertia, epacta vigesima sexta, regnante Philippo rege XIX. Signum Philippi regis.

XVII.

Ex chartul. Regul.

Regulense cœnobium Floriacensi confirmatur in synodo Xantonensi.

1080. NOtum fieri volumus omnibus christianis quomodo querimonia, quam nobis Vazatensis episcopus Reymondus fecerat de monasterio quod dicitur Regula, sopita sit atque finita. Cum enim ecclesia S. Benedicti Floriacensis per spatium 60. annorum præfatum monasterium sine querela quiete tenuisset, prædictus Vazatensis episcopus, quo animo ductus nescimus, querimoniam contra nos de prædicto monasterio facere cœpit. Unde pro hac causa in concilio Santonensi coram legatis apostolicæ sedis, domno videlicet Amato

A qui synodo præerat, & domno Hugone Diensi episcopo, præsente Vazatensi episcopo, nos satisfacturos eorum conspectibus præsentavimus. Cum vero chartam donationis ostendere juberemur, lecta est in conspectu omnium charta veritate & antiquitate suscipienda, quæ testabatur monasterium Regulæ, Squirs antiquis temporibus appellatum, juris sancti Benedicti ante illam donationem etiam extitisse, & ab eis personis a quibus illa traditio & transfusionis confirmatio fiebat, magis esse redditum quam donatum. Judicantibus ergo episcopis & archiepiscopis per veriorem & meliorem scripturam, siquidem hoc episcopus calumniari posset, cartam nostram tam veterem & veracem infirmari debere, nec bonam nec malam, nullumque penitus testimonium potuit ad auxilium suum & nostrum impedimentum B inducere. Sicque veritate justitiæ & testimoniorum nostrorum pondere superatus, prædictis legatis justitiam viriliter exequentibus, archiepiscopis & episcopis hoc canonice judicantibus, abbatibus & ceteris religiosis viris unanimiter judicium collaudantibus, sæpedictus calumniatus episcopus vanitate querelæ deposita, ac in æternum finita, nobiscum plenam pacem & concordiam, Deo miserante, peregit. Et ut hæc charta firma & inconvulsa permaneat, subterfirmaverunt etiam ipsi qui circumsedebant patres cum vicariis. Signum Amati vicarii Romanæ urbis, signum Jossellini archiepiscopi Burdegalensis, signum Guarmundi archiepiscopi Viennensis, sign. Ademari episcopi Engolisinensis, signum Hugonis episcopi Diensis & item vicarii, sign. Ricardi archiepiscopi Bituricensis, signum Rudolfi archiepi- C scopi Turonensis, signum Hugonis episcopi Lingonensis, signum Reimondi episcopi Vasatensis, signum Odonis abbatis Angeliacensis, sign. Drogonis abbatis Malliacensis, signum Iterii abbatis S. Stephani Beaniæ, signum Ademari abbatis Lemovicensis, sign. Arnaldi Trincaldi abbatis sanctæ Crucis Burdigalensis. Actum est 1080. regnante Philippo rege XXII. anno Guillermi abbatis..., cujus instinctu supradicta est sopita calumnia, & datum per manum Lamberti cancellarii vicarii Hugonis sexto idus Januarii Santonas.

XVIII.

Charta Radulphi pro Balgentiaco.

Ex chartul. Balgent.

UNiversis presentes literas inspecturis officialis curie *Circa* D Aurelianensis archidiaconi Balgentiaci in ecclesia *1104.* Aurelianensi, salutem in Domino. Noverint universi nos vidisse & diligenter inspexisse anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio die Veneris post festum apostolorum Petri & Pauli, literas nobilis viri Radulphi domini Balgentiaci, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua parte sui vitiatas in hec verba: Preteritorum presentiumque ecclesie doctorum testimonio docemur, privata quoque uniuscujusque ratione docemur, quod quicumque Domino nostro Jesu Christo vult placere, nequaquam melius placere potest quam si membra ipsi summo capiti fideliter coherentia diligenter foveat, & ne malorum infestationibus inquietudinem patiantur, sapienter precaveat. Qui enim ad hoc laborat & hoc agit, Dominum proculdubio se diligere, E & Deo servire ostendit, ipso eodem Domino prestante, qui ait, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* *Matth. xxv. 40.* Qui nimirum melius dicendi sunt minimi fratres Domini, quam qui mundum contemnentes, crucemque suam bajulantes Domino adheserunt, & posthabita voluntate propria obedientie colla submiserunt! Hinc igitur ego Radulphus Balgentiaci dominus, & uxor mea Mathildis, & filii mei filieque mee attendentes beate Marie, sanctorumque martyrum Firmini, Fusciani, Victorici atque Gentiani ecclesiam juxta Ligerim in castro Balgentiaco sitam, ecclesiam sancti Firmini & ecclesiam Vousonensem, in quibus & super quas injustam dominationem habueramus, pro remedio animarum nostrarum parentumque nostrorum per manum domini

Johannis Aurelianensis episcopi fratribus sub regula beati Augustini Deo servientibus, liberas & quietas, & ab omni jugo secularis potestatis solutas esse concedimus. Et ne fratribus aliqua super hoc perturbatio oriatur, ego Radulphus non solum meo, sed & prenotati episcopi sigillo cartam istam muniri facio, ut & ipsius prefate ecclesie ita libere & quiete ab omni prava exactione, quod nullus in eis preter synodos coacta requirat servitia, & que habent, aut que divina dispositione habituri sunt, tam a nobis quam a ceteris fidelibus, sive in hominibus liberis, sive servis, seu in aliis rebus sine vicario libera & quieta permaneant. Si quis autem forte super aliquo vicarium requisierit, nullum alium nisi turrim Balgentiaci tradet ecclesia. Has igitur ecclesias cum omnibus sibi datis vel in futuro donandis per preceptionis nostre seriem & sigillorum nostrorum assertionem ego Radulphus & uxor mea Mathildis, & filii mei & filie, Hugo, Simon, Lancelinus & Radulphus, Agnes & Mathildis, libere concedimus & confirmamus. Hujus rei testes sunt ex parte canonicorum, Rainardus abbas, Henricus prior, Vitalis sacerdos, Michael sacerdos, Mauricius sacerdos, Radulphus Brito, Ablaldus, Robertus, Cristianus sacerdotes, Rainaldus de Vousonno levita, Goffridus levita, Gervasius de Bolla, Petrus Hervei filius, Gosfridus Grossardus, Durandus sacerdos, Rainaldus Busagus, Gofridus Bignotus, Umbaldus Rufus, Hugo Malaterra, Hugo de Alompna, Rainaldus de Fonte, Alginus miles, Hainricus de Unalvesta, Michael Jossalli. Ego Radulphus signo & confirmo hec dona, ecclesiam beate Marie cum servis & ancillis, & omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam sancti Firmini cum decimis, ecclesiam S. Petri de Vousonno, & decimam cum tractu & cum omnibus ad ecclesiam pertinentibus, & decimam de Choisel quam dedit antecessor meus Lancelinus, furnum de sancto Laurentio, molendinum de Ligeri, ortos de Poteaus, que dedit mater mea Hadeberga, ego Mathildis signo & confirmo, ego Hugo signo & confirmo, ego Simon signo & confirmo, ego Lancelinus signo & confirmo, ego Agnes signo & confirmo, ego Mathildis signo & confirmo. Ego Johannes Aurelianensis episcopus hoc scriptum confirmo, & ne a nemine infringatur, ex auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus sancti interdico. Si quis vero temerario ausu contra hoc scriptum ire presumpserit, nisi resipuerit, & ad emendationem venerit, excommunicatum se esse noverit. Datum ut supra.

XIX.

Ex chartul. S. Petri Carnot. cooperto argento fol. 40. & 41.

Johannes donum monachis sancti Petri Carnotensis factum confirmat.

1111. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Johannes Aurelianensis episcopus absque dubitatione cognoscens acceptabile Deo & gratum esse servis ejus, & maxime seculo renunciantibus necessaria corpori providere, & contra calumpniarum infestationes munimenta præparare, præsenti scripto decrevi transferre ad notitiam successorum meorum quoddam beneficium quod impendi cœnobio Carnotensi in honore sancti Petri apostolorum principis, & Pauli & ceterorum constructo, approbatione canonicorum meorum.

Notum sit igitur successoribus meis & videntibus hoc scriptum in omni ætate succedentium temporum, quod ecclesia sancti Petri Puellaris, quæ juris est Aurelianensis episcopi, quamdam terram desertam habebat, in qua erant quædam deserta villaria, Tornessaci scilicet & Sorentii, & quædam alia nihil fructus dominis suis reddentia; hujus terræ angaria tamen quæ campipars dicitur, & justitiæ omnes pertinebant ad duos milites, Petrum scilicet majorem S. Crucis, & Droesium patruum ejus, quas tenebant a Guidone camerario regis, & ipse Guido ecclesiam sancti Petri Puellaris a me secundum consuetudinem prædecessorum meorum & suorum, non voluntate mea tenebat, & ideo abbas ecclesiæ ipsius vocabatur. Convenit igitur inter illos duos milites & monachos sancti Petri, ut omnia quæ ad eos pertinebant in prædicta terra, ecclesiæ sancti Petri & monachis ipsius æqualiter inter se & illos dividenda perpetualiter concederent, conditione quam inter se chirographo firmaverunt, assensu & concessione Guidonis camerarii & uxoris ejus Aalis; similiter & canonici assensu & concessione ejusdem Guidonis abbatis sui quæ ad eos in eadem terra pertinebant, eidem ecclesiæ sancti Petri & monachis ejus perpetualiter concesserunt, conditione quam inter se similiter firmaverunt chirographo, æqualiter inter utrosque partienda. Sed quoniam dona vel concessiones prædictorum militum sive canonicorum nullum stabiliratis robur absque mea & ecclesiæ meæ concessione obtinere poterant, adierunt me monachi sancti Petri, rogantes ut pro Dei amore & animæ meæ salute dona & concessiones, & conditiones prædictorum canonicorum & militum, sicut supra dictum est, ego quoque concederem, & mei sigilli astipulatione cum ecclesia sua permansura firmarem; quod quia utrisque, monachis scilicet & canonicis, visum est, utpote canonicis & militibus profuturum temporaliter, religioni vero monachorum conservandæ subministratione victus carnalis necessarium, eorum petitioni non restiti, sed præsentibus canonicis meis, quorum nomina subscripta sunt, ipsis volentibus & approbantibus concessi, & scripto præsenti, & sigilli mei attestatione cum tempore permansura roboravi, quod viderunt & audierunt quorum nomina subscripta sunt. Signum Johannis episcopi, signum Hugonis decani, signum Sequini præcentoris, signum Archembaldi subdecani, signum Buchardi archidiaconi, sig. Hugonis magistri scholaris, signum Hermenfredi succentoris. Actum est hoc Aurelianis, præsente Johanne episcopo, cum supradictis testibus anno ab Incarnatione Domini IIII. indict. IV. regnante Ludovico rege, anno V. consecrationis ejus.

XX.

Monialibus de Fonte-Ebraldi ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ de Hospitali dat Johannes.

EGO Johannes Dei misericordia Aurelianensis episcopus, omnibus sanctæ religionis christianæ cultoribus notum fieri volo, quod adiere me Stephanus decanus, Philippus præcentor, Archambaudus subdecanus, Burchardus archidiaconus, & cum eis Aurelianensium militum & burgensium venerabiles personæ, petentes quatenus pro animæ meæ remedio ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ de Hospitali, quæ est in prospectu Aurelianensis civitatis super amnem Ligerim ecclesiæ de Fonte-Evraudi & sanctimonialibus ibidem Deo famulantibus ad Deo serviendum concederem & donarem; quorum rationibus petitionibusque aurem præbens & animum applicans, per consilium supranominatarum personarum, necnon ad laudem & concessionem totius capituli nostri & Aurelianensis populi favorem, sicut requisierunt, concessi, & prædictam ecclesiam sanctimonialibus jam dictæ ecclesiæ de Fonte-Evraudi jure perpetuo ad omnipotentis Dei servitium faciendum donavi, ita tamen ut Aurelianensis ecclesia propter hoc donum in prædicta ecclesia de Hospitali jus suum & pristinam dignitatem non perdet, sed episcopo Aurelianensi, & decano & ejus archipresbytero subjectionem & obedientiam teneat. Adcrevi etiam ipsius ecclesiæ redditus, & ad sustinendas quæ ibidem Deo servierint sanctimoniales, de meis propriis redditibus donavi eis totam decimam terrarum quæ circa ipsam ecclesiam sunt, quam in dominio habebam, ad ipsam tamen ecclesiam pertinentem. Et ut donum inviolabile permaneat, sigillo nostro firmari, & canonicorum nostrorum signis & nominibus corroborari præcepi. Signum Johannis episcopi Aurelianensis, sig. Stephani 1113.

decani, signum Philippi præcentoris, sig. Archembaldi subdecani, signum Burchardi archidiaconi, signum Ulgrini archidiaconi, signum Ermenfredi archidiaconi, signum Stephani archidiaconi, sig. Hugonis magistri scholarum, signum Aubrici succentoris, sig. Fulcherii archipresbyteri, signum Zachariæ dapiferi, sig. Algrini cancellarii, signum Droconis canonici, signum Hugonis canonici, signum Odonis sacerdotis & canonici, signum Ingelgerii canonici.

XXI.

Ex chartul. Aurelian.

Daimbertus archiepiscopus Senonensis donat capitulo Aurelianensi duo altaria apud Stampas.

1115. IN nomine Domini, Daimbertus sanctæ matris ecclesiæ Senonensis archiepiscopus, Stephano sanctæ Crucis decano & universo clero Aurelianensis ecclesiæ, ipsis & successoribus eorum in perpetuum. Petitiones audire fratrum nos hortatur fraternæ dilectionis mandatum, quod nobis per legem imposuit ipse legis compositor & creator omnium. Cum enim in primo
Luc. x. 27. legis loco posuisset *Diliges Dominum Deum tuum*, continuo non ad angelos, nec ad aliud aliquid diligendum nos misit, sed ad proximos, subjiciens *&*
Ibid. *proximum tuum tanquam te ipsum.* Proximum vero tamquam se diligere, est de bonis proximis tamquam de suis unumquemque cogitare, eadem circa bonum velle sive nolle, congaudere, condolere pro temporum sive rerum mutabili varietate. Quocirca, dilectissimi fratres, petitioni vestræ sicut aurem claudere impium, sic aperire & acquiescere laude censuimus dignum, ut scilicet de manu nostra se accepisse aliquid gratuletur ecclesia vestra, quod & vobis & posteris vestris proficiat, & præsens ætas & ventura posteritas in memoriam suaviter recondat. Duo igitur altaria apud Fontanas & Ulmetum in Stampensi adjacentia posita juxta petitionem vestram sub annuo censu vobis ulterius possidenda concedimus, scilicet ut in synodo Paschali v.... pro his incensum per singulos annos Stampensis noster decanus Stampis recipiat. Præter hæc retinemus etiam nobis synodos, circadas in sacra Pentecoste, processiones & ceteras consuetudines nostras, & quæque juris episcopalis insignia, vicariorum tantum personis vel mutatione personarum vobis condonatis. Ut autem hæc nostra concessio temporis antiquitate, vel qualibet negligentia deleri vel obliterari nequeat, seu in oblivionis dubium, sive in errorem ignorantiæ quandoque incidere, literarum apicibus hujus nostræ concessionis decretum commendari, & sigilli nostri impressione signari præcipimus, ne quis deinceps invidiæ sive calumniæ patere prævaleat locus. Daimbertus archiepiscopus, Ansellus archidiaconus, Girardus archidiaconus, Tetbaudus archidiaconus, Hato archidiaconus, Burchardus archidiaconus, Rodulfus archipresbyter. Data mense Sept. anno ab Incarnatione Domini M.° C.° XV.° indictione VIII. regnante Ludovico rege anno VIII. Hato cancellarius scripsit.

XXII.

Ex chartul. Curiæ Dei.

Curiam Dei monachis Cisterciensibus donat Johannes episcopus.

1123. IN Dei omnipotentis nomine. Notum sit omnibus sanctæ ecclesiæ cultoribus, tam posteris quam & instantibus, quia ego Johannes Dei gratia Aurelianensis episcopus, & communis totius capituli sanctæ Crucis conventus, locum qui Curia Dei appellatur, domino Amalrico abbati ejusdem loci, & fratribus sub ipsius regimine Deo servientibus, necnon & aliis omnibus ibidem ad eandem monastici ordinis militiam successuris, ita liberum & quietum ab omni prava consuetudinis, exactionis, inquietationis perturbatione jure perpetuo possidendum donamus & concedimus, ut si quis forte

A ad eos confugerit, vel latro captus, vel sanguis ibi fusus fuerit, nullatenus ministerialium nostrorum præsumptione, vel alicujus violentia quies fratrum inde perturbetur, sed abbatis deliberationi ac pacificationi totum reservetur. Præterea pratum Constantii, quod nostrum erat, & quantumcumque nemoris circumadjacentis extirpando in usum pratorum vertere voluerint, necnon & nemora quæ nostri sunt juris omnia ad omnes usus necessarios nos eis dedisse & concessisse certum omnibus habeatur. Illud quoque cunctis clarescere volumus, quod eis gratia regis atque precatu, de pratis nostris quæ sunt juxta Ingranniam, quatuor arpenta concessimus, pro quibus ab eodem rege ultra pontem de Coiniaco sex in commutationem suscepimus. Ut autem nihil omnino eis superstet inquietationis, ego & Bur-
B chardus archidiaconus tertiam partem decimæ Joiaci pertinentem ad feodum presbyterale Ingrannensis ecclesiæ assensu dominorum & parochianorum in censu 12. denariorum posuimus, quos singulis annis ad festum sancti Medardi presbytero ejusdem ecclesiæ persolvant, nisi aut eorum beneficio, aut amicitia victus eis condonaverit. Quidquid autem de beneficio sanctæ Crucis & nostro, vel apud Joiacum, vel apud Visuolium, vel apud Petricellum, vel ubicumque jam, Deo largiente, adepti sunt, vel deinceps ex quorumlibet dono adipisci poterunt, pateat nos omnibus ex communi canonicorum nostrorum assensu concessisse: quod ne oblivione deleri valeat, scripto commendavimus, & ne a posteris possit infirmari, sigilli nostri authoritate confirmavimus. Actum est autem anno Domini M. CXXIII. episcopatus
C vero nostri XXVII. regni Ludovici serenissimi regis anno XVI. introitus vero monachorum V. Huic dono & concessioni nostræ affuerunt ii quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Stephani decani, signum Philippi præcentoris, signum Erchembaldi subdecani, signum Bartholomæi capicerii, signum Burchardi archidiaconi, signum Stephani archidiaconi, sign. Johannis archidiaconi, signum Hermenfredi archidiaconi, sign. Fulcherii archipresbyteri, signum Angrini cancellarii.

XXIII.

Ex chartul. Curiæ Dei.

Diploma Ludovici VI. pro Curia Dei.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex notum fieri volo 1123.
D cunctis fidelibus, tam futuris quam instantibus, quod Johannes venerabilis Aurelianensium episcopus & universus sancte Crucis Aurelianensis ecclesie conventus, locum qui Curia Dei appellatur, Amalrico ejusdem loci venerando abbati & fratribus ibidem Deo servientibus, & omnibus illis in eodem servitio ibidem successuris, liberum & quietum ab omni consuetudine, exactione & inquietatione jure perpetuo possidendum dederunt & concesserunt. Nemora etiam omnia sancte Crucis circumadjacentia eisdem fratribus & eorum animalibus ad omnes usus necessarios perpetuo concesserunt. Nos autem predictum Aurelianensis episcopi & capituli S. Crucis donum & concessionem, alia etiam omnia quecumque ex nostro vel quorumlibet dono predictis fratribus data sunt & concessa, quecumque
E etiam, largiente Domino, in futurum ex quolibet beneficio poterunt adipisci, illis jure perpetuo, quantum ad regiam attinet majestatem, concedimus & confirmamus. Hec siquidem sunt nomina locorum, que jam ad predictum locum in Dei servitio obtinendum, illis Dei gratia data sunt. Joiacus cum omnibus pratis, & plana terra, & molendino, & ceteris appendiciis; apud Campumbonum arpenta pratorum duo inter montes & aquam; apud Curcellias terra duarum quarrugarum cum pratis ex nostro dono, & terra unius quarruge ex dono Henrici de Baigenniaco & Alberti nepotis ejus, cujus terra fuerat quatuor quarrugarum; apud Fractum Puteum terra trium quadrugarum quam Stephanus Garreth in censu duorum modiorum hyemalis annone

& duo Martialis annone illis dedit; apud Petrumcellum terra unius quarruge ex dono Guiberti de sancto Benedicto, & terra dimidie quadruge ex dono Gosleni de Leugis; apud capellam de Gadniacho ex dono capituli sancte Crucis, & Radulphi de Balgentiaco, & Henrici dapiferi, & Petti de Ragelleit, terra quatuot quadrugarum cum pratis; apud Charupellum terra trium quadrugarum cum nemore & pratis; apud Ingranniam arpenta pratorum quatuor, pro quibus quatuor sex pratorum atpenta Aurelianensi episcopo apud Matolium in commutatione dedimus, & infra Ingranniam pratum Constantii ex dono episcopi. Preterea nemora nostra predictis fratribus ad omnes usus necessarios in perpetuum concessimus. Nemus tamen de Roorello excipimus, quod tamen, dum nobis placebit, ipsis concedimus. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus, & ne possit a posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri karactere subterfirmavimus. Actum Vitriaci publice anno Incarnati Verbi M.° C.° XXIII.° regni nostri XV.° astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Stephani dapiferi, signum Gisleberti buticularii, sign. Hugonis constabularii, signum Alberici camerarii. Data per manum Stephani cancellarii.

XXIV.

Ludovicus rex donatam a Johanne abbatiam sancti Petri Puellaris Zachariæ ejusdem decano confirmat.

1125. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Discretis sanctorum Patrum traditionibus obviare plane dignoscitur, quando quibusdam ecclesiasticum ordinem usurpantibus, ecclesiastica honores, & officia, & dignitates laïcorum dominio quandocumque mancipantur. Et quia a ratione penitus alienum est a clericorum possessione, quorum portio Deus est, ea quæ Dei sunt alienare: videtur enim & est quidem indignum, quod qui in ecclesia Dei in divino servitio non laborant, mercedem operariorum in vinea patris familias laborantium, sic suscipiant & possideant. Ego quidem Ludovicus Dei gratia Francorum rex, notum fieri volo cunctis fidelibus, tam futuris quam instantibus, quia fidelis noster Johannes Aurelianensis episcopus prædictam usurpationem in ecclesiis sibi a Domino commissis corrigendam attendens, Zachariæ beati Petri Puellaris decano ejusdem ecclesiæ abbatiam, quæ in manu laïcali diu fuerat, assensu & consilio nostro jure perpetuo habendam donavit & concessit. Quod si quid dominii ad prædictæ ecclesiæ beati Petri Puellaris utilitatem habebamus, in hoc cognoscentes approbamus, & volumus, & regia authoritate nostra omnino confirmamus. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendamus, & ne possint a posteris infirmari, sigilli nostri authoritate, & nominis nostri charactere subterfirmavimus. Actum apud Loriacum publice anno Incarnati Verbi M. CXXV. regni nostri XVIII. astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Stephani dapiferi, signum Sigiberti buticularii, signum Hugonis constabularii, sig. Alberici camerarii. Data per manum Stephani cancellarii.

XXV.

Ex autogr. *Charta Johannis episcopi pro Balgentiaco.*

1126. JOHANNES Dei gratia Aurelianensis ecclesie sancte Crucis episcopus, servus servorum Dei, universis ecclesie fidelibus in Domino salutem. Quum que scribuntur diutius memorie commendantur, tam presentibus quam futuris, literis intimare curavi quod Radulphus de Balgentiaco ecclesiam sancte Marie & SS. Fusciani, Victorici & Gentiani martyrum, quam ipse & antecessores ejus male possederant cum omnibus rebus ipsi ecclesie pertinentibus jam datis vel in futurum conferendis, ad opus canonicorum ibi regulariter viventium in presentia Ricardi cardinalis Romane ecclesie, & Dainberti Senonensis archiepiscopi, & Ivonis Carnotensis episcopi, & Galonis Parisiensis episcopi, & Guillelmi Nivernensis comitis, & Roberti de Arbrissello & multorum presentium, pro anima sua & antecessorum suorum per manum nostram & per baltheum suum quem super altare ipsius ecclesie deposuit, liberam & quietam imperpetuum esse constituit. Prefatam igitur ecclesiam cum omnibus sibi datis vel in futuro donandis, per presumptionis nostre seriem & sigilli assertionem perpetuo liberam confirmamus, nec in aliorum nisi ibi regulariter viventium fratrum possessione vel dominatione manere decernimus, nullorum deinceps violentiam eisdem fratribus permittentes irrogari; enimvero quum per absentem loci ejus & per se disponere aut diffinire nequiverit, diocesani episcopi judicio & auxilio emendentur. Porro que habent in ecclesiis vel que divina dispositione habituri sunt, pariter libera & quieta confirmamus, & ab omni exactione postmodum penitus absoluta dimittimus. Si quis autem huic nostre auctoritatis precepto pertinaciter obviare presumpserit, tam mee quam successorum meorum episcoporum animadversione mulctetur. Auctoritas etiam sancte Romane ecclesie ex decreto Urbani pape dato in Alvernensi concilio ecclesias a vicariis ubique quietas esse constituit; unde & istam sicut ab antecessorum temporibus & in beneficiis ab omni vicario ecclesiam liberam & quietam statuimus. Quisquis huic decreto adversari presumpserit, nisi resipuerit, perpetuo excommunicetur. Hoc donum prius factum publice Balgentiaco regnante Philippo rege, presentibus idoneis testibus, scilicet Hugone sancte Crucis decano, G. subdecano, Seguino cantore, Burcardo archidiacono, Henrico dapifero, Ganone Humbaudo Rufo, Garnerio Boisolo, Artaudo Malaterra, Bisolo de Vilerces, & multis aliis, tam de clero quam populo, per manum Johannis Aurelianensis episcopi novissime confirmatum est anno Domini M.° C.° XXVI.° regnante Ludovico rege.

XXVI.

Helias fundat prioratum sancti Itherii Soliacensis. Ex autogr.

HELIAS Dei gratia Aurelianensis episcopus, dilecto fratri in Christo Ademaro abbati sancti Benedicti 1137.
Floriacensis cœnobii, ejusque successoribus universis, totique ejusdem conventui monasterii religiose viventibus in perpetuum, &c. Ego igitur Helias Aurelianensis episcopus notum fieri volo cunctis fidelibus, tam futuris quam præsentibus, mihi a domini papæ Innocentii reverendissimi patris nostri benevolentia significatum esse, ut in ecclesia sancti Ytherii Soliacensis religionem, personasque ad Dei servitium idoneas institueremus. Idcirco pro domini papæ sententia & voluntate, communicato cum prudentibus & religiosis viris Aurelianensis ecclesiæ consilio, prædictam Soliacensem ecclesiam pro reverentia corporis sancti Benedicti, quod in Floriacensi cœnobio Dei providentia & gratia requiescit, quia etiam ipse totius monasticæ religionis institutor & pater est, præfato abbati Ademaro, ejusque successoribus & capitulo Floriacensis monasterii universo, ad serviendum Deo sub religione monastica, dono atque in perpetuum trado, salvo per omnia jure Aurelianensis ecclesiæ, & illorum canonicorum, cum hoc donum factum, in ecclesia Soliacensi commorantium tenore. Actum Floriaci publice, anno Incarnati Verbi M. CXXXVII. Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum regnante anno primo, episcopatus vero nostri anno primo. Ego Elias Aurelianensis episcopus manu propria subscribo & confirmo. Signum Stephani decani, Philippi præcentoris, Stephani subdecani, Bartholomæi capicerii, Ermenfredi archidiaconi.

XXVII.

Ex autogr. *Bulla Innocentii II. pro Balgentiaco.*

1139. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joscelino abbati sancti Gentiani de Balgentiaco ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Inter cetera, quæ de cura universalis ecclesiæ nobis imminent, religiosorum quieti nos convenit attentius providere, qui quanto fragiliores sumus, tanto magis eorum orationibus indigemus. Hoc nimirum intuitu, dilecte in Domino Josceline abbas, tuis postulationibus clementer annuimus, & ecclesiam sancti Gentiani, cui, Deo auctore, præesse dinosceris, apostolicæ sedis privilegio communimus. Inprimis si quidem statuentes ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam in vestra B. Dei Genitricis sanctique Gentiani ecclesia institutus, perpetuis temporibus ibidem conservetur. Sancimus etiam ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem venerabilis locus inpræsentiarum juste ac legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. Ecclesiam S. Firmini cum decima quæ ad ipsam pertinet, & parochia totius villæ, & omnibus cimeteriis, necnon capella sancti Nicolai, & capella sancti Lazari, ecclesiam S. Petri de Vosone cum decima, & terra, & omnibus quæ ad ipsam pertinent, ecclesiam sancti Andreæ de Darneto cum omnibus suis pertinentiis, tres arpennos etiam vinearum in eadem villa, ecclesiam sancti Stephani de Marciliaco, ecclesiam sancti Sulpitii de Lalliaco, ecclesiam sancti Aniani de Boola, ecclesiam sancti Johannis de Tovers, & capellam sancti Martini, quæ est in cimeterio ejusdem ecclesiæ, ecclesiam sancti Petri de Poliaco, ecclesiam sancti Petri de Villecerlo, ecclesiam sancti Leobini de Pireto, terram de Feucis de Sisuinnai, terram Melsdun, terram de Pireto super Malvam, terram de Castris, terram de Villemani, terram de Taupennis, medietatem molini de Porta, medietatem molini de Tovers, molendinum de Trusteth, decimam de Chosel, viginti solidos in pedagio de Firmitate Neberti. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum, qui ab Aurelianensi episcopo sine pravitate aliqua consecretur. Adjicimus etiam ut nemini fratrum liceat post factam in vestra ecclesia professionem absque tua licentia & capituli ad alia loca transmigrare, discedentem vero nullus audeat retinere, qui etiam secundo tertiove vocatus, si, quod absit, redire contempserit, prælatus suus in eum canonicam sententiam proferendi habeat facultatem, sed nec alicui liceat vobis invitis novas ecclesias vel oratoria in parochiis vestris construere, salva auctoritate & reverentia S. Romanæ ecclesiæ. Tua itaque interest, dilecte in Domino fili Josceline abbas, divina suffragante clementia honeste vivere, & fratres tuos si forte quandoque excesserint, communicato fratrum tuorum consilio transmutare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam vestram ecclesiam perturbare, vel ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus molestare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire præsumpserit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus & nostram incurrat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Gerardus presbyter cardinalis sanctæ Crucis in Jerusalem. Ego Anselmus presbyter cardinalis sancti Laurentii in Lucina. Ego Lictifredus presbyter cardinalis tit. Vestine. Ego Lucas presbyter cardinalis tit. sanctorum Johannis & Pauli. Ego Guido sanctæ Romanæ ecclesiæ indignus sacerdos. Ego Ivo presbyter cardinalis tit. sancti Laurentii in Damaso. Ego Crisogonus presbyter cardinalis sanctæ Praxedis. Ego Conradus Sabiniensis episcopus. Ego Albertus Albiniensis episcopus. Ego Albericus Hostiensis episcopus. Ego Gregorius cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi. Ego Otto diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum. Ego Vassallus diaconus cardinalis S. Eustachii. Ego . . . . presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis. Ego Goizo sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis. Ego Rainerius diaconus cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ. Data Laterani per manum Almerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, pridie nonas Martii, Incarnationis Dominicæ anno M. CXXXVIII. pontificatus vero domni Innocentii papæ II. anno undecimo.

XXVIII.

Manasses episcopus Aurelianensis dat canonicis sancti Evurtii præbendarum anniversaria in ecclesia sanctæ Crucis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1146.
Misericordia & justitia exigere videntur, ut rectores ecclesiarum de subditorum statu solliciti necessitatibus religiosorum, qui soli Deo militant, specialiter studeant providere, & ut eorum inopia ita prælatorum abundantia & beneficiis suppleatur, ne ipsorum quies aut contemplatio aliqua exteriori sollicitudine interius rumpatur, ut benefactores sui suorum participes meritorum ita efficiantur, quod in extremi die examinis ab omnium remuneratore bonorum remunerentur. Ego igitur Manasses Dei patientia Aurelianensis ecclesiæ humilis minister, & Stephanus decanus, & conventus ejusdem ecclesiæ universus, saluti infirmitatis nostræ meritis servorum Dei & precibus consulere peroptantes, ad notitiam futurorum & præsentium munimenti præsentis pagina censuimus transmittendum, quod ecclesiæ beati Evurtii & canonicis regularibus servitio Domini ibi vacantibus sinceræ intuitu caritatis præbendarum nostrarum anniversaria ita jure perpetuo possidenda concedimus, ut quocumque modo aut decessu canonici, aut si canonicus ad conversionem & habitum religionis se contulerit, aut alia qualibet occasione præbenda mutetur, præbendæ illius redditus eodem modo quo canonico, sive ut exteriori, sive ut assiduo in ecclesia reddebatur, prædictis canonicis per annum reddatur. Ab ipsis siquidem nobis est concessum, quod si canonicus in præbendæ mutatione quocumque loco decesserit, ecclesia beati Evurtii singulis diebus anni a die obitus sui missam pro eo propriam celebrabit, & anno completo, officium quod pro defunctis agitur, in ipsius anniversario ex integro complebit, præter aliud beneficium quod pro consideratione sua pro ipso constituet faciendum. Ne autem ecclesia in eodem anno suo privetur servitio, a canonico qui defuncto successurus est illud exhiberi statuimus, habita videlicet recompensatione orationum, quæ ei post obitum suum ab ecclesia sancti Evurtii debentur exhiberi. Sub silentio proinde præterire nolumus, quod præbendas sanctorum & ad personatus ecclesiæ nostræ, & magistratum scholarum,

& fuccentoriam, & ad cuftodes ecclefiæ pertinentes a prædicta conceffione noftra excipimus. Præterea fi deinceps aliqua præbenda fanctæ Crucis alicui cœnobio vel quibuflibet in perpetuum data fuerit, quia de hoc modo data præbenda annuale non exit, decernimus ut ecclefiæ fancti Evurtii, cui aliarum præbendarum annualia conceffa funt, pro prædicta præbenda talis fiat recompenfatio, ut ei fcilicet aut vicarium ftatuant, aut per fingulos annos in feftivitate fancti Evurtii x. folidos & mittant & perfolvant. Ego Manaffes Aurelianenfis epifcopus legi & fubfcripfi. Signum Stephani decani, fig. Hugonis præcentoris, fig. Zachariæ fubdecani, fignum Radulphi capicerii, fignum Algrini archidiaconi, fign. Petri archidiaconi, fignum Hugonis archidiaconi Balgentiacenfis, fignum Hugonis Soliacenfis archidiaconi, fignum Odelardi fuccentoris, fignum Anfelli magiftri fcholarum, fignum Burchardi præpofiti, fign. Simonis præpofiti, fignum Fulconis præpofiti, fignum Roberti prefbyteri, fignum Johannis diaconi, fignum Manfelli diaconi, fignum Goardi fubdiaconi, fignum Letoldi fubdiaconi. Data per manum Algrini cancellarii XIII. calendas Novembris anno Incarnati Verbi M. CXLVI. regni regis Ludovici anno X.

XXIX.

Ex exempl.

Bulla Eugenii III. pro fancto Evurtio.

1147. EUGENIUS epifcopus, fervus fervorum Dei, dilectis filiis Rogerio abbati ecclefie fancti Evurtii Aurelianenfis, ejufque fratribus, tam prefentibus quam futuris, regularem vitam profeffis imperpetuum. Ad hoc univerfalis ecclefie cura nobis a provifore omnium bonorum Deo eft commiffa, ut religiofas diligamus perfonas, & beneplacentem Deo religionem ftudeamus modis omnibus propagare; nec enim Deo gratus famulatus impenditur, nifi ex caritatis judice procedens a puritate religionis fuerit confervatus. Eapropter, dilecti in Domino filii, veftris juftis poftulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclefiam, in qua divino mancipati eftis fervitio, fub beati Petri & noftra protectione fufcepimus, & prefentis fcripti privilegio communimus. Imprimis fiquidem ftatuentes, ut ordo canonicus fecundum beati Auguftini regulam & inftitutionem fratrum fancti Victoris Parifienfis, qui per Dei gratiam in eadem ecclefia inftitutus effe dinofcitur, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter confervetur; nulli quoque fratrum poft factam ibidem profeffionem abfque abbatis totiufque congregationis permiffione liceat ex eodem clauftro difcedere, difcedentem vero abfque omnium literarum cautione nullus audeat retinere. Liceat autem abbati qui pro tempore fuerit, in eum qui, vobis ignorantibus aut invitis, difcefferit, fi fecundo tertiove commonitus redire contempferit, canonicam proferre fententiam. Preterea quafcumque poffeffiones, quecumque bona eadem ecclefia imprefentiarum jufte & canonice poffidet, aut in futurum conceffione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, feu aliis juftis modis Deo propitio poterit adipifci, firma vobis & veftris fucceforibus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclefiam de [a] Seneliaco & ipfum Seneliacum, [b] villam Baldrici cum terris arabilibus & omnibus ad eamdem villam pertinentibus, juftitiam quoque ipfius poteftatis, id eft, vicariam, ficut a Carolo rege Francorum ecclefie veftre antiquitus donatam effe ejufdem regis privilegium atteftatur; ecclefiam de [c] Artheniaco cum terris arabilibus, in quibus olim fuerat villa que Peculiaris villa dicebatur, & earumdem terrarum decimis & domo in eadem villa fita, quam rex ab omni confuetudine & exactione deliberavit. Item villam que [d] Boiletum dicitur cum adjacenti territorio & terragio ejufdem ville, & aliis confuetudinibus; villam que [e] Cunita dicitur, cum omnibus eidem pertinentibus, tam in hominibus quam in terris arabilibus, & decimis & ceteris ejufdem terre confuetudinibus; terras quas habetis apud [f] Marolium fecus [g] Piverim, terras quas habetis apud [h] Romeliacum, terras quas habetis apud Sironville, terras quas habetis apud [i] Moncellos, & prope eas nemus quod vocatur [k] Cantamerula, terras quas habetis in villa que Mantelii vocatur, terras quas habetis apud [l] Merelatum, & alias apud [m] Geminiacum, & quicquid habetis apud [n] Fayacum, villam que [o] Urfella dicitur prope oppidum [p] Balgentiacum, cum terris arabilibus, & terragio, & totius ville cenfu & juftitia, & ceteris confuetudinibus, prebendam in ecclefia fancte Crucis, ficut hactenus eam quiete tenuiftis, cenfum duodecim folidorum, quem vobis Hugo filius Ernaudi, immunitatem quam Carolus Magnus rex Francorum omnibus terris & poffeffionibus veftris contulit, ut videlicet ab omnibus confuetudinibus & exactionibus quas officiales regis in ipfis capere confueverant, libere fint ubicumque infra regnum fuum fint conftitute: obeunte vero te nunc ejufdem loci abbate vel tuorum quolibet fucceſſorum, nullus ibi qualibet fubreptionis audacia vel violentia preponatur, nifi quem fratres de ipfius loci collegio, five de alia congregatione ejufdem ordinis canonice providerint eligendum. Sane laborum veftrorum quos propriis manibus aut fumptibus colitis, five de nutrimentis veftrorum animalium nullus omnino a vobis decimas exigere prefumat. Illas quoque decimas que ad jus ecclefiarum veftrarum pertinere nofcuntur, de manu laicorum acquirendi vel etiam redimendi liberam vobis concedimus facultatem. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclefiam temere perturbare, aut ejus poffeffiones auferre, vel ablatas minuere, retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare, fed omnia integra conferventur, eorum pro quorum gubernatione & fuftentatione conceffa funt, ufibus omnimodis profutura, falva fedis apoftolice auctoritate, & diocefani epifcopi canonica juftitia. Si qua igitur in futurum ecclefiaftica fecularifve perfona hanc noftre conftitutionis paginam fciens, contra eam temere venire temptaverit, fecundo tertiove commonita, fi non fatisfactione congrua emendaverit, poteftatis & honoris fui dignitate careat, reamque fe divino judicio exiftere de perpetrata iniquitate cognofcat, & a facratiffimo corpore & fanguine Dei & Redemptoris noftri & Domini Jefu Chrifti aliena fiat, atque in extremo examine diftricte ultioni fubjaceat. Cunctis autem eidem loco jura fervantibus fit pax Domini noftri Jefu Chrifti quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diftrictum judicem premia eterne pacis inveniant, amen. Datum trans Tiberim per manum Roberti prefbyteri cardinalis & cancellarii VI. kalendas Martii indictione nona, Incarnationis Dominice anno M.° C.° XIV. * pontificatus vero domini Eugenii tertii pape anno 2.

a Seneli. b Baudreville. c Arthenai. d Baulai. e Cuni. f Mareau. g Pitviert. h Roumilli. i Monceaux k Chantemele. l Merelay. m Gemigni. n Fay. o Ourfel. p Baugenci.

* *l.* XLVII.

XXX.

Ex chartul. S. Evurtii.

Diploma Ludovici regis pro fancto Evurtio.

1147. IN nomine fanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Si neceffitati pauperum compatientes, eorum inopiam ex noftris abundantiis relevare, maxime in locis Deo dicatis ipfi fervientium, vel faltem ab aliis beneficentiæ munere collata pro viribus noftris fuftentare vel defenfare ftuduerimus, & ad præfentem vitam profpere tranfigendam, & futuram beatitudinem facilius obtinendam nobis profuturum omnino non dubitamus. Notum igitur fieri volumus cunctis fanctæ Dei ecclefiæ fidelibus, præfentibus & futuris, quod Rogerius, qui ecclefiæ fancti Evurtii Aurelianenfis, quæ eft in confpectu ipfius civitatis ad orientem, noftris temporibus prælatus eft abbas, præfentiam noftram adiit humiliter deprecans, ut ea quæ a prædecefforibus noftris regibus, vel epifcopis, vel aliis quibuflibet perfonis eidem ecclefiæ collata vel conceffa fuerunt, nos quoque quantum ad imperium noftrum pertineret, concederemus, & figilli noftri auctoritate confirmaremus. Nos igitur patrum noftrorum veftigia fequentes, ejus petitioni annuentes, ei &

successoribus suis abbatibus, & canonicis ejusdem ecclesiæ sub regula & institutione beati Augustini servientibus, concessimus & confirmavimus. Inprimis autem Senciacum, &c. *ut in literis Eugenii III.* Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimentum, & ne posset a posteris infirmari, scripto commendavimus, & nominis nostri caractere subterfirmavimus. Actum publice Aurelianis anno Incarnati Verbi M. CXLVII. regni nostri undecimo, adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Signum Radulphi Viromanduorum comitis dapiferi nostri, signum Guillelmi buticularii, sign. Matthæi constabularii, sig. Matthæi camerarii. Data per manum cancellarii.

XXXI.

Ex chartul. Majoris monasterii.

Bonum-Nuncium Majori monasterio datur.

1149. NE diuturno succedentium temporum intervallo ob incognitam veritatis certitudinem hoc a sinu memoriæ relabatur, neve posteros nostros in errorem ignorantiæ inducat, stilo memoriæ commendare decrevimus, quod ego Simon de Balgentiaco, tam meæ quam meorum antecessorum utilitati providens, ecclesiam beatæ Mariæ Boni-Nuncii in urbe Aurelianensi sitam, quam contra domini papæ præceptum & sanctorum canonum instituta ego & antecessores mei longo tempore possederamus, consilio venerabilis domini Manasse Aurelianensis episcopi, & aliorum religiosorum virorum, emendare atque ad meliorem statum redigere dispsosui. Sane prætaxata ecclesia propter inhabitantium negligentiam, & in temporalibus & in spiritualibus valde minorata, & fere ad nihilum redacta erat. Sapientum igitur fretus consilio, ne cuipiam injuriam inferre viderer, quemdam meum militem Hugonem Aurelianensem multa prece rogavi, quod pro jam dicta ecclesia quam de me in feodo tenebat, condignam commutationem a me reciperet, & ecclesiam illam cum omnibus pertinentiis suis a se & a suis ex integro liberam & quietam in manu mea dimitteret. Qui tandem assensu uxoris suæ & heredum suorum precibus adquiescens meis, denominatam a me commutationem gratanter accepit, & ecclesiam, & quæcumque ad eam pertinere dignoscuntur, præter unum clientem, & octodecim solidos, & decem denarios census, prout postulaveram, a se & a suis absolutam in manu mea dimisit. Prudenti itaque usus deliberatione, religiosos bonique testimonii viros & bonos ædificatores egregii confessoris Christi Martini Majoris monasterii monachos elegi, quibus per manum & consilium domini Manasse Aurelianensis episcopi, in præsentia domini Engelbaldi Turonensis archiepiscopi, pro mea & patris mei Radulfi, & antecessorum meorum, necnon & dominæ Adenordis uxoris meæ, cujus rogatu hoc feci, animabus præfatam ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus in eleemosynam donavi, atque sigilli mei impressione subterfirmavi, & in perpetuum habendam concessi. Ut autem hoc privilegium firmi muniminis robur perpetualiter obtineat, ego Simon de Balgentiaco subscripsi. Demum nomina eorum qui huic dono interfuerunt, placuit annotare. Sig. Simonis de Balgentiaco, Joscelinus abbas de Balgentiaco, Adelelmus capellanus, Jolduinus Miranspedem, Radulfus de Columnariis, de laicis Henricus Grossus Villanus, Roscelinus Malaterra, Mauricius de Porta, Robertus de Porta, Robertus de Villa Santonis, Gomerius Richerii; & ex parte monachorum dominus abbas Guarnerius, in cujus manu hæc eleemosyna data fuit, Bermundus prior, Raginaldus bajulus, Robertus notarius, &c. Actum anno Incarnati Verbi millesimo centesimo quadragesimo nono, piissimo rege Ludovico, qui partes Jerosolymitanas adiit, regni Francorum moderamina gubernante. Data Balgentiaci per manum Hervei cancellarii domini Simonis.

XXXII.

Ex chartul. sancti Aviti.

Manasses dat ecclesiæ sancti Aviti præbendarum annualia.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Misericordia & justitia exigere videntur, ut rectores ecclesiarum de earum statu solliciti, quos divina misericordia præ ceteris elegit, earumdem necessitatibus specialiter studeant providere. Ego igitur Manasses Dei gratia Aurelianensis ecclesiæ minister humilis, B. Aviti dictus abbas, & Johannes ejusdem ecclesiæ decanus, totusque conventus, saluti infirmitatis nostræ bonorum precibus consulere præoptantes, ad notitiam futurorum & præsentium munimenti præsentis pagina censuimus transmittendum, quod ecclesiæ beati Aviti præbendarum nostrarum annualia ita jure perpetuo possidenda concedimus, ut quocumque modo ejusdem ecclesiæ mutetur persona, præbendæ illius redditus eodem modo quo & claustrales canonici inibi Deo servientes integre suos habuerint, ita & præfata ecclesia sine aliqua diminutione possideat. Verum ut hoc donum consilio episcopi ad necessitates & usus ecclesiæ tantummodo supplendos ratum & inrefragabile habeatur, potestate nobis a Deo concessa prohibemus, & sub anathemate ponimus, ne alicui nostrorum successorum, vel episcopo, vel decano, vel alii personæ de anniversariorum redditibus aliquid diminuere, vel ad propria transferre, nisi ad hujus ecclesiæ liceat. Hoc equidem causa salutis nostræ & parentum nostrorum ad opus nostri retinuimus, & eo tenore concessimus, ut anniversarium nostrum & domni Stephani avunculi nostri liberalis memoriæ in vigilio beati Lifardi, & patris, & matris nostræ æstiva die beati Laurentii a canonicis singulis annis in ecclesia Deo famulantibus celebraretur. Ut autem præsens remuneratio aliqua in anniversario avunculi nostri celebrantes officium comitetur, statuimus ut panis trium minarum de frumento, & vinum trium lagenarum inter canonicos divideretur. Quod ne oblivione possit deleri, scripto commendari, & sigilli nostri authoritate muniri præcepimus. Actum publice Aurelianis anno millesimo centesimo L. ab Incarnatione Domini, episcopatus vero nostri quinto, ordinatis in ecclesia sanctæ Crucis majoribus personis, Simone decano, Girardo cantore, Zacharia subdecano, Radulpho capicerio. Et ne canonici anniversariis assistentes de refectione suspecti in aliquo conturbentur, volumus & præcipimus ut de redditibus ecclesiæ annualibus integre, sicut prædiximus, peragatur. 1150.

XXXIII.

Bulla Eugenii III. pro episcopis Aurelianensibus.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Manasse Aurelianensi episcopo 1150.
ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur quod rationi & honestati convenire videtur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecte in Christo frater, tuis justis postulationibus benignum impertientes assensum, omnem libertatem seu immunitatem tibi tuisque successoribus a carissimo filio nostro Ludovico illustri Francorum rege concessam & scripti sui munimine roboratam, sedis apostolicæ auctoritate firmamus, & perpetuis temporibus ratam manere sancimus: ut videlicet post tuum tuorumve successorum decessum aliquod ferreum vel ligneum in episcopalibus domibus regales ministeriales nullatenus capiant. Cum vero episcopatus Aurelianensis vacaverit, nullam exactionem vel talliam in terra ipsius episcopatus, nisi quæ statutis temporibus debentur, episcopo facient. Quæ nimirum tallia numerum sexaginta librarum illius monetæ non debet excedere. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona

bona impræsentiarum juste & canonice possides, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteris adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: abbatiam sancti Maximini, abbatiam sancti Evurtii, abbatiam de Balgentiaco, ecclesiam S. Lifardi Magdunensis, ecclesiam sancti Verani Gargogilensis, ecclesiam sancti Georgii Piverensis, ecclesiam sancti Petri virorum, ecclesiam sancti Petri puellarum, ecclesiam sancti Avitii, ecclesiam sancti Petri Maudunensis, ecclesiam de Craventiaco, ecclesiam de Ingrana, castrum Pitveris, castrum Maudunense, castrum Gargogilense, Ingranam cum pertinentiis suis, villam Strepeti cum pertinentiis suis, Marolium cum pertinentiis suis, Piverum vetus cum pertinentiis suis, decimam de Craventiaco cum atrio, terram episcopi Aurelianensis, quæ Martirevim vocatur, teloneum Aurelianis, ecclesiam de Soliaco, ecclesiam de Rivo Morentini, ecclesiam de Firmitate Ebrani, & ecclesiam de Cornelliaco, atque villam quæ Bullum vocatur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, seu ablatas retinere, minuere, vel aliquibus perturbationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. ✠ Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. ✠ Ego Ymarus Tusculanus episcopus. ✠ Ego Nicolaus Albanus episcopus. ✠ Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis. ✠ Ego Nicolaus presbyter cardinalis tituli sancti Cyriaci. ✠ Ego Aribertus presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ. ✠ Ego Julius presbyter cardinalis tituli S. Marcelli. ✠ Ego Wido presbyter cardinalis tit. Pastoris. ✠ Ego Otto diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum. ✠ Ego Octavianus diaconus cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano. ✠ Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli. ✠ Ego Astaldus diaconus cardinalis sancti Eustachii. ✠ Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu. ✠ Ego Jacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmydyn. ✠ Ego Johannes diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi. Datum Ferentini per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris, IIII. idus Februarii, indictione XIIII. Incarnat. Dominic. anno M.° C.° L.° pontificatus vero domni Eugenii papæ III. anno sexto.

Postea habetur bulla Innocentii ad Heliam episcopum Aurelianensem, qua vetatur ne alius in decanum aut archidiaconum eligatur, præter presbyterum vel diaconum.

XXXIV.

Ludovicus VII. ecclesiam sancti Samsonis dat Fratribus de Monte Sion.

1152. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum in perpetuum. Inspiravit nobis divina bonitas voluntatem proficiscendi Jerosolymam & videndi sancta loca ubi steterunt Salvatoris nostri Jesu pedes. Suscepto Dominicæ crucis salutari signo, multis peragratis regionibus, & gravibus superatis laboribus, ad Sepulchrum Domini pervenimus, & cum devotione orationum loca religiosa & Sanctam terram circuivimus. Religiosi & fideles viri nobis multum ibidem servierunt, & inter ceteros honoratores nostros sancta ecclesia de Monte Sion accurate nos & comites nostros honoravit, & caritatem suam affluenter effudit, & nostris necessitatibus subvenire studuit. Notum igitur sit omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod amore compuncti, & ex collato nobis honore & servitio commoniti, ecclesiam sancti Sansonis Aurelianensis, ubi erat canonia secularis, ecclesiæ & fratribus de Monte Sion cum præbendis & honoribus, & omnibus pertinentiis, decedentibus canonicis, in perpetuum habendam donavimus, ut de illo sancto ordine & de illa venerabili quam perspeximus religione, & perspiciendo delectati fuimus, in Gallicanis partibus aliquam plantationem deinceps habeamus, maneantque ibidem fratres divinam jugiter implorantes misericordiam, qui suæ professionis vestigiis insistentes, bonis operibus luceant & recte vivendi præbeant ceteris exemplum. Quod ut ratum sit in posterum & inconvulsum permaneat, & removeatur omnis calumnia, memoriæ literarum tradi, & sigilli nostri auctoritate confirmari præcepimus, adjecto caractere nostri nominis. Actum publice Aurelianis anno ab Incarnatione Domini M. CLII. regni nostri XVI. adstantibus in palatio nostro quorum subtitulata sunt nomina & signa. Sign. regis loco dapiferi, qui tunc nullus in palatio, signum Guidonis buticularii, signum Matthæi constabularii, sig. Matthæi camerarii, sig. Theodorici Galeranni, sig. Adæ camerarii. Data per manum Hugonis cancellarii.

XXXV.

Manasses episcopus canonicis S. Verani Gargogilensis plurima largitur.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Episcopali moderamini congruit in ecclesia Dei providere, unde personæ Deo deservientes sustententur, & ornamenta ejusdem ad decorem ipsius domus Dei reparentur. Dicit enim Psalmista, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Ideo ego Manasses Aurelianensis ecclesiæ minister humilis notum fieri volo, tam futuris quam præsentibus, quia ego attendens sanctissimum meritum beati Verani Gargogilensis, & devotionem clericorum ejusdem ecclesiæ erga personam meam & ecclesiam sanctæ Crucis, ob remedium animæ meæ & prædecessorum meorum, maxime domini Stephani Garlendensis, & Gilberti patris mei & matris meæ, quorum anniversaria singulis annis ex pacto quibus diebus contigerint, ipsi debent celebrare, annualia præbendarum ad solos usus ecclesiæ, quoquo modo mutetur persona, dedi & concessi, annuente Radulpho decano ejusdem ecclesiæ, & canonicis volentibus & concedentibus, & in quocumque statu fuerit præbenda, ad opus sanctissimi confessoris fiat claustralis. Contigit autem postea quod Dominus Jesus Christus reservavit me servum suum, & voluit ut per manus sui peccatoris, mei scilicet, ecclesia B. Verani consecraretur & gloriosissimum corpus prædicti confessoris revelaretur. Die autem revelationis sancti viri & consecrationis ecclesiæ sanctissimum corpus una præbenda in perpetuum dotavimus, cujus reditus ad ornamenta gloriosissimi confessoris & usus necessarios supplendos serventur, & quicumque ad alios usus transferre voluerit, anathemati subjaceat. Hanc autem præbendam decanus & canonici claustralem & integram semper esse concesserunt & pepigerunt. Statuimus autem ad commemorationem tantæ revelationis gloriosissimi confessoris, ut in singulis annis die solemnitatis annua nundinæ apud Gargogilum celebrentur, ita quod medietas omnium redituum canonicorum usui cederet, altera esset episcopi.

1154.

Ps. xxv. 8.

Et si forte latro ibi deprehensus fuerit, medietatem omnium rerum quas habuerit, vel pro redemptione sua dederit, canonici integre habebunt, & justitia tota de corpore episcopo remanebit. Ex præcepto autem generali domini papæ Eugenii, ut ecclesiæ quæ diu in episcopatu meo in ancillatio extiterant, a manu laïcali retraherentur, Hugonem de Montebarren excommunicavi, qui ecclesiam S. Martialis de Montraco jure hereditario tenebat, & sacerdotes annuos ibi ponebat; dominus enim papa præceperat, uti quoquo titulo possem, retraherem ecclesias, sive concessione aut filiis aut nepotibus, aut pro redemptione. Præfatus Hugo Spiritu sancto compunctus, cum iter Jerosolimitanorum cum domino rege vellet aggredi, ecclesiam quam injuste tenebat, in manu mea refutavit, & ego pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum illud quod miles injuste habebat in ecclesia illa, canonicis sancti Verani dedi & concessi, annuentibus & volentibus Johanne archidiacono & Theobaldo archipresbytero, tali tenore ut ecclesia infra castrum novum transferretur, & presbyteri præsentationem similiter concessi. Si quid vero de capitalibus canonicorum presbyter defraudatus fuerit, canonicis liceat eum in jus trahere. Illam autem partem quam Richardus habebat in ecclesia de villa Mureim, & partem quam habebat in ecclesia de Vigleina, & post obitum Hernulphi clerici aliam partem ejusdem ecclesiæ, & medietatem ecclesiæ de Marcilliaco prædictis canonicis dedi & concessi; quod ne tradatur oblivioni, scripto commendari, & sigilli nostri authoritate muniri præcepimus. Actum publice Aurelianis anno Incarnati Verbi M. CLIIII. ordinatis in ecclesia sanctæ Crucis majoribus personis, decano nullo, Girardo cantore, Zacharia subdecano, Radulpho capicerio. Data per manum Algrini cancellarii.

XXXVI.

Ex chartul. S. Crucis Aurel.

Ludovicus rex defuncti episcopi suppellectilem concedit Manassi episcopo.

1157. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia rex Francorum, omnibus in perpetuum. Nihil æque magnum aut gloriosum operari creditur liberalis magnificentia regum, quam ut ecclesiarum libertatem pietatis studio semper intendat augere, & inolitas consuetudines quas ad earum gravamen possessionis usus in tenorem juris adduxit, rationabili providentia relaxare. Cujus rei gratia, dilectissimi nostri Manasse venerabilis Aurelianensis episcopi piæ petitioni debita benignitate gratum impertientes assensum, quoniam ex internæ dilectionis affectu ecclesiam Aurelianensem semper dileximus, & ejusdem episcopi honoratam personam in nostræ gratiæ familiaritatem speciali prærogativa suscepimus, ipsi & successoribus ejus in perpetuum donamus, & condonando concedimus, quod in domibus episcopalibus post decessum episcoporum neque nos neque successores nostri ligneum deinceps seu ferreum aliquid, sicut antiquitus fuerat consuetum, seu per nos seu per nostros ministeriales capiemus. Lectisternia, cortinæ & cetera suppellex quæcumque solet esse ad pulchritudinem, sive speciem atque utilitatem domorum, & quicquid omnino invenietur, decedente episcopo, excepto omni eo quod de argento fuerit, & de auro quod nobis retinemus, salva permanebunt ad opus successuri episcopi. In grangiis quæcumque superfuerint boves, oves & alia quadrupedia, gallinæ & quæcumque volatilia, si mortalitas non vastaverit, transcribentur successori. Et interim vacante sede, dum in manu nostra constabit episcopatus, labor carrucarum exercebitur, & quod conductis operariis & pastis superabundaverit, accipiemus. Ad majorem etiam Aurelianensis ecclesiæ libertatem concedimus, & per præsentis præceptum paginæ perpetualiter stabilimus, quod quando episcopatus Aurelianensis in manus regias A devenerit, nullam prorsus exactionem vel talliam in terra ejusdem episcopatus vel nos vel successores nostri de cetero faciemus, nisi eam quæ statuto tempore debetur episcopo, scilicet ad festum sancti Remigii, quam nostri ministeriales sine contradictione Aurelianensis ecclesiæ ex nostro vel successorum nostrorum mandato accipient, ac reliquos etiam consuetudinarios redditus episcopatus. Ac ne etiam talliæ illius summa supra modum ad gravamen ecclesiæ ullis occasionibus augeatur, certa sub assignatione statuimus, ac modis omnibus inhibemus ne numerum sexaginta librarum excedat. Quod ut ita perpetuæ stabilitatis obtineat munimentum, & quam præsentibus tam futuris perenniter innotescat, scripto commendari, ac sigilli nostri auctoritate muniri, nostrique nominis subterinscripto caractere corroborari præ- B cipimus. Actum publice Aureliæ anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo, consecrationis nostræ vigesimo sexto, astantibus in palatio nostro quorum subtitulata sunt nomina & signa. Signum comitis Blesensis Theobaldi dapiferi nostri, signum Widonis buticularii, signum Matthæi camerarii, signum Matthæi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

XXXVII.

Ex tabulario Pontilev.

Manasses episcop. confirmat monachis Pontilevienſibus ecclesias quas in diœcesi Aurelianensi tenebant.

MANASSES Aurelianensis episcopus secutus auctoritatem prædecessorum suorum, & maxime 1158. C Johannis episcopi bonæ memoriæ, ecclesias quas monachi Pontileviacensis monasterii in episcopatu Aurelianensi privilegio Lucii pontificis ac Johannis Aurelianensis episcopi confirmatas habebant, ipsis habendas & in pace tenendas, salvo jure ac consuetudine Aurelianensis ecclesiæ, indulget & concedit pro anima D. Gilleberti patris sui, & remissione peccatorum suorum, ac præcipue pro anima Sulpicii de Ambasiaco; quasdam etiam alias ecclesias Herberto tunc Pontileviensi abbati prece D. Joscii Turonensis archiepiscopi & D. Roberti Carnot. episcopi, donat & concedit. Actum publice Blesis anno Incarnati Verbi M. CLVIII. regnante Ludovico Ludovici filio anno regni ejus XVIII. episcopatus vero Manassis XIII. astantibus Joscio Turonensi archiepiscopo, Guillermo sancti Maximini abbate, Ro- D berto Vindocinensi abbate, Gaufrido sancti Launomari abbate, Fulcaudo sancti Johannis de Valle abbate, Guncelino Baujenciacensi abbate, Rogerio abbate beati Evurtii, Milone Carnotensi archidiacono, Pagano archidiacono, monachis quoque Pontileviensibus Ernulpho, Charrello, Guidone de Meso, &c. Elnaldo Blesensi clerico Aurelianensis episcopi, qui etiam literas præsentes scripsit. Data Aurelianis per manum Algrini cancellarii.

XXXVIII.

Bulla Alexandri papæ pro Curia Dei.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, 1162. dilectis filiis Lotherio abbati monasterii de Curia E Dei ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, monasticam vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam agentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam ex institutione Cisterciensis ordinis in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Joiacum cum omnibus pratis & plana terra, molendino & ceteris appenditiis suis, apud Campum bonum arpenta pratorum duo inter montes & aquam, apud Carrelias terram duarum carrucarum cum pratis ex dono dilecti filii nostri Lodoici illustrissimi Francorum regis, ex dono Alberti Pitverensis unam carrucatam terræ apud capellam de Cathiniaco, ex dono Gosleni de Leugis dimidiam carrucatam terræ apud capellam de Cathiniaco, ex dono capituli sanctæ Crucis & Radulfi de Balgenciaco, Henrici dapiferi & Petri de Bugellet quatuor carrucatas terræ in pratis, apud Champellum tres carrucatas terræ cum nemore & pratis, apud Ingranniam arpenta pratorum quatuor, pro quibus quatuor sex pratorum arpenta apud Marollium in commutationem dedistis, ex dono Aurelian. episcopi pratum Constantii. Præterea nemora a supradicto filio nostro Ludovico Francorum rege ad omnes usus vestros rationabiliter vobis concessa nihilominus confirmamus. Illa etiam sanctæ Crucis vobis circumadjacentia nemora ad omnes usus vestros & animalium vestrorum, quemadmodum monasterio vestro rationabiliter concessa sunt, authoritate apostolica confirmamus. Libertates igitur seu immunitates a bonæ memoriæ quondam Johanne episcopo vobis & ecclesiæ vestræ juste concessas, & tam scripti sui quam Manasse ejusdem civitatis episcopi munimine confirmatas, quemadmodum in eorum & carissimi filii nostri Ludovici illustrissimi Francorum regis scriptis authenticis continetur, nihilominus vobis roboramus. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumtibus colitis sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas vel primitias præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prædictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, &c. Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus, ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Jerusalem, ego Henricus presbyter cardinalis tit. sanctorum Nerei & Achillei, ego Albertus presbyter cardinalis tit. sancti Laurentii in Lucina, ego Guillelmus presbyter cardinalis tituli sancti Petri ad Vincula, ego Gregorius Sabinensis episcopus, ego Bernardus Portuensis sanctæ Rufinæ episcopus, ego Gualterus Albanensis episcopus, ego Hyacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmidin, ego Odo diaconus cardinalis tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano, ego Ardicio diaconus tit. sancti Theodori, ego Cinthius diaconus cardinalis sancti Adriani, ego Raimundus diaconus cardinalis S. Mariæ in Via lata, ego Johannes diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu. Datum apud Montempessulanum per manum Hermanni sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii pridie nonas Julii, indictione decima, Incarnationis Dominicæ anno M. CLXII. pontificatus vero domni Alexandri papæ III. anno tertio.

XXXIX.

Theobaldus comes Blesensis ecclesiæ sanctæ Crucis gistum in villa Noëmio condonat.

1164. EGO Theobaldus Dei gratia comes Blesensis & Franciæ senescalcus, notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quia pro remedio animæ nostræ, & patris nostri, & parentum nostrorum consuetudinem, quæ vulgo gistum dicitur, quam in villa sanctæ Crucis, quæ Noëmium appellatur, habuimus, ecclesiæ sanctæ Crucis in perpetuum condonamus: sic ut nec ego, nec successores nostri, nec præpositus Blesensis, nec aliqui servientes nostri aut successorum nostrorum quicquam amodo inde requirere aut reclamare præsumamus, ita tamen ut cum præpositus noster de sancto Deodato in festivitate sanctæ Crucis in Maio ad clientelas, quas vulgo commandicias vocant, venerit recipiendas de tertio pane, & vino, & carne uno tantum prandio procuretur, similiter & in autumnali tempore, cum ad censamentum avenæ venerit recipiendum. Tempore vero vindemiarum, custos vini mei solus ibi procurabitur, unde & major Noëmii qui de proprio eos procurat, ab omni consuetudine, tam in eadem villa quam Blesis, absolutus in perpetuum & quietus habetur. Hoc autem concedimus & confirmamus, salvis tamen ceteris rectis consuetudinibus nostris, quas in eadem villa hucusque possedimus. Universus vero ecclesiæ sanctæ Crucis conventus in retributionem beneficii nobis concessit, quod anniversarium diem patris nostri, nostrum quoque post decessum nostrum singulis annis celebrarent. Ut autem hæc donatio nostra rata maneat & inconcussa, in præsentia multorum una voce concessimus, & sigilli nostri auctoritate corroboravimus. Actum publice Aurelianis in capitulo sanctæ Crucis anno Incarnati Verbi M. CLXIIII. regni vero domni Ludovici serenissimi Francorum regis XXVI. episcopatus vero domni Manasse ejusdem ecclesiæ episcopi XVIIII. astantibus in præsentia nostra Hugone filio Ebrardi de Puteolo, Fulcherio de Mellajo, Willelmo milite Carnotensi, Guarino Morcherii, Fulcone de Merroliis, servientibus quoque nostris præposito Blesensi, Espechardo, Harduino de Faia, Drocone, Bartholomæo, Girardo Burgundo, Pinello de sancto Deodato. Data per manum Hildrici cancellarii.

XL.

Manasses Aurelianensis episcopus concedit monachis beatæ Mariæ Boni Nuncii præbendam in ecclesia sancti Petri puellarum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Sanctione divinæ legis erudimur, quod nihil adeo gloriosum est, nihil æque dignum operari credimur liberalis prælatorum clementia, quam ut pauperum inopiam fratrum vigilantiæ cura supplere intendat, & ecclesiarum possessiones studio pietatis caritatisque augmentare. Cujus rei gratia, ego Manasses Aurelianensis ecclesiæ minister humilis, ad cujus officium spectat & pertinet servorum Dei utilitati sollicite providere, & eorum beneficia & jura quibus in Dei & ecclesiæ servitio sustentantur, ut firmiori stabilitate ea possideant, nostræ munimine auctoritatis roborare, ad præsentium & futurorum notitiam transmittere curavimus, quod justis & honestis petitionibus sanctissimi patris nostri Alexandri Romani pontificis gratum impertientes assensum, in spe remunerationis æternæ, atque animæ meæ, & patris mei Gisleberti, & matris meæ Eustachiæ, & patrui mei Stephani de Garlanda remedio, ecclesiæ beatæ Mariæ Boni Nuncii & monachis ibidem Deo famulantibus quartam præbendam quæ in ecclesia beati Petri puellarum exciderit, quoquo modo contingat, donavimus & in perpetuum habendam concessimus; ita tamen ut clericum suum ibi monachi habeant, qui serviat ecclesiæ, & monachi claustralem & integram recipiant præbendam. Prædicti vero fratres, ut remuneratio aliqua in hac vita sequatur, ex benigna eorum promissione celebrabunt in ecclesia sua singulis annis anniversarium nostrum & prænominatorum antecessorum nostrorum. Donabunt etiam singulis annis viginti solidos Majori monasterio post obitum matris meæ Eustachiæ, ad faciendum quoddam generale illis qui diem anniversarii ejus celebrabunt. Quod ne possit infringi, nec longo temporum curriculo oblivione deleri, scripto commendari & sigilli nostri munimine corroborari præcepimus. Impetravimus etiam a domino papa, ut hoc nostrum 1166.

confirmaret ſtatutum, & tali modo ab eodem eſt confirmatum, ut ſi quis diabolico inſtinctu contraire præſumpſerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & vinculo anathematis donec reſipiſcat, innodetur. Actum publice Aurelianis anno Incarnati Verbi M. CLXVI. ordinatis in eccleſia ſanctæ Crucis majoribus perſonis Johanne decano, Guillelmo cantore, Hugone ſubdecano, Manaſſe capicerio, cancellario nullo.

X L I.

Manaſſes epiſcopus quædam Miciacenſibus confirmat.

1167. MANASSES Dei gratia Aurelianenſis eccleſiæ epiſcopus, Gauterio venerabili abbati monaſterii ſancti Maximini, ſalutem. Rogavit nos dilectio veſtra, ut medietatem eccleſiæ ſancti Pauli, quæ eſt Aurelianis in burgo Dunenſi, quam in tempore noſtro pacifice poſſidetis, quam etiam prædeceſſores veſtri abbates a tempore Odolrici epiſcopi per ipſius Odolrici largitionem, & per preces Arnulphi Turonorum archiepiſcopi, qui hoc ab ipſo impetravit, & per inſtantiam Alberti abbatis monaſterii veſtri patris ipſius Arnulphi uſque ad tempus noſtrum pacifice poſſederunt, vobis veſtriſque ſucceſſoribus confirmaremus. Unde quia nonniſi quæ juſta ſunt poſſidetis, jam dictam medietatem eccleſiæ ſancti Pauli cum beneficiis, quam, ſicut dictum eſt, hactenus habuiſtis, eccleſiam quoque de Calvomonte, quæ eſt in Sicalonia, quam videlicet eccleſiam mulier quædam, Milleſindis nomine, pœnitentia ducta, in manu noſtra omnino reliquit, quam & vos nunc per ipſius Milleſindis precem & per noſtram largitionem habetis, vobis veſtriſque ſucceſſoribus abbatibus & monachis in loco Miciacenſi, cui nunc præſidetis, Domino noſtro ſub tutela B. protomartyris Stephani & egregii confeſſoris Maximini famulatis præſentium literarum teſtimonio & ſigilli noſtri munimine confirmamus. Actum anno Domini M. CLXVII. ordinatis in eccleſia S. Crucis majoribus perſonis Johanne decano, Guillelmo cantore, Hugone ſubdecano, Manaſſe capicerio.

X L I I.

Manaſſes Aurelianenſis epiſcopus vocat in eccleſiam S. Nicolai de Landa canonicos Præmonſtratenſes.

1167. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Manaſſes Dei gratia Aurelianenſis epiſcopus, univerſis catholicis bene valere. Approbatæ conſuetudinis eſt eos qui tenent locum regiminis, & epiſcopi vocantur, religioſorum circumvalli frequentia. Eapropter nos inſpicientes ſanctam Aurelianenſem eccleſiam pene omnium religionum floribus adornatam, ſanctum Præmonſtratenſem ordinem, quem non mediocriter diligimus, ſolum nobis deeſſe vidimus. Placuit igitur nobis ut ejuſmodi ordinis claritas, quæ fere per univerſum mundum jam lucet, nobis etiam non deeſſe. Quamobrem locum eccleſiæ noſtræ proprium, qui dicitur ſanctus Nicolaus de Landa, præ gaudio nativitatis illuſtriſſimi pueri Philippi filii domini regis, ab omni exactione & angaria liberum ordini præfato tradimus, & domui Vadi Ulmi ſociamus, quodque . . . . . . aſcetis qui ibi habitaverant, ambiebatur . . . . . ſed & extra . . . . . . pleſſeta XXX. arpenta ſub cenſu unius libræ ceræ in Exaltatione ſanctæ Crucis ſingulis annis perſolvendæ. Concedimus & fratribus loci illius uſuale ſuum in nemoribus noſtris, paſtum ſcilicet beſtiis cujuſque generis, ligna ad faciendum ignem, ad domos ædificandas, ad clauſuras faciendas, ad vineas ſuſtinendas & ad uſus ceteros ſibi neceſſarios, excepta vidatione ſeu venditione. De nutrimentis autem & novalibus ſuis, & de iis quæ inter minutas decimas computantur, nullus ab eis decimas accipiat, & ab eis vel familiis ſuis nemo alius parochiales exigat. De cetero quæcumque largitione regum vel principum, oblatione fidelium, emptione vel aliqua qualibet adquiſitione rationabiliter adquirere poterunt, etiamſi de caſamento noſtro ſunt, eis libere recipienda ac poſſidenda concedimus. Prohibemus etiam ut præter Romanam eccleſiam & eccleſiam noſtram, & dominum regem, nemo ſuper eos dominium uſurpet ſive juſtitiam; ſed ſi quis ab eis injuriam ſe pati quæritur, nos eos ad juſtitiam adducemus. Si quis igitur hanc conſcriptionis noſtræ paginam violare tentaverit, anathemati ſubjacebit. Actum publice in capitulo noſtro anno Incarnati Verbi M. CLXVII. aſtantibus in eccleſia noſtra Johanne decano, W. cantore, Hugone ſubdecano, Manaſſe capicerio. Datum Aurelianis X. calendas Januarii.

X L I I I.

Pactum inter canonicos ſanctæ Crucis Aurelianenſis & monachos Bonæ vallis confirmat Willelmus archiepiſcopus Senonenſis.

WILLELMUS Dei gratia Senonenſis archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, omnibus ſanctæ matris eccleſiæ filiis, tam futuris quam præſentibus, ad quos literæ præſentes pervenerint, ſalutem. Univerſitati veſtræ notum fieri volumus, quia cum inter eccleſiam ſanctæ Crucis Aurelianenſis & monachos de Bona valle contentio eſſet ſuper quibuſdam terris, quæ de feodo ſanctæ Crucis erant, a prædictis monachis ſine aſſenſu capituli Aurelianenſis emptis, aſſenſu utriuſque partis in hac forma per amicabilem compoſitionem coram nobis controverſia ſopita eſt. Monachi de Bona valle medietatem terræ Stephani Bruarii, quæ dicitur de villa Valdrem, & de feodo ſanctæ Crucis erat, neſcientibus canonicis ſanctæ Crucis emerant; cumque canonici feodum ſuum a monachis emi ſine voluntate ſua non poſſe dicerent, & ſuper hoc coram nobis litem moviſſent, eadem lite pendente, prædicti monachi alteram medietatem a præfato Stephano Bruario neſcientibus canonicis iterum emerunt. Rurſus pro hac ultima medietate ſicut & pro prima canonici monachos coram nobis convenerunt, & quia lites exſecrabiles & odioſæ viris honeſtis & religioſis eſſe debent, hortatu noſtro ſub hac conventione pars utraque a lite receſſit, & concordi tranſactione pacem invicem reformavit. Canonici pretium pro ultima parte dimidia perſolverunt, & ſic tota illa terra Stephani Bruarii, quam ſupra diximus, communis canonicorum & monachorum facta eſt, tam in terragio quam in decima, & in omni proventu. Rurſus canonici, tam terram de villa Gauberti extra corpus ipſius villæ & arpennos hoſpitum, qui proprii ſanctæ Crucis, ſicut prius fuerant, ita & deinceps erunt, ſibi & monachis communem de cetero fore in omni reditu & juſtitia conceſſerunt. Monachi quoque quidquid decimæ in prædicta villa vel territorio habebant pro communitate campipartis, quæ canonicorum erat, ſibi & canonicis commune fecerunt. Quidquid etiam in terra de Noſmento & in terra quæ fuit Herberti de Boſcheto, ſive in terragio, ſive in decima monachi habebant, commune deinceps canonicorum & monachorum erit: ſciendum quoque quod quatuor oſchiæ, quæ vicinæ monachis erant, ad culturam ipſorum proprie & quiete remanebunt, ſed pro iſtis permutationem convenientem canonicis facient. Quæ permutatio, ſi de propria terra monachorum facta fuerit, communis de cetero tam monachis quam canonicis, ſicut reliqua terra, erit, ſi de communi, tota canonicorum propria erit. Hoc etiam addimus quia quidquid pro terris illis communibus, ſive pro meſtiva preſbyterorum, ſive pro mediatione militum uſque ad diem pacis hujus a prædictis monachis ſolvebatur, de communi monachorum & canonicorum annona deinceps reddetur; de prædictis territoriis iſtis, quæ communia deinceps erunt, terras quas homines ſanctæ Crucis coluerant, colent & homines ſancti Florentini ſimiliter 1171.

suas : graneam communem communibus expensis canonici simul & monachi construent tempore messium, canonici servientem suum & monachi suum ad congregandas & custodiendas messes ponent, ita quod serviens canonicorum monachis, & serviens monachorum canonicis fidelitatem faciet : collectis messibus unum vel duos servientes communiter eligent, qui facta fidelitate de forisfactis a justitia & redditibus ad prædictam terram communem pertinentibus, curam habebit, & monachis inde simul & canonicis respondebit. Sciendum quoque quia minuta decima de villa Gauberti monachorum tantum erit, ita quod in ea canonici nihil habebunt. Quod si monachi forte dixerint homines non fideliter decimam minutam solvere, in arbitrio ipsorum erit vel ecclesiasticam justitiam requirere, vel decano S. Crucis denuntiare, qui vel decimam minutam plene reddi faciet, vel sacramento firmari, quod fideliter reddita sit. Si forte in terris supra nominatis aliquid venale proponitur, communiter a duabus ecclesiis emetur. Quod si altera pars postquam summonita fuerit, ab emptione cessabit, pars altera sibi emet & proprium habebit. Addendum quoque quia si calumnia aliqua supra prædictis terris alterutri ecclesiæ mota fuerit, communiter tam monachi quam canonici labore & sumptu utriusque ecclesiæ causas prosequentur. Quod ut ratum & inconcussum in posterum permaneat, prædictas conventiones sigillo nostro fecimus confirmari. Actum publice Carnoti anno ab Incarnatione Domini M. CLXXI. adstantibus in præsentia nostra majoribus Carnotensis ecclesiæ personis Gaufrido decano, Amaurico cantore, Gilleberto subdecano & Gauto archidiacono Dunensi. Ex parte Aurelianensis ecclesiæ S. abbate sancti Evurtii, Hugone decano, Willelmo cantore, Letoldo subdecano. Ex parte monasterii Bonevallensis ipso abbate Herberto, Adam priore de Patheio, Renardo priore de Colummevilla, Rotberto præposito monasterii.

X L I V.

Ex chartul. S. Evurtii.

Diploma Ludovici regis pro sancto Evurtio.

1176. IN nomine sancte & individue Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus presentibus & futuris, quod pro amore Dei & intuitu devotionis quam erga religiosos habemus, necnon interventu & petitione dilecti nostri fratris Rogerii quondam abbatis S. Evurtii capellam nostram S. Stephani, que Aurelianis in virgulto nostro sita est, ecclesie beati Evurtii in augmentum reddituum majoris capelle nostre, ecclesie S. Hilarii, habendam & imperpetuum tenendam concessimus in eadem beneficiorum & elemosinarum integritate, & eadem omnino liberatione, & eodem penitus modo quo eam Petro ejusdem capelle primo sacerdoti regie munificentie caritative largitate contulimus, scilicet ut singulis annis in Septembri quatuor modios hibernagii in granario nostro Aurelianensi canonici eidem capelle deservientes percipiant; quod si in granario annona defecerit, in molendinis nostris in ponte vel totum, vel quod minus in granario solutum fuerit, persolvatur ; in cellario autem nostro tempore vindemiarum duos modios Aurelianenses puri vini annis singulis eque percipiant ; arpentum quoque vinee quem Beatrix consergia nostra predicte concesserat capelle, ea libertate qua predictus capellanus tenuerat, eis possidendum confirmavimus. Preterea quociens Aurelianis erimus, tam nos quam successores nostri, sive regina, sive senescallus noster, dum sese expensis regiis procuraverint, dimidiam liberationem pro eadem capella canonici percipiant, salva integra liberatione quam pro majore capella nostra sancti Hilarii de beneficio nostro & successorum (*forte* antecessorum) nostrorum percipere solent. Concessimus & predictis canonicis decem solidos annuatim percipiendos in bailiva nostra de ultra Ligeritum ad oleum lampadis ejusdem capelle. Quod ut imposterum stabile & inconcussum permaneat, sigilli nostri auctoritate presentem cartulam fecimus confirmari, & regii nominis caractere jussimus insigniri. Actum publice Aurel. anno Incarnati Verbi millesimo centesimo septuagesimo sexto, adstantibus in palatio nostro quorum supposita sunt nomina & signa. Signum comitis Theobaldi dapiferi nostri. Signum Reginaldi camerarii. Signum Guidonis buticularii. Sig. Radulphi constabularii, vacante cancellaria.

X L V.

Ecclesia Feritatis Abreni fit collegiata assensu capituli sanctæ Crucis Aurelianensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ea quæ ad pacem sunt in conspectu legitimarum & honestarum personarum literarum tradi decet vivacitati, ne inposterum valeat super hiis calumnia suscitari. Cujus rei gratia, ego Manasses Dei gratia Aurelianensis episcopus notum fieri volumus omnibus præsentibus & futuris, quod controversia quæ inter nos & capitulum nostrum, & Malbertum decanum sancti Bartholomæi de Firmitate Avreni, quam capitulo sanctæ Crucis dederamus, diutius agitata fuerat, in hunc modum amicabili compositione fuit terminata. Nos quidem & capitulum nostrum voluimus & promisimus, ut ecclesia de Firmitate Avreni & Malbertus ejusdem ecclesiæ decanus in pristina libertate & statu, sub ordine videlicet monachorum, qui ibidem hactenus extitisse dignoscitur, consistat. Prædictus vero Malbertus decanus & canonici de prædicta Firmitate in præsentia nostra & capituli nostri juramento corporaliter præstito firmaverunt, quod ejusdem ecclesiæ de Firmitate statum per aliam immutari religionem, vel ipsam ecclesiam quoquo modo ab ecclesia Aurelianensi (separari) absque consensu & auctoritate nostra & capituli nostri nullatenus consentient, aut quantum in eis fuerit, patientur. Hi porro quicumque canonici in eadem ecclesia de Firmitate de novo instituentur, ejusdem formæ juramentum in capitulo sanctæ Crucis infra quindecim dies a sua institutione præstabunt. Quod si facere contempserint, neque ecclesia nostra, neque ecclesia de Firmitate eos tanquam fratres vel canonicos, donec juraverint, habebit. Si quis infra annos pubertatis factus fuerit canonicus, infra decimum quintum annum prædicta necessitate jurandi tenebitur. Ad hoc ecclesia de Firmitate Avreni nostro concessit & dedit capitulo quidquid juris vel redituum in ecclesia de Naim habebat vel erat habitura. Ut autem hoc perpetuæ stabilitatis obtineret munimentum, ad removendam etiam omnem super hac compositione in posterum calumniam, ad petitionem & voluntatem, & nostri capituli, & canonicorum de Firmitate Avreni & Malberti eorum decani, eidem ecclesiæ & canonicis de Firmitate præsentem inde donavimus cartam sigilli nostri autoritate communitam. Actum publice Aurelianis in domibus nostris anno Incarnati Verbi M. CLXXVII. indictione decima, in præsentia domini & patris nostri Widonis venerabilis Senonensis archiepiscopi, & nostra, ordinatis in ecclesia sanctæ Crucis majoribus personis Hugone decano, Andrea cantore, Letoldo subdecano, Manasse capicerio, cancellario nullo. 1177.

X L V I.

Manasses episcopus dat sancto Evurtio Vadum Ulmi. *Ex chartul. S. Evurtii.*

IN nomine sancte & individue Trinitatis, amen. Ego Manasses Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus ad quos presentes litere pervenerint, salutem in Domino. Pastoralis exigit officii sollicitudo speciali diligentia domibus religiosis providere, & in locis Deo dicatis religionem & divinum cultum propagare. Universis igitur, tam futuris quam presentibus, plenius innotescat, quod approbante & concedente capitulo S. Crucis & capitulo * Gargogilensis ecclesie, de voluntate 1177.

* Jargeau sur Loire.

* Le Gué de Lorme.

& consensu Simonis & omnium fratrum de * Vado Ulmi domum cum omnibus appenditiis suis, que sita est in loco qui dicitur Vadum Ulmi, canonicis S. Evurtii imperpetuum possidendam concessimus, ut fratres ibidem divinum celebrantes officium, regulariter & honeste Deo deserviant, & crescente ibidem religione, bonitatis eorum opinio celebri fama Dominum timentes letificet. Quia vero predicta domus in fundo terre Gargogilensis capituli fundata est, de concessione Gargogilensis capituli & canonicorum beati Evurtii statutum est quod pro universa possessione sua quam ibi habent, tam terre quam nemoris vel prati XXII. arpenta tantum habeant, & IV. solidos Aurelianensis monete, & certam quartam partem unius libre cere habentem annuatim Gargogilensi capitulo persolvant. Si vero inter prenominatam arpennorum quantitatem occupatum fuerit, vel imposterum occupabitur, in optione & arbitrio canonicorum Gargogilensis ecclesie erit, vel ex tota terra que ultra XXII. arpenta invenietur, terragium & decimam habere, vel ex singulis arpentis IV. denarios annuatim recipere. Canonici autem beati Evurtii pro ecclesia S. Nicholai de nemore & pro ecclesia sancti Martini de * Abeto nobis & successoribus nostris ad festum sancte Crucis de Maio II. libras cere annuatim reddiderint. Preterea natatorium vel noam femoris (*vel* senioris) Tellei sub annuo censu XII. denariorum prescripti canonici sancti Evurtii possidebunt; usuagium nemoris mortui ad calefactionem & necessitatem fratrum ibidem morantium, & usum nemoris vivi ad edificandas ibi tantum & non alibi domos, habebunt, pro pascuis propriorum animalium & pro panagio propriorum pecorum XII. denarios singulis annis persolvent. Concesserunt etiam prefati canonici S. Evurtii quod in predicto loco per canonicos suos imperpetuum Deo deservietur, nec licebit eis prescriptum locum sine consensu Gargogilensis capituli, & abbatis & capituli beati Evurtii dominio removere, vel in alium ordinem quoquo modo transferre. Si vero aliquis ex canonicis Gargogilensis ecclesie egritudine laborans ibidem requiescere voluerit, ut celerius salutem recuperet, vel precibus fratrum ibidem Deo militantium adjutus securius ad celestem patriam valeat pervenire, benigne eum recipient, ac misericorditer & accurate tractabunt. Statutum est etiam quod pro unoquoque canonico Gargogilensis ecclesie canonici sancti Evurtii idem officium quod de quolibet fratrum suorum celebrare consueverunt, solenniter celebrabunt, & similiter canonici Gargogilensis ecclesie pro singulis canonicis B. Evurtii. Actum publice Aurel. anno Incarnati Verbi M.° C.° LXX.° VII.° *al.* M. CLXXVIII.

* S. Martin d'Abat.

XLVII.

Ex chartul. S. Evurtii.

Ludovicus rex donat ecclesiam sancti Donatiani sancto Evurtio.

1178. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi pariter præsentes & futuri, quod pro salute animæ nostræ ad petitionem dilecti nostri Rogerii abbatis donavimus ecclesiæ sancti Evurtii ecclesiam sancti Donatiani in perpetuum habendam & tenendam, postquam Henricus sacerdos qui eam ex dono nostro habebat, morte vel spontanea voluntate ipsam reliquerit. Quod ut perpetuam stabilitatem obtineat, nec aliquatenus imposterum valeat retractari, sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere subter annotato hanc liberalitatis nostræ donationem jussimus confirmari. Actum Aurelianis anno ab Incarnatione Domini M. CLXXVIII. adstantibus in palatio nostro quorum supposita sunt nomina & signa. Sign. Theobaldi dapiferi nostri, signum Guidonis buticularii, signum Reginaldi camerarii, signum Rodulfi constabularii, vacante cancellaria.

XLVIII.

Bulla Lucii III. pro Curia Dei.

Ex chartul. Curiæ Dei. Circa 1182.

LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati & conventui de Curia Dei, salutem & apostolicam benedictionem. Cum omnibus Christi fidelibus in sua providere justitia debeamus, specialius eis existimus debitores, qui regularem vitam professi, arctius divinis se obsequiis manciparunt, eoque libertati vestræ volentes & justitiæ providere, privilegia illustris memoriæ Francorum regum & Aurelianensium episcoporum pia liberalitate & provida concessione monasterio vestro collata auctoritate apostolica confirmamus. Quia vero canonici sanctæ Crucis privilegia calumniantur episcoporum, cum in ipsis contineatur, quod ex consensu totius capituli donationes & libertates concessæ sunt abbatiæ, & ipsa privilegia sint omnium personarum subscriptionibus roborata, auctoritate apostolica prohibemus, ne pro eo quod sigilla capituli non sint privilegiis ipsis apposita, nihil contra tenorem privilegiorum ipsorum in vestrum valeant præjudicium vindicare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Veronæ XV. cal. Sept.

XLIX.

Philippus rex confirmat ecclesiam sancti Donatiani sancto Evurtio.

Ex chartul. S. Evurtii.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter & futuri, quoniam genitor noster rex Ludovicus venerabilis memorie ad petitionem Rogerii abbatis donavit ecclesie sancti Evurtii ecclesiam sancti Donatiani imperpetuum habendam & tenendam, postquam Henricus sacerdos qui ex ejus dono eam tenebat, morte vel spontanea voluntate ipsam relinqueret. Quod quidem donum ratum habentes intuitu Dei & ob remedium anime nostre & patris nostri, & predecessorum nostrorum concedi; & ut perpetuam obtineat stabilitatem, presentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato precipimus confirmari. Actum apud castrum novum apud Ligerim anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octuagesimo tertio, regni nostri quarto, adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Sign. comitis Theobaldi dapiferi nostri, signum Guidonis buticularii, signum Mathei camerarii, signum Radulphi constabularii. Datum per manum Hugonis cancellarii. 1183.

L.

Philippus rex donat sancto Evurtio locum de Bieria.

Ex chartul. S. Evurtii.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes & futuri, quod Dei intuitu & ad petitionem fratris Guillelmi heremite de Bieria, locum illum de Bieria quem ipsi dedimus, concessimus ecclesie beati Evurtii Aurelianensis post decessum ejusdem Guillelmi perpetuo obtinendum, ad hoc ut ibi per abbatem S. Evurtii de suis fratribus vel de extraneis duo semper sint presbyteri, qui pro nobis & pro nostris, tam vivis quam defunctis, Domino assidue serviant, & vitam ibi heremiticam ducentes in victu modum vite quem predictus Guillelmus ibi tenuit, teneant, nisi ibidem degere voluerint vita arctiori. Hoc autem sub hac conditione concedimus, quod fratres ibi manentes locum illum dilatare non poterunt sine nostra licentia, in foresta nostra nec boves, nec vaccas, nec ovium greges, nec capras 1197.

nec porcos habebunt. Quicumque fratres aut per fratrem Guillelmum, dum vixerit, aut deinceps per ecclesiam sancti Evurtii fuerint instituti, fratres nihilominus habeantur ex integro in ecclesia sancti Evurtii & ad mandatum abbatis sancti Evurtii facient ei obedientiam, nec tamen licebit abbati fratres predicto loco institutos, quamdiu bene & honeste se habebunt, de loco illo movere & alias transferre, nisi velint. Si vero culpabiles in aliquo gravi delicto, quod absit, inventi fuerint, in arbitrio erit abbatis, ut ibi vel alibi secundum ordinis exigentiam culpas suas humiliter emendent. Illi autem fratres in victu & habitu interiori sint sicut heremite, usu habitu exteriori conformare se studeant fratribus suis sancti Evurtii & sancti Victoris, quantum facultas domus sue permiserit, inter quos aliquantum eos conversari oportebit. Que ut perpetuam obtineant B stabilitatem, presentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis karactere inferius annotato precipimus confirmari. Actum Moreti anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo septimo, regni nostri decimo nono, adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Sign. Guidonis buticularii, sign. Matthei camerarii, signum Droconis constabularii. Data vacante cancellaria.

L I.

Ex chartul. Magdunensi.

Henricus episcopus succentorem in ecclesia Magdunensi instituit.

1197. HENRICUS Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus in perpetuum. Pastoralis officii nos hortatur authoritas, & inducit cura propensior, ut commissas nobis ecclesias circumspectione regamus provida, & in eis superflua recidentes, quod minus est diligenti studio suppleamus. Attendentes igitur statum ecclesiæ Magdunensis, & antiquam ipsius recolentes dignitatem, eam in multis læsam invenimus, & tam intrinsecus quam extrinsecus turpiter imminutam. Volentes itaque, sicut & ex commisso nobis tenemur officio, per nostram diligentiam eidem ecclesiæ fore consultum, consentientibus & laudantibus decano & capitulo, perpetuum in ea succentorem instituimus, qui circa ecclesiæ servitium indefessis affectibus anhelaret, & ad id strenue peragendum exemplo laudabili aliorum animos incitaret. Sane hujus rei seriem nobis & jamdictæ ecclesiæ decano & canonicis sic placuit ordinari: quandocumque D vacabit succentoris persona, nos eam dabimus & nostri in perpetuum successores, sed nonnisi canonico Magdunensi, qui cum in suo capitulo juramentum præstiterit de assidua mansione in choro, per manum nostram stallum recipiet, & in choro secundus erit ordine post decanum, ac hominio & fidelitate nobis tenebitur obligatus. Verum quia sonat divina pagina, nec a sacris discrepat institutis, ut qui in area Domini plus laborat, plus mercedis accipiat, voluntate & assensu decani & capituli nostri succentori noviter instituto & ejus successoribus L. solidos in censu nostro, qui in festo B. Liphardi redditur annuatim, eodem festo assignamus persolvendos. Decanus autem & capitulum Magdunense sæpedictæ personæ & ejus in posterum sequentibus æqua perpetuitate & pari stabilitate L. solidos similiter concesserunt, ita ut medietas in vigilia Omnium sanctorum, reliqua medietas in vigilia Natalis Domini persolvatur. Quod ut possit a posteris & teneri memoriter, & servari tenaciter, præsentem paginam sigilli nostri patrocinio præcepimus roborari. Actum anno gratiæ M. CLXXXXVII.

L I I.

Hugo episcopus confirmat libertatem Curiæ Dei.

1201. HUGO Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus in perpetuum. Cum dilecti in Christo abbas & fratres Curiæ Dei honestate vitæ semper & morum A compositione floruerint, & inter omnes nostræ parvitati commissas ecclesias speciali quodam sanctissimæ opinionis privilegio & religionis prærogativa debeant honorari, inhærentes vestigiis prædecessorum nostrorum Johannis, ac Manasse & Henrici piæ recordationis pontificum, libertatem & immunitatem quam dicti pontifices Curiæ Dei & suis possessionibus tradiderunt, ac suis authenticis confirmarunt, sicut in eorum privilegiis continetur, ratam habentes & gratam, & ne in tantæ pietatis operibus parvitatis nostræ deesse videatur authoritas, libertatem Curiæ Dei, quemadmodum in ipsis authenticis scripta est, confirmamus, insuper & quæcumque ab eis nobis episcopatum tenentibus, quocumque titulo acquisita fuerint, fratribus antedictis simili modo ad securitatem plenissimam nostri sigilli munimine in perpetuum confirmamus. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo primo.

L I I I.

Simon comes de Monteforti paciscitur cum abbate Floriacensi.

SIMON dominus de Monteforti, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem in Domino. 1202. Universitati vestræ notum volo fieri, quod cum inter me & ecclesiam sancti Benedicti Floriacensis fuisset contentio diutius agitata super terra de Sunecampo; tandem habito prudentum virorum consilio, ad petitionem etiam venerabilis viri Garnerii ejusdem ecclesiæ abbatis partes universas quas habet in territorio de Sunecampo, C præsenti scripto commendavi ad tollendam de cetero inter me & abbatem penitus materiam litigandi. Hæc sunt ergo quæ pertinent ad abbatem in territorio de Sunecampo: Census de Pratea quiete, census etiam de Clarofonte, exceptis decem & octo denariis qui sunt in communi, census ejusdem villæ de arpentis a via Asinaria usque ad viam Caballinam, census molendini de Boutereigne & tota justitia latronis quæ est communis, sedes molendini de Medieno est in censu sancti Benedicti quiete, justitia vero & alius census in terra adjacenti communia sunt; Ardelardus Archerius & heredes ejus reddent abbati partem suam de censu, comiti Roberto partem suam, & mihi similiter meam; census Guidonis Archerii est communis in omnibus arpentis extra feodum majorum; arietes & mestivam recipiam annuatim. Servientes mei Rupis fortis nullam debent cercheriam in nemoribus S. Benedicti de Sunecampo. Præpositus & servientes mei fidelitatem facient abbati & majori suo; major vero abbatis & servientes sui mihi fidelitatem facient, & me præposito de omnibus quæ ego vel successores mei capiemus in territorio de Sunecampo, in nemore vel in plano medietatem capiet abbas; quidquid etiam in territorio de Sunecampo possideo, ab eodem abbate teneo in feodo & hominio; medietas stagni sine contradictione pertinet ad abbatem, in omnibus de Sunecampo nullum sine assensu abbatis & voluntate potero questum facere vel exactionem, forefacta quæ gruerius meus de Yvelina & cergia mea de Yvelina in nemoribus S. Benedicti capient, mea erunt; de charmea quam dominus Hugo de sancto Hilario E tenet, medietas cedet abbati, ego vero vel successores mei causas vel placitum de Sunecampo extra parochiam trahere vel ducere non poterimus, nisi providero, audiendo si.... judicari non poterit, nisi gagium duelli interveniat, & tunc semel convenient in territorio de Sunecampo; & nisi ibidem compositum fuerit inter illos, ex tunc apud Rupem fortem & non alias accedent, & ibi habebit abbas medietatem de omnibus proventibus, nec aliquid de parte abbatis potero relaxare; carredum meum tempore vindemiarum habebo ad vinum meum conducendum a Thesayo usque ad Rupem fortem. Abbas vero carredum suum similiter habebit ad conducendam annonam suam usque ad Stampas. Donationem domus mei patris a patre meo factam & totius

arpenti terræ in qua domus ædificata fuit, confirmo & contra omnes homines garantizabo; nullam amodo in parochia Sunecampi domum, nullum omnino ædificium, nec ego nec heredes mei ædificabimus vel ememus, vel aliquo modo acquiremus (nec etiam prior sancti Arnulphi) præter unum arpentum terræ, & illud extra communem terram, in quo ædificabo humilem grangiam & simplicem sine fossato & sine qualibet alia munitione. De ipso autem arpento ad festum sancti Remigii duos denarios abbati vel nuncio ejus solvere tenebimur. In ipsa autem grangia nec in tota Sunecampi parochia, nec ego, nec uxor mea vel heredes mei mansionem habere vel manere poterimus, sed soli in messis tempore habitabunt messium custodes, & in hyeme forragii, & domus ibi sola habitabit custodia. Si autem major ejusdem villæ in abbatem vel in res ejus injuriari præsumpserit, ego & heredes mei ab abbate vel ejus nuncio, si moniti fuerimus, ipsum in curia abbatis juri stare compellere tenebimur. In cujus rei testimonium & memoriam præsentem cartam feci & sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo secundo.

L I V.

Charta Manassis episcopi pro Buciaco.

1208. MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quod Hugo de * Chastelers frater defuncti Girardi de Chastelers, & Hugo ejusdem Girardi filius in præsentia nostra constituti, confessi sunt quod Girardus de Chastelers miles, pater dicti Hugonis, in eleemosinam perpetuam donavit Johanni priori & fratribus domus de Buciaco, quidquid ipse habebat in decima quæ est apud Solliaus, & ipsi concesserunt donum quod idem Girardus eisdem fecerat, & laudaverunt: dictus enim prior & fratres de Buciaco coram nobis concesserunt singulis diebus pro anima dicti Girardi in eorum ecclesia missam celebrari. Hanc donationem Guillelmus de * Osoreniis miles, de cujus feodo movebat, coram nobis laudavit, & eisdem in perpetuum habendam concessit. Quod ut ratum ac stabile permaneat, hanc paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Incarnationis Dominicæ M.° CC.° VII.° mense Januario.

* des Chastelliers.

* de la Chapelle-Ouzerain.

L V.

Ex Polyptico Aluiacensi. *Charta Manassis episcopi pro monachis S. Maximini.*

1211. MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, in Domino salutem. Noverint universi quod cum dominus rex regalia nostra pro suæ voluntatis arbitrio occupasset, nec multis supplicationibus apud eum potuissemus impetrare ut nobis nostra restituerentur, quatenus coram eo facta nobis restitutione juri parere parati essemus, de consilio bonorum virorum nostram exivimus diœcesim, honestius reputantes in remotioribus locis vitam agere privatam, quam in episcopatu nostro publice mendicare. In recessu autem nostro dilecti filii nostri abbas & conventus sancti Maximini cum ceteris ecclesiis nostræ diœcesis nobis exulantibus hoc signum compassionis exhibere curarunt, ut in absentia nostra ab omni divinorum solemnitate cessarent. Propter quod factum prædictis abbati & conventui nolumus fieri præjudicium, vel eorum privilegiis in aliquo derogari, & ne præjudicium eis in posterum fiat, præsentes literas sigilli nostri caractere roboratas in testimonium ipsis dari fecimus. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo undecimo.

L V I.

Manasses episcopus recognoscit regi exercitum.

MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, in Domino salutem. Noveritis quod nos confitemur debere domino nostro Philippo regi Francorum illustri exercitum suum, sicut commune episcoporum & baronum debet, & illud de cetero sicut alii faciemus, pro habendo deinceps amore suo & gratia, & pro habendis literis de quittatione procurationum de Pithiveris & de Magduno pro sexaginta libris Parisiensibus annuatim reddendis præposito domini regis Aurelianensi in festo Omnium sanctorum. Volumus & concedimus quod ipse de proventibus regalium nostrorum, quos ipse percepit usque ad festum sancti Johannis Baptistæ nuper præteritum, retineat pro sua voluntate. Super eo autem quod exinde retinebit, ipsum, vel heredem suum, vel alium pro ipso per nos, vel per alium in causam non trahemus, & relaxabimus interdictum. In cujus rei memoriam præsentes literas fecimus annotari, & sigilli nostri munimine roborari. Actum apud Meledunum anno Domini M. CCXII. mense Augusto. 1212.

L V I I.

Charta Manassis episcopi pro Buciaco.

MANASSES Aurelianensis episcopus, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noverint universi quod Hugo de * Runea miles in nostra præsentia constitutus, recognovit se pro remedio animæ suæ & suorum, in perpetuam eleemosinam contulisse fratribus in eremo Buciaci commorantibus, duos solidos annui census quos habebat in vineis apud * Athot sitis, & sex minas bladi, tres scilicet hordei & tres hibernagii singulis annis in grangia de Cersiaco percipiendas in Augusto. Nos vero ad petitionem dicti militis in hujus rei fidem & testimonium præsentem paginam literis annotatam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M.° CC.° XII.° mense Martio. 1212.

* de Reveneuve.

* S. Jean de la Ruelle.

L V I I I.

Charta Manassis episcopi pro monialibus de Veisins. Ex autogr.

MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noverint universi quod Johannes des Rees cum uxore sua Hedelina in præsentia nostra constitutus, donavit monialibus de Veisins quamdam decimam quam habebat apud Buciacum, cum dimidio arpento terræ ad graneam faciendam: hoc donum voluit, & laudavit, & concessit Gaufridus de Codrei miles, de cujus feodo tam terra in qua decima sita est, quam dimidium arpentum movet. Quod ut ratum & firmum habeatur, sigilli nostri caractere fecimus roborari. Actum anno Incarnati Verbi M. CCXV. mense Augusti. 1215.

L I X.

Charta Reginaldi episcopi Carnotensis pro monialibus de Veisins.

REGINALDUS Dei gratia Carnotensis episcopus, universis præsentes literas inspecturis, in Domino salutem. Universitati vestræ pro facti exigentia duximus declarandum, quod Radulphus Potet de Capella Oseren in nostra præsentia constitutus, totam magnam decimam bladi quam in nostra diœcesi percipiebat, apud villam quæ dicitur Leupilla, pietatis intuitu, & pro remedio animæ suæ & parentum suorum, cuidam novellæ domui monialium ordinis Cisterciensis apud Veisins constitutæ, in perpetuam eleemosynam dedit & concessit, 1215.

conceſſit, quam dictus Radulphus Potet in manu noſtra A ſpontaneus reſignavit. Nos vero ad interventum venerabilis fratris noſtri Manaſſis Dei gratia Aurelianenſis epiſcopi & dilectæ in Chriſto filiæ dominæ Flandrinæ, dictæ decimæ donationem ratam habemus & approbamus, & in hujus rei confirmationem præſentes literas dictis monialibus dedimus ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum anno gratiæ M. CCXV. menſe Auguſto.

L X.

Manaſſes epiſcopus approbat tranſlationem monialium a Buciaco ad locum de Veiſins.

1216. MANASSES Dei gratia Aurelianenſis epiſcopus, omnibus præſentes literas inſpecturis notum facimus, quod Herveus Cheneaux & Iphania ejus uxor attendentes quod domus Buciaci tum propter loci importunitatem, tum propter aquarum penuriam monialibus albis ibidem Dei ſervitio deputatis inconveniens & inſufficiens habebatur, nec ad alicujus abbatiæ ædificationem idoneam poſſit ſufficienter aliquatenus promoveri, habita poſtmodum deliberatione quod in quadam terra ſua in loco videlicet qui Veiſins nuncupatur, moniales prædictæ poſſent liberius ædificare, & commodius converſari, totam terram infra muros & foſſata de Veiſins conſtitutam cum aggere quodam extra foſſata ſito ſupradictis monialibus ob animæ ſuæ remedium de voluntate & aſſenſu Odonis fratris ſui in eleemoſynam contulerunt, & coram nobis conceſſerunt quiete & libere poſſidendam in perpetuum, Garnerio Rufo milite, de cujus feodo prædicta terra movebat, Hervei donationi adhibente conſenſum pariter & favorem. Præfatam vero domum Buciaci, in qua prius ſupradictæ moniales habitaculum ſibi præparaverant, cum omnibus ad eandem domum pertinentibus, tam redditibus quam tenentis & poſſeſſionibus aliis, quæ prius adeptæ fuerant & libere poſſidebant, eiſdem monialibus in perpetuum poſſidenda duximus concedendum; ita tamen quod in eccleſia ibi ſita & a nobis conſecrata preſbyterum unum ad minus cum uno clerico in perpetuum teneant & exhibeant, qui ibidem Deo ſerviat, & divina celebret pro animabus benefactorum & fundatorum eccleſiæ prælibatæ. Quod ut ratum teneatur & notum permaneat, præſentes literas fieri fecimus, & ſigilli noſtri munimine roborari. Datum anno gratiæ M. CCXVI. menſe Februario.

L X I.

Charta Manaſſis epiſcopi pro monialibus de Veiſins.

1217. MANASSES Dei gratia Aurelianenſis epiſcopus, omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverint univerſi, præſentes pariter & futuri, quod bonæ memoriæ Lebertus quondam dominus de Buciaco pro remedio animæ ſuæ & ſuorum, de voluntate & aſſenſu uxoris ſuæ & filiorum ſuorum domui de Buciaco & ejuſdem loci habitatoribus ibidem ad Dei ſervitium deputatis donavit & in perpetuam contulit eleemoſinam totam decimam carrucarum duarum terræ quam habebat in parochia de Buciaco, ſcilicet duas partes minutæ decimæ quam habebat in prædicta parochia, totam decimam quam habebat in terra Simonis Chenart, necnon & decimam quam habebat in terra quæ fuit defuncti Richerii Cambitoris, quiete & libere perpetuo poſſidendas. Quæ omnia dilectis filiabus noſtris monialibus de Veiſins, quarum manſionem cum a prædicto loco Buciaci ad ipſas pertinente apud Veiſins transferendam duxerimus & mutandam, de conſenſu ſiquidem ſupradictorum in perpetuum conceſſimus obtinenda. Quod ut ratum & inconcuſſum permaneat, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo menſe Julio.

L X I I.

Donum factum monialibus de Veiſins.

EGO Gaufridus vicecomes [a] Caſtridunenſis notum facio, tam præſentibus quam futuris, quod cum 1218. pro remedio animæ meæ & uxoris meæ Adelinæ, & ad anniverſarium meum & uxoris meæ ſingulis annis faciendum in hermitagio de Buciaco fratribus ejuſdem loci dediſſem & contuliſſem unum hibernagii modium in [b] mediatoria mea de Memberolles, quæ propinquior eſt monaſterio, annuatim capiendum; licet propter incommoditatem ejuſdem loci de Buciaco moniales de loco eodem ad abbatiam de Veiſins tranſlatæ ſint, eumdem tamen hibernagii modium, ſicuti prius loco de Buciaco B donaveram & contuleram, ita de voluntate & aſſenſu uxoris meæ, & filiorum & filiarum meorum dono & concedo monialibus de Veiſins in perpetuum in prædicta mediatoria de Memberolles capiendum. Quod ut ratum ſit & firmum, ſigilli mei munimine præſentes literas roboravi. Actum Aureliæ anno Incarnationis milleſimo ducenteſimo decimo octavo menſe Octobri.

[a] Chaſteau-dun.

[b] métairie.

L X I I I.

Bulla Honorii III. pro monialibus de Veiſins.

HONORIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, 1219. dilectis in Chriſto filiabus abbatiſſæ & monialibus de Veiſins Ciſtercienſis ordinis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Solet annuere ſedes apoſtolica piis votis, C & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis precibus inclinati perſonas veſtras & locum in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, cum omnibus bonis quæ impræſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Eaſdem quoque libertates & immunitates quas ordo Ciſtercienſis a nobis & prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus habere dignoſcitur, præſentium vobis auctoritate concedimus; & ſpecialiter capellam & domum [c] Buciaci cum pertinentiis ſuis, terras ac redditus qui fuerunt canonicorum de Hiemſvilla a venerabili fratre noſtro Manaſſe Aurelianenſi epiſcopo, decimas a Leberto de Buſſiaco, Joanne Deſrae, Girardo de Chatelers, Joanne D de Bermevilla, Roberto de Galan & Radulpho Potet laïcis, cum diœceſanorum aſſenſu, hoſtiſiam a Joanne de Alona, modium unum hibernagii ad menſuram de [d] Puteolo ab Ivone de Portancorart, & alterum modium a vicecomite Caſtridunenſi militibus pia vobis devotione collata, ſicut ea omnia juſte ac pacifice poſſidetis, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani XIII. kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecundo.

[c] Buci ſaint Liphard.

[d] du Puiſet.

E

L X I V.

Charta Manaſſis epiſcopi pro monialibus de Veiſins.

MANASSES Dei gratia Aurelianenſis epiſcopus, 1219. omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverint univerſi quod cum olim terræ, poſſeſſiones & bona alia quibuſdam clericis & aliis noſtræ diœceſis collata fuiſſent in eleemoſinam, ad hoc ut in quadam capella ſanctæ Trinitatis apud [e] Hiemvillam ſitam inſtituerentur canonici, proventus earumdem terrarum, poſſeſſionum & aliarum rerum præbendarum nomine percepturi; mota poſtmodum contentione inter clericos & monachos de Hiemvilla, & promulgata

[e] Ienville.

tandem per apostolicam sedem definitiva sententia super A eo quod ecclesia in præjudicium monachorum & gravamen instituta stare non poterat; nos qui ex officio nostro ea quæ in eleemosinam collata sunt, tenemur tueri & defensare, & certis locis, prout expedit, assignare & conferre, prædictas possessiones & bona alia nolentes aliquatenus deperire, vocatis ad præsentiam nostram clericis & aliis qui præmissa in eleemosinam contulerant, de voluntate & consensu eorumdem clericorum dilectis filiabus monialibus de Veisins terram de Mauxenvilla in parochia de [a] Paganivilla sitam, & hospites & [b] Bunerium terræ in parochia de Hiemvilla constitutam, necnon domum apud Hiemvillam, quæ vetus eleemosina dicitur, & censum apud [c] Thoriacum situm, & censum quem debet domus Leprosorum de Thoriaco, de bonorum virorum consilio contulimus, & donavimus, B & concessimus perpetuo possidenda; residuum vero totius terræ & locum in quo cœperat ædificari illa capella, cum parietibus ejusdem & cum domibus eidem adjacentibus, ad sustentationem pauperum qui ibidem hospitaverint, duximus assignandum & concedendum quiete & libere perpetuo possidendum. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo decimo nono mense Maio.

a Poinville.
b les Boisselets.
c Thouri en Beauce.

L X V.

Dona facta monialibus loci beatæ Mariæ prope Romorantinum a Johanne comite Carnotensi & Isabella uxore.

Ex chartul. B. Mariæ.

1222. NOs Johannes [a] comes Carnotensis & dominus Oisiaci, & Isabella comitissa Carnotensis uxor ejus, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod nos attendentes & recolentes sicut ait Apostolus: *Omnes sumus recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum: & quod oportet diem extremæ messionis operibus misericordiæ prævenire: Qui parce seminat, parce & metet,* ut largiter cum fructu multiplicato, adveniente Domino, colligere mereamur. Scientes dilectarum in Christo monialium beatæ Mariæ prope Romorentinum, cum sit novella plantatio, redditus tenues & exiles, & ipsas moniales subsidio indigere, nos earum inopiæ consulere cupientes, eisdem D monialibus Deo & beatæ Mariæ sub regula & habitu Cisterciensis ordinis ibidem famulantibus, in puram & perpetuam eleemosinam dedimus & concessimus omnimodam partem nostram, videlicet mediam quam habemus in furno de Romorentino, & usagium in nemoribus nostris de Briodo (*Bruadan*) exceptis defensis, quantum necesse fuit ad illam partem furni calefaciendam, conditione tali quod dictæ moniales de cetero tenebunt quemdam capellanum in dicta abbatia, qui pro defunctis, videlicet pro animabus nostris & antecessorum nostrorum nominatim diebus singulis celebrabit. Dedimus etiam dictis monialibus totam decimam nostram vini quam habemus in vineis, quæ dicuntur Leroiller. Item dedimus dictis monialibus triginta & sex arpenta terræ de terris nostris incultis quas habemus adjacentes abbatiæ supradictæ. Insuper dedimus E dictis monialibus locum ubi abbatia sita est. Et hæc omnia supradicta dedimus, retenta nostra justitia, tam in furno quam in terris, & decima, excepto situ abbatiæ, quam ab omni jurisdictione quitavimus & quitamus. Et de situ abbatiæ & de terris sæpedictis, antequam fieret ista donatio, cum domino Radulpho de Langono de omni jure quod in terris & situ reclamabat & reclamare poterat, pacificavimus. Quod ut firma sit & stabilis ista donatio, &c. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo mense Maio.

a de Montemirabili.

L X V I.

Charta Philippi episcopi pro parthenone Ederensi.

Ex chartul. Ederensi.

PHILIPPUS Aurelianensis episcopus, &c. Noverint universi quod carissimus pater noster Guido de Joiaco miles tribus filiabus suis monialibus, videlicet Agathæ, Agneti & Aalez, sexaginta solidos Parisienses concessit de redditibus de Montbandaier, ita quod si aliqua earum decesserit, aliæ duæ totum eumdem reditum percipient, & tertia superstes omnes illos solidos percipiet, quoad vixerit. Post obitum vero illarum trium de illis sexaginta solidis, quadraginta solidi ad dictum patrem nostrum vel ejus heredes revertentur, alios viginti solidos abbatissa & conventus Hederensis pro anniversario dicti patris nostri in eadem ecclesia celebrando, &c. Actum anno M. CCXXV. 1225.

L X V I I.

Ludovicus rex Filiabus Dei tria arpenta vineæ largitur.

Ex chartul. sancti Lupi.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, omnibus ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem. Notum facimus quod nos pauperibus Filiabus Dei Aurelianis commorantibus, tria arpenta vineæ nostræ in clauso nostro sita juxta capellam sancti Aniani concessimus, salvis redibitionibus quæ antea debebantur ad usum potus earum, quandiu in villa Aurelianensi manserint; C ita quod in dictis vineis non poterunt ædificare, nec eas extirpare, nec illas etiam vendere, nec in aliam manum mittere. Retinemus etiam nobis & heredibus nostris in istis vineis omnem justitiam quam antea habebamus; ita etiam quod si recederent a villa Aurelianensi, prædictæ vineæ ad nos & heredes nostros sine impedimento aliquo reverterentur. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Vitriacum anno millesimo ducentesimo tricesimo quarto mense Februario. 1235.

L X V I I I.

Charta pro monialibus sancti Lupi.

Ex chartul. S. Lupi.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Philippus Dei gratia minister humilis, decanus totumque capitulum S. Crucis Aurelianensis, salutem in Domino. Noveritis nos quasdam literas magistrorum Johannis Altissiodorensis & Laurentii Aurelianensis canonicorum inspexisse sub hac forma, sigillis eorum sigillatas. Universis præsentes literas inspecturis magistri Johannes Altissiodorensis & Laurentius Aurelianensis canonici, salutem in Domino. Noverint universi quod cum literæ sigillatæ virorum venerabilium episcopi & capituli Aurelianensis confectæ fuerint sub hac forma: omnibus præsentes literas inspecturis, Philippus Dei gratia minister humilis, decanus totumque capitulum sanctæ Crucis Aurelianensis, salutem in Domino. Noverint universi quod cum mulieres pœnitentes, quæ vulgo Filiæ Dei nuncupantur, emissent duo arpenta vinearum in censiva sancti Paterni Aurelianensis ad ædificandum ibi mansionem suam & oratorium; & nos abbatem & conventum sancti Petri Carnotensis ad quos sancti Paterni pertinet prioratus, requisissemus ut dictum locum illis salvo jure suo in omnibus & per omnia concederent; ipsi nostris precibus inclinati dictum locum eis concesserunt hoc modo, quod octo solidi Parisienses annui census qui eis pro dictis duobus arpentis solvebantur, duplicabuntur; ita quod sexdecim solidi loco censivæ eis annuatim persolventur pro dictis duobus arpentis, termino quo octo solidi supradicti antea solvebantur, scilicet in festo S. Benedicti in Martio, ad quos sexdecim solidos annis singulis prædicto termino persolvendos tenebuntur dictæ mulieres secundum ordinationem 1236.

magistrorum inferius annotandorum. Concesserunt A etiam, salva indemnitate sua, de jure parochialis ecclesiæ quod est de donatione eorum, & de omni jure quod in dicta ecclesia habent ipsi vel prioratus eorum & presbyter loci. De cujus indemnitatis provisione & securitate stabunt ipsi, & nos, & dictæ mulieres ordinationi magistrorum Johannis Lerberti canonici Altissiodorensis, Laurentii canonici Aurelianensis, & Galerani canonici Turonensis; & nos omnimodam illorum trium vel duorum ex ipsis servabimus & servari faciemus, & super hoc dabimus literas nostras abbati, & conventui & presbytero loci memoratis. Concesserunt insuper hoc modo quod dictæ mulieres non poterunt aliquid amplius emere, vel ex alia quacumque causa acquirere, vel habere in locis ad dictos abbatem vel conventum jure census vel alio quocumque jure pertinentibus. Et B si a Romana curia vel aliunde super ipsis gratia fieret, illa gratia non utentur contra voluntatem abbatis & conventus dictorum, & ad sacramentum in ipsarum animos præstito tenebuntur, quod sacramentum ad petitionem ipsorum abbatis & conventus ecclesiæ sancti Petri Carnotensis præstari faciemus. Actum anno Domini M.° CC.° XXX.° V.° mense Junio, præsentibus procuratoribus Gilone tunc priore * beatæ Mariæ Aurelianensis inter muros & fossata procuratore dictarum mulierum, Ernaudo tunc priore S. Paterni Aurelianensis procuratore abbatis & conventus S. Petri Carnotensis, & Clemente clerico procuratore presbyteri sancti Paterni Aurelianensis. Nos magistri Johannes Altissiodorensis, Laurentius Aurelianensis canonici, tertio collega nostro viro venerabili Galerano archidiacono Turonensi legitime excusato, ordinamus in hunc modum, quod pro C octo solidis Parisiensibus annui census, qui pro dictis duobus arpentis ecclesiæ scilicet sancti Petri Carnotensis solvebantur, dictæ mulieres eidem ecclesiæ sexdecim solidos Parisienses nomine census solvere teneantur annuatim in festo sancti Benedicti in Martio, prout in prædictis literis virorum venerabilium episcopi & capituli Aurelianensis vidimus contineri. Ipsæ eædem mulieres ad illos sexdecim solidos singulis annis in dicto termino nomine census eidem ecclesiæ sancti Petri vel ejus mandato persolvendos tenebuntur sub hac pœna, quod pro qualibet die in qua deficient sive cessabunt in solutione præfatorum XVI. solidorum Parisiensium usque ad sexdecim dies computandos ab ipsa die festi sancti Benedicti in Martio, ecclesiæ sancti Petri Carnotensis vel ejus mandato XII. denarios Paris. nomine D pœnæ solvere tenebuntur, & pœna persoluta rato nihilominus remanente debito XVI. solidorum Parisiensium solvendorum a dictis mulieribus nomine census ecclesiæ supradictæ S. Petri. Ordinamus etiam quod in capella dictarum mulierum non erunt fontes sive baptisterium, non recipietur in ea aliquis de parochia sancti Paterni ad baptismum, nec mulier ad purificationem, nec aliquis ad confessionem, nec ad benedictionem nuptialem, nec ad aliqua ecclesiastica sacramenta, nec ad sepulturam, nisi aliquis in cœmeterio earumdem sibi elegerit sepulturam. Item antequam corpus defuncti deferatur ad earum ecclesiam, corpus portabitur ad ecclesiam sancti Paterni, in qua ille qui decessit, habebit missam suam & alia jura sua. Ordinamus etiam quod si aliqua dicta- E rum mulierum nubat alicui, celebrabitur benedictio in ecclesia sancti Paterni, vel si in dicta ecclesia dictarum mulierum celebretur, presbyter sancti Paterni oblationes quæ ibi fient, recipiet pacifice & quiete. Ordinamus etiam quod in septem festis quæ ibidem solemnia reputantur, in Natali Domini, Epiphania, Purificatione B. Mariæ, Pascha, festo sancti Paterni, Pentecoste, festo Omnium sanctorum, necnon in festo Nativitatis sancti Johannis Baptistæ, & in festis Assumptionis & Nativitatis beatæ Virginis omnes oblationes quascumque receperint a parochianis, ecclesiæ sancti Paterni capellanus dictarum mulierum, qui pro tempore fuerit, vel ipsæ mulieres sive earum mandato parochiali presbytero sancti

* de la Conception.

Paterni restituent bona fide. Nec in die Parasceves Crucem adorandam parochianis sancti Paterni exhibebunt, & si exhibita fuerit, & aliquid a dictis parochianis, ibi dicta die oblatum fuerit, presbytero sancti Paterni restituere tenebuntur. Insuper tota familia dictarum mulierum, & etiam familia capellani earum qui pro tempore fuerit, erunt parochiani ecclesiæ sancti Paterni, & a presbytero sancti Paterni omnia ecclesiastica sacramenta recipere tenebuntur. Ordinamus etiam esse salvum jus ecclesiæ sancti Paterni & presbytero ejusdem loci in legatis parochianorum suorum, & donationibus tam mortis & eleemosinis, & omnibus aliis beneficiis quæ ecclesiæ sancti Paterni & presbytero ejusdem ecclesiæ solent, prout hactenus factum est, erogari. Ordinamus etiam quod nec capellanus ecclesiæ seu capellæ dictarum mulierum, nec ipsæ mulieres aliquod jus parochiale in præjudicium ecclesiæ sancti Paterni habeant, vel sibi usurpent, & pro quocumque tempore obtinuerint, non valeat ipso jure. Ordinamus etiam quod dictis mulieribus liceat unicam habere campanam & non plures. Et quia vix, immo nunquam, sicut attendimus, contingere posset, quin ecclesia sancti Paterni occasione domus dictarum mulierum sitæ intra fines suæ parochiæ per successum temporis maximum patiatur detrimentum, de consensu partium ordinamus quod dictæ mulieres in recompensatione detrimenti quadraginta solidos Parisienses, videlicet viginti in festo Omnium sanctorum, & alios viginti in termino Paschæ presbytero sancti Paterni in perpetuum singulis annis solvere tenebuntur. Ad hoc & ordinamus quod capellanus qui pro tempore fuerit, in animam suam, necnon & aliquis de mandato speciali earumdem mulierum in animas ipsarum presbytero parochiali S. Paterni necnon & priori, qui pro tempore fuerint, præstabunt sacramentum corporale, quod prædicta omnia in omnibus articulis observabunt & complebunt bona fide, nec contra aliquid prædictorum venire per se vel per alium aliquatenus attentabunt. Si quid autem huic ordinationi nostræ declarandum vel exponendum fuerit, illud nostræ declarationi & expositioni nostræ reservamus. In cujus rei testimonium & firmitatem præsens fecimus & scriptum sigillis nostris roboravimus. Actum anno Domini M.° CC.° XXX.° VI.° mense Maio. Nos autem præfatam prædictorum magistrorum ordinationem, sicut seriatim superius scripta est, approbantes confirmamus. In cujus rei testimonium & firmitatem præsens fecimus & scriptum sigillis nostris sigillandum. Actum anno Domini M.° CC.° XXX.° VI.° mense Julio.

Et in archivis ejusdem monasterii aliud instrumentum officialis decani Aurelianensis præcedenti omnino simile, in hunc modum desinens. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo mense Novembri. *In cujus plica sic scriptum est :* Literæ officialis decani Aurelianensis de ordinatione facta a magistro Johanne canonico Altissiodorensi & magistro Laurentio canonico Aurelianensi super censu domus de Calceata & de solvendis aliis redevantiis priori & presbytero S. Paterni.

LXIX.

Philippus Aurelianensis episcopus electum se archiepiscopum Bituricensem scribit. *Ex chartul. Floriacensi.*

PHILIPPUS permissione divina electus Bituricensis, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noverint universi quod nos anno Domini M. CCXXXVI. in crastino festi S. Bartholomæi apostoli, absoluti a cura Aurelianensis ecclesiæ, recepti fuimus in Floriacensi monasterio tanquam archiepiscopus Bituricensis. Datum die supradicta. 1236.

L X X.

Ex chartul. S. Lupi.

Donum Ludovici regis monialibus albis de Vinea beatæ Mariæ.

1237. LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod nos intuitu pietatis & ob remedium animæ nostræ, claræ memoriæ regis Ludovici genitoris nostri, reginæ matris nostræ Blanchæ illustris Francorum reginæ & antecessorum nostrorum contulimus pauperibus monialibus albis de Vinea beatæ Mariæ Aurelianensis 168. arpenta terræ sita in renda de Chantolio juxta dictam villam ad essartandum, vel ad pascua animalium suorum facienda, tenenda ab eis, & in perpetuum ab eis possidenda. Concedimus etiam dictis monialibus ut ibidem construere possint grangiam ad blada & animalia sua reponenda. Hanc autem donationem fecimus & concessimus dictis monialibus tali modo, quod non licebit eis in dicta terra abbatiam vel villam construere, vel dictam terram ad censum tradere sine licentia nostra speciali, & salva in prædicta terra justitia nostra, sicuti antea hujusmodi donationem habebamus: hoc etiam salvo quod occasione hujus donationis dictæ moniales nihil rapere poterunt in foresta nostra de Chantolio; & si forte contingeret aliquo tempore quod in loco in quo dictæ moniales nunc habitant, non morarentur, vel religio feminarum non esset ibidem, prædicta terra ad nos & heredes nostros libere reverietur. Actum apud curiam nostram anno Domini M. CCXXXVII. mense Octobri.

L X X I.

Ex chartul. Balgentiac.

Electio abbatis Balgentiacensis.

1240. GUILLELMUS divina miseratione Aurelianensis episcopus, omnibus, &c. Noverint universi quod dilecti filii omnes canonici beatæ Mariæ de Balgentiaco unanimiter voluerunt & concesserunt, ut nos hac vice sibi bona fide provideremus de abbate, salvo sibi & ecclesiæ suæ jure eligendi in posterum, quod de jure communi ad eos dinoscitur pertinere. In cujus rei fidem & testimonium, &c. Actum anno Domini M. CCXL. mense Novembri.

L X X I I.

Ex chartul. B. Mariæ.

Diploma Ludovici pro Loco beatæ Mariæ.

1248. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod nos literas dilectæ & fidelis consanguineæ nostræ Isabellæ comitissæ Carnotensis vidimus in hæc verba. Ego Isabella comitissa Carnotensis notum facio universis præsentes literas inspecturis, quod ego divinæ pietatis intuitu & pro remedio animæ meæ, maritorum meorum, necnon antecessorum meorum & successorum meorum dedi & concessi in puram & perpetuam eleemosinam abbatiæ monialium Cisterciensis ordinis sitæ prope Romorentinum, quam ego in solo meo in honore beatæ Mariæ virginis & Omnium sanctorum fundavi, terras quas dictæ moniales habent & possident contiguas dictæ abbatiæ, sicut sunt limitatæ de meo assensu & voluntate. Dedi etiam dictæ abbatiæ duo stagna dictæ abbatiæ contigua, quæ ego acquisivi, quiete, libere & pacifice possidenda & habenda; ita quod dictæ moniales poterunt ad libitum suum uti aqua dictorum stagnorum sive creverit, sive decreverit, in quantacumque fuerit quantitate, prout viderint expedire. Præterea dedi dictæ abbatiæ omnia terragia mea *de Morays*, facta & facienda, cum omni jure & dominio quæ ibi habeo, quorum valorem æstimo duodecim modios siliginis; si vero plus valere potuerint, dictis monialibus integre remanebunt. Et si usu contingente, duodecim modios siliginis valere nequiverint, volo & præcipio quod defectus dictorum duodecim modiorum in forestaria mea de Briodo singulis

A annis in festo beati Michaelis per manus forestariorum meorum dictis monialibus persolvatur. Et volo & præcipio quod quicumque dictam forestariam tenuerit, si forte dictus defectus ad diem nominatam non fuerit plenarie persolutus, postquam a dictis monialibus vel earum mandato fuerit requisitus, singulis diebus post lapsum termini quibus fuerit in mora solvendi defectum, prædictis monialibus sex sextarios reddat pro pœna, & ad hæc ipsum obligo. Dedi etiam dictis monialibus quandam costumam quæ vocatur *la Rapine*, quam habeo in eodem territorio, cum omni jure & dominio quæ ibi habui, retenta tamen mihi & heredibus meis alta justitia in eodem. Item dedi & concessi dictæ abbatiæ terragium meum *de Mer*, & terragium meum *dou Pin*, cum omni jure & dominio quæ in eisdem

B habui. Volui etiam & concessi quod dictæ moniales dicta terragia habeant & possideant cum omni videlicet jure & dominio, tam adducendi dicta terragia ad loca propinquiora dictæ abbatiæ infra territoria superius expressa, quam in aliis, excepta alta justitia quam mihi & heredibus meis retinui in eisdem. Item dedi præfatæ abbatiæ totam decimam vini quam habui apud *le Boullays*, cum omni jure & dominio quæ in eisdem habui & possedi. Dedi iterum dictis monialibus totum nemus meum magno stagno dictarum monialium contiguum, sicut est divisum & de mandato meo limitatum, sicut via prætendit *de Mer* usque ad molendina nova, & sicut via prætendit de Romorentino a Corneli, sicut dividitur per metas positas, cum omni jure & dominio quæ in eodem habebam & possidebam. Dedi iterum

C præfatis monialibus totum nemus meum quod vocatur *le Druillai*, situm juxta viam quæ ducit de * Millentiaco apud Romorentinum, prout continet clausura fossati dictum nemus claudentis, cum omni videlicet jure & dominio quæ in dicto nemore habebam vel habere poteram. Volo etiam quod nullus usagium habere possit in dictis nemoribus, sicut sunt limitata de meo assensu & voluntate, & quod ego vel successores mei non valeamus in dictis nemoribus hayas causa venandi (habere) vel alia aliqua de causa per quæ dicta nemora valeant deteriorari. Volui siquidem & concessi quod dictæ moniales dictum nemus possint conservare, vendere, dare, extirpare & ad agriculturam redigere, & voluntatem suam alte & basse de terris & nemoribus facere. Dedi etiam dictis monialibus usagium suum in

D nemoribus meis de Briodo, & in omnibus aliis nemoribus meis in castellania de Romorentino, ad ardere suum, infra clausuram dictæ abbatiæ, tam in nemore mortuo quam in barrachis, salvis tamen defensis meis jam factis. Dedi iterum præfatis monialibus usagium suum in nemoribus meis de Briodo, & in omnibus aliis nemoribus ad nemus vivum, ad omnia necessaria infra clausuram dictæ abbatiæ facienda, salvis tamen defensis meis factis & faciendis, retenta tamen mihi & heredibus meis alta justitia in nemoribus & omnibus aliis collationibus supradictis. Dedi iterum & concessi supradictæ abbatiæ pasturam ad omnia animalia sua cujuscumque generis sint in castellania de Romorentino & locis eorumdem nemorum nemorosis vel non nemorosis, salvis tamen defensis meis jam factis & talleis meis, a quibus-

E cumque pecudibus usque ad septem annos non intrandis. Dedi etiam sæpedictæ abbatiæ pasnagium suum usque ad centum porcos in omnibus nemoribus & in defensis meis factis & faciendis. Præterea dedi sæpedictis monialibus sexaginta libras Carnotenses annui redditus in festo beati Hilarii in festagio de Romorentino annuatim percipiendas, de quibus tenentur annuatim ponere quinquaginta libras in emptione frumenti ad emendationem panis conventus. Si vero sexaginta libræ ad dictum terminum non fuerint persolutæ, volo quod domini de Romorentino qui pro tempore fuerint, pro qualibet die qua fuerint in mora solvendi dictis monialibus, vel earum mandato fuerint super hoc requisiti, volens quod si forte, quod absit, contingeret sexaginta

* Millensai.

libras in dicto festagio assignatas non persolvi dictis monialibus integraliter, quod domini prædicti monialibus jamdictis defectum in locis competentibus in aliis redditibus de Romorentino, videlicet in furno, pedagio assignare teneantur, & eos ad hoc obligo. Dedi iterum prænotatis monialibus sexaginta libras Carnotenses singulis annis in præpositura mea de Carnoto terminis inferius annotatis, videlicet triginta libras in Assumptione beatæ Mariæ virginis, & triginta libras in Purificatione ejusdem virginis; ab illis qui pro tempore dictam præposituram tenuerint, in solutione dictæ pecuniæ terminis antedictis defecerint, decem solidos Carnot. pro pœna pro qualibet die qua dictas sexaginta libras solvere distulerint, eisdem monialibus solvere teneantur, donec dicta summa pecuniæ plenarie fuerit persoluta; dum tamen ab eisdem monialibus vel earum mandato super hoc fuerint requisiti. Et si forte contingeret quod dicta præpositura ad solutionem dictæ pecuniæ non sufficeret, vel aliquo alio modo deperiret, volo & præcipio quod quicumque dominus erit Carnoti, defectum in aliis redditibus meis apud Carnotum competenter assignare teneatur, & ad hæc præposituram obligo. Dedi siquidem nominatis monialibus unum de burgensibus Carnoti qui sit serviens dictæ abbatiæ usque ad viginti solidorum valorem pro tallia, & unum in castro meo de * Marchesner, alterum vero apud Romorentinum, alterum vero apud Millentiacum competentes, & a tallia, exactione, exercitu, equitatu, speculatione, festagio, pedagio & ab omni costuma dictos servientes liberos eisdem monialibus concessi penitus & immunes. Cum autem aliquis dictorum servientium morietur, aut quocumque alio modo defuerint, sæpedictæ moniales de alio substituendo me requirent, & ego eisdem alium convenientem substituam, prout defuerit in villis supradictis. Similiter & successores mei & domini dictarum villarum hoc facere tenentur quotiescumque a dictis monialibus super hoc fuerint requisiti, & ad hoc eos obligo. Et pro his omnibus supradictis dictæ moniales tenentur in dicta abbatia tenere capellanum, qui pro animæ meæ & dominæ Blanchæ Francorum reginæ, maritorum, antecessorum & successorum meorum salute singulis diebus divina celebrabit. Ut hæ donationes & concessiones robur obtineant perpetuæ firmitatis, præsentes literas dictis monialibus dedi & concessi sigilli mei munimine roboratas, volens & præcipiens quod donationes supradictæ ab heredibus meis in perpetuum firmiter & inviolabiliter observentur. Actum anno gratiæ M.° CC.° XLVII.° mense Maio. Nos autem prædictam elemosinam, cum de nostro feodo moveat, ad petitionem dictæ comitissæ volumus & concedimus, & eam sigilli nostri caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Senonis anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo quadragesimo octavo mense Junio, regni vero nostri vicesimo secundo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Stephani buticularii, signum Joannis camerarii, constabulario nullo.

* Marchenoir.

LXXIII.

Guillelmus episcopus dat monialibus de Calceata ecclesiam sancti Lupi.

1249. Universis præsentes literas inspecturis, Guillelmus Dei gratia Aurelianensis episcopus, in vero salutari salutem. Noveritis nos literas dilecti filii Manasse decani Aurelianensis anno Domini M. CCXLIX. mense Julio vidisse sub hac forma: Omnibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino. Noveritis quod cum venerabilis pater Guillelmus Dei gratia Aurelianensis episcopus ecclesiam sancti Lupi, cujus patronatus ad decanum & capitulum sancti Petri virorum pertinuit ab antiquo, sibi dari perpetuo ab eis peteret & concedi, & cum oblationibus quas dictus decanus per se absque capitulo percipiebat in prædicta ecclesia ter in anno, videlicet in festo Omnium sanctorum, in Nativitate Domini & Purificatione beatæ Mariæ, rotagio quoque, relevationibus, atque justitia & emendis census, quæ idem decanus ibidem percipere consueverat, cum illis etiam oblationibus quas idem decanus & capitulum in Rogationibus & festo sancti Lupi inibi percipiebant communiter, necnon cum XI. solidis censualibus, quos dicti decanus & capitulum similiter in claustro sancti Lupi percipere communiter consueverant, & cum universo jure quod iidem decanus & capitulum communiter vel divisim in supradicto loco sancti Lupi & in pertinentiis ad claustrum habebant, in quo quidem loco memoratus pater pio accensus desiderio monialibus de Calceata habitaculum constituere affectabat, pro eo quod ad hoc videbatur aptus & habilis esse locus. Tandem de bonorum virorum consilio memoratus episcopus ex una parte, & decanus & capitulum ex altera ordinationi nostræ atque arbitrio se totaliter super hoc commiserunt. Nos itaque huic proposito congaudentes, & tali plantulæ desiderantes, tam in spiritualibus quam in temporalibus incrementum, volentes etiam dictam ecclesiam sancti Petri, quam integro corde diligimus, in quantum possumus, servare indemnem, arbitrium nostrum protulimus in hunc modum: quod prædictæ moniales de cetero supradictam ecclesiam sancti Lupi cum omni jure quod in dicta ecclesia vel in claustro sancti Lupi iidem decanus & capitulum obtinebant communiter vel divisim, prout superius est expressum, perpetuo possidebunt. Decanus autem & capitulum perpetuo ad augmentum panis, cujus proventus per totius anni curriculum sufficere non valebant, præbendam quam in eadem ecclesia tunc temporis obtinebamus, habebunt cum omni integritate distributionum, tam noctis quam diei, necnon & XL. solidos Parisienses, quos eædem moniales de cetero nomine annuæ pensionis in crastinum S. Lupi omni anno eisdem reddere perpetuo tenebuntur. Sciendum insuper quod dictæ moniales tenebuntur annuatim decano sancti Petri ejusque successoribus in perpetuum solvere X. solidos Parisienses in festo Omnium sanctorum pro omni jure quod idem decanus in supradicto claustro & in oblationibus supradictis, necnon in rebus pertinentibus ad claustrum ratione sui decanatus habebat; omnes quoque census & decimas quas dicti decanus & capitulum extra claustrum antea percipiebant communiter, iidem decanus & capitulum, sicut prius, sine diminutione percipient in futurum. Illas etiam decimas quas idem decanus ipse prius ratione decanatus S. Petri percipiebat, sine aliqua diminutione percipiet sicut ante. In cujus rei fidem & testimonium præsentem paginam ad petitionem dicti venerabilis patris & dictorum decani & capituli sigilli nostri fecimus munimine roborari. Actum anno Dominicæ Incarn. M. CCXLIX. mense Julio. Nos autem ordinationem hujusmodi ratam habemus & firmam, & eam volumus & approbamus. In cujus rei memoriam & testimonium præsentem paginam ei concessimus sigilli nostri caractere roboratam. Datum anno Dominicæ Incarnat. M. CCXLIX. mense Julio.

LXXIV.

Privilegium Alexandri papæ IV. de confirmatione totius loci Miciacensis & omnium ecclesiarum ad eumdem pertinentium.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, 1258.
dilectis filiis abbati sancti Maximini Miciacensis ejusdemque loci fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam perferentibus, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Christo filii,

vestris justis postulationibus libenter annuimus, & monasterium S. Maximini Miciacensis, Aurel. diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Dionysii cum omnibus pertinentiis suis, sancti Hilarii, sancti Petri de Gaudiaco & sancti Symphoriani de Cambiaco ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem; capellam sancti Maximini cum omnibus pertinentiis suis, sancti Eustachii, sancti Nicolai, sancti Petri, sancti Pauli in Burgo Dunensi, sancti Marcelli, sancti Maximini in alodio, sancti Maximini in Burgo, sancti Aniani, sancti Sigismundi, sancti Agili, S. Martini de Vannis, sancti Laurentii de Firmitate Nerberti, sancti Michaelis de eadem Firmitate, sancti Albini, sancti Petri de Ardon, sancti Aviti de Maceriis, sancti Andreæ de Ussello, sanctorum Gervasii & Protasii de Feritate Huberti, sancti Sulpicii ejusdem Firmitatis, sancti Stephani & sancti Georgii de Calvomonte de Vernone, sancti Martini de Ligniaco & sancti Maximini; juxta castrum S. Mauræ, ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem; ecclesiam sancti Johannis de Mota cum capella Achardi & omnibus pertinentiis earumdem, sancti Petri de Parrigniaco & sancti Andreæ juxta castellum quod dicitur *Fixa*, capellas cum omnibus pertinentiis earumdem, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & in omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumtibus colitis, de quibus aliquis hactenus non peperceit (*forte* percepit) sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos, liberos & absolutos a seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere, nisi arctioris religionis obtentu, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto; chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diocesani episcopi & vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis & episcopis, archidiaconis, seu decanis aliisque ecclesiasticis omnibus secularibusve personis a vobis omnibus omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laïcis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu granchiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates vestras & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemtiones secularium exactionum a regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio privilegioque communimus. Decernimus ergo ut nulli hominum omnino liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, sive quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia conserventur integra, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Datum Anagniæ per manum magistri Jordani sanctæ Romanæ ecclesiæ notarii & vicecancellarii, pridie nonas Martii indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. CCLVIII. pontificatus vero domni Alexandri papæ IV. anno sexto. ✠ Ego Alexander catholicæ sedis episcopus. ✠ Ego Fr. Johannes tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. ✠ Ego Fr. Hugo tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis. ✠ Ego Odo Tusculanus episcopus. ✠ Ego Stephanus Prænestinus episcopus. ✠ Ego Ricardus sancti Angeli diaconus cardinalis. ✠ Ego Octavianus sanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis. ✠ Ego Johannes sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis. ✠ Ego Orrolimus sancti Adriani diaconus cardinalis.

L X X V.

Fundatio quinque præbendarum in ecclesia beatæ Mariæ de Cleriaco.

IN nomine Domini, amen. Universis præsentes literas inspecturis, Bertrandus miseratione divina Aurelianensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos vidisse, legisse & diligenter inspexisse literas illustrissimi principis domini Philippi D. G. Francorum regis non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte corruptas, in hæc verba: Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod nos cultum cupientes augmentare divinum, dilecto militi & fideli nostro Simoni de Meleduno Franciæ marescallo proponenti pro animæ suæ remedio in ecclesia beatæ Mariæ de Cleriaco quinque fundare 1302.

præbendas, concedimus per præsentes, quod ipse de terra sua in præpositura Aurelianensi sita, usque ad summam 100. librarum Turonensium annui & perpetui redditus pro dictarum quinque præbendarum fundatione, prout & cum sibi placuerit, licite valeat assignare, volentes & tenore præsentium concedentes, quod canonici qui in sic fundatis præbendis pro tempore fuerint instituti & successores eorum, dictas 100. libras Turonenses perpetui redditus perpetuo teneant & possideant pacifice & quiete absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, & absque præstatione financiæ, salvo in aliis jure nostro & quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vincennas anno Incarnationis Dominicæ M. CCC. mense Novembri. Item & quasdam alias literas similiter non cancellatas, nec abolitas, nec aliqua sui parte vitiatas, formam quæ sequitur continentes. Universis præsentes literas inspecturis, Maria domina de Aula relicta nobilis viri defuncti Simonis de Meleduno militis, marescalli Franciæ quondam, ac Egidius de Meleduno miles, ejusdem defuncti filius & hæres, salutem in Domino. Noverint universi quod nos confitemur & ex certa scientia recognoscimus, quod præfatus defunctus Simon, dum vivebat, pro remedio animæ suæ ab illustrissimo principe domino Philippo rege Francorum impetravit, ut liceret eidem pro fundatione quinque præbendarum in capella B. Mariæ de Cleriaco Aurelianensis diœcesis, assignare centum libras Turonenses annui & perpetui redditus in terra sua in præpositura Aurelianensi sita. Ex donatione igitur facta a domino rege prædicto, & dictas centum libras Turonenses pro fundatione dictarum præbendarum in vita sua in loco assignavit prædicto, ac etiam in testamento seu ultima voluntate sua dictas centum libras pro fundatione prædicta contulit & concessit, retento perpetuo ab eo sibi & heredibus suis universis & singulis, & ab eis causam habentibus, jure patronatus & collatione seu præsentatione in præbendis prædictis. Voluit insuper idem Simon quod canonici, dum in dictis præbendis fuerint instituti, & successores eorum teneantur residentiam facere personalem, & quod infra annum a tempore collationis præbendæ cujuslibet presbyteri fiant, & in institutione ipsa jurent dictam residentiam facere, & prædictos ordines infra dictum tempus suscipere, ut est dictum, & quod horas canonicas teneantur dicere in communi, & quilibet eorum die qualibet divinum officium celebrare, nisi eos causa sufficiens excusaret. Nos vero prædicti Maria & Egidius voluntatem ipsius defuncti adimplere cupientes, & etiam, si possemus, in melius augmentare, dictam assignationem seu donationem prædictarum centum librarum Turonensium singulis annis in termino Ascensionis Domini solvendarum pro fundatione præbendarum hujusmodi ratam & gratam habentes, omnia & singula prædicta volumus, laudamus ac etiam approbamus, retento, ut prius, nobis, & heredibus & successoribus nostris, ut ad dictas præbendas, quotiescumque vacare contigerit, jure patronatus sufficientes personas Aurelianensi episcopo, qui pro tempore fuerit, præsentemus, & ad nostram vel heredum & successorum nostrorum præsentationem episcopus prædictas personas instituet in præbendis prædictis, supplicantes reverendo in Christo domino Bertrando Dei gratia Aurelianensi episcopo, ut ipse fundationi hujusmodi ac omnibus & singulis prædictis consensum & assensum suum impertiri dignetur, & velit prædicta confirmare authoritate ordinaria, authoritatem suam interponendo præmissis pariter & decretum. In cujus rei testimonium sigilla nostra duximus apponenda. Datum die Martis ante festum beati Clementis anno Domini M. CCCII. Nos igitur episcopus Aurelianensis prædictus visis & diligenter inspectis ac plenius intellectis utrisque literis suprascriptis & tenoribus earumdem, considerantes affectionem & donationem memorati defuncti, necnon & præ-

A dictorum Mariæ relictæ dicti defuncti dominæ de Aula, ac Egidii filii & heredis ejusdem defuncti militis, divinique officii augmentationem quam pro viribus affectamus, pensatis insuper & habitis tractatu & deliberatione diligenti super præmissis, de consensu Reginaldi rectoris ecclesiæ parochialis sancti Andreæ prope Cleriacum, in cujus parochia dicta capella dicitur esse sita, insuper assensu religiosorum virorum abbatis & conventus sancti Maximini Miciacensis, Aurelianensis diœcesis, ad quos jus patronatus ecclesiæ parochialis sancti Andreæ prædictæ dignoscitur pertinere, ac etiam ad supplicationem dictorum relictæ & Egidii heredis defuncti Simonis sæpedicti, ad ordinationem ejusdem negotii sic duximus procedendum, & per ipsam ordinationem volumus & ordinamus, quod præfata capella

B beatæ Mariæ collegiata existat, & quod instituantur quinque canonici in eadem, qui inibi instituti per fundationem quinque præbendarum in eadem capella factam, summam centum librarum Turonensium percipient & habebunt in præpositura Aurelianensi, prout plenius continetur in suprascriptis literis, & secundum modum & formam inferius annotatos. Item quilibet ipsorum canonicorum tenebitur ad residentiam personalem. Item quilibet eorumdem canonicorum infra annum suæ institutionis ad presbyteratus ordinem promoveri debebit. Item quilibet ipsorum canonicorum qualibet die celebrare tenebitur, nisi impedimento legitimo fuerit detentus. Item unus canonicorum erit decanus, cui alii canonici obedire in ordinando tenebuntur. Item quod decanatus ejusdem capellæ per nos &

C successores nostros episcopos Aurelianenses nonnisi dictæ capellæ canonico conferatur, ac nobis & successoribus nostris decanus prædictus homagium facere teneatur. Item canonici prædicti debebunt horas canonicas dicere in communi, & quilibet eorum interesse tenebitur matutinis & duabus horis, quas duxerint eligendas, in quibus si defecerint, de distributionibus nihil percipient illa die, nisi tamen eos casu necessitatis contingeret impediri. Item Reginaldus curatus ecclesiæ sancti Andreæ prædictæ nunc creatus decanus, per cujus industriam dicta capella ædificata & exaltata est, & spiritualibus & temporalibus bonis multiplicata, ceram & oblationes reliquiarum habebit, ac omnia, quandiu vixerit, exceptis duntaxat oblationibus, quas ad manus presbytero contigerit obvenire. Item oblationes ma-

D nuales in pecunia quæ offeruntur in manibus sacerdotum quorumcumque celebrantium, quacumque hora celebrant, in cista communi ponentur cum centum libris superius nominatis. Item quilibet canonicorum centum solidos Turonenses pro grosso percipiet & habebit, & totum cedet in distributiones communes. Item Reginaldus nunc decanus prædictus, quoad vixerit, ex prædictis distributionibus quantum duo canonici percipiet, ac omnia quæ prius percipiebat in capella prædicta, exceptis oblationibus, quas, ut dictum est, ad manus presbyterorum contigerit obvenire. Item ex speciali gratia volumus quod dictus Reginaldus decanus possit in eadem capella, quandocumque voluerit, celebrare per se vel per alium celebrari & omnia facere, quoad vixerit, ut prius faciebat in prædicta capella. Item quod

E post decessum ejusdem Reginaldi decani, cera, oblationes & emolumenta, quas & quæ, quoad vixerit, nunc ad usum retinet idem Reginaldus, in duas portiones dividentur, quarum unam habeat decanus qui præfato Reginaldo succedet, & qui pro tempore fuerit, alia vero portio cedet in distributionibus communibus una cum oblationibus manualibus, prout superius est expressum, & ille decanus in distributionibus percipiet sicut unus canonicus. Item ordinamus quod curatus sancti Andreæ habebit unam præbendam, ad quam una cum cura sancti Andreæ præsentabit abbas sancti Maximini jure patronatus, & eandem præbendam deserviet idem curatus per se, vel per alium presbyterum in capella prædicta, & ibidem vel apud S. Andream

residebit. Item decanus & capitulum ejusdem capellæ, A & curatus prædicti ter in septimana in capella Aulæ celebrare per ordinem, unus post alium, cum dominus vel domina qui pro tempore fuerint, præsens extiterit, tenebuntur, alias nequaquam, & ille qui celebrabit in capella Aulæ hujusmodi, oblationes habebit. Item dominus vel domina prædicti decimas, tam novalium suorum præsentium quam & futurorum curato prædicto reddere teneantur. Item curatus prædictus habebit legata sibi facta & jura parochialia ad ecclesiam sancti Andreæ spectantia ab antiquo, in quo sita est ecclesia S. Andreæ prædicta, hoc salvo quod curatus prædictus tenebitur solvere singulis annis capicerio sancti Maximini viginti solidos Parisienses, ac decanus & capitulum prædictæ capellæ viginti solidos Parisienses. Item sciendum est quod nos & successores nostri episcopi Aurelianenses B procurationem usque ad summam centum solidorum Turonensium percipiemus & habebimus super decanum & canonicos supradictos. Item ordinamus quod heredes & successores universi dicti defuncti Simonis in perpetuum habeant præsentationem quatuor præbendarum prædictarum, & tanquam patroni capellæ prædictæ, & jure patronatus nobis & nostris successoribus præsentabunt. Consensimus insuper ex gratia speciali, quod curatus sancti Andreæ qui pro tempore fuerit, compellere non possit parochianos suos, qui remanere voluerint in dicta capella, ad eamdem ecclesiam S. Andreæ; pro benedictionibus, pro obsequiis funerum, purificationibus, & annualibus diebus Dominicis habet presbyter unum nummum pro capellania & nummum qui offertur cum pane benedicto, & candelam, & si aliqua C fiat oblatio pro defunctis vel prægnantibus, capellani est. In reliqua oblatione habent monachi tres partes, capellanus quartam. In sex solemnitatibus annualibus habet capellanus duos nummos pro unaquaque missa, pro thure duos habet nummos tantummodo; ille qui affert aquam benedicendam & mundat ecclesiam, duos nummos, ille qui pulsat campanas unum nummum, clericus quatuor nummos, socius prioris duos denarios, famulus prioris unum nummum, famulus capellani unum denarium. In reliqua oblatione habent monachi decem partes, archidiaconus undecimam, capellanus duodecimam, scilicet in Nativitate Domini, in festo sancti Sulpicii hyemali, in Purificatione beatæ Mariæ, in Pascha, in festo Pentecostes, in festo Omnium sanctorum. In festivitatibus novem lectionum, quæ indi- D cantur feriandæ, habet capellanus unum denarium pro capellania. In reliqua oblatione, scilicet in missa de festo habent monachi tres partes, capellanus quartam. Oblatio quæ fit in festo defunctorum & in die Parasceves, quando Crux adoratur, & pro confessionibus in Quadragesima, per medium dividitur inter monachos & capellanum. In oblatione quæ fit in benedictionibus, habet capellanus oblationem sponsi & sponsæ, & unum denarium pro capellania, monachi unum cereum de cereis, capellanus alium. In sequenti oblatione habent monachi tres partes, capellanus quartam. In crastino nuptiarum tota oblatio capellani est. Quando sponsa venerit post nuptias ad ecclesiam, oblatio ejus capellani est, & unum denarium pro capellania; in reliqua oblatione habent monachi tres partes, capellanus quartam. E In panibus qui offeruntur in crastino Natalis Domini habent monachi duas partes, capellanus tertiam. In die Ascensionis habent monachi in panibus mediam partem, capellanus mediam. Omnes oblationes quæ fiunt in ecclesia sancti Gervasii, monachorum sunt, & jumenta, & presbyter sancti Sulpitii nichil omnino nichil habet. Actum anno gratiæ M. CCCII.

LXXVI.

Senatus Parisiensis decretum in gratiam Rogerii Le Fort episcopi Aurelianensis. *Ex registis Parlamenti.*

CAROLUS Dei gratia rex Francorum & Navarræorum, ballivo Aurelianensi vel ejus locum tenenti, 1323. salutem. Cum ad instantiam Aurelianensis episcopi conquerentis quod ipse super suis juribus infrascriptis per vos & alias gentes nostras turbabatur injuste, nostra curia tam per plures de gentibus Parlamenti nostri, quam alios fide dignos fuerit sufficienter informata, quod ab antiquo fuerit consuetum, quod præpositus Aurelianensis pro tempore in jocundo adventu cujuslibet novi episcopi Aurelianensis omnes prisionarios & captos, qui tunc temporis pro quocumque delicto in prisionibus & carceribus regiis Aurelianis tenentur, ad portam Burgundiæ in præsentia dicti episcopi adducere, & eos ibidem dicto episcopo reddere teneatur, ut idem episcopus dictos prisionarios liberet, ac eisdem injungat pœnitentias salutares, prout sibi visum fuerit expedire. Item quod dictus præpositus ibidem dicto episcopo juramentum sub certa forma tenetur præstare, præsertim quod idem præpositus aliquos de dictis prisionariis non occultaverit, vel ipsos citius expediverit condemnando, justitiando vel absolvendo, ex quo scivit futurum adventum ejusdem, aut alias fraudem non commiserit ad finem quod reddi non possent episcopo memorato. Fuerit etiam dicta curia informata, quod servientes dicti episcopi possunt pro suo officio liberius & securius exsequendo arma portare, & armati per villam Aurelianensem incedere. Item & quod gentes dicti episcopi in terra ipsius episcopi Aurelianensis ab occasu solis usque ad horam qua pulsatur ad ignitegium in ecclesia sancti Petri virorum possunt facere guaitum, & episcopi Aurelianenses qui fuerunt pro tempore, fuerunt in possessione hujusmodi ab antiquo. Mandamus vobis quatenus dictum præpositum vel ejus locum tenentem ad adducendum ad dictam portam & reddendum dicto episcopo dictos prisionarios, & ad præstandum juramentum prædictum dicto episcopo, prout consuetum extitit, compellatis, dictosque servientes dicti episcopi arma, prout ab antiquo consueverunt, portare infra villam Aurelianensem, & gentes ipsius guaitum, ut præmittitur, facere libere permittatis & faciatis permitti, nec ipsos patiamini super his aliquibus molestari. Ceterum cum vos nonnullos homines dicti episcopi, qui, prout consuetum fuit ab antiquo, portabant arma in jocundo adventu dicti episcopi, & arma prædicta ceperitis & adhuc teneatis, & repertum fuerit per informationem super hoc per curiam nostram factam, quod prædecessores dicti episcopi ab antiquo in primo & jocundo adventu ac ingressu suo Aureliam, gentes armatas de justicialibus & villis suis usque ad numerum decem, viginti, triginta vel quadraginta & eo amplius consueverunt habere ipsa die ingressus prædicti pro honore & reverentia, & pro custodiendo festum ipsius episcopi dicta die: mandamus vobis quatenus gentes & homines dicti episcopi & villarum suarum in novitate & jocundo adventu ipsius Aurelianensis episcopi, quotiescumque casus emerserit, portare dicta arma dicta die infra dictam villam libere permittatis, & dictos homines deliberetis, & arma & pignora ipsorum, quæ occasione hujusmodi capta fuerunt, reddi & restitui faciatis eisdem sine difficultate quacumque, ipsos ulterius occasione hujusmodi minime molestantes. Decimo die Aprilis inter arresta prolata in Parlamento, quod incipit die Veneris in crastino hyemalis festi S. Martini anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo.

LXXVII.

LXXVII.

Ex authent. *Bulla Urbani VIII. S. Lupum in abbatiam erigentis.*

1639. URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio officiali venerabilis fratris nostri episcopi Aurelianensis, salutem & apostolicam benedictionem. Copiosus in misericordia Deus & in cunctis suis gloriosus operibus, ad hoc nos meritis licet imparibus super familia domus suæ constituit, ut personas ecclesiasticas præsertim feminei sexus, quæ religionis habitu assumto sub suavi ejus jugo relictis mundi illecebris inter monasteriorum septa Jesu Christo Salvatori nostro in devotione & charitate famulari cupientes, virginitatem suam vero sponso Jesu Christo voto celebri consecrant, in suo laudabili præposito consociemus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Mariæ Annæ de Cochefilet priorissæ & conventus prioratus conventualis monialium S. Lupi prope & extra muros Aurelian. Cisterciensis ordinis petitio continebat, quod prioratus prædictus sat opimis reditibus erat dotatus, in quo præter illius priorissam viginti quatuor moniales etiam de honestis familiis & nobilibus oriundæ & expresse professæ, adinstar bene ordinati monasterii monialium ejusdem ordinis laudabiliter sub suavi religionis jugo & regulari observantia viventes, divinisque laudibus assidue insistentes reperiuntur, inter alios illarum partium prioratus non infimus reputatur, imo ceteros amplitudine & nobilitate structuræ cum ecclesia capaci, campanili, campanis, paramentis & ornamentis ecclesiasticis abunde instructa antecellit, & illorum primatum facile obtinet, nec indignus esse videtur, qui ob tantam illius celebritatem monasterii titulo jure merito insigniatur, & sicut eadem petitio subjungebat, si ille in monasterium monialium hujusmodi erigeretur, plures generis nobilitate præstantes virgines in illo mundanis abdicatis illecebris, ejus virginitatis florem Altissimo facile consecrarent, divinusque cultus inde cum ipsius civitatis Aurelianensis decore augeretur. Quare pro parte Mariæ Annæ priorissæ & conventus prædictorum, ac pro eis charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum & Navarræ regis christianissimi, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi ut infra providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui regularium locorum quorumlibet decorem & venustatem, religionisque propagationem sinceris exoptamus affectibus, Mariam Annam priorissam ac conventus hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus de omnibus atque singulis præmissis authoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem eandem de narratis tibi legitime constiterit, in dicto prioratu titulum, nomen & denominationem prioratus hujusmodi authoritate nostra prædicta perpetuo supprimas & extinguas, necnon illum ac priorissam & moniales prædictas & dependentia monasterii, a quo ille forsan dependet, de consensu dilectorum filiorum modernorum illius abbatis seu alterius superioris & conventus etiam perpetuo eximas & liberes, illisque sic suppressis, & exstinctis, ac exemptis & liberatis prioratum prædictum, cujus & illi forsan annexorum fructus, reditus & proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut Maria Anna priorissa & conventus prioratus monialium hujusmodi asserunt, non excedunt, in monasterium monialium ejusdem ordinis cum illius ecclesia, campanili & campanis prædictis, ac claustro, refectorio, cellis, dormitorio, cœmiterio, hortis, hortaliciis, aliisque membris & pertinentiis suis universis pro una abbatissa, & saltem viginti quatuor monialibus hujusmodi, quæ omnes inibi divinis laudibus & spiritualibus exercitiis, ut prius, insistere, ac onera illis ratione fundationis dicti prioratus incumbentia debite supportare, necnon sub cura, visitatione, correctione, superioritate & omnimoda jurisdictione, sub quibus antea dictus prioratus & illius priorissa & moniales prædictæ erant, & ad præsens sunt, vivere, seque regularibus institutis aliorum dicti ordinis monasteriorum monialium conformare debeant, firma, salva & intacta remanente ipsius prioratus dote, quæ pro ejusdem monasterii dote cedat perpetuo, sine tamen alicujus præjudicio, & dummodo abbatis seu alterius superioris conventus monasterii, a quo dictus prioratus dependet, ad id accedat assensus, & non aliter, erigas & instituas, ac illud aliis ejusdem ordinis & provinciæ, cujus dictus prioratus existit, monasteriis monialium aggreges, & insuper eidem monasterio, ut prædicitur, erigendo, & illius abbatissæ & monialibus, & quibusvis aliis personis necnon ecclesiæ prædictæ, & quibusvis aliis Christi fidelibus illam pro tempore visitantibus, in omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, favoribus, concessionibus, indultis, indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum remissionibus ceterisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus dicto prioratui antea ac quibusvis aliis ejusdem ordinis monasteriis, illiusque & illorum priorissæ & abbatissis respective ac monialibus, necnon personis & Christi fidelibus prædictam & aliorum monasteriorum hujusmodi ecclesias invisitantibus in genere vel in specie etiam per viam simplicis communicationis, ac aliter quomodolibet nunc & pro tempore concessis & concedendis, ac quibus illi & illæ de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliter quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt, quomodolibet in futurum similiter & pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, quatenus tamen sint in usu & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, præsertim vero concilii Tridentini decretis, & aliis dicti ordinis regularibus institutis non repugnent, uti, frui, gaudere & potiri libere & licite in omnibus & per omnia valeant, perinde ac si illa omnia monasterio per præsentes erigendo hujusmodi, illiusque abbatissæ & monialibus prædictis specialiter & expresse concessa fuissent, dicta authoritate indulgeas, ac dictis abbatissæ & monialibus, aut ab eis vel earum superioribus deputatæ seu deputatis, ut quæcumque statuta, ordinationes, capitula & decreta ad ejusdem monasterii, ut prædicitur, dirigendi curam, regimen & administrationem, ætatem, qualitates, victum, amictum, instructionem, directionem, disciplinam, ac modum & formam recitandi divina officia, preces & alia suffragia quomodocumque pertinentia & aliter necessaria & opportuna, licita tamen & honesta, sacrisque canonibus & concilii Tridentini decretis, institutisque regularibus prædictis minime contraria, & ab ordinario loci approbanda condere & edere, illaque toties quoties pro rerum, temporum & personarum varietate & qualitate, ac aliter expediens videbitur, alterare, mutare, moderari, reformare, abrogare ac etiam de novo condere, ita quod postquam illa sic facta, condita, edita, correcta, alterata, mutata, moderata, reformata, abrogata ac denuo condita fuerint, toties ipso facto apostolica authoritate prævia illorum ab ordinario loci prædicto approbatione hujusmodi confirmata esse censeantur, possint & valeant, plenam, liberam & omnimodam licentiam & facultatem eadem authoritate concedas & impertiaris, ac easdem præsentes semper & perpetuo validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, nec eas sub quibuscumque revocationibus, aut aliis

contrariis dispositionibus, etiam sub quibusvis clausulis A & decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi vel confundi, sed ab illis semper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datas per abbatissam & conventum monasterii prædicti erigendi pro tempore concessas esse & fore, sicque per quoscumque judices quavis authoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos & vicelegatos, dictæque sedis nuncios judicari & definiri debere, & quidquid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane dicta authoritate decernas, nonobstantibus præmissis ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque quibusvis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac prioratus & ordinis hujusmodi, ac quorumvis aliorum monasteriorum etiam ejusdem ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo nono pridie calendas Novembris, pontificatus anno decimo septimo.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ MELDENSIS.

I.

Ex tabulario monasterii Eboriacensis.

632.

Testamentum sanctæ Faræ Eboriacensis abbatissæ.

ANno quinto regnante domno Dagoberto rege gloriosissimo sub die VII. kalendas Novembris, cum ego in Dei nomine Burgundofara, relicta hujus seculi malitia, vel dignitate, propter amorem Christi & peccatorum meorum absolutionem, monasterium Eboriacum sub religionis nomine visa sum ædificasse, dum in ipso monasterio residerem, tempusque meæ resolutionis ac diem judicii expectarem, volui sub testamento conscribere & confirmare quæque ipsi loco a me tradita sunt, quatinus præsentibus atque futuris esset proficuum in eodem cœnobio Deo servientibus. Interea accersito Waldone notario, præsentibus testibus sacerdotibus ac secularibus viris, in præsentia mea rogavi hoc testamentum confirmare, quo nullo casu civili, vel prætoriano hæc calumniare quisquam valeat, aliquod jus sibi volens vindicare, Dei majestati offensus, & hoc testimonio convictus resipiscat. Itaque ego Burgundofara honorans prædictum locum Eboriacum, situm in pago Briegio, quod est constructum in honore domnæ ac sanctæ Mariæ & sancti Petri apostolorum principis, dono quæ videbar habere in seculo, id est portionem meam de villa Campellis nomine, quam contra germanos meos in parte accepi, cum mancipiis, vineis, sylvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, sub omni peculio, vel quantumcumque transitus mei illic inveniri potuerint, perpetualiter dono. Dono itaque de villa cognomento Cavaniacus in pago Kalense, portionem meam ad integrum cum terris, domibus, mansis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, propter remedium animæ meæ jamdicto monasterio. Volo esse in prædicto monasterio donatum villam cognomento Dulgosaiacus situm in pago Aliodrense, medietatem illam quam mihi bonæ recordationis genitor meus Agnericus quondam per testamenti sui paginam delegavit, cum terris, mancipiis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, ecclesiæ domnæ Mariæ & sancti Petri Eboriacis monasterii. In suburbio quoque Meldicæ civitatis portionem meam quam contra germanos meos per legitimam divisionem ibidem visa sum accepisse, cum terris, domibus, mancipiis, vineis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, seu peculio vel quoscumque transitus sancto monasterio & omni congregationi puellarum ejusdem Eboriacensis loci. In lege quoque Theudosiana ut est insertum, sic trado ea, ut unusquisque de facultate laïcali, qui filios non reliquerit, ad suos heredes legitimos debeat deferre. Præterea dono, dulcissimis germanis meis faventibus Chagnulfo, Burgundofarone & Agnetrude, portionem meam de villa vocabulo Livra, sitam in pago Parisiaco, cum atriis, ædificiis, mancipiis, vineis, sylvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, seu peculio vel quoscumque transitus. Ad integrum vero casas cum areis, tam infra muros quam extra muros Meldicæ civitatis, portionem meam quam contra germanos meos accepi, prædicto monasterio Eboriaco habere cupio. Farinarium vero qui est super fluvium Maternam ad pontem rapidum ipsi monasterio habere cupio. Similiter alterum farinarium situm in Briegio super fluviolum Alba, pro remedio animæ meæ, & ut nomen meum in libro vitæ sit insertum, ipsi monasterio dare volo. Et ut festi dies ante sanctum altare solemnius recolantur, dare volo vineas, id est pedeturas duas in Cavaniaco villa in Kalense, quas contra germanum meum Chagnulfum in concambio visa sum accepisse, supradictæ basilicæ domnæ Mariæ & sancti Petri Eboriacensis monasterii.

A De mancipiis vero meis per quasque villas superius nominatas, quæque exinde per tabulas vel cartas conscripsi, nomine ingenuitatis, liberi liberæve permaneant cum omni eorum peculiari reconcessa. Invoco Domini majestatem, ut post obitum meum intra legitimi temporis agonem, voluntas mea secundum legem & consuetudinem loci istius, prosequente omnimodis propitio Domino convalescat; scilicet hoc quod pro animæ meæ remedio & peccatorum meorum absolutione tribuo, legibusque sit stabilitum, & legaliter consistat. Sane si quiscunque contra hanc voluntatem mutare, aut in aliquod infringere temptaverit, invocata Dei ineffabili potentia omnino contestor, ut pro omnium meorum peccatorum examine obnoxius in die judicii teneatur, & cum impiis conscribatur, qui dixerunt de Domino B *crucifigatur;* habeaturque extraneus a limine omnium ecclesiarum Dei, & lepra Naaman Syri super eum descendat, ut nec sic quoque valeat voluntatem meam infringere, aut in aliquo mendacio Deo sibi contrario minime prævaleat, si quæ malæ adjectiones vel subjectiones imminutionesque factæ fuerint. Ego feci, fierique mandavi, dum testamentum meum mihi sæpius volui revisere & per singula recognovisse, constipulatione subnixa. Actum in cœnobio Eboriaco sub die VII. idibus Octobris.

II.

Charta Otgerii de Carmentriaco, qua donat Carmentriacum monasterio sancti Faronis. *Ex tabulario S. Faronis Meldensis.*

C EGo Fulcoudus cœnobii sanctæ & victoriosissimæ Crucis sanctique Faronis nomine tenus abbas, notitiæ cunctorum fidelium tradere disposui, quod apud Carmentriacum quidam laïcus inter suos clarus, nomine Otgerius, morabatur: soror cujus nomine Gibelina, amoris Dei causa in nostro monasterio reclusa erat. Prædictus itaque vir saluberrimis atque frequentissimis suæ prudentissimæ sororis exhortationibus assensum præbens (erat enim pro salute ejus nimium sollicita) posthabuit mundum, atque sanctæ conversationis habitum cum suis duobus filiis, Walone scilicet atque Johanne, devote in hoc loco suscepit, terrasque & cuncta quæ possederat, sancto dimisit. Habebat autem comes consuetudines in ipsis terris, velut in aliis, quas Deo & sancto comes ipse Theobaldus & comitissa Ade- D laïs, necnon filius comitis Stephanus, qui aderat, quietas clamaverunt in perpetuum, præter censum qui solvitur ad feram in medio Maii, scilicet quinque solidos comiti. Walterius vero episcopus, cognomine Sapiens dictus, jubente comite Theobaldo anathematizavit cunctos qui ex supradicta terra aliquam fraudem facere præsumerent, vel usque ad unam rigam minuere, necnon & illos qui minuentibus assensum voluerint præbere. Signum comitis Teobaldi, sig. filii ejus comitis Stephani, signum comitissæ, sign. filii ejus Hugonis, qui tunc puer erat, signum Walterii episcopi, signum Evrardi nepotis ejus de Dongione, signum Hildrici præpositi, signum Riculfi subpræpositi.

Circa 1070.

III.

E *Manassis Meldensis episcopi auctoramentum de Cella Briensi.*

NOtum sit omnibus sanctæ fidei cultoribus, tam futuris quam præsentibus, quoniam ego Manasses Meldensis ecclesiæ licet immeritus pontifex, sanctique Stephani protomartyris prædictæ videlicet ecclesiæ conventus, ecclesiæ Majoris monasterii fratribusque 1107.

ibidem Deo servientibus abbatiam Cellæ Briensis persecutionis imminente articulo destructam, & ad cellam & ad prioratum concedimus, eo utique tenore, quatinus & honestam subjectionem & debitam obedientiam, & ego Manasses episcopus, & successores Meldensis ecclesiæ episcopi inde habeamus. Concedimus etiam fratribus Majoris monasterii ecclesiam parochialem ejusdem cellæ, ecclesiamque de Guairado, a synodo & circada liberas & quietas. Botas autem quas ex consuetudine meorum antecessorum ab abbatia requirebam, illis permittimus. Nostraque conventio talis est, quod prior supradictæ cellæ & ad concilia citra Alpes existentia nobis servier, & ad Meldensis ecclesiæ negotia & nostra concilia idem prior accitus, in loco abbatis veniet. Ecclesias vero ceteras, quas infra episcopatum nostrum monachi prælibati possident, videlicet ecclesiam de Tulquino & ecclesiam de Ulmollis, solvendo synodos & circadas cum ceteris consuetudinibus, & ecclesiam de capella Ilgerii, XII. solvendo denarios quotannis concedimus, ea utique conditione, quatenus fratres Majoris monasterii & fratres ejusdem cellæ post obitum meum, meum faciant anniversarium. Actum est hoc & corroboratum Meldis in capitulo S. Stephani anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septimo, rege Philippo ejusque filio Ludovico regnum Francorum obtinentibus, Adela comitissa principante atque præsente, Guillelmo abbate Majoris monasterii ecclesiam regente; istis vero præsentibus, quorum nomina subscripsimus. Signum Manassæ episcopi, sign. Adam archidiaconi, signum Odonis decani, signum Ollandi præpositi, sign. Ollandi præcentoris, signum Adam diaconi, signum Gualteri subdiaconi, signum Lamberti subdiaconi, sig. Odonis subdiaconi, signum Johannis diaconi, signum Hidulfi presbyteri, signum Radulfi presbyteri, signum Raynerii presbyteri, signum Arnulfi presbyteri, signum Hugonis, signum Gisleberti præpositi, signum Haimonis presbyteri, signum Theobaldi subdiaconi, signum Burdini subdiaconi, signum Stephani subdiaconi, sign. Balduini scholastici & cancellarii.

I V.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Charta fundationis abbatiæ beatæ Mariæ de Cavea in suburbio Meldensi.

1135. IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Ego Harpinus Meldensis ecclesiæ decanus & totus ejusdem ecclesiæ conventus, notum fieri volumus præsentibus & futuris, quod nos Meldenses canonici divinitus inspirati, & prudentium religiosorumque virorum consilio usi, ecclesiam beatæ Mariæ de Cagia canonicis regularibus decorare disposuimus, & de ecclesia beati Victoris Parisiensis domnum Heliam in abbatem unanimiter eligentes, prænominatam ecclesiam B. Mariæ de Cagia præfato abbati, & canonicis regularibus & omnibus eorum successoribus, in perpetuum possidendam concessimus, & quidquid ad presbyterium ejusdem ecclesiæ pertinet; ea tamen conditione, ut singulis annis LX. solidos nobis persolvant, donec tantumdem valeat, recipiamus. Concessimus etiam eidem abbati & canonicis regularibus vineam quæ fuit Letoldi præpositi, & vineam quæ fuit Asselini presbyteri, & vineam quæ fuit Gunthardi, & terram cum hospitibus, quæ fuit Fulconis Rufi, & terram quæ fuit Godefridi, quæ est apud Villam in oculum, & duo arpenta terræ, quæ sunt in braiis sancti Faronis, & terram quæ fuit Herberti Letardi, & terram beatæ Mariæ, quæ est apud Chauconin, & duo arpenta prati in Cagia; præter hoc censum Herberti Goriat, & censum Rogerii de Ruetel, & decimam quam Simon de Cloya * dedit beatæ Mariæ quæ est apud Chauconin, & decimam quam dedit Ebrardus, quæ est apud eamdem villam. Confirmavimus etiam eis præbendam sacerdotalem cum omni integritate quæ est apud sanctum Stephanum, habendam,

* Claye.

A ita tamen quod unus ex canonicis regularibus hebdomadam unius presbyteri successive ordine suo apud S. Stephanum faciat, & annualia omnium præbendarum, sive creverint, sive decreverint, quoquomodo personæ vel beneficia præbendarum mutentur. Cantuariam etiam S. Stephani, quod capellaniam aptius dicere possumus, eisdem concessimus; quæ capellania frequentius habetur in altari S. Johannis Bapt. prope baptisterium, & in festis omnium altarium quæ continentur infra ecclesiam sancti Stephani, exceptis majus altare & matutinale. Et canonicus de Cagia ibi deserviens, omne beneficium accipere debet præter candelas. Concessimus etiam ipsis ecclesiam de Cloya cum omnibus appendiciis suis, & ecclesiam de Oucorra [a], & ecclesiam sancti Remigii de Venna [b], & ecclesiam de Fontanetto [c], & ecclesiam sancti
B Saturnini, & capellaniam sancti Rigomerii, & decimas quas Simon filius Hatonis de Laniaes habebat apud Pressi, & decimas quas Adam de Puteo habebat apud Lusentiacum, illis dimittentibus illas decimas in manu domini Manasse episcopi nostri. Annuimus etiam eis, quod si quid de feodalibus vel censualibus ipsius episcopi vel capituli nostri acquirere potuerint, libere eis liceat, salvis tamen censibus episcopi & nostris; porro decimas quæ a laïcis vel clericis jure hereditario, vel titulo emptionis, vel quolibet alio modo contra canonicam censuram detinentur infra terminos parochiarum prædictarum, nulli liceat sine eorum & assensu episcopi in eleemosynam vel quolibet alio perpetuo possidendas recipere: adjicientes etiam iis, quod si aliquis canonicus vel alius cliens episcopi, vel aliquis extraneus, sive in
C vita sive in morte aliquid beneficiorum suorum eidem ecclesiæ tradere voluerit, libere ei liceat. Et si quis, quod absit, supradicto vel aliis acquirendis prædictam ecclesiam injuste molestaverit, tantum pro eorum injuriis corrigendis, quantum pro nostris erga malefactores satisfacturi sumus. Actum est hoc in capitulo beatæ Mariæ & sancti Stephani in præsentia Manasse episcopi nostri, anno Incarnat. Dominicæ M. CXXXV. Signum Harpini decani, sign. Theobaldi archidiaconi, signum Stephani cantoris, signum Odonis præpositi, signum Renaudi præpositi, sign. Radulphi presbyteri, signum Pagani presbyteri, sign. Arnulphi presbyteri, signum Renoldi presbyteri, sign. Odonis presbyteri, signum Hugonis diaconi, signum Petri diaconi, sign. Odonis diaconi, signum Landrici clerici, signum Bisoli sub-
D diaconi, signum Godefridi subdiaconi, sig. Adæ subdiaconi, sig. Gaufredi.

a Ocquerre. b S. Remi de la Vanne. c Fontenai.

V.

Bulla Eugenii III. papæ in gratiam monasterii Eboriacensis.

Ex tabulario monasterii Eboriacensis.

1145. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Rilendi abbatissæ Farensis monasterii, ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum, &c. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, venerabilis fratris nostri Alberici Ostiensis episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in quo divino estis mancipatæ
E obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In pago Meldensi prædium ipsum, quod antiquitus Eboriacus vocabatur, nunc vero Faremonasterium, cum ecclesiis, decimis, terris cultis & incultis, torcularibus, nemoribus, pratis, molendinis, aquis aquarumque decursibus; mercata uniuscujusque

hebdomadæ, & viaria, integraque totius villæ justicia, cum villis circumadjacentibus, videlicet *Morou* cum ecclesia & decima, capella S. Adalbergæ, Ponte Mucre cum ecclesia, duabusque decimæ partibus, Poncello *Dammartin* cum molendinis ad eandem villam pertinentibus, Tremis, Mesnillo, Calneto fisco, Vicinis, Busseto, Chessuto, mesura Triangulo, *Montebon*, Invito, Campogencile, villa prædicta Monte Martini, Monteraimardi, *Belteil* cum quinque partibus decimæ, Radulfi villa, Montelavandria, Bellumvidere, Rogo, Salceio, Alba, Berrinniis, Mesnillo Rixendis, Mancello, Mesoarcheriis, Favergis, Plessero, Melo, Curtervello, Mesegierii cum omnibus earumdem villarum appenditiis, Alpineium cum appenditiis suis, terris cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, sylvis, pratis, nemoribus; ecclesiam B. Johannis Evangelistæ cum omnibus decimis sitam in Plessero Arnulphi cum appenditiis suis. In pago Trecensi Bulliacum cum terris & ceteris appenditiis suis, ecclesiam de Bonoloco Curselix. In pago Parisiensi *Corlegen* cum omnibus appenditiis, decimam de *Marcheingen*. In pago Senonensi Tumbam cum omnibus appenditiis, ecclesiam videlicet, decimis, terris cultis & incultis, nemoribus, molendinis, aquis aquarumque decursibus; capellam sitam in villa quæ vocatur Balacrium, capellam sitam in Montemintelli. In territorio Gastinensi prædium quod vocatur Gaiacus, cum omnibus appenditiis; quidquid juris habetis in ecclesia de *Noem*, & in ecclesia de Dannamaria, de Montecrescone & de Monteboi, in ecclesia & villa S. Firmini. In pago Pruvinensi ecclesiam S. Bartholomæi de Curte Euroldi. Item in pago Meldensi XX. solidos censuales in castro Columbario, qui a domino illius castri ejusdem ecclesiæ persolvuntur. Libertates quoque & immunitates quæ a clarissimo filio nostro Ludovico illustri Francorum rege, eidem monasterio, villis etiam, terris, hominibus, & aliis ad ipsum monasterium pertinentibus juste concessæ sunt & scripto suo firmatæ, præsentis scripti pagina confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel tuarum qualibet succedentium, nulla ibi qualibet subreptione, astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendam. Chrisma quoque, oleum sanctum, consecrationem altarium seu basilicarum, ordinationem clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, vel benedictiones sanctimonialium, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit & gratiam sedis apostolicæ habuerit, & ea vobis gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin quem malueritis catholicum adeatis antistitem, qui nimirum nostra fultus authoritate, quod postulatur indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, nostris & aliorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva concordia quæ inter Manassem episcopum & Risendim abbatissam per Hugonem Autissiodorensem & Gaufridum Catalaunensem episcopos, ex præcepto prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Innocentii rationabiliter facta est, & scripto suo firmata, & scripto Meldensis episcopi munimine roborata, salva etiam sedis apostolicæ auctoritate, & in aliis ecclesiis ad ipsum monasterium pertinentibus, episcoporum in quorum parochiis sitæ sunt, canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, &c. amen. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus, ego Conradus Sabinensis episcopus, ego Albericus Ostiensis episcopus, Ymarus Tusculanus, B. presbyter cardinalis tituli Calixti, Guido cardinalis tituli sancti Chrysogoni, Hubaldus cardinalis sanctæ Praxedis, Ubaldus cardinalis tituli sanctorum Johannis & Pauli, Gilebertus cardinalis sancti Marci, Aubertus

A cardinalis sanctæ Anastasiæ, Nicolaus cardinalis tituli sancti Cyriaci, Bernardus cardinalis sancti Clementis, Julius cardinalis sancti Marcelli, Villanus cardinalis tit. sancti Stephani in Cœlio Monte, Jordanus cardinalis sanctæ Susannæ, ego Odo diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum, Guido cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, Octavianus cardinalis sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Joannes cardinalis sancti Adriani, Gregorius cardinalis sancti Angeli, Becardus cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ, Guido cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu, Jacinthus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmydyn, Cynthius cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi. Datum Laterani per manum Roberti sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, tertio nonas Januarii, indictione IX. Incarnat.
B Dominicæ anno M. CXLV. pontificatus vero domni Eugenii papæ III. anno primo.

VI.

Litera Stephani de Capella episcopi Meldensis super advocatione monasterii Eboriacensis. *Ex tabulario monasterii Eboriacensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1165.
Ego Stephanus Dei patientia Meldensis episcopus, abbatissæ Faremonasterii totique capitulo, in perpetuum, &c. Notum igitur fieri volumus præsentibus & successuris, quod agitata diu inter nos & venerabilem Lucianam abbatissam Faremonasterii controversia, super advocatione ejusdem ecclesiæ & villæ, cum omnibus ad eandem advocationem pertinentibus, quam de integritate regaliæ Meldensis episcopi esse contendebamus, tandem placita utraque compositione in hunc modum est terminata. Præfata abbatissa nobis CL. libras dedit; de quibus nos decimam apud villam *Quinci* nobis & successoribus nostris in perpetuum acquisivimus. Nos autem de communi consilio & consensu totius capituli nostri, super querela de prædicta advocatione in pace ecclesiæ Faremonasterii perpetuo dimisimus, & quietam deinceps super hoc omnino fore, quantum ad nos & nostram ecclesiam pertinet, bona fide concessimus. Ne vero aliquis successorum nostrorum super eadem advocatione prædictam ecclesiam vexare de cetero attemptet, privilegia quibus videbamur nobis jus prædictæ advocationis vendicare, in manu domini regis videlicet Ludovici filii regis Ludovici resignavimus. Et si deinceps alia qualibet antecessorum ejusdem regis privilegia, propter revocandam sæpe dictam advocationem a successoribus nostris proferantur, irrita omnino & cassa quantum ad hoc habeantur. Hoc autem ne in irritum duci aut retractari postmodum valeat, sigilli nostri auctoritate & sigillo capituli nostri communitum est. Actum publice nobis præsentibus in capitulo Meldensi, anno Incarnationis Verbi M. CLXV. Willelmo Theobaldi comitis filio decano concedente, præsentibus & concedentibus Rorico majore archidiacono, Radulpho archidiacono, Stephano cantore, concedente Simone thesaurario, præsente Simone abbate Cagiensi, præsentibus & concedentibus presbyteris canonicis Adam, Constantio succentore, Girardo de *Cungi*, Gaufrido, &c. Affuit etiam præsens in capitulo Meldensi quando hoc factum est, supra memorata abbatissa, domna videlicet Luciana. Affuerunt ex parte ipsius Simon presbyter & canonicus Faremonasterii, Robertus presbyter & canonicus, Rob. diaconus & canonicus, thesaurarius vero Braiacensis ecclesiæ; sanctimoniales Mathildis, Hellsendis, Maria; laici Galo præpositus, Girardus major, Joannes serviens. Data per manum magistri Theobaldi Meldensis canonici & notarii dom. præsulis, & per manum Adæ canonici & cancellarii Meldensis ecclesiæ, undecimo calendas Aprilis.

VII.

Literæ Ludovici VII. regis de eodem argumento.

1166. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Exigit officium regiæ administrationis nos circa ecclesias regni sollicitudinem adhibere, &c. Hæc nos prosequimur occasione ecclesiæ & sancti monialium Faremonasterii, in qua domo episcopus Meldensis Stephanus nomine, volebat habere dominium & advocatiam, licet abbatissa Luciana cum suo conventu se & ecclesiam suam cognoscebat pertinere ad regiam tutelam, & in defensionem & partis suæ protectionem plurima habebat instrumenta: litigatum est diutius inter eos, & per multas vices querela hæc venit ante nos & in audientiam curiæ nostræ, sed tandem finita est compositione. Sciant igitur universi, præsentes pariter & futuri, quod episcopus Meldensis jam dictus Stephanus in præsentia nostra & curiæ nostræ protestatus est, se per assensum totius capituli sui composuisse de causa in qua versabatur, cum abbatissa Luciana & conventu Faremonasterii, super advocatia & regali, ipsamque ecclesiam & ecclesiæ suæ consilio hanc sibi gratiam adquisisse erga episcopum & capitulum Meldense, ibique episcopo jus antiquum Faremonasterii inviolabile relinquens, renuntiavit petitioni suæ; & ne de cetero ipse vel ecclesia Meldensis, vel aliquis successorum ejus licentiam sive potestatem reclamandi habeant, nobis tradidit privilegia & scripta quæ super hoc habebat, concedens, si qua essent abscondita, ne venire possint in præjudicium hujus compositionis. Nos vero accepta ab episcopo privilegia manibus nostris confregimus, discerpsimus & dissecuimus in conventu multorum & magnorum hominum, & curiæ nostræ frequentia. Hoc etiam concessit & confirmavit prædictus Meldensis episcopus, ut si deinceps alia qualibet antecessorum nostrorum privilegia, propter revocandam sæpedictam advocationem a successoribus suis proferantur, irrita omnino & cassa habeantur. Nos itaque sanctimoniales & canonicos ejusdem ecclesiæ, cum suis possessionibus sub nostra protectione & defensione suscipientes, ecclesiam Faremonasterii manifeste liberam a dominatione & advocatione Meldensis episcopi antiquo jure retinentes, quod in præceptis prædecessorum nostrorum Karoli, Ludovici, Henrici atavi nostri, aliorumque regum confirmatum reperimus, in sinu nostræ protectionis, nostræ ditioni accommodamus, & usque adeo insolubiliter adstringimus ad honorem regium & coronam, ut nullo tempore sub nullo rege possit elongari, & a regia manu alienari, &c. Actum publice Parisius anno Dominicæ Incarnationis M. CLXVI. regni nostri XXVIII. jam nato filio nostro Philippo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Signum comitis Blesensis Theobaudi dapiferi nostri, sig. Guidonis buticularii, signum Matthæi camerarii, signum Radulfi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii & episcopi Suession.

VIII.

Ex tabulario monasterii B. M. in Cagia.

Charta Simonis I. episcopi Meldensis de abbatia Juliaci.

1184. EGO Simon Dei gratia Meldensis episcopus, notum fieri volo præsentibus & futuris, quod Fulcaudus de sancto Dionysio, Deo inspirante, nostra quoque potitus authoritate, pro anima dilecti filii sui Willelmi ecclesiam construxit apud Juliacum, in qua positis canonicis ecclesiæ Cagiensis, de suis ac suorum amicorum possessionibus eis ad victum & vestitum redditus assignavit. Processu vero temporis eodem Fulcaudo multa instantia supplicante, locus ille proprium abbatem sortitus est, hujusmodi interposita conditione, ut abbas & fratres ejusdem loci in victu & habitu, & in A omni disciplinæ regularis institutione formam & ordinem sancti Victoris sequantur; ecclesiæ vero B. Mariæ de Cagia in die anniversarii præfati Willelmi X. solidos ad refectionem fratrum annuatim exsolvent. Si vero aliquatenus illa domus abbatem habere desierit, ad ecclesiam Cagiensem cum omnibus ad eam pertinentibus libere & quiete revertetur, & abbatis arbitrio sicut ceteri prioratus ecclesiæ regulariter disponetur. Actum est hoc publice Meldis in ecclesia sancti Stephani, ipso Fulcaudo præsente & devote annuente, anno Incarnationis Christi M. CXXCIV. Quod ut ratum permaneat & memoriter teneatur, sigilli nostri & sigilli Meldensis capituli authoritate confirmamus. Testes interfuerunt Ugo abbas sancti Vincentii Silvanectensis, Theobaldus abbas Herivallensis, Michael decanus, Roricus archi-B diaconus, Petrus cantor, Adam succentor, Alermus capellanus, & alii canonici Meldensis ecclesiæ.

IX.

Bulla Innocentii III. papæ, qua ordinem sanctissimæ Trinitatis approbat, & fratribus ejusdem ordinis regulam constituit. *Ex annalibus ord. SS. Trinitat. p. 15.*

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Joanni ministro & fratribus sanctæ Trinitatis, salutem & apostolicam benedictionem. Operante divinæ dispositionis clementia, in sedis apostolicæ specula constituti, piis debemus affectibus suffragari, & eos cum a caritatis radice procedunt, perducere ad C effectum, præsertim ubi quod quæritur, Jesu Christi est, & privatæ communiter utilitati antefertur. Sane cum tu, dilecte in Christo fili, frater Joannes minister, ad nostram olim præsentiam accessisses, & propositum tuum (quod ex inspiratione divina creditur processisse) nobis humiliter significare curasses, intentionem tuam postulans apostolico munimine confirmari; nos ut desiderium tuum in Christo fundatum (præter quem poni non potest stabile fundamentum) plenius nosceremus, ad venerabilem fratrem nostrum episcopum, & dilectum filium abbatem sancti Victoris Parisiensis, cum nostris te duximus literis remittendum, ut per eos (utpote qui desiderium tuum perfectius noverant) de intentione tua & intentionis fructu, ac institutione ordinis & vivendi modo instructi, assensum nostrum tibi possemus securius D & efficacius impartiri. Quia igitur, ut ex eorum literis cognovimus evidenter, Christi lucrum appetere videmini plus quam vestrum, volentes ut apostolicum vobis adsit præsidium, regulam juxta quam vivere debeatis (cujus tenorem dicti episcopus & abbas suis nobis inclusum literis transmiserunt) cum his quæ de dispositione nostra & petitione tua, fili minister, duximus adjungenda, præsertim vobis & successoribus vestris auctoritate concedimus, & illibata perpetuo manere sancimus. Quorum tenorem, ut evidentius exprimamus, inferius duximus adnotari. 1198.

1. In nomine sanctæ ac individuæ Trinitatis, fratres domus sanctæ Trinitatis & captivorum, sub obedientia prælati domus suæ (qui *minister* vocabitur) in castitate & sine proprio vivant.

E 2. Omnes res, undecumque licite veniant, in tres partes dividant æquales; & in quantum duæ partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum & eis necessario famulantium moderata sustentatione. Tertia vero pars reservetur ad redemptionem captivorum qui sunt incarcerati pro fide Christi a paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione paganorum captivorum, ut postea rationabili commutatione & bona fide redimatur christianus pro pagano, secundum merita & statum personarum. Cum vero pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licet specialiter & proprie detur ad aliquid, semper de consensu illius qui dederit tertia pars separetur, & aliter non recipiatur, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus,

ædificiis, nutrituris & hujusmodi: fructus enim inde exeuntes (deductis expensis, scilicet medietate remota pro expensis) in tres partes dividantur æquales; sed quæ paucas vel nullas recipiunt expensas, omnes dividantur. Cum vero panni, vel calceamenta, vel minuta hujusmodi quibus necesse sit uti, quæ vendi vel conservari non expedit, data fuerint vel a seipsis habuerint, non dividantur nisi ministro domus & fratribus visum fuerit expedire, de quibus singulis Dominicis diebus (si fieri potest) in capitulo deliberetur. Si tamen prædicta (ut panni, terræ, nutrituræ seu minuta) venderentur, pretium inde proveniens in tres partes, ut supra, dividatur.

3. Omnes ecclesiæ illius ordinis intitulentur nomine sanctæ Trinitatis, & sint plani operis.

4. Fratres possunt esse in una cohabitatione, tres clerici & tres laïci, & præterea unus qui procurator sit; qui non procurator, sed minister, ut dictum est, nominetur, ut frater N. minister domus sanctæ Trinitatis & captivorum, cui fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur.

5. Omnibus fratribus suis sicut sibimet minister fideliter administret.

6. Vestimenta sint lanea & alba, & liceat eis habere pelliceas singulis singulas & braccas, quas jacentes non deponant.

7. Jaceant in laneis, ita quod plumea, fulcra vel culcitras, nisi in ægritudine laborantes, in domibus propriis minime habeant; cervical vero ad sustentationem capitis permittantur habere.

8. In cappis fratrum imponantur signa.

9. Equos non ascendant nec etiam habeant, sed asinos tantum liceat ascendere datos vel accommodatos, vel de propriis nutrituris susceptos.

10. Vinum sumendum a fratribus taliter temperetur, ut sobrie sumi valeat.

11. Jejunent ab idibus Septembris, secunda, quarta & sexta feria, & Sabbato (nisi solemnis festivitas intervenerit) usque ad Pascha; sic tamen ut ab Adventu usque ad Nativitatem Dominicam, & a Quinquagesima usque ad Pascha (exceptis Dominicis diebus) in cibo Quadragesimali jejunent, & alia similiter jejunia, quæ consuevit ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque minister jejunium cum discretione relaxare, propter ætatem, vel viam & aliam justam causam, vel facultate inspecta etiam augmentare.

12. Carnibus datis ab his qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris vesci liceat tantum in Dominicis diebus a Pascha usque ad Adventum Domini, & a Natali usque ad Septuagesimam, & in Nativitate & Epiphania Domini, & in Ascensione Domini, & Assumptione & Purificatione beatæ Mariæ, & in festivitate Omnium sanctorum. Nihil emant ad victum præter panem & pulmentum, scilicet fabas, & pisa, & hujusmodi legumina, olera, oleum & ova, lac, caseos & fructus; sed neque pisces, sive vinum liceat emere, nisi ad necessitatem infirmorum, vel minutorum, vel pauperum, aut in magnis solemnitatibus: liceat eis nutrituras emere & nutrire.

13. Cum vero in itinere sive peregrinatione fuerint, liceat eis (sed parce) vinum emere, & pisces in Quadragesima, si necesse fuerit; & si quid eis datum fuerit, inde vivant, & residuum in tres partes dividant: tamen si fuerint in via profecti ad redimendos captivos, quidquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptione captivorum, præter expensas. In civitatibus, in villis sive castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas (nisi forte in domo religionis) etiamsi a quovis rogentur, comedant, vel bibant, nisi forte aquam in domibus honestis, nec pernoctare præsumant extra hujusmodi domos: nunquam in tabernis vel hujusmodi locis inhonestis habitent, comedant vel bibant. Qui autem hoc præsumpserit, juxta arbitrium ministri gravi vindictæ subjaceat.

14. Talis sit charitas inter fratres clericos & laïcos,

A ut eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio & eadem mensa utantur.

15. Infirmi seorsum dormiant & comedant, ad quorum curam habendam conversus aliquis laïcus sive clericus deputetur, qui ea quæ necessaria fuerint, inquirat & ministret, sicut fuerit ministrandum: moneantur tamen infirmi ut lauta sive nimium sumptuosa non requirant, commoda potius & salubri moderatione contenti.

16. Cura hospitum & pauperum, & omnium euntium & redeuntium uni de discretioribus & benignioribus fratribus injungatur, qui audiat eos, & ut expedire viderit, caritatis solatium administret: requirat tamen ab illis quos crediderit admittendos, si eis quæ fratribus apponuntur, velint esse contenti: ad lauta quidem,

B sive nimium sumptuosa cibaria non oportet quemquam admitti: quæcumque tamen præstanda sunt, cum hilaritate præstentur, & nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis, & maxime religiosus, ad hospitandum advenerit, benigne suscipiatur, & caritative (juxta posse domus) illi subministretur; avena tamen, vel aliud loco avenæ hospitibus non detur, si fuerint in civitate vel oppido ubi venalis inveniatur, nisi forte religiosi sint hospites, vel tales qui ad manus non habeant, & non emere possint. Si autem hospites venalem non invenerint, & in domo qua suscepti fuerint, inveniatur, congruenter eis præbeatur.

17. Nullus frater laïcus sive clericus sit (si fieri potest) sine proprio officio. Si quis vero laborare noluerit, & potuerit, locum ipsum deserere compellatur,

C cum Apostolus dicat: *Qui non laborat, non manducet.*

18. Silentium observent semper in ecclesia sua, semper in refectorio, & semper in dormitorio: de necessariis tamen liceat loqui in aliis locis, temporibus aptis, remissa voce, humiliter & honeste, & extra prædicta loca.

19. Ubique sermo eorum sit honestus & sine scandalo, similiter & eorum omnis actus, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur.

20. Capitulum (si fieri potest) singulis Dominicis diebus, in singulis domibus, minister cum fratribus suis teneat; & de negotiis domus, & domui sive fratribus datis, ut ad redemptionem captivorum tertia pars deputetur, fratres ministro, & minister fratribus rationem fideliter reddant, non solum fratribus, sed & familiæ

D domus pro capacitate sua. Similiter singulis Dominicis diebus (si fieri potest) exhortatio fiat, & quod credere aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus fratres in capitulo judicentur: nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare; qui autem hoc fecerit, pœnam subeat quam reus subiret, si convinci potuisset, nisi minister ex causa cum eo dispensare voluerit. Si quis scandalum vel aliquid hujusmodi fecerit, vel (quod absit) se invicem percusserint, juxta arbitrium ministri, majori vel minori vindictæ subjaceat. Si quis frater in fratrem peccaverit, idem eo solo sciente, qui injuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens, & cum quieverit commotio animorum, benigne ac fraterne commoneat & corripiat eum usque ter, inter se & ipsum solum,

E & pœnitentiam agere de commisso & a similibus in posterum abstinere: quod si non audierit, dicat ministro, & ille corripiat cum secreto secundum quod viderit saluti ejus expedire. Qui vero scandalum movit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati petens veniam se extendat; & si semel non sufficit, usque ter illud idem faciat: si vero hoc in publicum venerit, quæcumque secutura fuerit pœnitentia, hæc sit prior (scilicet) ante pedes ministri petendo veniam totius corporis extentione, & postea secundum ejus arbitrium emendetur.

21. Generale capitulum semel in anno celebretur, quod fieri debet in octavis Pentecostes.

22. Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit

contrahendum, prius in capitulo fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio & assensu, ut sic suspiciones & murmurationes evitentur. Si quisquam de substantia domus violentiam fecerit, & ad judicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quam caritative ille a fratribus primo, post ab aliis vicinis similiter moneatur.

23. Electio ministri per commune fratrum consilium fiat, nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam: ille vero qui eligit sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus; minister vero, sive major, sive minor, sacerdos sit.

24. Major minister confessiones fratrum omnium congregationum ejusdem ordinis audire potest; minor vero minister omnium fratrum suæ domus audiat confessiones: dummodo verecundia repetiti excessûs occasionem minime præbeat tardius prælatis suis vel minus pure quam deceat confitendi; sollicite vero minister provideat, ut præcepta regulæ, sicut ceteri fratres, per omnia teneat.

25. Postquam vero electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per majorem ministrum, convocatis tribus vel quatuor ministris minoribus, deponatur, & alius qui dignus sit, loco ejus subrogetur. Si vero pro remotione terrarum vel alia causa rationabili, major minister hoc facere non potuerit, ministris minoribus magis religiosis committat, & quod illi fecerint authoritate majoris ratum habeatur. Major vero minister si pro excessibus corrigendus vel deponendus sit, per quatuor vel quinque ministros (ejusdem ordinis) magis religiosos hoc fiat, qui tamen authoritate capituli generalis ad hoc eligi debent.

26. Si quis hujus ordinis frater esse voluerit, primo per annum cum expensis suis, præter victum (habitu suo & omnibus suis retentis) in ordine pro Deo serviat, & post annum, si bonum & conveniens videatur ministro domus & fratribus, & illi locus vacaverit, recipiatur, nihil tamen pro receptione sua exigatur; si quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit de quo non videatur ecclesiæ litigium imminere. Si vero de cujusquam moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur: si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit, & impatiens disciplinæ ad arbitrium ministri non emendaverit mores suos, tribuatur ei modeste licentia cum omnibus quæ attulit recedendi.

27. In ordine vero aliquis non recipiatur, antequam annum videatur vigesimum complevisse, professio vero ad arbitrium ministri relinquatur.

28. Pignora non accipiant, nisi decimas, cum licentia sui episcopi de manu laïci.

29. Juramenta non faciant nisi magna necessitate, cum licentia ministri vel jussi ab episcopo suo, vel ab alio vices apostolicas gerente, & hoc pro honesta & justa causa.

30. Si quod vitium in re quæ venditur notum fuerit, Indicetur emptori. Depositum auri, vel argenti, vel pecuniæ non liceat eis suscipere.

31. Ipsa die qua infirmus venerit, vel asportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur, & communicet.

32. Omni secunda feria, præter quam in octavis Paschæ, & Pentecostes, & Nativitatis Domini, & Circumcisionis, & Epiphaniæ, & præter quam in festivitatibus, quæ ad colendum pronuntiantur, finita missa pro fidelibus, fiat absolutio fidelium defunctorum in cœmeterio.

33. Singulis quoque noctibus (ad minus) in hospitali coram pauperibus pro statu & pace sanctæ Romanæ ecclesiæ, & totius christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his pro quibus generalis ecclesia consuevit orare, communis fiat oratio.

34. In regularibus horis morem beati Victoris observent, nisi forte pausationes vel aliæ prolixitates & vigiliæ, occasione laboris & paucitatis servientium, de consilio piorum & religiosorum virorum fuerint remittendæ; propter paucitatem etenim suam, tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestive surgere.

35. In rasura similiter ordinem S. Victoris sequantur clerici; laïci vero barbas non radant, sed eas crescere modeste permittant.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XVI. kalendas Januarii, anno Incarnationis Dom. M. CXCVIII. pontificatus nostri anno primo.

X.

Gaufridus episcopus cum B. comitissa Trecensi pro moneta transigit. *Ex chartul. Campaniæ.*

EGO Gaufridus Dei permissione Meldensis electus. 1208.
Noverint universi præsentes literas inspecturi, quod nos cum domina B. comitissa Trecensi super moneta Trecis, Pruvini & Meldis, cum locus fuerit, fabricanda societatem inivimus ab instanti festo B. Martini, usque ad tres completos annos, tali modo scilicet, quod ubicumque fuerit fabricatum, sive Trecis, sive Pruvini, sive Meldis, dicta comitissa de omni monetagio & de servitio quod fiet pro moneta, & de omnibus proventibus qui inde provenient, quocumque modo proveniant, duas partes habebit, & nos tertiam habebimus. In cujus rei testimonium præsentes literas fecimus sigilli nostri appensione munitas. Actum Nogenti anno Incarnati Verbi M. CCVIII. mense Octobri.

X I.

Guillelmus episcopus confirmat decimas quas capitulum Parisiense tenebat in diœcesi Meldensi.

GUILLELMUS Dei gratia Meldensis episcopus. 1214.
Cum ecclesiam beatæ Mariæ Parisiensis utroque teneamur brachio caritatis amplecti, & ejus indemnitatem & commodum efficaci providentia procurare, utpote quæ honoribus & obsequiis nos sibi multipliciter obligavit, nos intuitu caritatis eidem Parisiensi ecclesiæ ad preces capituli concessimus pacifice in perpetuum possidendas omnes decimas novalium, tam factorum quam faciendorum in singulis parochiis & territoriis nostræ diœcesis Meldensis, in quibus antiquas decimas habet capitulum supradictum. Ut igitur hæc nostra donatio & concessio stabili perpetuitate firmetur, præsentes literas conscribi fecimus, & sigilli nostri auctoritate muniri. Actum anno Domini M. CCXIV. mense Septembri, pontificatus nostri anno primo.

X I I.

Charta fundationis parthenonis Pontis Dominarum. *Ex tabulario monasterii.*

EGO Hugo de Castellione quondam filius Sancti 1226.
Pauli comitis, notum facio præsentibus & futuris, quod ego de voluntate & assensu venerabilis patris P. Dei gratia Meldensis episcopi, fundavi abbatiam quamdam monialium de ordine Cisterciensi in Domo Dei de Ponte Colliaci, quæ abbatia modo vocatur Pons beatæ Mariæ, & debent ibi esse abbatissa & conventus de ordine Cisterciensi, & ad earumdem sustentationem ego dedi furna ejusdem villæ de assensu hominum ejusdem villæ, ita quod nullus laïcus poterit, qui sit manens in villa de Colliaco, coquere ad alia furna, nisi ad furna monialium, nec poterit quis habere furna in eadem villa, nisi dictæ moniales: ita quod burgenses ejusdem villæ ad eadem furna coquent ad vicesimum panem, talemarii vero coquent sextarium pro tribus denariatis panis, quas furnarius voluerit accipere. Item dedi centum arpenta nemoris, 72. arpenta apud *Jariori*, & 28.

& 28. apud *Lubeton*, & usuarium in foresta mea, sicut homines mei habent & accipiunt, & 8. arpenta prati in insula de Condeto, & aquam liberam a molendino de *Talimer*, ad molendinum de *Quintejoye*, & granchiam de Heremita versus Villam novam, & 200. arpenta terræ arabilis. Ego vero dictas eleemosynas concessi & promisi fide data in manu ejusdem episcopi, quod non veniam contra eas, imo teneor eas garentire per ejusdem fidei dationem. Item quittavi dictam domum cum omni proprisia, & eleemosynas supradictas ab omni jure & justitia; ita tamen quod non poterunt abbatissa & conventus advocare aliam potestatem secularem, nisi me vel dominum de Creciaco, si quem voluerint advocare. Quod ut ratum & firmum permaneat in perpetuum, præsentes literas sigillo meo feci roborari. Actum anno Dom. M. CCXXVI. mense Aprili.

XIII.

Ex tabulario monasterii B. M. in Foro Meldensi.

Charta Johannis de Corlandon *in qua se Montis-Aurei fundatorem dicit.*

1238. EGo Johannes dominus de *Corlandon*, universis præsentes literas visuris, salutem in Domino. Universitati vestræ notum facio quod ego de consensu Helvidis uxoris meæ & filiæ meæ Falchæ, dedi & concessi in perpetuam eleemosynam abbatiæ loci B. Mariæ juxta *Corlandon*, quam fundavi in patrimonio meo, ut libere & absque aliqua mercede possint molere in molendino meo de *Corlandon* singulis septimanis decem sextarios bladi ad victum suum: ita quod die lunæ primo post illum quem invenerint ad prædictum molendinum in tremuiam molentem, sine contradictione locum molendi habebunt. Concessi etiam eidem monasterio de consensu prædictarum uxoris & filiæ, quod pecora & armenta & cetera sua animalia pasturam communem habeant in territorio de *Corlandon*, hoc salvo, quod ego omnes aisantias meas facere possim in dicto territorio, nonobstante concessione prædicta. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli mei munimine roboravi. Datum anno Domini M. CCXXXVIII. mense Aug.

XIV.

Guillelmus episcopus orator mittitur a rege ad summum pontificem.

Circa 1320. SAnctissimo Patri, &c. Indubitanter tenet opinio & rei evidentia manifestat, quod nos & statum nostrum regnaque nostra, specialiter regnum Franciæ de quo traxistis originem, vestra sanctitas specialiter, & tanquam innata sibi semper affectione dilexit, & ad illa quæ cedere potuerunt & possunt ad tranquillitatem & pacem ipsorum, sollicitudo vestræ clementiæ jugiter hactenus vigilavit & adhibere studuit oportuna remedia, ad hoc ut regnum prædictum Franciæ temporibus præteritis ex cujusdam gentis pestiferæ concussione turbatum, pacis pulchritudine frueretur, pro quibus beatitudini vestræ referimus plenitudinem gratiarum. Verum cum pro quibusdam nostris, dictorumque regnorum nostrorum arduis negotiis, quæ plurimum nobis insident cordi, dilectos & fideles nostros G. episcopum Meldensem, H. dominum Soliaci buticularium Franciæ carissimum consanguineum nostrum, necnon magistros Joannem Cherchemont Pictaven. & Simonem de Archiaco Xancton. ecclesiarum decanos, clericos nostros, de quorum fidelitate, circumspectione & diligentia plene confidimus, ad vestram præsentiam destinemus nostræ nuncios in omnibus voluntatis; sanctitatem vestram affectuose precamur, quod ipsos benigne recipere, diligenter audire, ut eis tribus vel duobus ex ipsis, fidem credulam tanquam nobis, super his quæ vobis ex parte nostra dicere ac exponere curaverint, indubitanter exhibere velitis, & quod per ipsos tres vel duos ipsorum, super agendis

A nostris dictorumque regnorum nostrorum vestræ sanctitati fuerint exposita, taliter exaudire ac perducere juxta nostrum desiderium, & ad effectum, quod per hos paternos affectus, ad filialis devotionis vota se exhibens & conformans omnibus innotescat.

XV.

Pactum inter episcopum Meldensem & archidiaconum Briæ.

Ex tabulario cameræ Computorum Parisiensis.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Johannes Dei gratia Meldensis episcopus, & Hugo de Nealpha archidiaconus Briæ in ecclesia Meldensi, salutem in Domino sempiternam. Cum inter nos episcopum prædictum ratione nostri episcopatus Meldensis ex una parte, & nos archidiaconum prædictum ex altera, discordia esset mota super jurisdictione ecclesiastica, quam nos archidiaconus prædictus nomine dicti archidiaconatus Briæ dicebamus nobis in dicto archidiaconatu competere, in casu præventionis, quando nos archidiaconus aut gentes nostræ pro nobis præveniebamus dictum dominum reverendum Meldensem episcopum, & ejus gentes in casibus in dicto archidiaconatu Briæ evenientibus, seu se offerentibus, quibusdam tantum casibus, personis & locis exceptis dicto domino episcopo reservatis; nobis episcopo prædicto, nomine quo supra, contrarium asserentibus; tandem habita super hoc deliberatione pluries cum peritis affectantes pacem & tranquillitatem: attendentes etiam inter cetera, quod propter diversitates curiarum & jurisdictionum nostrarum, bonum justitiæ in parte nostræ diœcesis Meldensis tangente archidiaconum prædictum, sicut magistra rerum experientia edocet, multipliciter perturbatur, necnon evidentem utilitatem nostræ Meldensis ecclesiæ, totiusque episcopatus & archidiaconatus prædictorum, inter nos episcopum & archidiaconum pro nobis & successoribus nostris, nominibus quibus supra, pro bono pacis, tranquillitatis & concordiæ ordinationem in perpetuum valituram fecimus, facimus, concordavimus & concordamus de consensu expresso capituli Meldensis in modum qui sequitur ..... videlicet quod nos archidiaconus, & nostri successores archidiaconi Briæ, aliqua præventione in jurisdictione & casibus nobis competentibus perpetuo non utemur; & jurisdictionem, quæ nobis competit, & nostris successoribus competere potest, quoquo modo transferimus & transfundimus in dictum dominum reverendum Meldensem episcopum, & successores suos Meldenses episcopos; adeoque ut curia dicti archidiaconi Briæ cum omni jurisdictione, exercitio & emolumento ad archidiaconum Briæ jure suo archidiaconali ratione dictæ curiæ jurisdictionis & exercitii prædictorum quocumque modo spectantibus uniatur, & sit unita de cetero & ex nunc curiæ episcopali Meldensi & in eam curiam episcopalem Meldensem transfundatur: ita quod sola episcopalis Meldensis curia remaneat, archidiaconali, ut dictum est, penitus sublata, absque eo quod nos archidiaconus prædictus, aut nostri successores, in dicto archidiaconatu possimus dictum dominum reverendum Meldensem episcopum & ejus successores episcopos, aliquo modo impedire, quin & ipsi reverendi soli & in solidum utantur plenarie totali jurisdictione ecclesiastica in toto archidiaconatu Briæ prædicto, salvo, retento & reservato solummodo nobis archidiaconis & nostris successoribus Briæ, quod nos archidiaconi possimus, & nostri successores possint visitare & procurare, ut consuevimus, & nostri prædecessores consueverunt, & prout est ab antiquo consuetum, & jura volunt: & quod nos possimus, & nostri successores archidiaconi Briæ possint personas ecclesiasticas & seculares ante præsentem compositionem seu ordinationem nobis archidiacono subjectas per censuram ecclesiasticam compellere, ad obediendum nobis & successoribus nostris archidiaconis in dictis

1341.

visitationibus & procurationibus debitis, & ratione visitationum & procurationum prædictarum, prout ab antiquo est consuetum, & jura volunt; necnon & matricularios ecclesiarum archidiacono Briæ subjectarum, & illos qui de dictis matriculariis se intromiserunt compellere per censuram ecclesiasticam ad reddendum compotum & rationem dictarum matricularum, prout & secundum quod archidiaconi Briæ hactenus facere consueverunt, & jura volunt; necnon & debitores qui dicto archidiaconatui Briæ tenentur & tenebuntur compellere, ad solvendum nobis archidiacono & nostris successoribus archidiaconis, qui pro tempore fuerint, redditus & jura qui & quæ quolibet anno dicto archidiaconatui ratione dicti archidiaconatus a quibuscumque personis ante præsentem compositionem nobis archidiacono subjectis debentur & debebuntur, prout & secundum quod hactenus extitit observatum. Reservatum etiam nobis archidiacono & successoribus nostris archidiaconis, quod in visitando possimus & nostri successores possint in locis quæ visitabimus, die visitationis inquirere de casibus, de quibus & contra personas nobis archidiacono subjectas, contra quas archidiaconi Briæ prædecessores nostri ante præsentem compositionem seu ordinationem cognoscere poterant & debebant. Sed ea quæ nos archidiaconus, & nostri successores archidiaconi Briæ in visitando per nostram inquisitionem reperiemus, nos sub sigillo nostro, & successores nostri sub sigillis suis officiali dicti domini reverendi veraciter, fideliter & per juramenta nostra, ad quæ præstanda nos & nostri successores astringemur, & quod juramentum quilibet archidiaconus in sua prima receptione nobis, si præsentes fuerimus, aut vicariis nostris pro nobis in nostra absentia facere tenebitur, referemus & referre tenebimur absque exactione quacumque accipienda, & dictus officialis dicti domini reverendi, qui pro tempore fuerit, dictam inquestam, si non sit completa, perficiet & complebit, & eam completam fideliter absque favore aliquo, aut fraude, & prout fuerit rationis, judicabit, absque eo quod dictus officialis aliquas emendas remittere aut quittare possit: quod jurabit & jurare tenebitur quilibet officialis in sua receptione seu institutione, dum fuit in officialatu institutus: & emendarum indicatarum per officialem dicti domini reverendi, qui pro tempore fuerit, provenientium, ex relatione nostra archidiaconi aut successorum nostrorum in casibus, de quibus, contra personas, contra quas nos archidiaconus ante præsentem compositionem cognoscere poteramus, ut præmissum est, nos archidiaconus & successores nostri archidiaconi per manum sigilliferi curiæ dictorum episcoporum, tertiam partem fideliter, juramento dicti sigilliferi super hoc interveniente (quod juramentum præstare quilibet sigillifer in sua novitate tenebitur archidiacono, qui pro tempore fuerit, dum fuerit requisitus, omni fraude cessante) habebimus & percipiemus; ita tamen quod si contingat in dictis causis ex dictis relatis provenientibus appellari ab audientia dicti episcopi & successorum suorum episcoporum, & eorum officialium; & nos archidiaconus & successores nostri in defensione, & pro defensione dictarum causarum appellationum contribuemus & contribuere tenebimur pro rata nostra, videlicet pro tertia parte: & si contingat appellantes in dictis causis appellationum succumbere, & ipsos in expensas condemnari, nos archidiaconus & successores nostri archidiaconi habebimus & percipiemus, & percipere debebimus tertiam partem dictarum expensarum, omni fraude cessante: & si contingat in prædictis retentis, & reservatis nobis archidiacono & nostris successoribus archidiaconis, aut occasione prædictorum reservatorum appellari a nobis & nostris successoribus archidiaconis, quod possit & liceat ad nos episcopum prædictum, & ad successores nostros episcopos, aut ad nostram & eorum curiam Meldensem appellari, si & dum sedes episcopalis Meldensis, aut curia Meldensis ab appellantibus eligatur: & pro emolumento sigilli curiæ archidiaconalis prædictæ, nos episcopus prædictus, & nostri successores episcopi Meldenses quolibet anno solvemus perpetuo, & solvere tenebimur dicto archidiacono Briæ & ejus successoribus, qui pro tempore fuerint, aut eorum nuncio, literas quittatorias . . . . . ducentas libras Turonensis monetæ pro tempore currentis in villa Meldensi, quatuor terminis, anno quolibet, videlicet quinquaginta libras Turon. die Dominica post festum nativitatis beati Johannis Baptistæ, & quinquaginta libras Turon. in festo Epiphaniæ Domini; quæ omnia & singula prædicta nos episcopus prædictus pro nobis & successoribus nostris episcopis, pro parte nostra promisimus & promittimus bona fide fideliter observare & integre adimplere, & in aliquo non contraire in futurum sub hypotheca & obligatione nostræ curiæ Meldensis, necnon & omnium bonorum, & rerum nostrarum, & dicti nostri Meldensis episcopatus mobilium & immobilium, quorumcumque, præsentium & futurorum ubicumque existentium, volentes & consentientes nos episcopus pro nobis & nostris successoribus episcopis, quod si contingat nos aut nostros successores episcopos deficere in solutione prædictæ summæ pecuniæ terminis supradictis, aut in aliquorum prædictorum terminorum, nos aut successores nostri incidamus in pœnam decem solidorum Turon. pro qualibet die, qua post quemlibet terminum elapsum retardabitur solutio prædicta. Quæ pœna dicto archidiacono & successoribus suis, pro suis interesse & damno applicabitur & solvetur: & quoad solutionem prædictæ summæ pecuniæ terminis prænotatis, & prædictæ pœnæ, si committatur, nos & successores compellamur, si necesse fuerit, per captionem temporalitatis nostræ, & rerum mobilium ex dicta temporalitate provenientium in toto aut in parte illa, quam & prout dictus archidiaconus & ejus successores magis eligere voluerint, per præpositum ejus Parisiensem, de cujus ressorto in temporalitate nostra nos episcopus sumus, & nostri prædecessores episcopi fuerunt ab antiquo, cui præposito Parisiensi dictam temporalitatem quoad hoc supponimus per præsentes: & versa vice eodem modo & forma nos archidiaconus prædictus pro nobis & successoribus archidiaconis promisimus, & promittimus pro parte nostra omnia & singula prædicta, in quantum ea nos & successores nostros archidiaconos tangunt & tangere possunt, bona fide & fideliter observare, & ea integre adimplere nec in aliquo contraire, sub pœna simili prædicta, & sub obligatione omnium bonorum & redditeuum dicti archidiaconatus Briæ, quæ & quos quoad hoc jurisdictioni & coactioni præpositi Parisiensis supponimus, per præsentes, nonobstantibus pactionibus, ordinationibus, conventionibus, juribus, consuetudinibus, statutis & privilegiis, gratiis & aliis quibuscumque, quæ præsenti ordinationi & concordiæ possent in aliquo contraire. Et ut præsens ordinatio debitam in perpetuum obtineat firmitatem, præsentem paginam propter hoc sic confectam sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Quare reverendo in Christo patri ac domino domino Dei gratia Senonensi archiepiscopo, nos partes prædictæ cordialiter supplicamus, quatenus hujusmodi nostris ordinationibus, concordiis & compositionibus benigniter consentire, & ea omnia & singula sua auctoritate & decreto dignetur confirmare. Datum anno Domini M. CCCXL. die Lunæ post Dominicam qua cantatur: *Lætare Jerusalem.*

X V I.

Abbatia Aurei-Montis attribuitur abbatiæ sancti Dionysii Remensis.

Ex Marlot hist. metropol. Rem. tom. 2. pag. 698.

IN nomine Domini, amen. Simon permissione divina archiepiscopus & dux Remensis, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. In canone scribitur quod alma mater ecclesia, &c. . . . Olim 1412.

enim prædecessores nostri Remenses archiepiscopi, & alii devoti, in loco de Aureo-Monte nostræ diœcesis Remensis monasterium religiosarum mulierum ordinis S. Augustini instituerunt & fundaverunt, quæ postmodum, diabolo instigante & Domino permittente, dissolutiones horribiles in scandalum non modicum sæpe notorie commiserunt, & tandem successu temporis est ibidem taliter religio diminuta, quod hodie, ipso vacante monasterio, non sunt ibidem nisi duæ moniales; quarum una propter suum malum regimen in monasterio morari non audet, sed fugitiva per mundum incedit ut vagabunda; alia vero Remis vel alibi residet ut plurimum cum parentibus & amicis; & sic modicum vel nullum fit hodie ibidem divinum officium, & ruunt ædificia, perduntur jura, reditus & proventus ecclesiæ, quoniam non est qui jura monasterii debite tueatur. Et licet prædecessores nostri sæpe per bonos modos conati fuerint ibidem statum religionis debite conservare, tamen propter modicum regimen religiosarum ibidem existentium, a magnis retroactis temporibus monasterium prædictum sic existit dissolutum, ut semper abiret in deterius, nisi nos cum maturitate debita provideremus de remedio opportuno. Hinc est quod quum nos personaliter visitaverimus monasterium antedictum, & ibidem duxerimus quamplures viros providos & honestos, & signanter tres magistros in theologia canonicos nostræ Remensis ecclesiæ, & inveniremus desolationem de qua superius facta est mentio, quod dolenter referimus, veram esse, &c. . . . . Postquam convocavimus in capitulo dictæ nostræ Remensis ecclesiæ fratres nostros abbates sancti Remigii, sancti Nicasii Remensis, & canonicos nostræ ecclesiæ in magno numero ibidem die capitulari propter hoc personaliter congregatos, habitaque deliberatione cum ipsis, & aliis viris providis & honestis, etiam vicibus repetitis, & votis singulorum per nos mature inquisitis, quia sicut unire episcopatus & alienæ subjicere potestati, de jure ad summum pontificem spectat, ita unio & subjectio ecclesiarum nostræ diœcesis ad nos noscitur pertinere, prædictam olim abbatiam monialium monasterio canonicorum regularium S. Dionysii Remensis, ordinis supradicti sancti Augustini univimus, & tenore præsentium unimus, cum omnibus juribus, proventibus, reditibus & quibuscunque pertinentiis, per modum tamen infra scriptum. Volumus enim & ordinamus quod ibidem sit unus prior ejusdem monasterii sancti Dionysii, qui per abbatem ipsius monasterii nobis & successoribus nostris archiepiscopis Remensibus, quotiens vacationis tempus obtigerit, præsentabitur; & collatio & institutio ad nos & successores nostros prædictos spectabit, qui ejusdem conditionis erit sicut & ceteri priores dicti monasterii sancti Dionysii, habebitque idem prior secum continue tres religiosos ejusdem monasterii, qui in prædicto monasterio facient debite servitium divinum quotidie, videlicet matutinas, primam, tertiam, sextam, missam, nonam, vesperas & completorium, horis debitis & congruis cum nota. Et nos etiam ibidem jura archiepiscopalia quæ antea habebamus, etiam omnimode retinemus. Et quia monasterium religiosorum Carthusiensium de Monte Dei nostræ prædictæ diœcesis Remensis est hodie, proh dolor! in facultatibus diminutum, quod religiosi non habent, sicut ex plurium fide dignorum relatione didicimus, unde valeant Deo devote serviendo sustentari, volumus & etiam ordinamus quod abbas & conventus prædicti monasterii sancti Dionysii de reditibus & proventibus dicti monasterii de Aureo-Monte, vel aliunde in locis bonis & sufficientibus admortizatis, quinquaginta libras Turonenses annui reditus realiter assignabunt, perpetuo per prædictos religiosos dicti monasterii Montis Dei tenendas & possidendas. Et ulterius tenebuntur prædicti abbas & conventus sancti Dionysii moniali quæ nunc est Remis, vocatæ Mariæ *de Beine*, & alteri si revertatur ad observationem religionis, de victu & vestitu ad ordinationem nostram vel vicariorum nostrorum providere: & ista omnia fecimus & ordinavimus abbatum supradictorum & canonicorum dictæ nostræ ecclesiæ Remensis primitus habito consilio & consensu. Ad hæc autem religiosi viri Johannes abbas, Johannes *Goblin*, alias *de Vendresca* præpositus, & Jacobus *de Givry* eleemosynarius dicti monasterii sancti Dionysii, ibidem præsentes pro se & aliis fratribus suis, pensata & considerata utilitate dicti monasterii sancti Dionysii in præmissis, suum præbuerunt consensum pariter & assensum. In quorum præmissorum fidem, &c. . . . . Datum & actum in capitulo supra dicto . . . . anno a Nativitate Domini M. CCCCXII. more Romanæ curiæ, indictione V. die vero VI. mensis Februarii, &c.

XVII.

Bulla pro Johanne le Meunier episcopo.

Ex regestis cameræ computorum Parisiensium. 1447.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo regi Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Gratiæ divinæ præmium, & præconium humanæ laudis acquiritur, si per sæculares principes ecclesiarum prælatis præsertim pontificali dignitate præditis divinæ propitiationis intuitu opportuni favoris præsidium & honor debitus impendatur. Sane ecclesia Meldensis, cui bonæ memoriæ Petrus illius episcopus, dum viveret præsidebat, per obitum ipsius episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius ecclesiæ celerem & felicem, ne longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Johannem electum Meldensem, tunc abbatem monasterii sancti Mauri de Fossatis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diœcesis, in presbyteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona ipsius electi nobis & eisdem fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesiæ, nonobstante quod dicti ordinis professor existit, de dictorum consilio fratrum authoritate apostolica providimus, ipsumque illi præficimus in episcopum & pastorem, ejus curam & administrationem præfato electo in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod præfata ecclesia sub illius electi felici regimine, gratia sibi assistente divina, regetur utiliter, & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, & pro regis æterni gloria venerari, serenitatem regiam rogamus & hortamur attente, quatinus eidem Johanni electo sic te exhibeas favore regio benevolum, & in suis opportunitatibus gratiosum, quod idem electus per auxilium tuæ gratiæ in commisso sibi dictæ ecclesiæ regimine utilius proficere valeat, tuque proinde plurima consequaris felicitatis æternæ (præmia) ac nos celsitudinem regiam condignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, idibus Maii, pontificatus nostri anno primo. Signatum Jac. de Viterbio.

XVIII.

Ex Sammarthanis. *Bullæ summorum pontificum Eugenii IV. Clementis V. & Pii II. quibus confirmant ordinem sanctissimæ Trinitatis.*

1459. PIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Leodiensi, & dilectis filiis sanctæ Genovefæ Parisiensis, ac sancti Salvatoris de Rothono Venetensis diœcesis, monasteriorum abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem. Justis & honestis supplicum votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius papa quartus prædecessor noster dilectis filiis majori ministro, & universis ministris, ac fratribus ordinis SS. Trinitatis & redemptionis captivorum, tam præsentibus quam futuris, literas concessit in hæc verba: Eugenius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad monasteriorum & religiosorum locorum, necnon in illis sub sacro religionis habitu Altissimo famulantium personarum omnium statum salubriter & prospere dirigendum, paterna sollicitudine vigilantes, illorum profectibus libenter intendimus: & quæ pro eorum commodo, pace & tranquillitate provide concessisse comperimus, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus. Dudum siquidem felicis recordationis Clementis papæ quinti prædecessoris nostri literæ emanarunt, quarum tenor sequitur, & est talis: Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis majori ministro, & universis ministris & fratribus ordinis sanctæ Trinitatis & redemptionis captivorum, tam præsentibus quam futuris religiosam vitam professis, necnon fratribus, sororibus & donatis ejusdem ordinis, salutem & apostolicam benedictionem. Sacer ordo vester in agro dominico divina dispositione plantatus, apostolicis gratiis digne meretur attolli, cujus professores mundanis a se relegatis illecebris, cœlestium contemplationi vacantes, insistunt jugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum ordinem, quem in statu summo, solido & stabili decrevimus & voluimus permanere, apostolicæ considerationis intuitum dirigentes: ad ea libenter intendimus, per quæ professores jamdicti nullum vitæ pacis patiantur excidium, nullumque religionis status perferant detrimentum; sed eo devotius divino cultui & salutis insistant operibus, quo quietior status fuerit eorumdem, ipsique ampliore fuerint libertate donati. Eapropter, dilecti in Domino filii, devotionis vestræ precibus favorabiliter annuentes, vos & prædictum ordinem, personas & ecclesias, oratoria, domos & loca vestra, & spectantia ad eadem in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, ac personis degentibus in eisdem, in jus & proprietatem B. Petri & apostolicæ sedis assumimus, illaque ab cujuscunque diœcesani & cujuslibet alterius potestate, jurisdictione & dominio omnimodo in perpetuum prorsus eximimus de gratia speciali: decernentes ex nunc vos & ordinem vestrum, fratres, priorissas, sorores, & donatos, sive donatas, & personas, ecclesias, oratoria, domos & loca prædicta, ac pertinentia ad eumdem, soli Romano pontifici & dictæ sedi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, absque ullo medio subjacere: ita quod nec locorum ordinarii, nec alia quævis persona ecclesiastica in vos & ordinem vestrum, prsonas, ecclesias, oratoria, domos & loca prædicta, utpote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis aut interdicti promulgare sententias, vel alias potestatem seu jurisdictionem aliquam exercere; quia si forsan quicquam in contrarium a quocunque fuerit attentatum, illud omnino sit irritum & inane. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ assumptionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare A præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinioni XIII. kalendas Octobris, pontificatus anno IV. Cum autem sicut exhibita nobis pro 1308. parte universorum ministrorum & religiosorum præfati ordinis præsentialiter existentium petitio continebat, ipsi literas prædictas ac omnia & singula in eis contenta pro eorum subsistentia firmiori, per nos confirmari plurimum concupiscant; nos eorum in hac parte supplicationibus inclinati, literas, ac omnia & singula in eis contenta hujusmodi auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem B hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentiæ anno Incarnat. Dominicæ M. CCCCXXXIV. nonis Novembris, pontificatus nostri anno IV. Cupientes autem ut confirmatio 1434. prædicta, ac omnia & singula in ipsis insertis literis contenta, votivum sortiantur effectum: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrûm per vos, vel alium seu alios, eisdem ministris & religiosis in præmissis, ac circa ea efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis ipsos contra confirmationis & contentorum prædictorum formam atque tenorem quomodolibet impediri, aut alias super illis aliquatenus molestari, vel etiam perturbari. Impeditores, molestatores ac perturbatores hujus-C modi, ceterosque quoslibet contradictores, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia (appellatione postposita) compescendo, nonobstantibus bonæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri; illis præsertim quibus cavetur expresse ne quis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur: seu ne judices a sede apostolica deputati extra civitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere præsumant: & de duabus dietis in concilio generali, ac aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque; aut si aliquibus conjunctim vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi, aut excommuni-D cari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCLVIII. XVI. kalendas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

XIX.

Bulla Alexandri VII. qua summus pontifex confirmat electionem Petri Mercier *ministri generalis ordinis sanctissimæ Trinitatis.* *Ex Sammarthanis.*

ALEXANDER papa VII. dilecte fili, salutem 1655. & apostolicam benedictionem. Religionis zelus, E sacrarum literarum scientia, vitæ ac morum honestas, aliaque insignia virtutum dona, quibus te præditum esse accepimus, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, alias habitum per fratres ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum gestari solitum suscepisti, & professionem per eosdem emitti consuetam suo tempore expresse emisisti regulares, & ad præsens minister & superior conventus Parisiensis dicti ordinis existis, celebrato novissime capitulo generali ejusdem ordinis pro facienda illius futuri ministri generalis electione, post obitum quondam Claudii Ralle ultimi ministri generalis apostolica authoritate confirmati, in ministrum generalem dicti ordinis canonice,

modoque & forma a quadringintis annis citra usitatis absque ulla interruptione, per secreta fratrum vocalium provinciarum Franciæ, Campaniæ, Picardiæ & Normanniæ, ad quos jus eligendi spectat, suffragia renunciatus & electus fueris; electionem vero hujusmodi quo firmius subsistat, apostolicæ nostræ confirmationis præsidio communiri summopere desideres: nos te præmissorum meritorum tuorum intuitu, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, & censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, electionem de persona tua in ministrum generalem dicti ordinis in illius novissimo capitulo generali, ut præfatur, factam apostolica authoritate confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub arbitrii nostri pœnis, omnibus & singulis dicti ordinis superioribus, fratribus & personis, ceterisque ad quos spectat, ut te in ministrum dicti ordinis generalem sic per nos confirmatum habeant & recognoscant, tuaque jussa & monita suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; ac decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, tibique in omnibus & per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Junii M. DCLV. pontificatus nostri anno primo. Signatum G. Gualterius. *Et a tergo scriptum est:* Dilecto filio Petro Mercier ministro generali fratrum ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum. Et sigillatum annulo Piscatoris.

X X.

Fundationes factæ a cardinali de Bissy.

1735. Pardevant les conseillers du roy notaires à Paris, soussignez; fut présent éminentissime seigneur monseigneur Henry de Thyard de Bissy cardinal prêtre de la sainte église Romaine, conseiller du roy en ses conseils, evêque de Meaux, commandeur des ordres du roy, abbé commendataire de l'abbaye royale de saint Germain des Prez, dépendante immédiatement du saint siége, demeurant à Paris en son palais de ladite abbaye, paroisse saint Symphorien; lequel a dit que depuis plus de trente ans que la divine providence luy a confié le gouvernement du diocèse de Meaux, il s'est appliqué, autant que Dieu luy en a donné les moyens, à subvenir à tous les besoins spirituels & corporels de son troupeau.

Qu'il a fait tous ses efforts pour soûtenir les monasteres des religieuses, dont les malheurs des temps & divers évenemens avoient extrêmement dérangé le temporel, & qu'il a même travaillé, autant qu'il a pû, à les mettre en état de subsister à l'avenir.

Qu'il a rétabli la communauté des Missionnaires de Crecy, tellement ruinée par la réduction des rentes, que l'œuvre très-nécessaire des Missions étoit totalement interrompue.

Qu'il a pourvû dans sa ville episcopale à l'instruction gratuite de la jeunesse des deux sexes, par l'établissement des freres des écoles chrêtiennes, & des sœurs de

A saint Lazare, employées auxdites écoles.

Qu'il a augmenté la dotation de son séminaire, par la réunion d'un bénéfice considérable, dont le revenu doit être employé avec les anciens fonds, à diminuer la dépense des pensions des séminaristes.

Qu'il a tâché de réparer les pertes que son église cathédrale avoit souffertes par la fureur de l'hérésie, en faisant travailler à sa décoration d'une maniere digne de la premiere église du diocèse.

Mais qu'estimant tout ce qu'il avoit fait insuffisant, pour témoigner à son diocèse son amour paternel, il s'étoit appliqué à en connoître plus à fond tous les besoins, & que l'expérience luy avoit fait aisément remarquer qu'il étoit sur-tout nécessaire de faciliter à ses diocèsains les moyens de parvenir à l'état ecclésiastique,
B dont la difficulté & la dépense causoit une extrême disette de sujets capables de remplir les emplois concernant le salut des ames; en sorte que depuis quelques années il avoit été obligé d'appeller dans ledit diocèse, un grand nombre de prêtres étrangers.

Qu'on ne pouvoit remédier foncierement à ce besoin, qu'en procurant aux peres & meres des facilitez pour commencer à faire instruire leurs enfans dans la langue Latine, sans les éloigner de leurs maisons, & fournissant ensuite à ceux qui auroient vocation pour le Clergé, & qui ne seroient point en état d'en supporter la dépense, le moyen de continuer leurs études sans frais.

Qu'il avoit aussi reconnu que pour assûrer aux peuples les secours spirituels, il étoit important de méliorer la condition de plusieurs vicaires qui ne pou-
C volent subsister convenablement, de faciliter aux prêtres le moyen de se renouveller fréquemment dans l'esprit ecclésiastique, par les exercices des retraites qui se pratiquent utilement dans d'autres diocèses, & de procurer une subsistance honnête à ceux qui seroient hors d'état de travailler, soit par leur âge, soit par infirmité, afin de les attacher par cette espérance au diocèse, & de les engager dans le temps, à céder les places qu'ils ne peuvent plus remplir.

Que par ses visites & celles de ses vicaires généraux & archidiacres, il avoit été informé que dans plusieurs paroisses très-considérables il n'y avoit point de maîtresses d'école pour instruire les jeunes filles séparément des garçons, ce qui étoit d'une grande importance pour maintenir la pureté des mœurs.

D Qu'enfin il avoit apperçû divers autres besoins, dont le remede demandant avec les précédens des fonds très-considérables, il s'étoit appliqué à les ramasser, & à les placer avantageusement.

Que la même expérience luy ayant fait connoître combien les établissemens les plus utiles sont peu durables, à cause du dépérissement des fonds, qui sont souvent mal régis & même dissipez, il avoit senti la nécessité de réunir tous les fonds dans une seule masse, & d'établir une administration sage & publique, qui ne pût jamais être soupçonnée de négligence ou de prévarication.

Que dans cette pensée, ayant mûrement examiné à qui il pourroit confier ces soins, il n'avoit pû trouver d'administrateurs plus sûrs que messieurs les deputez &
E syndic de la chambre ecclésiastique diocèsaine, qui étant choisis de tous les corps du clergé, & ayant toûjours à leur tête le pasteur commun du diocese, ou ses vicaires généraux, auroient dans tous les temps un interêt sensible de veiller à la conservation de ces établissemens, & seroient même par l'impossibilité d'en profiter, aussi bien que par l'attention publique sur leur dispensation, comme forcez d'apporter tous leurs soins pour perpetuer le bien qu'il désire d'établir.

Par ces considérations & dans ces vûës, son eminence mondit seigneur le cardinal de Bissy a volontairement donné & donne par ces présentes, par donation entre-vif, irrévocable & en la meilleure forme que donation peut valoir & subsister, sans espérance de la pouvoir

révoquer, pour quelque cause & sous quelque prétexte que ce puisse être, à la chambre ecclésiastique du diocèse de Meaux, ce acceptant par messire George-Lazare Berger de Charancy prêtre docteur de Sorbonne, grand archidiacre & chanoine de l'église cathédrale de Meaux, vicaire général & official de ladite éminence, demeurant ordinairement à Meaux, de présent à Paris, logé au palais abbatial de ladite abbaye de saint Germain des Prez, à ce présent, au nom & comme fondé de procuration de mesdits sieurs les députez & syndic de ladite chambre ecclésiastique du diocèse de Meaux, passé pardevant Decan & Despots notaires royaux à Meaux, le 25. Février 1735. en conformité de la conclusion arrêtée en ladite chambre le même jour, expédition de laquelle conclusion délivrée par Despots greffier de ladite chambre, avec l'original de ladite procuration, l'une & l'autre controllées le trois Mars suivant, sont demeuré jointes à la minute des présentes, après avoir été certifiées véritables par ledit sieur abbé de Charancy, en présence des notaires soussignez.

C'est à sçavoir les parties de rentes sur le clergé général cy-après énoncées, faisant ensemble sept mille cinq cens vingt-cinq livres constituées au profit dudit seigneur cardinal de Bissy, par messieurs les commissaires nommez par nosseigneurs du clergé, par leur délibération du 11. Mars 1734. en vertu de ladite délibération, en quatre parties, par autant de contracts, l'un de mille livres de rente au principal de vingt mille livres, passé devant Meusnier & son confrere notaires, le premier Avril 1734. un autre de pareilles mille livres, passé devant ledit M. Meusnier, le premier Août 1734. un autre de cinq cens vingt-cinq livres de rente, au principal de dix mille cinq cens livres à prendre en neuf cens livres de rente, au principal de dix-huit mille livres, par contract passé devant ledit Meusnier notaire, le premier Juillet 1734. & le dernier de cinq mille livres de rente, au principal de cent mille livres, passé devant Tessier & son confrere notaires, le trente Mars 1735. &c.

Pour lesdites parties de rente cy-dessus données en principaux & arrérages, jouir par ladite chambre ecclésiastique du diocèse de Meaux, à compter du premier Janvier 1735. ledit seigneur cardinal de Bissy se réservant les arrérages échûs antérieurement audit jour.

Cette donation faite à la charge par mesdits sieurs vicaire général, députez & syndic qui composent actuellement ladite chambre, & ceux qui leur succéderont en icelle, de payer annuellement en deux termes & payemens égaux, qui seront le premier Octobre & le premier Avril de chacune année, les sommes qui suivent.

A l'église & paroisse de Lizy, la somme de cent livres pour l'augmentation des honoraires actuellement affectez au vicaire de cette paroisse.

A l'église & paroisse de Gandelu, cent livres qui seront employées avec les deux cens livres destinées par l'arrêt du Conseil d'état du 18. Août 1733. à l'établissement d'un vicaire en ladite paroisse, lequel vicaire jouira de plus de l'honoraire de ses messes, qui lui seront entiérement libres, ainsi que des autres rétributions & droits casuels réglez par les ordonnances du diocèse, suivant l'ordonnance de sadite éminence pour l'établissement dudit vicaire, du 30. Juillet 1733.

A l'église & paroisse de Quincy, cent livres qui seront totalement employées avec les trois cens livres destinées aussi par arrêt du Conseil d'état du 12. May 1733. à l'établissement d'un vicaire en ladite paroisse, lequel vicaire jouira encore de la rétribution des messes & du casuel, conformément à l'ordonnance de sadite éminence pour l'établissement dudit vicaire, du 28. Avril 1734.

A l'église & paroisse de Jouarre, la somme de cent livres pour l'augmentation des honoraires des vicaires de ladite paroisse de Jouarre, à condition qu'il y aura toûjours deux vicaires, conformément au decret du 28. Juin 1734.

A l'église & paroisse de Varreddes, cent livres pour augmentation des honoraires du vicaire de ladite paroisse.

A l'église & paroisse de saint Denys de la Ferté-sous-Jouarre, la somme de trois cens livres pour l'établissement d'un troisiéme vicaire, qui fera en ladite paroisse les mêmes fonctions que les deux qui y sont actuellement, & sous les clauses & conditions portées en l'ordonnance de sadite éminence, du 5. Juillet 1734.

A l'église succursale d'Antilly, la somme de cinquante livres pour l'augmentation des honoraires du vicaire de cette église.

A l'église succursale de Senneviéres, la somme de cent livres pour l'augmentation des honoraires du vicaire de ladite église, conformément & relativement à la convention faite par sadite éminence & les religieux Chartreux de Bourgfontaine seigneurs de Senneviéres, le 30. Avril 1734.

A l'église & paroisse de Guerard, la somme de cent livres en augmentation d'honoraire du vicaire de ladite paroisse.

A l'église succursale de Penchard, la somme de cinquante livres qui sera payée au vicaire de ladite église, en augmentation d'honoraire.

Tous les vicaires des paroisses susdites continueront d'être nommez par sadite éminence & ses successeurs évêques de Meaux, & d'être amovibles à leur volonté; & il ne pourra, à cause des sommes à eux cy-dessus destinées, être rien retranché des honoraires & droits dont ils jouissent ou doivent jouir actuellement.

Aux églises & paroisses de la Ferté-sous-Jouarre, la Ferté-Gaucher, Rozay & Dammartin en France, à chacune la somme de cent cinquante livres, pour l'établissement d'un maître de Latin dans chacune desdites villes, lequel maître sera logé par lesdites villes, & percevra en outre de ses écoliers, l'honoraire qui sera fixé par sadite éminence & ses successeurs évêques de Meaux, qui auront droit de nommer lesdits maîtres de Latin, & de les revoquer à leur volonté, suivant l'ordonnance de sadite éminence pour l'établissement desdits maîtres, du 20. Avril 1734. & la convention faite avec les officiers & principaux habitans desdits lieux.

Aux paroisses de saint Nicolas & de saint Martin de la ville de Meaux, à chacune cinquante livres pour augmentation de gages aux maîtres d'école desdites paroisses, qui seront obligez d'aller aux écoles tenues par les Freres établis à Meaux, & d'y enseigner aux enfans le plein chant au moins trois fois la semaine; sçavoir, les Lundy, Mercredy & Vendredy, depuis onze heures jusqu'à midy, ou autres jours & heures qui seront réglez par sadite éminence & ses successeurs en l'évêché de Meaux.

Aux paroisses de Villers-les-Rigauts & des Essarts, à chacune la somme de trente livres pour augmentation de gages aux maîtres d'école desdites paroisses.

A la paroisse de Poincy, quinze livres pour augmentation de gages au maître d'école, à condition que le sieur curé luy donnera chaque année vingt-cinq livres.

Aux paroisses de Lizy, Crouy, Nanteuil-lès-Meaux & Quincy, chacune la somme de cent livres pour l'entretien d'une maîtresse d'école qui enseignera les jeunes filles.

Et à celle de Tocquin, cinquante livres pour augmentation des fonds destinez à l'entretien d'une maîtresse d'école, laquelle maîtresse d'école percevra en toutes lesdites paroisses les honoraires des écoliéres, suivant qu'ils seront réglez par sadite éminence & ses successeurs évêques de Meaux, qui nommeront lesdites maîtresses d'école, & pourront les révoquer à leur volonté.

Et la somme de cent cinquante livres pour le noviciat d'une fille qui sera formée aux fonctions de maîtresse d'école, dans la communauté des filles charitables de la Ferté-sous-Jouarre, pour être ladite fille envoyée dans lesdites paroisses ou autres du diocèse, quand il en sera besoin, en sorte qu'il y ait toûjours en ladite

communauté une fille qui se formera, & qui sera logée, meublée & nourrie en santé & maladie par ladite communauté, & s'entretiendra de linges & habits.

Aux filles charitables établies à Dammartin pour les écoles des filles, la somme de cent livres.

A la charité des pauvres malades de Varredes, cinquante livres.

Aux églises & fabriques de Germigny-l'Evêque & Villenoy, à chacune la somme de soixante-quinze livres pour la fondation d'un obit solemnel qui sera célébré en chacune desdites églises, pour le repos de l'ame de son éminence à pareil jour qu'arrivera son decès, de la même maniére que l'obit fondé par M. Dominique de Ligny, & pendant sa vie il sera célébré une messe solemnelle pour la conservation de son éminence, le jour de son sacre; lesdites soixante-quinze livres seront partagées par moitié entre les sieurs curez & la fabrique.

A l'hôpital général de Meaux, deux cens cinquante livres pour moitié des honoraires d'un chapelain qui sera nommé par son éminence & ses successeurs évêques de Meaux, & sera amovible à leur volonté.

Au séminaire de Meaux, la somme de deux mille quatre cens livres; sçavoir, quatre cens livres pour l'entretien d'un régent de philosophie, qui l'enseignera dans Meaux gratuitement dans le cours d'une année; lequel régent sera nommé par la congrégation à laquelle la direction du séminaire sera confiée, ou par son éminence & ses successeurs audit évêché, si ce séminaire n'est annexé à aucune congrégation.

Et les deux mille livres restant, pour loger, nourrir & entretenir, tant en santé que maladie, dix enfans, de la même maniére que le sont actuellement les enfans appellez communément enfans-bleus, fondez par feu Jean Rose, à la réserve qu'ils ne seront point tenus de l'assistance à l'office divin, ordonné par la fondation dudit Jean Rose; tous lesdits enfans seront vêtus de même & auront une petite portion de vin, sçavoir, un demi-septier par jour, même ceux de l'ancienne fondation qui auront pareillement du vin.

Le choix de ces enfans appartiendra à son éminence & à ses successeurs évêques de Meaux, ils seront pris des villes du diocèse & du plat-pays, & non des ville, marché & fauxbourgs de Meaux, attendu la commodité que les habitans de ladite ville ont d'envoyer leurs enfans au college, & de les faire instruire sans dépense. Ne pourront être lesdits enfans nommez qu'après avoir reçû la tonsure, & étant capables d'entrer en la classe appellée communément la troisiéme.

Ce qui sera pareillement observé pour ceux de la fondation de Jean Rose, voulant son éminence que cette condition, tant pour ceux de sa fondation que pour ceux de l'ancienne, soit essentielle à la présente donation, afin de former par ce moyen un petit séminaire qui puisse fournir des ecclésiastiques au diocèse, qui en a un extrême besoin.

Lesdits enfans resteront audit séminaire, s'ils sont jugez profiter en leurs études, jusqu'à ce qu'ils ayent fait leur philosophie, en laquelle ils pourront être reçûs sans avoir suivi les trois classes d'humanité, s'ils ont l'âge & qu'ils soient assez instruits de la langue Latine; après quoy ils seront reçûs au grand séminaire pour y étudier en théologie & s'y former à l'état ecclésiastique, comme les autres clercs du diocèse, pendant le tems que son éminence & ses successeurs evêques de Meaux jugeront nécessaire, tellement néanmoins qu'après qu'ils seront sortis de philosophie, il leur en soit substitué d'autres.

Il ne sera choisi pour lesdites places que des enfans dont les peres & les meres ne pourront subvenir aux frais de leurs études: & pour connoitre du progrès que lesdits enfans feront, ils seront annuellement examinez par son éminence & ses successeurs évêques de Meaux, ou leurs vicaires généraux, qui pourront renvoyer ceux qui ne profiteront pas en leurs études, & qui commettroient des fautes notables contre la piété & les bonnes mœurs, dont sadite éminence & ses successeurs ne seront tenus de rendre aucun compte. Sera ladite somme de deux mille quatre cens livres inviolablement & perpetuellement annexée audit séminaire de Meaux.

Plus, au même séminaire de Meaux, la somme de onze cens livres pour être employée suivant l'intention de sadite éminence & de ses successeurs évêques de Meaux; sçavoir, six cens livres en une retraite annuelle de soixante curez du diocèse dans ledit séminaire, ou dans telle autre communauté que sadite éminence ou ses successeurs voudront choisir, pendant six jours, en commençant le Dimanche au soir, & finissant le Samedy à midy, afin que dans l'espace de quatre ans, tous les curez dudit diocèse puissent y assister.

Et les cinq cens livres restant, pour être distribuées avec les cent trente-trois livres six sols huit deniers de l'ancienne fondation, aux prêtres qui auront servi dans le diocèse de Meaux, quinze ans au moins de curé ou vicaire, & qui par infirmité ne seront plus en état de faire leurs fonctions.

Et à la communauté des Freres des écoles chrétiennes, établie à Meaux, la somme de mille livres, à la charge que ladite somme de mille livres sera employée avant tout usage, à fournir du vin aux Freres dudit Institut, qui enseignent gratuitement les pauvres enfans de la paroisse de saint Sulpice de Paris; duquel employ ladite communauté sera tenu de justifier à la chambre ecclésiastique de Meaux, ne voulant & entendant son éminence, que la donation de ladite somme de mille livres de rente puisse servir d'aucun prétexte pour retrancher la pension qui a été jusqu'à présent payée auxdits Freres, laquelle n'est pas suffisante pour leur donner du vin qui leur est necessaire pour supporter les travaux de leur Institut; & si les Freres dudit Institut cessoient d'être employez à ladite instruction, ou ne s'en acquitoient pas dignement, sera ladite somme entiérement employée, tant par sadite éminence que par ses successeurs évêques de Meaux, de concert avec le sieur curé de ladite paroisse de saint Sulpice, en d'autres moyens qui seront jugez les plus utiles pour procurer l'instruction gratuite aux pauvres enfans de ladite paroisse de saint Sulpice de Paris.

Pendant la vacance du siége episcopal, la nomination des maitres de Latin, maitresses d'école & enfans bleus, appartiendra au vicaire général du chapitre, de concert avec ladite chambre ecclésiastique.

Le payement de toutes les sommes susdésignées, sera fait, comme dit est, annuellement & perpétuellement aux deux termes susdesignez, dont le premier se fera & écherra au premier Octobre prochain; sçavoir, ceux destinez aux vicaires, maitres de Latin, maitres d'école & maitresses d'école, auxdits vicaires, maitres d'école, maitresses d'école & maitres de Latin, sur leurs quittances, en rapportant un certificat du curé des lieux, de leur service pendant le tems.

Ceux des filles charitables des écoles de Dammartin, & des filles charitables de la Ferté-sous-Jouarre, sur les quittances de la supérieure.

Celui concernant les pauvres malades de Varreddes, sur la quittance du receveur des deniers de ladite charité dudit Varreddes.

Ceux concernant les fabriques de Germigny & Villenoy, sur les quittances des marguilliers en charge.

Ceux concernant le séminaire de Meaux, sur les quittances du supérieur, ou de celuy qui sera chargé du temporel dudit séminaire.

Ceux destinez pour les retraites des curez, sur les quittances du supérieur de la communauté où elle aura été faite.

Ceux destinez aux anciens curez ou vicaires infirmes, sur les quittances de chacun desdits curez ou vicaires nommez par sadite éminence ou ses successeurs évêques de Meaux.

Et la somme de mille livres destinée pour les écoles A charitables de saint Sulpice, au supérieur de la communauté des Freres, établie à Meaux, qui justifiera de l'employ cy-dessus désigné à ladite chambre, toutefois & quand il en sera requis.

Comme ce sont les arrérages des parties de rente présentement données par son éminence, qui doivent fournir à tous ces payemens, que la chambre ecclésiastique ne sera tenue de faire qu'à mesure qu'elle recevra, il sera nommé par messieurs de ladite chambre, un d'entr'eux qui sera cette recette, laquelle il fera sur ses simples quittances, ensuite de quoy il fera les distributions sus-expliquées, desquelles il tirera quittances, & desdites recette & dépense, pour lesquelles il n'y aura aucun honoraire, il rendra compte annuellement dans le même tems que se rendent les autres comptes du diocèse. B

Les paroisses auxquelles il est assigné cy-dessus des sommes pour les vicaires qui y sont ou seront établis, pour des maîtres de Latin ou des maîtresses d'école, & la communauté qui doit former une maîtresse d'école, ne pourront profiter en aucune maniére desdites sommes, au cas qu'il se passât quelque intervalle où il n'y auroit point eu de vicaires, maîtres de Latin ou maîtresses d'école; mais ce qui auroit dû leur être donné pendant le tems, demeurera ès mains de celuy de la chambre qui sera chargé de l'administration de ces fonds, pour être employé par son éminence ou ses successeurs en l'évêché de Meaux, en telles bonnes œuvres qu'ils jugeront les plus nécessaires dans le diocèse de Meaux, de concert avec messieurs de la chambre, & il en sera usé de même pour l'excédent des arrérages desdites rentes, qui pour- C roient être constituées à un denier plus avantageux: si au contraire il arrivoit de la diminution auxdites rentes données, de maniére que le produit annuel ne pût suffire pour l'acquit de toutes les sommes cy-dessus énoncées, son éminence & ses successeurs audit évêché pourront retrancher les établissemens qu'ils jugeront les moins nécessaires & utiles, en conservant tous les autres, aussi de concert avec messieurs de la chambre, après avoir tenté néanmoins toutes les voyes possibles pour soûtenir toutes lesdites fondations.

S'il arrivoit que les fonds destinez par les arrêts du Conseil susdatez, & conventions susnommées pour les honoraires desdits vicaires de Gandelu, Quincy & Senneviéres, vinssent à manquer ou partie d'iceux, de maniére que ce qui en resteroit, & ce qui est cy-dessus D destiné pour ces établissemens, ne fût pas suffisant pour les faire subsister, il est stipulé que le payement de ces sommes qui leur sont cy-dessus assignées, cessera d'être fait, & qu'il en sera fait un employ comme il est énoncé au pénultiéme article.

S'il est offert le remboursement des rentes susdonnées ou de l'une d'elles, il sera reçû par messieurs de la chambre ecclésiastique, qui en feront incessamment, sans délay, le remploi, de la maniére que les successeurs de son éminence en l'évêché & eux, trouveront le plus convenable, en rente sur le clergé du diocèse, ou sur le clergé général, & sur les pays d'états & autres exempts du droit d'amortissement, autant que faire se pourra: lors desquels remplois il sera fait les déclarations convenables pour perpétuer l'origine des principaux, & assûrer d'autant plus l'exécution des conditions cy-dessus, à laquelle exécution ils seront perpetuellement affectez.

Les fondations cy-dessus seront acceptées respectivement par ceux qu'elles concernent, pendant l'espace de six mois, passé lequel tems son éminence se réserve expressement d'en faire telle autre destination en bonnes œuvres, qu'elle jugera convenable.

Et sous les charges & conditions cy-dessus, que ledit sieur abbé de Charancy, audit nom, promet exécuter, ledit seigneur cardinal de Bissy a transporté à ladite chambre ecclésiastique, tous droits de propriété des rentes cy-dessus données, s'en dessaisissant à son profit, voulant qu'elle en soit saisie & mise en possession par qui & ainsi qu'il appartiendra, constituant à cette fin son procureur le porteur des présentes, luy en donnant pouvoir, &c. car ainsi a été convenu avec les parties. Et pour faire insinuer ces présentes au greffe des insinuations du Châtelet de Paris, & par-tout ailleurs où besoin sera, les parties ont constitué leur procureur le porteur des présentes, luy en donnant pouvoir. Fait & passé à Paris, dans ladite abbaye saint Germain des Prez, l'an mil sept cens trente cinq, le deuxiéme jour d'Avril. Et ont signé la minute des présentes, demeurée en la possession de M. Meusnier, l'un des notaires soussignez.

Au-dessous sont transcrites les procurations & délibérations de la chambre ecclésiastique de Meaux, y mentionnées; & enfin ledit acte est signé en l'original, Bois *&* Meusnier.

Et ensuite est une autre donation faite par ledit seigneur cardinal de Bissy à ladite chambre ecclésiastique, de la somme de trois mille livres, aux mêmes clauses & conditions que la donation cy-devant; & à la charge de payer aux sœurs charitables établies en la paroisse de Silly, la somme de cent cinquante livres de rente, sous la condition que les curez & habitans seront tenus de leur payer chaque année pareille somme de cent cinquante livres. *Ladite donation datée* du vingt-cinq May mil sept cens trente-cinq.
Et signé Aleaume *&* Meusnier.

INDEX

INDEX GENERALIS.

A

C

Cioli

D

E

F

(Guido)

H

de Meaux

N

S

Turpin

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

G

H

I

INDEX DECANORUM AC THESAURARIORUM Sacrarum Capellarum.

C

D

E

F

G

Gimundus,

INDEX ABBATUM ET PRIORUM.

D

E

Galerannus,

Ludovicus,

S

Scubilio,

T

INDEX ABBATISSARUM ET PRIORISSARUM.

Chauvet

G

H

N

O

P

Q

R

S

T

V

INDEX ARCHIEPISC. EPISC. PRÆPOS. DECAN. ABBATUM ET ABBATISSARUM,

ad alios tomos pertinentium, quorum in præsenti fit mentio.

ROTOMAGENSES.

SENONENSES.

EPISCOPI.

CLAROMONTENSES.

CONDOMIENSES.

CONSERANENSES.

CONSTANTIENSES in Normannia.

CONSTANTIENSIS ad Rhenum.

CONVENENSES.

CORISOPITENSES.

DIENSES.

DINIENSES.

DOLENSES.

DUNENSIS.

EBROICENSES.

EDUENSES.

ELECTENSES.

ENGOLISMENSES.

SANCTI FLORI.

FOROJULIENSES.

GENEVENSES.

GLANDATENSES.

GRASSENSES.

GRATIANOPOLITANUS.

IPRENSIS.

LACTORENSES.

LASCURRENSIS.

LAUDUNENSES.

LAUSANENSIS.

LEMOVICENSES.

S. PONTII.

PRÆPOSITI, DECANI, &c.

ABBATES ET PRIORES.

ABBATISSÆ ET PRIORISSÆ.

ERRATA.

Col. 55. B. lin. 10. Miciacensis, *lege* Magdunensis.
Col. 64. E. lin. antepenult. de Dociaco, *lege* de Tociaco.
Col. 93. E. lin. 7. & 98. E. lin. 3. substractas, *lege* subtractas.
Col. 122. E. lin. 8. Pungentis asinum, *lege* Pungens asinum.
Col. 151. lin. 1. Rotomagensi, *lege* Remensi.
Col. 214. D. lin. 5. situm, *lege* depositum.
Col. 229. D. lin. 1. VII. *lege* VI.
Col. 248. C. lin. 4. 1399. *lege* 1379.
Col. 274. B. lin. 9. archiepiscopo, *lege* episcopo.
Col. 311. A. lin. 6. *dictus Augustus,* dele.
Col. 369. E. lin. 1. expectanter gratulantes, *lege* expectantes gratulanter.
Col. 427. B. lin. 1. Coulaville aut Cunaville, *lege* Con-la-ville.
Col. 472. B. lin. 1. d'Ervant, *lege* d'Ervaut.
Col. 489. E. lin. 2. in capitulis, &c. *lege* in diæta anni 1730. & in capitulis generalibus ann. 1733. &c.
Col. 502. B. lin. 4. num. XXX. beatæ, *lege* beati.
Col. 505. D. lin. 7. post hæc verba, *ad an. 1540.* adde *cum*
Col. 518. A. lin. 11. illi, *lege* hujus.
Col. 549. A. lin. 10. Bonfiere, *lege* Banfiere.
Col. 551. E. lin. 5. propris, *lege* propriis.
Col. 573. C. num. IX. lin. 9. pro 14. *lege* 24.
Ibid. D. lin. 1. die 3. *lege* 5.
Col. 616. A. num. XVI. lin. 3. hospitali, *lege* hospitalis.
Col. 633. C. lin. 7. per duellium, *lege* perduellium.
Col. 754. D. lin. 5. VII. *lege* VI.
Col. 776. D. lin. 10. Renconio, *lege* Ransonio.
Col. 781. D. lin. 6. excerptum, *lege* exceptum.
Col. 897. C. lin. 9. idem, *lege* iidem.
Col. 907. A. lin. 5. quoque, *lege* quæque.
Col. 933. B. lin. 12. Februarri, *lege* Februarii.
Col. 936. B. lin. 5. *col.* adde 918.
Col. 950. A. num. LX. lin. 9. nnis, *lege* annis.
Col. 959. D. lin. 13. fundatrici, *lege* fundatrice.
Col. 1000. B. lin. 7. Xowiz, *lege* Lovitii, *Lowicz.*
Ibid. D. lin. 2. largitus est, *adde* anno 1700.
Col. 1098. C. lin. ult. Pro qua, rex, *lege* pro qua re.
Ibid. D. lin. 2. diem judicii futuro, *lege* futurum.
Col. 1130. C. lin. 3. anni ejusdem, *lege* anni 1100.
Col. 1206. D. lin. ult. recedit, *lege* resedit.
Col. 1248. D. lin. 11. Anno 1024. *lege* anno 1022.
Col. 1282. D. num. 19. lin. 4. necrologio, *lege* necrologo.
Col. 1288. D. lin. 4. argenteum, *lege* argenteo.
Col. 1303. lin. 7. de Bellême, *lege* du Perche.
Col. 1324. C. lin. 10. calendas ejusdem, *lege* calendas Julii ejusdem.
Col. 1606. A. num. XLII. lin. 3. Humolariensis, *lege* Humolariensi.
Col. 1618. C. lin. penult. De Si, *lege* De Simone.
Col. 1640. E. lin. 7. in margine, chart. XVI. col. 561. *lege* chart. XVII. col. 564.
Col. 1722. A. in margine, chart. XV. col. 560. *lege* chart. XVI. col. 562.